BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
F
21
NAPOLI

XII
F
21

Google

Digitized by Google

TRIBVNALIS
SACRAMENTALIS & VISIBILIS
ANIMARVM
IN HAC VITA MORTALI,
SACER CODEX

In quo omnia peccata, omneſque caſus (diſſimulatis auctorum opinionibus) ad fundamenta legis divinæ (prout Scripturâ ſancta, traditione antiqua, decretis Sacro-Sanctorum Conciliorum, & Doctrina ſanctorum Patrum Eccleſiæ Doctorum explicatur) duodecim Tractatibus reducuntur.

AUCTORE
R. P. F. PETRO MARCHANT,

Totius Ordinis S. Franciſci, ac utriuſque Provinciæ Flandriæ Fratrum Minorum Recollectorum Patre perpetuo, & S. Theologiæ Lectore emerito.

Opus utiliſſimum & neceſſarium Confeſſariis ac Pœnitentibus; tentatis autem & afflictis conſolatorium.

EDITIO TERTIA AVCTIOR ET CORRECTIOR.

TOMUS SECUNDUS.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXII.

NAPOLI

PROLOGUS
AD
LECTOREM,

In quo hujus Tomi cauſa, materia & ſtructura explicatur.

SVPERIORI Tomo (*candide Lector*) *mundavimus ſancta &* 2. Machab.
Tribunal Sacro-Sanctum Pœnitentiæ ſuis Partibus, Legibus, 4. verſ. 48.
Qualitatibus, & ſinceræ integritati reſtituere conati ſumus: & ſeq.
Elegimuſque *Sacerdotes ſine macula, voluntatem in lege Dei ha-* Ibid.
bentes: ut in iſto Tribunali reponerentur *Iudices*, ut *fuerant*
priùs & Conſiliarij ſicut antiquitus. Iſai. 1. verſ. 28.

En in hoc Tomo, juxta promiſſum, prodit codex ſacrarum
legum, ut ſimul & *judicium ſedeat & libri aperiantur*, & ex his Dan. 7.
quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera ipſorum ſinguli ju- verſ. 10.
dicentur. Lex enim ſola eſt peccati index: Nam Apoſtolo teſte: *Vbi non eſt lex, nec* Rom. 4. verſ. 15.
prævaricatio. Et *peccatum non cognovi, niſi per legem: Nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex* Rom. 7.
diceret: Non concupiſces. Tibi igitur *codicem* aperio, ut *appareat peccatum* quod *ſine lege* verſ. 7. ibid.
aliquandò in magnum animarum præjudicium *mortuum erat*. Totus labor meus in-
ſudabit, ut, diſſimulatis opinionum variarum fumis & pulvere, ad fundamenta om-
nium caſuum conſcientiæ pervenire valeam. Vnus mihi ſcopus erit, invenire cum
Helcia *librum legis Domini* ſcriptum *per manum Moyſi in domo Domini*: Id eſt: legem 2. Paralip.
originalem prout à principio vel in cordibus ſcripta eſt, vel in membranis originaliter 34. ver. 14.
impreſſa. Quæ enim per commenta opinantium tranſiit, nimis jam trita eſt, vixque
legibilis; ita ut opus ſit Eſdrâ aliquo qui characteres reformet, aut reſtituat. Et qui-
dem iſta mihi ſcribendi unica cauſa fuit: Non nova dicere, non plura, non rara: Sed
antiquam doctrinam in ſcriptura & lege conſcientiæ, conciliis, ac decretis ſummo-
rum Pontificum, & Patribus Eccleſiæ fundatam, è terrenæ ſapientiæ latebris eruere,
eamque à rubigine liberare. Multiplicitatem caſuum in ſuis fundamentis & rationis
centro unire: Singularitatem vitare (ita tamen ut non reputem eam ſententiam
communem eſſe, quæ à pluribus docetur; ſed quæ communi legi omnibus homini-
bus, aut certo hominum ſtatui datæ, magis eſt conformis) multitudo utique devian-
tium abuſum communem facit, non uſum: & à rectè gradientibus via inquirenda eſt,
non à turba vias conculcante, & avias reddente. Non deeſt ſanè, *Idolum zeli ad pro-* Ezech. 8.
vocandam æmulationem, in ipſo introitu portæ Altaris: Idolum proprii amoris & judicii, verſ. 3. 5.
cui ſacrificare convincuntur, qui non peccata arguere, ſed palpare: non accuſare, ſed
excuſare, quærentes ratiocinationes & ſubtilitates *ad excuſandas excuſationes in pecca-*
tis: Quinimò, ſi idolum illud pertranſeamus & parietem fodiamus, vereor ne cum Pſal. 140.
Propheta videamus *abominationes peſſimas quas iſti faciunt hic, ſimilitudines utique repti-* verſ. 4.
lium & animalium, & univerſa idola domus Iſrael depicta in pariete conſcientiæ, penicillo Ezech. 8.
adulatorio: quæ tantum abeeſt ut illa iſti abominentur, quin potiùs *illis vaporem ne-* verſ. 9. 10.
bula de thure conſurgentem adoleant: Nec deerunt *Mulieres* non jam ſua peccata *de-* & ſeq.
plorantes; ſed *plangentes* profanum pectoris ſui *Adonidem*. Et ſi penetrare non diſpli-
ceat, videbimus *Viros habentes dorſa contra templum Domini & facies ad orientem, & ado-*
rantes ad ortum ſolis. Ab his Eccleſiam ſuam præſervet Deus.

Proindè tabulas conſcientiæ in hoc Tribunali opere fuſili eriget hic Tomus, quas
Deo inſcribente, natura primum, dein Moyſes accepit. Materia circa quam hujus
partis Tribunalis erit *peccatum* prout à ſancto Auguſtino deſcribitur: *Dictum, factum,* S. Auguſt. lib. 22.

contra Fauſt. Manich. 27. *vel concupitum contra legem æternam*: Structura lapide quadro *legis æternæ* conſurget; aliis tamen legum aliarum appendicibus & dependentiis ornata. Hanc enim *legem æternam*, regulam omnium legum & perpendiculum omnium actionum humanarum in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem ſupernaturaliter obtinendam agnoſco. Non enim mihi hic de *peccato* agendùm reor, prout dicit difformitatem vel obliquitatem ab honeſti pulchritudine vel rectitudine: ſed de peccato, prout à lege æterna deviat, vel ſpiritualem vitam animæ (quæ in gratia & charitate conſiſtit) penitùs extinguit, & reatu ad mortis æternæ damnationem perpetuam animam obligat, ex quo *peccatum mortale* nuncupatur; vel charitatem diminuit & languidam animam reddit, illam pœnæ tempotalis vinculis in ſecreto Dei judicio implicans, ex quo *veniale* appellatum eſt.

Rata porro mihi ſunt & ſacra hæc duo principia, cum de foro Dei Sacramentali & Ordinis ſupernaturalis TRIBUNALI agitur.

Primum. *Nullum actum vel omiſſionem peccatum cenſeri, niſi quatenus à lege æterna deviat.*

Secundum. *Nullum peccatum privatione gratiæ Dei, & reatu mortis æternæ mulctari, niſi voluntate Dei Omnipotentis, & juſtitiæ totius fontis: quatenùs illa voluntas vel per Deum ipſum, vel per ejus miniſtros ſcientia, poteſtate vel auctoritate Dei legitimè utentes nobis innoteſcit.*

Super his Principiis velut columnis imponentur Sacræ Tabulæ Codicis hujus, 1. Tim. 1. verſ. 5. quibus pro Coronide ſuperponemus *charitatem* quam definit Apoſtolus: *De corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* Quidquid igitur reperiemus ab æterna lege devium, *peccatum* dicemus: Quidquid privatione gratiæ & reatu mortis æternæ clarâ Dei auctoritate ſive per ſe, ſive per miniſtros ſcientiâ & poteſtate Dei inſignitos mulctatum conſtabit, pro *peccato mortali* agnoſcemus: Si quid à fine præcepti quæ eſt charitas, modicum tantùm declinet, *imperfectum & veniale* in ſuo genere dicendum erit.

Methodum prioris Tomi ſequemur: à diſputationum fumo, & pulvere, ab auctorum citationibus, ab eloquentia humana ſponte abſtinentes.

Hoc igitur noſtro labore (*Lector benevole*) ſi non diſplicet, utere, fruere: ſi quid durius ſonat, benignius interpretare: ſi quid diſſonat, Euphoniam adde: Si quid obſcurius apparet, lucernam accende; Mutuatum lumen non recuſabo: ſi quid corrigendum, mone: charitati & benevolentiæ gratus ero. Vnicus fuit mihi oculus animabus prodeſſe: Nemini obeſſe; imò ubi potui, nec deeſſe.

Tractatibus duodecim velut columnellis hic *Codex* circumcingitur: quorum *Primus*: De legibus, legislatoribus, ac legum obligationibus agens fundamenta totius judicii denudat: *Decem ſequentes*, ſingula Decalogi Præcepta & eorum Appendices reductivè expendunt: *Vltimus*, ad quinque Eccleſiæ orbi Catholico communia Præcepta extenditur, ne quid deſit.

Pſalm. 81. verſ. 1. Præſidebit in hoc TRIBUNALI *Deus* qui *ſtetit in Synagoga Deorum ut in medio Deos dijudicet*: Aſſidebunt SS. Apoſtoli Petrus & Paulus;

Janitor Cœli, Doctor Orbis pariter
Judices ſæcli, vera mundi lumina.

Quorum

Hymnus. *Per crucem Alter, Alter enſe triumphans,*
Vitæ Senatum Laureati poſſident.

Tuæ verò Cenſuræ Mater Catholica, Apoſtolica, Romana Eccleſia ſe ſuaque omnia Auctor reddit, ſubmittit, ſubſternit.

TRACTA-

TRACTATUS PRIMUS
DE
LEGIBUS, LEGISLATORIBUS
& Legum obligatione.

PRimus hic Tractatus fundamentum eſt omnium dicendorum: Cùm enim S. Auguſtini ſenſu: Nullum ſit peccatum, niſi ſit alicujus legis prævaricatio: Super legibus, legislatorum auctoritate & voluntate, legumque obligatione dicendorum fundamenta jacienda fuerunt. *Rursùs*: Cùm non de legibus quibuſcumque, ſed de illis quæ forum Dei in *Tribunali viſibili & Sacramentali pœnitentia* concernunt, hæc noſtra inſtituatur exercitatio: Sicut primaria hujus fori directio eſt *prima & æterna rectitudo & veritas*, prout eſt cæterarum veritatum *menſura*, juxta quam qui benè beateque vivit, dicitur *in veritate ambulare* & *veritatem facere*; qui verò malè & damnabiliter degit, dicitur *in veritate non ſtare*: *veritatem non facere*: Sic unicus Lapis Lydius omnis controverſæ Quæſtionis erit *lex æterna*, primæ & æternæ veritatis, omnis rectitudinis & obliquitatis index, regula, & perpendiculum. *Demùm*, cùm fori illius Princeps legislator, & Judex ſit Deus & Jeſus Chriſtus, Deus & homo, Dei filius, qui ſolus eſt *via, veritas, & vita*: Qui eſt *lex & legiſer noſter*: *Qui ſolus poteſt animam & corpus perdere in gehennam*, omnium obligationum principium & originem agnoſco ſolam ejus voluntatem, ſive in lege divina remaneat, ſive ad legem humanam vim ſuam exerat & extendat, prout nobis Scripturâ, traditione, vel S. Matris Eccleſiæ interpretatione de illa conſtare poseſt.

Lex æterna omnium legum fundamentū.

Joan. 14. verſ. 6. Iſ. 33. v. 22. Matth. 10. verſ. 28.

Quia verò hæc Methodus erit admodum laborioſa, excuſatum me velim apud quemcumque hujus occupationis meæ lectorem, ſi interdùm à terminis, diffinitionibus, diſtinctionibus ſcholarum recedo, id enim tantùm facio, ut rem breviùs, ſolidiùs, clariùs exponam & verborum pugnas declinem; Attentum enim opto lectorem non ad eum qui loquitur vel ſcribit, ſed ad ea quæ dicuntur, & ad fundamenta quibus dicta nituntur: Sapientibus enim & inſipientibus debitor effectus, omnibus ſi poſſim, ſatisfactum volo.

TITVLVS PRIMVS.
DE
LEGIS NATVRA ET ESSENTIA,
Legumque multiplicitate.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Lex?

OMiſſis variis legis deſcriptionibus, ſic pro hoc noſtro inſtituto legem definio deſcriboque.

CONCLUSIO UNICA.

LEx eſt, *Regula perſeverans actionum humanarum, indita vel poſita multitudini, auctoritate & voluntate publicam poteſtatem habentis, obligans ad ſui ſequelam in proſecutione boni & fuga mali.* Partes deſcriptionis ſic expendo.

Expenditur definitio.

Dicitur (*Regula*) eſt enim lex formaliter & per ſe index rectitudinis in agendis vel omittendis, & conſequenter per accidens index obliquitatis; unde quia legi proprium eſt *Regulare* ſive *Dirigere*, ab iſta pruprietate pro genere deſcripti ſive definiti ponitur *regula*, conformiter ad nominis *legis* originem quam à *legendo* derivat, quòd legat ſive dictet, quud rectum eſt.

Dicitur (*Regula perſeverans*) ut diſtinguatur *lex* à ſimplici *præcepto* vel *mandato* tranſeunte, quod pro arbitrio & voluntate præcipientis tollitur, vel cum actione præterit & ceſſat: Eſt enim proprium legi ut nonnullam habeat perpetuitatem & immutabilitatem ex narura ſua, ita ut non niſi mutatâ materiâ, aut causâ propter quam lata eſt, ceſſante, mutari cenſeatur quantum eſt ex vi ſuæ conſtitutionis: Cùm enim à prima rectitudine & veritate originem ſumat, ut ſit juſta; & juſtitia primæ veritatis ſit immutabilis ex natura ſuæ rectitudinis, lex ſimiliter immutabilis erit ex natuna ſua: Quia tamen à voluntate legislatoris applicatur ſubjecto & materiæ mutabili, ob cauſas mutabiles; hinc eſt, quod leges etiam mutentur, ceſſante nimirùm causâ, idque vel per revocationem legislatoris; vel per alios modos: Non quia rectitudo prima legi competens deficit, ſed quia circumſtantiæ requirunt ut obligatio legis ceſſet, ſive materiâ ſive fine legis ceſſante. Sic

Diſtinctio legis à præcepto.

Vnde in legibus mutatio.

leges cœremoniales & judiciales veteris legis, in nova lege ceſſarunt & revocatæ ſunt: Priores quidem, quia cùm eſſent umbræ & & figura futurorum, adveniente veritate ceſſabant: Poſteriores verò, quia cùm populo ſervili eſſent velut virga exactoris, & cauſa dominationis coactivæ impoſitæ, veniente lege amoris & filiorum, importunæ & incongruæ fuiſſent.

Dicitur (*actionum humanarum*) inſtitutum enim noſtrum ad homines dirigitur: unde etſi lege & præcepto Angelus dirigi & ligari valeat, ſicut tamen de angelicis actionibus hic non eſt ſermo, ſic nec de lege Angelos concernente; Sed tantùm de actionibus hominis, quatenus humanæ ſunt & de humana honeſtate participant, ac ſecundùm quod honeſtis legibus diriguntur.

Dicitur *indita vel poſita*) *indita* quidem, ut leges naturales; *Poſita* verò, ut poſitivæ includantur.

Dicitur (*multitudini*) lex enim ſingulatiter individuo ſingulari (ut Joanni) non imponitur, ſed mandatum: Unde prohibitio facta Adamo ne comederet de ligno ſcientiæ boni & mali, fuit præceptum, non autem lex; etſi tranſgreſſio illius in perniciem totius multitudinis reſultarit.

Dicitur (*auctoritate & voluntate*) ad legem enim utrumque concurrat neceſſe eſt; nam *auctoritas* & *voluntas* legislatoris ſunt vis & vita legis, unde etſi legislator *auctoritatem* habeat obligandi; ſi non velit obligare, lex non obligabit & deſinet eſſe vera lex; ſi verò quis *voluntatem* habeat & auctotitas illi deſit, incaſſum legem dare tentabit.

Dicitur (*publicam poteſtatem habentis*) *poteſtas* enim eſt radix auctoritatis & efficacis voluntatis: quæ ſi privata ſit, privatum dumtaxat mandatum ferre poterit: ut legem autem publicam ferat, publica poteſtas requirenda eſt; quia, ut diximus, lex multitudinem reſpicit,

Diſtinctio inter legem & monitionem. Dicitur (*obligant ad ſui ſequelam*) ut lex diſtinguatur à monitionibus, exhortarionibus, conciliis, inſtructionibus, &c. quæ obligationem non inducunt, ſed tantùm directionem: Lex verò, ut legis rationem habeat, obligationem in operante inducere debet, alioquin inutilis eſſet, & monitorii ac inſtructionis potiùs naturam ſubiret: Unde eſt illud Gratiani Diſt. 4. *Decretum neceſſitatem facit, exhortatio liberam voluntatem excitat.* Gratian. Diſt. 4.

Dixi (*in proſecutione boni & fuga mali*) hic enim eſt immediatus finis omnis directionis in lege.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Lex?

NE legis diviſio multiplex confuſionem pariat, unam tantùm generalem diviſionem legis hic ponendam cenſui, cæteras reſervans ſuis ſpecialibus titulis, ut doctina tota clarius diſtinctiuſque proponi valeat.

CONCLUSIO UNICA.

UNiverſalis itaque & primatia legis diviſio eſt: In *divinam & humanam.* Cujus diviſionis ſufficientia conſtat: Quia lex omnis, vel eſt à Deo per divinam poteſtatem legem ferente: vel ab homine per poteſtatem humanam. *Rursùs*, vel eſt à Deo immediatè: vel à Dei miniſtro in virtute Dei actionem humanam ad finem ſupernaturalem dirigente: aut ab homine poteſtate purè humanâ ad finem purè humanum voluntatem regulante: Si igitur à Deo vel à Dei miniſtro poteſtate & voluntate Dei principaliter ad ſupernaturalem finem lex feratur, *divina* vocabitur; ſi verò ab homine poteſtate & voluntate purè humanâ, aut à Deo, ut *natura auctore*, ad finem purè humanum lex detur, *humana lex* prorsùs vocabitur: De quibus in diffinitionibus infrà ſuo loco ponendis, latiùs agemus. *Diviſio primaria legis in divinam & humanã.*

Advertendum verò *eſt primò*: Me hic nullam feciſſe legis naturalis mentionem, quam definit *Gerſon* de vita ſpirituali lect. 2. Coroll. 5. lit. *O ſignum inditum cuilibet homini non impedito in uſu debito rationis, notificativum voluntatis divinæ, volentis creaturam rationalem teneri ſeu obligari ad aliquid agendum vel non agendum pro conſecutione ſui finis naturalis, qui eſt felicitas humana.* Quia ſicuti nullum ſtatum puræ naturæ agnoſco (cùm certum ſit hominem in puris naturalibus abſque gratuitis vel gratioſis Dei donis à Deo conditum non eſſe; imò ut ex S. Auguſtino variis locis probabitur, nec quidem condi potuiſſe) ſic nullum finem ſcilicet purè naturalem hominis dari exiſtimo, cùm eò ipsò quò homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatus eſt, ad æternam beatitudinem ad quam omnes ejus actiones rationales debent referri, conditus cenſeatur. Unde *lex* quæcumque *naturalis* quæ hominem dirigit ad ultimum finem, qui eſt ſolus Deus, *divina* nuncupanda erit: *Lex* autem quæ ad fines proximos humanos (ut ad civilitatem tum domeſticam, tum politicam) hominem dirigit, *humana* dicetur: Ità ut ad aliquod membrum datæ diviſionis univerſalis quæcumque lex univerſalis reducatur juxta rationem finis ad quem ordinata eſt, utique ad *divinam* vel *humanam*, ut infrà enucleatè probabitur: Aliàs fingere ſtatum puræ naturæ ad finem purè naturalem ordinatum, ad Theoriam & ſpeculationem magis ſpectat, quàm ad praxim. Nos autem agimus de iis quæ ad praxim realem pertinent in rebus quæ jam ſunt & prout conſtitutæ ſunt. Gerſon de vita Spirit. lect. 2. Coroll. 5. lit. O. *Lex puræ naturæ nulla.*

Advertendum ſecundò: Me etiam à propoſito noluiſſe hic mentionem facere *legis mixtæ*, quæ ex divina humanaque componitur, quia & hæc ob membrorum diverſitatem, non niſi ſuis ſingularibus locis explicari poteſt.

TITULUS SECUNDUS.

De lege divina, & variis ejus divisionibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit lex divina?

CONCLUSIO UNICA.

Diffinitio legis divinæ.

LEx divina eſt: *Quæ à Deo, vel Dei auctoritate & voluntate, eiuſq, nomine & virtute indicitur vel imponitur, dirigens per ſe hominem ad beatitudinem æternam & ſupernaturalem, ſub obligatione debiti ſpiritualis, & pœna in foro Dei.* Expendo partes diffinitionis.

Dixi (*Quæ à Deo, vel Dei auctoritate & voluntate ejuſq, nomine & virtute indicitur* &c.) *Primò*, ad excludendas leges humanas quæ feruntur ab hominibus quatenus homines ſunt, ſive ut poteſtate humana gaudent. Etſi enim omnis poteſtas humana radicaliter ſit à Deo, & à Deo ordinetur; non agit tamen ſemper in ſuis præceptis in virtute Dei: ſed quatenus eſt humana, in omni ſua actione, humano modo & virtute dirigitur. *Secundò*, ad includendas leges, quæ etſi per homines ferantur, non tamen ab eis qua homines ſunt; ſed qua Dei miniſtri poteſtatem divinam participantes & in virtute Dei procedentes; leges enim à tali poteſtate procedentes divinæ ſimpliciter dicendæ ſunt: ut ſunt leges credendorum, ſive articulorum fidei in Eccleſia, & aliæ ad Sacramenta & media ad ſalutem neceſſaria pertinentes, quæ interdum ab Eccleſia Dei poteſtate imponuntur.

Dixi (*indicitur vel imponitur*) ut includantur tam *naturales divinæ*, quàm *poſitivæ*.

Finis legis divinæ.

Dixi (*Dirigens per ſe hominem ad beatitudinem æternam & ſupernaturalem*) finis enim legis divinæ eſt, ut per adimpletionem eorum quæ præcipiuntur, & omiſſionem eorũ quæ prohibentur homo æternam beatitudinem conſequatur, quæ cùm in complemento charitatis (quod eſt fruitio) conſiſtat, Apoſtolus totam ſeriem legis comprehendere volens, dixit: *finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta.* Per hanc autem particulam excluduntur leges merè judiciales apud Judæos, quæ etſi à Deo Moyſi eſſent dictatæ; per ſe tamen ſolum referebantur ad politiam humanam reipublicæ Judæorum: unde more politico ad mortẽ & pœnas temporales transgreſſores obligabant, & republicà Judæorũ finem accipiente, etiam in ijs quæ purè judicialia erant, ceſſaverunt omnibus ad leges naturæ reductis ut alias latius. — 1. Tim. 1. v. 5.

Excluduntur iterum leges humanæ *merè politicæ & civiles*, quæ etſi (ut dixi ſupra) à poteſtate à Deo ordinata procedant; ad finem tamen humanum & politicum immediate referuntur. Quod ſi etiam mercede æterna digni habeantur qui leges illas obſervant, id non fit ratione legum illarũ præciſe; ſed ratione fidei & charitatis eorum qui illas leges obſervant, de quibus ſuo loco infra.

Dixi (*ſub obligatione debiti ſpiritualis, & pœna in foro Dei*) *primo*, ad excludendas leges pure pœnales ſive obligantes tantum ad pœnas temporales in foro externo. *Secundò*, ad includendas omnes leges divinas quarũ transgreſſio inducit veniale vel mortale peccatum, ex transgreſſione enim illarum homo non tantum culpam contrahit, quam conſequitur privatio gratiæ, vel diminutio charitatis & amicitiæ Dei; ſed etiam in foro interno conſcientiæ & Dei obligatur ex culpa quidem mortali, ad pœnam æternam; ex culpa vero veniali vel ex mortali remiſſa, ad pœnam temporalem. — Obligatio legis divinæ.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint diviſiones præcipuæ legis divinæ?

CONCLUSIO I.

PRima diviſio legis divinæ eſt *in divinam æternam, & divinam temporalem, ſive in tempore datam.*

Lex divina æterna, *eſt ipſamet Dei rectitudo & prima veritas, quatenus per illam omnis rectitudo menſuranda, & regulanda intelligitur, ſeu concipitur;* eſtque *ipſemet Deus, prout omnis rectitudinis principium* juxta illud Pſ. 118. *Omnia mandata tua æquitas* & iterum: *cognovi Domine quia æquitas judicia tua*, dicuntur enim & mandata, & judicia Dei *veritas, æquitasque*; quia à Deo qui prima veritas & prima æquitas eſt, procedunt. Unde S. Aug. l. 10. Confeſſ. c. 23. *Beata vita eſt gaudium de veritate, hoc eſt enim gaudium de te qui veritas es.* Et Serm. 17. de verbis Apoſtoli: *Dominus juſtitia eſt.* — Diviſiones legis divinæ. Pſal. 118. v. 127. &c. S. Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 23. Idem l. 17. de verbis Apoſtoli.

Divina temporalis eſt, *Quæ à Deo in tempore indita vel poſita eſt* juxta conditiones omnes ſupra in deſcriptione divinæ legis enarratas. Et de hac diviſione nihil occurrit ſpecialiter dicendum.

CONCLUSIO II.

LEx divina temporalis, ſive in rempore conſtituta, dividitur in *divinam naturalem, & divinam poſitivam.*

Lex naturalis divina eſt, *Quæ à Deo humanæ rationi eſt indita, regulans judicium & actiones eius humanas in ordine ad beatitudinem æternam, & ex Dei voluntate obligans hominem ad ſui ſequelam in foro Dei, ſub debito reatus culpæ vel pœnæ à transgreſſore incurrendi.* Expendo partes. — Legis divinæ naturalis diffinitio.

Dicitur *naturalis*, non quia ex principiis puræ naturæ originem ducat, ſed primò: Quia naturali rationi à Deo eſt indita ut lumen quoddã naturæ. Secundò. Quia naturæ rationali, ut ad finem ſuũ ſupernaturalem dirigeretur, neceſſaria fuit velut ex debito congruitatis. Tertiò. Quia nõ fuit conceſſa alicui tantum individuo; ſed omnibus ut cum natura in illis propagaretur: unde S. Thomas l. 4. cõtra — S. Thom. l. 4. contra.

 Gentes

Gentes cap. 52

Gentes c. 52. *Donum* (inquit) *naturæ in ſui conſtitutione collatum, quodammodo fuit natura, non quaſi ex principijs naturæ cauſatū, ſed quia ſic fuit datum, ut ſimul cum natura propogaretur.* Bene igitur dicitur *naturalis*; quia univerſæ naturæ rationali à principio concreata eſt, ut rationis naturalis adjumentum & ornamentum.

Dicitur verò *Divina*; quia à Deo potentiæ naturali eſt ſuperaddita, ut ipſa ratio ex natura ſua primæ veritati ſubordinata ad divinum rediret principium, & ad finem ad quem homo creatus eſt; ut in ſequentibus particulis explicabitur.

Dicitur itaque *indita humanæ rationi*, ut diſtinguatur ab habitibus acquiſitis.

Dicitur, *Regulans judicium & actiones ejus humanas*, ex hoc enim etiam lex naturalis vocatur, quia in ordine ad actiones prout à ratione humana reguntur, indita eſt.

Dicitur, *in ordine ad beatitudinem æternam*: ſicut enim ipſa natura rationalis ex ſe eſt creata à Deo capax æternæ ac ſupernaturalis beatitudinis & ad eandem beatitudinem ordinata; ſic dona naturæ ſuperaddita, & ipſa lex naturalis in cordibus ſcripta, non alia ratione eſt ſuperaddita & cordibus humanis inſcripta, quam ut homini ad beatitudinem ſupernaturalem adſpiranti eſſet regula, & velut directrix humanarum actionum, prout ad æternam beatitudinem diriguntur. Unde & à Deo impoſitus eſt legem illam transgredientibus reatus culpæ & pœnæ temporalis vel æternæ in foro Dei. De quibus Apoſtolus ad Rom. 1. *qui* (inquit) *cum iuſtitiam Dei cognoviſſent* (per legem ſcilicet naturalem ſcriptā in cordibus ſuis) *non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt: ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Iterū cap. 2. *quicumque ſine lege* (nimirum ſcripta) *peccaverunt, ſine lege* (ſctipta) *peribunt*, &c. quæ de morte animæ & pœna æterna ſunt intelligenda. De quibus ſtatim in particulari appendice & digreſſione infra ponenda.

Rom. 1. v. 32.

c.

CONCLUSIO III.

Diffinitio legis poſitivæ divinæ.

LEx poſitiva divina eſt, *quæ à Deo præter legem naturalem homini ponitur, & velut ſuperadditur in ordine ſimiliter ad finem & beatitudinem ſupernaturalem, transgredientes obligans ad culpam & reatum pœnæ æternæ vel temporalis in foro Dei.*

Dicitur: *quæ à Deo ponitur & ſuperadditur*, ut diſtinguatur à lege naturali divina, quæ eſt naturæ indita, ſive inſita & inſcripta: poſitio enim ſive ſuperadditio aliquid velut extrinſecum dicit, & à *poſitione*, dicitur *lex poſitiva*. Ponitur autem ſive traditur lex poſitiva per inſpirationem, verbum, ſcripturam, vel traditionem. Unde in lege naturæ multa mandata ab Adamo uſque ad Moyſen data ſunt, quæ per inſpirationem Patriarchis factam abſque verbo vel ſcripto tradita eſſe ex ſcriptura conſtat, & de his etiam infra: poſtea aliæ verbo; aliæ ſcripto ſunt impoſitæ: demum de nonnullis ſola traditione abſq; ſcriptura vel verbo nobis conſtat, reliqua quæ in definitione ponuntur, clara ſunt ex deſcriptionibus tum legis divinæ generaliter ſumptæ, tum legis naturalis divinæ, ſupra.

Appendix & digreſſio doctrinalis & fundamentalis.

De ſtatu naturæ à Deo conditæ & lege naturali.

QUia patres & Theologi variè de hoc ſtatu naturæ, & conſequenter de lege naturali ſunt locuti, omiſſis multis ſpeculationibus, abſtractionibus & Theorijs, ad ea quæ ſunt facti & ſacræ hiſtoriæ in ſcripturis contentæ vel ex ſcriptutis deductæ, deſcendo per doctrinam fundamentalem, quæ lucem præſtabit toti huic tractatui de legibus, & operi univerſo.

Advertendum itaq; primò: Deum creaſſe hominem primum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non in puris naturalibus, hoc eſt, in ſuis puræ naturæ proprietatibus quæ ex naturæ principijs per ſe emanant; abſque ullis donis gratuitis vel gratioſis; ſed donis quibuſdam naturalibus & ſupernaturalibus, gratuitis & gratioſis id eſt, gratum facientibus, illum exornaſſe.

Hæc doctrina ſufficienter declaratur Eccleſ. 7. ubi de variis diſceptationibus locutus Salomon, tandem concludit tamquam certum: *Solummodo* (inquit) *hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Quem locum intelligunt Eccleſ. 7. v. 30. communiter Patres & Doctores de rectitudine qua (ut ait S. Thom. 1. part. qu. 95. art. 1.) S. Thom. 1 p. q. 95. art. 1. *vires inferiores animæ & corporis ſubdebantur rationi, & ratio ſubdebatur Deo*, ſive illa rectitudo fuerit in ſupernaturalibus gratiæ donis, ſive in juſtitia & lumine ac lege Dei naturali à Deo naturæ inſita, ſive potius in utriſq;: quibus homo perverſe utens, ſe immiſcuiſſe dicitur varijs cupiditatibns ex varijs ratiocinationibus humanis originem trahentibus, ut Patres communiter interpretantur; Hebræa enim & Græca pro eo quod noſtra vulgata editio ponit: *ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus*, Rom. 1. v. 21. habent: *ipſi quæſierunt cogitationes multas ſivè ratiocinationes*, quemadmodum & Apoſtolus Olympiodorus ait: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Et Olympiodorus interpretatur, *obliquas vivendi rationes.* Et Symachus *operati ſunt* (ait) *curioſitatem vel variam negotiationem.* Symmachus.

Concatenationem verò totius primævæ creationis hominis in donis tum naturalibus, tum gratuitis, tū gratioſis explicat Eccleſiaſticus c. 17. Eccli 17. verſ. 1. 2 5. & ſeq. *Deus* (inquit) *creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illū, & ſecundū ſe veſtivit illū virtute*, &c. *Conſilium & linguā, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos: creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorū, & mala & bona oſtendit illis. poſuit oculum ſuū ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent*, &c. *Addidit illis*

diſciplinam

diſciplinam & legem vitæ hæreditavit illos. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & judicia ſua oſtendit illis: & magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum; & dixit illis: attendite ab omni iniquo, & mandavit illis unicuiq; de proximo ſuo. Viæ illorum coram illo ſunt ſemper, non ſunt abſconſa ab oculis ipſius. In unamquamq; gentem præpoſuit rectorẽ, & pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta. Et omnia opera illorũ velut ſol in conſpectu Dei, & oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum: non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatẽ illorum, & omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei. Eleemoſyna viri quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiã hominis quaſi pupillam conſervabit. Et retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipſorum, & convertet in interiores partes terræ: pœnitentibus autem dedit viam juſtitiæ, & confirmavit deficientes ſuſtinere, & deſtinavit illis ſortem veritatis, &c. Hæc ibi.

Ex quibus omnibus, pono hanc totalem ordinationem in creatione primi hominis, quæ toti doctrinæ inconcuſſa fundamenta dabit per paragraphos ſequentes.

§. I.

Homo ex vi naturæ rationalis ad ſupernaturalem beatitudinem eſt creatus.

Eccli. 17. verſ. 1.
Geneſ. 1. verſ. 27.

PRobatur *primò*, ex textu ſupracitato Eccleſiaſtici 17. *Deus* (inquit) *creavit hominem de terra, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum* (ſive ut in Geneſi dicitur) *ad imaginẽ Dei creavit illum.* Ad imaginem autem Dei creari, eſt creari beatitudinis æternæ capacem, & ad æternam beatitudinem quæ Deus eſt, naturali appetitu aſpirantem. Hæc enim eſt ſententia *S. Auguſtini*, Deum hoc ipſo quo creavit hominem ad imaginem ſuam, non potuiſſe creare niſi capacem æternæ beatitudinis, nec potuiſſe homini ſic creato, etiam, conſiderato ſtatu puræ naturæ, alium præfigere finem niſi ſeipſum, quia hoc eſt proprium imaginis Dei tantæ capacitatis eſſe, ut ente creato ſatiari non poſſit. Unde libr. de Nat. boni cap. 7. (ait) *In rebus à Deo factis tam magnum bonum eſt natura rationalis, ut nullum ſit bonũ quo beata ſit, niſi Deus.* Et lib. 14. de Trinit. c. 8. rationem reddens, unde hæc naturæ rationali capacitas competat: *quod tam magnum* (inquit) *bonũ niſi per hoc quod imago ejus eſt, intelligi non poteſt.* Et lib. 12. de Civit. cap. 1. *In tanta* (ait) *excellentia creata eſt ut licet ipſa ſit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id eſt, ſummo Deo, beatitudinem conſequatur, nec expleat indigentiã ſuam, niſi utiq; beata ſit, eiq; explendæ non ſufficiat niſi Deus.* Et Epiſt. 112. cap. 23. *Rationalis* (inquit) *creatura ſive in angelico ſpiritu, ſive in anima humana ita facta eſt, ut ſibi ipſi bonum quo beata fiat, eſſe non poſſit.*

Deus non potuit hominẽ creare niſi æternæ beatitudinis capacem.

S. Auguſt. lib. de Nat. boni c. 7.

Idem lib. 14. de Trinit. cap. 8.

Idem lib. 12. de Civit. cap. 1.

Idem Epiſt. 112. cap. 23.

Hinc eſt illud homini à principio ſuæ creationis inditum deſiderium æternæ & ſupernaturalis beatitudinis, de quo S. Auguſt. l. 1. Confeſſ. cap. 1. *feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Cujus ratione à Patribus Deus nominatur, *animæ centrum.*

Idem lib. 1. Confeſſ. cap. 1.

Hinc dixit Doctor Subtilis in Prologo 1. Sentent. Qu. 1. *Deum eſſe finem naturalem hominis, licet non naturaliter adipiſcendum; ſed ſupernaturaliter.* Nihil enim obſtat ut finis naturæ non poſſit niſi ſupernaturalibus mediis acquiri. Cui conſonum eſt illud S. Thomæ opuſc. de Trinit. Boëtii qu. ult. ad 5. *Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum,* &c. *Non tamẽ poteſt naturaliter illum conſequi, ſed ſolũ per gratiam, & hoc eſt propter eminentiã illius finis.* Unde univerſaliter S. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctorum c. 5. *poſſe* (inquit) *habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem natura eſt hominum; habere autem fidem ſicut habere charitatem gratiæ eſt fidelium.* Et S. Greg. Nazian. orat. 35. *Omnis natura rationis particeps Deum ac principem illam cauſam appetit, ſed deficit viribus:* quin & concludit S. Proſper Serm. 139. proprie dictam rationem peccati eſſe receſſum à Deo ut fine ultimo: *non itaque eſſet vitium* (inquit) *recedere à Deo, niſi naturæ* (*cujus hoc vitium eſt potius*) *competeret eſſe cum Deo:* elegantiſſimè primam creati hominis conſtitutionem declarat Eucherius in Paræneſi ad Valerianum: *primum* (ait) *inſtituti atque in lucem editi hominis officium eſt, proprium cognoſcere auctorem, cognitumque ſuſcipere vitamq; id eſt divinum donum, in divinum officium cultumque conferre, ut quod Dei munere ſumpſit, Dei devotione conſummetur, atque id quod ab eodẽ indignus cœpit, eidẽ ſubjectus impendat. ſana quippe opinione agimur ut eductos nos, ſicut ab ipſo, ita ipſi arbitremur. Unde ille planeq; magnifice perſpicit creatoris noſtri in effingendo homine ſententiã quiſquis ità intelligit quod nos & IPSI & SIBI fecit.* Hæc ille. Nec minus eleganter S. Anſelmus in monologio c. 65. & 66. explicat rationẽ imaginis & ſimilitudinis: *omnino* (inquit) *cogitari non poteſt rationali creaturæ NATURALITER eſſe datum aliquid tam præcipuum tamque ſimile ſummæ ſapientiæ, quam hoc quia poteſt reminiſci, & intelligere, & amare, quod optimum & maximũ eſt omnium: nihil igitur aliud eſt inditum alicui creaturæ quod ſic præferat imaginem creatoris: conſequi itaque videtur quod rationalis creatura nihil tantum debet ſtudere, quàm hanc imaginem ſibi per naturalem potentiam impreſſam per voluntarium effectum exprimere,* &c. Infra. *Denique rationali naturæ non eſt aliud eſſe rationalem, quàm poſſe diſcernere juſtum à non juſto, verum à non vero, bonũ à non bono, majus bonum à minus bono. Hoc autem poſſe inutile eſt illi & ſupervacuum, niſi quod diſcernit, amet & reprobet ſecundum veræ diſcretionis judicium,* &c. Infra: *nihil enim aptius eſt, quã rationalem creaturam ad hoc eſſe factam ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia bona, ſicut ipſa eſt ſummum: imo ut nihil amet niſi illam aut propter illã; quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum niſi per illam,* &c. *Clarum eſt ergo rationalẽ creaturã, totum ſuum velle & poſſe ad memorandum, & intelligendum, & amandum ſummũ bonum intendere debere, ad quod ipſum eſſe ſe cognoſcit habere.*

Doct. Subt. Prolog. Sent. qu. 1. n. 12.

S. Tho. op. de Trinit. Boet. qu. ult. ad 5.

S. Aug. l. de præd. SS. cap. 5.

S. Gregor. Naz. orat. 35.

S. Proſp. lib. Sent. ex Auguſt. Sent. 139.

Eucher. in Paræn. ad Valer.

S. Anſelm. in Monol. cap. 65. & 66.

Multa iterum præclara ad hanc rem, vide apud S. Aug l. de moribus Eccleſiæ à c. 3. ad 7. & in titulo ad Pſ. 56. & aliis locis plurimis.

§. II.

§. II.

Homini ad beatitudinem æternam creato Deus ; dona gratuita naturæ à principio indidit.

Eccli. 17. v. 2. 5. 6. & ſeq. HOc ipſum indicat textus Eccli. 17. *Et ſecundum ſe* (inquit) *veſtivit illum virtute ; conſilium, & linguam, & oculos & aures , & cor dedit illis excogitandi , & diſciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus, & ſenſu implevit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent* , &c. Qui textus omnia dona Dei naturalia à principio à Deo naturæ rationali inſita, & velut innata continet: quod parvulo commentariolo oſtendo. *Et ſecundum ſe* (inquit) *veſtivit illum virtute* (id eſt) robur & virtutem ſive fortitudinem naturæ competentem dedit. *Conſilium & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos. Conſilium* (inquam) id eſt rationem , vim judicandi & conſultandi habentem. *Linguam*, qua homo ſua ſenſa diſtinctè aperiret, & de incognitis ab alio inquirere poſſet, *& oculos, & aures*. Hi ſenſus ſingulariter nominantur, quia ſunt ſenſus & organa à quibus rerum intelligentia & cognitio maximè dependet. Unde additur. *Et cor dedit illis excogitandi*, parum enim fuiſſet Deum dediſſe hominibus potentiam judicativam, & ſenſus cognitioni & intelligentiæ rerum deſervientes, niſi in illis appetitum & deſiderium quoddam naturale ſciendi complantaſſet, & indidiſſet, quæ quidem ſignificantur per *cor excogitandi*. Unde & additur , *diſciplina intellectus replevit illos*, hoc eſt, ordinato modo ſciendi, & lumine quodam intellectus prout ſpeculativus eſt, & à Synderesi diſtinguitur. Quod aliis demum verbis repetens : *Creavit* (inquit) *illis ſcientiam ſpiritus* , quia per infuſum lumen naturale ſive legem naturalem & Synderesim eis dedit cognitionem principiorum, *ſenſu implevit cor illorum*; id eſt, experimentali cognitione *oſtendens mala* (utique) fugienda, *& bona* ſequenda. Quæ iterum clarius exprimens: *poſuit* (inquit) *oculum ſuum ſuper corda illorum*: hoc eſt, poſuit lumen naturale , & legem divinam naturalem , quæ vocatur *Oculus Dei*, quaſi infixus cordi noſtro de quo Pſalm. 4.
Pſalm. 4. verſ. 6. 7. *Multi dicunt : quis oſtendit nobis bona ? ſignatum* (inquit) *eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*.
Pſalm. 31. verſ. 8. Hic eſt oculus de quo Pſalm. 31. *intellectum tibi dabo & inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos*.
Pſal. 15. verſ. 7. Item Pſalm. 15. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei*: ex illo enim lumine oculi ſive vultus Dei, intellectum boni & mali adeptus eſt homo, & quaſi in lumine vultus Dei ambulans, oculum viventis & videntis timet; à quo & concupiſcentiæ humanæ renes , conſcientia redarguente, increpantur in operibus malis.

§. III.

Finis omnium donorum naturalium in homine à principio fuit Deus, & Dei gloria.

ID iterum concludit ex ſupradictis Eccleſiaſticus cap. 17. *Poſuit* (inquit) *oculum ſuum ſuper corda illorum : oſtendere illis magnalia operum ſuorum , ut nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus*. Eccli. 17. verſ. 7. 8. Hoc ipſum eſt quod toto ferè cap. 1. Epiſtolæ ad Rom. docet Apoſtolus agens de lumine naturali homini inſito, & remanente etiam in infidelibus, quos condemnandos aſſerit , quia cognitionem veritatis, quæ eis à principio per lumen naturale, velut per oculum Dei ſuper eorum cordibus indita eſt, ad finem debitum non retulerunt, ad quẽ à Deo ordinata erat : *Revelatur* (ait) *ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: Quia quod notum eſt Dei , manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit* (utique infuſione luminis naturalis à principio) Rom. 1. v. 18. 19. & ſeq. ut enim oſtendat ſe de naturali cognitione agere quæ habetur per effectus, & ſcalam creaturarum, ſubdit , *inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas :* Ibid. v. 20. potentia namque Dei & ejus divinitas in operibus ſuis ita elucet, ut conſtet illa non potuiſſe, niſi ab omnipotente & ſupremo ente Deo fieri , id etiam naturali lumine atteſtante. Unde ibidem ſubditur: *ita ut ſint inexcuſabiles*. Tota verò culpa illorum refunditur in hoc quod iſtã cognitionem Dei ex creaturis lumine naturali acceptam , non retulerint in finem ad quem ordinata fuerat, qui eſt ſolus Deus. *Quia* (inquit) *cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Ibid. v. 21. & ſeq. Infra: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius, quàm creatori qui eſt benedictus in ſæcula. Amẽ*. Verſ. 25. Ex quibus verbis fines ſubordinati totius luminis naturalis uſque ad ultimum oſtenduntur; nimirum, glorificatio Dei, gratiarum actio, veritas Dei, cultus & ſervitium debitum creatori, *qui eſt benedictus in ſæcula*, id eſt , qui eſt ultimata benedictio & beatitudo creaturæ rationalis in æternitate.

§. IV.

Dona ſupernaturalia & gratia , donis naturalibus ſunt ſuperaddita , quia ſola naturalia dona non erant ſufficientia ad finem aſſequendum.

REvocanda ſunt quæ ſupra diximus ex S. Auguſtino & patribus de fine hominis qui eſt æterna beatitudo , qui finis etſi naturalis ſit,

ſit, non niſi tamen ſupernaturaliter poteſt ad illum perveniri. Unde proſequitur Eccleſia-

Eccli. 17. v. 9. & 10.

ſticus: *addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos: teſtamentum æternum conſtituit cum illis & juſtitiam & judicia ſua oſtendit illis*, &c. quæ omnia perducit uſque ad pœnitentiam & ſatisfactionem pro peccatis, & reſurrectionem & judicium futurum, ac tandem exhortatur unumquemque ad fidem, ſpem, charitatem, juſtitiæ opera tamquam ea per quæ ad beatitudinem efficaciter pervenitur.

In quibus verbis advertendum eſt. Quod quamvis videatur Eccleſiaſticus prima fronte loqui de lege Moyſi & teſtamento veteri quod pepigit Deus cum Iſraelitis: omnia tamen velut ad finem referenda ſunt ad legem fidei & gratiæ ac novum teſtamentum, in quo conſummanda erat ſalus: non enim lex vetus poteſt vocari *lex vitæ*, niſi quatenus umbra futuro tum fuit, & quatenus in CHRISTUM ut mediatorem & remuneratorem referebatur: *Omnia namque in figura contingebant illis*, &

1. Cor. 10. verſ. 11.

lex in Syna data in tonitru & fulgure, præſignabat legem igneam in monte Syon in pentecoſte dandam per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Nec eadem lex vetus alia ratione vocatur *hæreditas vitæ*, & *teſtamentum æternum*, niſi ratione legis gratiæ & novi ac æterni teſtamenti quod in ſanguine CHRISTI confirmatum eſt. Ideoque ita faciem litteræ applica, ut in illa teſtamentum & legem fidei ac gratiæ mediatoris ſignificatam intelligas.

Corollarium Doctrinale.

Ex hac longiori digreſſione colligat lector ſequentia quæ ſunt velut omnium legum fundamenta.

Nulla lex pure naturalis.

Primò, Non ſatis fundate locutos nonnullos doctores Catholicos dum legem naturalem à divina diſtinguentes, aſſeruerunt legem naturalem à Deo naturæ inditam in ordine ad finem ſive beatitudinem naturalem, quam ponunt in honeſtate virtutis, & ſocietate quadam politica humani generis; nimis in hoc ſequuti philoſophos: ſicut enim non agnoſcimus alium ſtatum puræ naturæ rationalis creaturæ, niſi in quo creatus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei; ſic ad imaginem & ſimilitudinem Dei negamus creari potuiſſe, niſi in ordine ad Deum tamquam ad ultimum ſuum finem naturalem, quamvis ſola ſupernaturali virtute acquirendum. Vide quæ dicta ſunt ſupra §. 1. ex patribus: & alia reperiuntur apud auctores communiter.

S Bernard ſerm. 80. in cant.

Eleganter S. Bernard. ſerm. 80. in cant. *Verbum* (ait) *eſt veritas* (Ludens in nomine imaginis ad quam creatus eſt homo) *eſt ſapientia, eſt juſtitia: Et hæc imago. cujus? juſtitiæ, ſapientiæ, & veritatis: eſt enim imago hæc juſtitia de juſtitia, ſapientia de ſapientia, veritas de veritate, quaſi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil eſt anima quoniam non eſt imago: eſt tamen earumdem capax appetensq; & inde fortaſſis ad imaginem*, Et infra. *Oportet namq; id, quod ad imaginem eſt, cum imagine convenire, & non in vacuum participare nomen imaginis.* Hæc Bernardus: in quibus verbis adverte, finem imaginis alium non eſſe, quam prototypo aſſimilari, & in prototypum deſinere. Unde & Ambr. lib. 6. Hexam. cap. 7. *Illa anima* (inquit) *bene picta eſt in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ*. Hæc Ambroſius.

S Ambr. l. 6. Hexam. c. 7.

Omnis actus humanus ut ſit bonus a: Deum referendus eſt.

Secundò, Ex digreſſione ſuperiori colligitur quàm vera ſit S. Auguſtini doctrina, nullum hominis actum agnoſcentis verè, etiam naturaliter ſive moraliter bonum, niſi ad Deum referatur. Cùm enim teſte S. Dionyſio: *bonum ſit ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus*: manifeſtum eſt, quod ubicumque aliquis defectus in cauſa invenitur, ſicut cauſa aliquid ſuæ integritatis amittit, ſic in effectu integritatem diminuit, ità ut effectus in bonitate diminutus & deficiens reputetur, ac conſequenter cum *malum ſit ex ſingulis defectibus*, actus deficiens, mali nomen participabit. Quod ut intelligatur, advertendum cum S. Auguſtino lib. 4. contra Julianum cap. 3. in quolibet actu duo reperiri: primum eſt *officium* (quod ſubſtantiam actus nominare poſſumus) ſecundum eſt *finis* ad quem actus ordinatus eſt: ſuper quo S. Aug. ibidem: *officium* (inquit) *eſt, quod faciendum eſt: finis vero propter quod faciendum eſt*. Etſi igitur ratione officij, ſive ejus quod eſt faciendum aut quod modo fit, actus interdum quoad ſubſtantiam ſit bonus & honeſtus in genere moris, quia tamen non refertur ad finem ad quem referendus eſt, ex defectu cauſæ finalis ſive intentionis debiti finis, cenſebitur defectuoſus. Et hoc ſenſu intelligendus venit S. Auguſtinus, ſi quandò dicit opera omnia infidelium eſſe mala, vel eſſe peccata: per hoc enim nihil aliud ſignificat, quam opera prædicta continere defectum veri & integri boni: etſi enim multa opera infidelium ſint bona quoad ſubſtantiam actus, ſive in genere moris præcisè; quia tamen intentione debiti finis ad quem ordinantur, carent, ex hoc capite defectuoſa ſunt & mala, ac peccata in lata ſignificatione dici poſſunt.

S. Dionyſ.

S. Aug lib. 4. contra Iul. cap. 3.

Explicatur S. Aug.

Duplex finis.

Duo tamen hic advertenda ſunt. Prius duplicem reperiri finē in quolibet opere bono: nimirum, intrinſecum ſive immediatum, & extrinſecum ſive mediatum. *finis intrinſecus & immediatus* operis boni, eſt ipſa rectitudo operis quæ ab agente intenditur. *Finis extrinſecus*, eſt ille ad quem ſive propter quem agens operatur. Poſterius advertendum eſt; finem extrinſecum quandoque imponi ſub præcepto, & in ipſa formalitate præcepti includi: quandoque vero ſub præceptum formale non cadere; ſed tantum ſub ordinatione univerſali, ut actus habeat ſuam omnimodam perfectionem. *Explico*: actus temperantiæ pro fine intrinſeco habet rectitudinem intrinſecam quæ non eſt niſi conformitas ad rectæ rationis di-

Finis extrinſecus, aliquando cadit ſub præcepto.

ctamen;

&tamen;pro fine verò extrinſeco habet Deum ad quem omnes actiones noſtræ referendæ ſunt, ut non tantum rationi actus conformetur; ſed etiam ut ipſa ratio Deo ſe ſubijciat: recta enim ratio eſt riuulus quidam æternæ rationis & legis; quia (ut ait S. Auguſtinus li. 1. de libero arbitrio cap. 15.) *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna, &c.* Etſi igitur illa relatio actus ad Deum, non videatur includi præcisè in lege naturali quæ præcipit temperantem eſſe; ratione tamen univerſalis ordinationis, qua pars inferior ſubijcitur rationi & ratio Deo, qua creaturæ corporeæ propter animam, anima propter Deum creata eſt; relatio illa ad Deum, ut in finem, in omni actu intelligenda eſt ad integritatem totius bonitatis pertinere: quinimò ſi poſitive dicta ad Deum relatio excludatur, aut ſi aliud intendatur poſitive, jam vere peccatum erit; erit enim juxta Apoſtolum ad Rom. 1. *Servire potius creaturæ, quam creatori*, & finem ac beatitudinem ſuam in creatura ponere. In quo condemnat variis locis S. Auguſtinus infideles, qui operibus ſuis moraliter bonis quærebant aut gloriam hominum, aut amorem propriæ ſatisfactionis, aut aliquod bonũ creatum ſibi propoſitum. Quo etiam reſpicit illud Pſalm. 13. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*; antea dixerat, *corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt &c. non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*: non quidem, quod nullus fuerit qui fecerit opus in ſubſtantia, ſive in officio bonum; cùm multi eſſent Philoſophi qui virtutem in ſubſtantia actus ſectarentur; ſed quia nullus erat *intelligens aut requirens Deum* in operibus ſuis, ideoq; non faciebant integraliter bonum, cum deeſſet finis ad quẽ lex naturæ in operibus bonis hominẽ ordinat.

S. Auguſt. l. 1 de lib. arb. c. 15.

Rom. 1. verſ. 25.

Pſalm. 13. verſ. 5.

Unde & *tertiò*, ex hac digreſſione colligendum eſt, quod ex aliorum ſententia dictum diſſimulat S. Auguſtinus lib. de Spiritu & littera c. 28. dicens: *non uſque adeo fuiſſe in anima humana imaginem Dei terrenorum affectuum labe detritam, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde merito dici poſſit etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis vel ſapere.* Quo ſenſu multi illud ad Rom 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: habentes opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, probabiliter interpretantur (quamvis alius ſit D. Auguſtini ibidem ſenſus) ſed quia illi legis opera ſecundum ordinationem legislatoris non faciunt, ideò non dicuntur integre bona, quia ſecundum finem facta non ſunt. Qua ratione phariſæus condemnatur in comparatione publicani: etſi enim gratias Deo agere videretur, quod non eſſet adulter, ſed caſtus; quod non raptor, ſed juſtus; quòd temperantia ſingulari jejunaret bis in ſabbato; quod ut religioſus daret Sacerdotibus decimas omnium quæ poſſideret: condemnatur tamen, non quia opera caſtitatis, juſtitiæ, temperantiæ, religionis in ſubſtantia non eſſent bona; ſed quia in finem Deum non referebantur, ſed ad propriam gloriam & ſatisfactionem. Quapropter & Matth. 5. dicitur *niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum*, ſine dubio enim juſtitia phariſæorum in operibus multis, quoad ſubſtantiam actus, rectitudinem operi connaturalem habebat: quid ergo deerat in quo noſtra juſtitia plus abundare debet? utiq; finis propter quem qui Deus eſt, cujus defectu pervenire non poterant ad ſalutem. Unde alibi de ſcribis & phariſæis clamabat: *bene prophetavit de vobis Iſaias, populus hic labijs me honorat; cor autẽ eorũ longe eſt à me*: quia etſi bona opera in ſubſtantia extrinſecus facerent; corde tamen à Deo longè erant, quia Deum operum finem, non habebant.

S. Aug. lib de Spir. & littera cap. 25.

Rom. 2. v. 14. 15.

Luc. 18. *Cur opera legis per ſe integre bona non ſint*

Matth. 5. verſ. 20.

Matth. 15. verſ. 7. 8.

Quartò, Colligi poteſt: aliud eſſe aliquid pertinere ad *legem naturalem* ſive *legem naturæ*: aliud pertinere ad *ſtatum legis naturæ*: ad legem enim *naturalem divinam*, ſive ad *legem naturæ* dumtaxat ſpectant, quæ à Deo naturæ communiter indita ſunt in ordine ad finem ſupernaturalem ut ſupra definitum eſt; ad *ſtatum* autem *legis naturæ* (quæ ab Adamo uſque ad Moyſen cucurrit, imò & in nationibus uſque ad CHRISTUM remanſit) multa ſuperaddita ſunt præcepta legis divinæ & fidei ac ſacri cultus, in Sacramentis & ſacrificijs, quæ magis ad divinam poſitivam pertinent; de quibus ſuo loco.

Aliud eſt eſſe de lege naturæ aliud de ſtatu legis naturæ.

Ignoſcat lector longiſſimam hanc & importunam digreſſionem; oportuit enim tollere illam fictam legem naturalem (quæ ad finem & beatitudinem naturalem ordinatur) tamquam falſam & impertinentem; ipſaque naturæ rationalis ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatæ, primordia ad legem divinam reducere, ut ad ſinceram veritatem cognoſcendorum peccatorum veniremus; multos enim oſtendam errores in legum divinarum interpretatione irrepſiſſe, hoc ſolo, quod illa finis intentio ſignanter notata non fuerit, maximè in præceptis in quibus intentio finis ſub obligatione præcepti ac ipſius formalitate comprehenditur.

Ratio huius digreſſionis exponitur.

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit lex divina naturalis?

CONCLUSIO UNICA.

LEx divina naturalis, ſi in omnibus ſuis finibus attendatur, bene dividitur: *in ſacram, moralem, politicam.*

Diviſio legis divinæ naturalis.

Lex naturalis ſacra quam nonnulli *Cæremonialem*, nonnulli *Eccleſiaſticam* vocant) eſt, *quã Deus homini à principio indidit in ordine ad cultũ Dei.* Pro cujus deſcriptionis claritate advertendum eſt: quod ſicut homini à principio indita eſt Dei cognitio & inſtinctus ad illum colendum, ſic ſine Dubio præceptum aliquod naturale de Deo colendo illi impoſitum eſt:

Lex naturalis ſacra.

Cùm

Cùm enim, eò ipsò quò Homo ad Imaginem & Similitudinem Dei creatus eſt, illum ad Deum ut finem ſuum & beatitudinem ſuam naturalem conſequenter ordinatùm eſſe auctoritate SS. Patrum ſupra oſtenderimus; ſine Dubio eâdem conſequentia concluditùr, debuiſſe aliquis modus Deum adorandi & colendi cordi illius à principio inſcribi, quo & Deo gratias ageret & illum ſicut Deum glorificaret, ut inſinuat S. Paulus ad Rom. 1. Et quamvis modi Sacrificiorum & Sacramenti Remedij Legis Naturalis, ac alia nonnulla quæ ad virtutem Religionis Fidei lumíne illuſtratam expreſſius pertinent, potius referenda ſint ad Legem Poſitivam: quia per Dei inſpirationem & inſtructionem ſingularem ſunt poſita & tradita (ut poſtea dicemus) non eſt tamen dubitandum, quin homo creatus ad Imaginem Dei naturali ſuæ inclinationi relictus, etiam ad aliquem Dei Cultum internum & externum propendeat; Cuius ſignum eſt: Quod nulla unquam tam barbara Natio in Univerſo fuerit, quæ Deum aliquo ritu colendum non æſtimaverit. Itaque qualiſcumque fuerit illa Lex Deum colendi, ſicut *Naturalis* dici debuit, ſic & *Sacra* nominari, quia Homini indita eſt ad Deum colendum neceſſarioque ad virtutem Religionis naturalem reducitur.

Lex Naturalis Moralis. *Lex Naturalis moralis* dicitor: *Quæ hominem in moribus dirigit, prout ad æternam beatitudinem eſt creatus.* Talia ſunt Præcepta omnia Moralia quæ à principio Naturæ indita ſunt ad peccatum vitandum & Deum ſuper omnia diligendum.

Lex Naturalis Politica. *Lex Naturalis Politica* eſt: *Quæ ſimiliter hominem, ut eſt animal ſociale, dirigit, quatenus ſocietas illa & Civilitas ordinatur ad Charitatem, & Deum.* Pro quo iterum advertendum eſt: Quod Deus Legem Naturalem homini à principio inſerens, non tantum Præcepta indiderit hominem ſolitarium quoad ſeipſum concernentia; ſed etiam quoad alterum; Sic Marito Fidelitatem & amorem caſtum ad uxorem indidit: Sic Parentibus ad proles patriam Poteſtatem, & Patribus Familias ad Familiam ſuam *domeſticam* velut *Præfecturam* naturaliter addixit: Sic Prolibus & Domeſticis obedientiam ad Parentes & Patres-Familias inſtillavit: Sic Primogenitis nonnulluam dignitatem & Superioritatem quam *Ius Primogenituræ* nuncupamus, naturaliter inſcripſit quæ etſi videantur eſſe moralia, Politiam tamen & Civilitatem magis ſapiunt, quam ſingulorum mores ſingulares. Unde Adamus ſibi Legem illam Societatis inditam agnoſcens, ſtatim à Creatione Mulieris ex coſta eius velut Jus infallibile pronuntiat. *Hoc nunc* (inquit) *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* *Geneſ. 2. v. 23. 24.* Et Eva paternam in Filios Poteſtatem ſimiliter agnoſcens in generatione Caio: *Poſſedi* (ait) *hominem per Deum* (ſive ut altera verſio habet) *Acquiſivi hominem Domino*, ubi & Poteſtatem quandam in Proles ſibi acquiſitam per *Ius poſſeſſorium* indicat & iſtam quidem *Gen. 4. verſ. 1.*

Poteſtatem ordinari ad Deum agnoſcit, dum & *per Deum & Domino* ſe poſſidiſſe & acquiſiviſſe teſtatur: Huc etiam ſpectant adunationes Familiarum, Jura poſſeſſionum, Jura inviolabilia Hoſpitij mutui, de quibus inſignia habes exempla in Abrahamo & Loth excipientibus Angelos in forma humana, & alia plura referuntur apud Gratianum D. 1. Q. *Quid ſit Ius Naturale?* Et ſuo loco docebimus qualiter nonnulla Politica pertineant etiam ad Legem Divinam: Alia verò ad Legem merè Humanam: Alia ad mixtam juxta illud Gratiani D. 1. *Ius Civile eſt, quod quiſq; populus vel civitas ſibi proprium divina humanaque cauſa conſtituit.* *Grat. D. 1.* Conſtat autem ea, quæ ſibi populus divina cauſa conſtituerit, à Divinæ Legis principijs originem ducere & ad Deum tendere, quæ ſunt conditiones Divinæ Legis: Unde quamvis ex Naturæ principijs etiam oriantur, non obſtante quod populus illa ſibi conſtituat, naturali Legi Divinæ adſcribenda erunt, & populi Conſtitutio reputabitur potiùs declaratio aut renovatio Legis Naturalis, quam Lex Humana.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex ſit Lex Divina Poſitiva?

CONCLUSIO UNICA.

Lex Divina Poſitiva iterum proprijſſimè diſtribuitur in Legem *Sacram, moralem, & Politicam*: *Diviſio legis Divinæ poſitivæ.* Quæ Diviſio etiam patet ex ſupradictis de Lege naturali Divina ſervata proportione: Aut enim Lex Divina Poſitiva dirigitur ad res Sacras & quæ pertinent ad Fidem & Religionem, & dicitur *Lex Poſitiva Sacra*, *Lex poſitiva Sacra.* quam & nonnulli *Cæremonialem* nuncupant: Aut Lex Divina Poſitiva reſpicit actus morales virtutum in ordine ad vitam æternam, ac in ratione bonitatis, gratiæ, meriti & gloriæ, vocaturque *Lex Poſitiva moralis*: *Moralis.* Aut reſpicit regimen quoddam Politicum ſpirituale Animarum, prout in unum Corpus CHRISTI Myſticum & Rempublicam Chriſtianam præcisè coadunantur, & hæc quidem prout à D[e]o procedit & ad Deum ordinat *Lex Divina Politica* dicenda eſt, *Politica.* quæ etiam à nonnullis *Eccleſiaſtica Divina* nuncupatur, & diſtinguitur contra *Eccleſiaſticam Humanam*, quæ *Civilis & Politica humana* nomen & rationem ſortitur De quain frà.

TITVLVS III. De Lege Humana & eius multiplicitate.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Lex Humana.

CONCLUSIO UNICA.

Lex Humana propriè dicitur: *Quæ ad finem merè humanum ordinatur, ſive ab homine per* *Diffinitio Legis Humanæ.*

Digitized by Google

Poteſtatem humanam, ſive à Deo Poteſtatis humanæ vices ſupplente ſit impoſita. obligans ad ſui ſequelam ſub pœna temporali in foro humano.

Dixi (*Quæ ordinatur ad finem merè humanum*) quod intelligendum eſt immediatè ac proximè, & ex natura ſua. Etſi enim per accidens fieri poſſit, ut Civiles & Humanæ Leges aliqua ratione ad finem æternum deſerviant, & ex intentione Legislatoris referantur; quia tamen illarum finis ex natura ſuâ eſt purè humanus, idcircò & ipſæ & actus ex eis oriundi humani dicendi ſunt. Quemadmodum, etſi aliquæ actiones merè corporales dominio Rationis ſubdantur imo & ſupernaturalibus actionibus deſerviant, non idcirco tamen ſpirituales aut ſupernaturales dicuntur, ſed naturæ ſuæ appellationem retinent: ut Medicina, etſi ab Altiſſimo ſit, non dicitur tamen Divina; ſed cum inter humanæ ſcientiæ terminos contineatur, Scientia Humana duntaxat eſt dicenda

Dupliciter Homo leges ferre poteſt

Dixi, *ſive ab Homine per Poteſtatem humanam*: Dupliciter enim Homo Leges ferre poteſt: Aut per Poteſtatem verè Divinam ſibi communicatam (qua Poteſtate Leges Fidei, Sacramentorum, Sacrificiorum, &c. à Summis Pontificibus & Eccleſia in Oecumenicis Concilijs ordinata feruntur) Et hæc dicuntur verè à poteſtate Divina procedere, quia per inſpirationem, directionem, infallibilitatem divinam & internum dictamen Dei, ſive revelationem procedunt, & ad finem ſupernaturalem ordinantur: Aut Homo ferre poteſt Leges per poteſtatem quidem à Deo acceptam (Quia *omnis Poteſtas à Deo ordinata eſt* juxta Apoſtolum) quæ tamen non niſi Humana eſt, & humana inveſtigatione, ſcientia & directione in ſuis actibus procedit, & ad finem humanum (ut dictum eſt) ordinatur. Unde ſicut omne quod à Deo eſt divinum dici non poteſt. Sic nec omnis poteſtas quæ à Deo ordinata eſt, Divina dici poteſt: Sed ut poteſtas Divina dicatur, debet excedere omnem virtutem humanam, & divina virtute operari & dirigi.

Rom. 13. verſ. 1

Et hæc eſt clara diſtinctio inter *Poteſtatem Divinam* hominibus communicatam, & *Poteſtatem Humanam* Hominibus à Deo vel Dei ordinatione conceſſam; Illa enim poteſtas hominibus communicata, quæ virtutem & inſpirationem ac directionem divinam neceſſariò in operando requirit & ad Deum ordinatur, verè *Divina* nuncupanda eſt; quia à virtute divina in operando omninò dependet: Illa verò poteſtas, quæ virtute, ſcientia, inveſtigatione, directione humana perficitur, & ad fines planè humanos dirigitur, etſi à Deo & Dei ordinatione proveniat, ſimpliciter *Poteſtas* merè *humana* dici debet.

Et hoc modo intelligendæ ſunt Scripturæ, quæ poteſtatem Regum & Principum, à Deo proficiſci dicunt ut ad Rom. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Itē Ibidem: *Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum.* Item: *Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes.* Et 1. Pet. 2. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Et Sap. 6. *Audite Reges & intelligite, diſcite Iudices finium terræ*, &c. *Quoniam data eſt à Domino Poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis*, &c. Proverb. 8. *Per me Reges regnant & Legum conditores iuſta decernunt: Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.*

Rom. 13. v. 1. 2. 4. & ſeq.

1. Pet. 2. v. 13. 14.

Sap. 6. v. 2.

Verſ. 5.

Prov. 8. verſ. 15.

Verſ. 16.

Hæ enim omnes Scripturæ nihil aliud indicant, quam quod omnis poteſtas Superioritatis cujuſcumque humanæ ex ordinata diſpoſitione Providentiæ divinæ oriatur, ad regimen civile: quod quidem in omni ſuo ſtatu & modo qualecumque ſit, regimini æterno Dei ſubjectum eſt. Et quamvis Poteſtas illa humana ſit, nec limites humanæ virtutis & limitatæ ſubjectionis humanarum Legum egrediatur; ita tamen Legibus tum Naturalibus, tum Poſitivis divinis ſubordinatur, ut contra Legem divinam ſive Naturalem, ſive Poſitivam, aut Regulas primæ Veritatis, & æternæ Rectitudinis præcipere non poſſit, quin etiam ſtatum ſuæ Politiæ humanæ ad illas, & ſecundum illas conformiter in Legibus, Præceptis, & Ordinationibus ordinare debeat. In quo autem, & qualiter, & ex quo fonte, ſive qua virtute Conſcientiam obligare valeat, ſuis locis dicetur & examinabitur. Hoc ſufficit dixiſſe modò: Leges Humanas, quatenus merè Humanæ ſunt, non proficiſci niſi ab homine poteſtate Humana eas condente.

Dixi (*vel à Deo Poteſtatis Humanæ vices ſupplente*) ut includantur variæ Leges purè Judiciales, de quibus in Exodo, Levitico, & Deuteronomio: quæ etſi à Deo Moyſi dictatæ ſint, non tamen per ſuperiorem & ſupernaturalem potentiam Divinam; ſed ab ipſo ut ſpecialis erat Gubernator Reipublicæ Judaicæ Humanam velut poteſtatem Moyſi datam dirigente.

Dixi (*obligans ad ſui ſequelam ſub pœna temporali in foro humano:*) Quia conſtans eſt mea Sententia conformiter ad S. Scripturam & Veritatem, Legem Humanam quatenus Humana eſt, ſive ut eſt ab homine ſola Humana poteſtate procedente, non poſſe limites ſui fori excedere, ideoque nec ad peccatum mortale, nec ad pœnam æternam, nec extra forum ſuum obligare; ſed ubi obligat in Foro Conſcientiæ, virtutem quandam Legis Divinæ in illa & operari, & cōtineri; Quod infrà declarabitur, collatis omnibus Scripturis & alijs quæ videntur huic doctrinæ opponi poſſe.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Lex Humana?

CONCLUSIO I.

Diviſio Legis Humanæ.

Lex Humana primo dividi poteſt generali diviſione in Legem Humanam *Naturalem*, & in Legem Humanam *Politicam* ſive *Civilem* Lex Huma-

Lex Humana Naturalis.

Humana Naturalis dicitur: *Quæ ex principijs Juris Naturalis deducitur ad finem pure humanum.* Quemadmodum enim Lex Naturalis Divina eſt, quæ à Deo homini à principio indita eſt, in ordine ad finem æternum conſequendum: Sic eidem Naturæ à Deo ut Auctore & Gubernatore naturæ quædam principia communia indita ſunt, quæ hominem immediate dirigerent in actibus mere humanis, & hæc principia pro Lege Humana Naturali ſupponunt, eorumque tranſgreſſio per ſe humanus tantum quidam defectus & vitium reputatur.

Dico (*per ſe*) ex adiuncta enim aliqua Lege & ſubordinatione ad Legem Divinam, poteſt eſſe peccatum etiam in Foro Dei, ut ſtatim dicemus agentes de Lege Mixta. Ab hoc Jure Naturali, quod eſt commune omnium Gentium, ſive (ut ait Iſidorus l. 5. Etym. c. 4 apud Gratianum Diſt. 1) *quod ubique inſtinctu Naturæ, non conſtitutione aliqua habetur*, emanarunt Leges quædam humanæ Naturales, quia à Nationibus communiter uſurpatæ ſunt, ut ſunt educatio puerorum, liberorum ſucceſſio, communis libertas, &c. A quo etiam Jure poſtea Leges, quæ Juris Gentium ſunt, communi quodam conſenſu & inſtinctu ſunt deductæ.

Iſid. lib. 5. Etym. c. 4 apud Gratian. diſt. 1

Lex Humana Politica.

Lex Humana Politica ſive Civilis dicitur, *quæ auctoritate eorum, penes quos Poteſtas reſidet in ordine ad Regimen Civile & Rempublicam conſervandam, eſt conſtituta.*

CONCLUSIO II.

Diviſio Legis Humanæ Politicæ.

LEx Humana Politica: *Alia eſt Eccleſiaſtica Politica* quam *ſpiritualem* aliqui dicunt: Alia eſt *Politica Sæcularis ſive Laica. Lex Civilis Eccleſiaſtica* dicitur *Quæ à Poteſtate publica Eccleſiæ à* CHRISTO *data procedens, Fideles in humanis & politicis ſive civilibus dirigit, quatenus illa ad ſpirituale & ſupernaturale regimen aliquo modo ſpectant, ſeu illi deſerviunt ac ſubordinantur.*

Lex Eccleſiaſtica.

Lex Civilis.

Lex Civilis *Sæcularis* ſive *Laica* eſt: *Quæ à publica Poteſtate Politica procedens hominem dirigit in humanis & politicis, quatenus humana & politica ſunt, & ad purum regimen temporale & humanum ſpectant.* Pro quibus deſcriptionibus intelligendis, pono ad majorem claritatem ſequentem digreſſionem per modum Appendicis.

Appendix & Digreſſio.

De Politia Eccleſiaſtica & Sæculari.

PRo omnium, quæ hactenus diximus de Lege Divina & Humana, de Lege Eccleſiaſtica & Civili, pleniori intellectu *Advertendum eſt:* Duplicem fuiſſe à principio inſtitutam à Deo Politiam pro hominum regimine, ubi humanum genus cœpit multiplicari: Prior vocatur *Eccleſiaſtica & ſpiritualis*; Poſterior *Civilis & Sæcularis ſive Laica*: Quia enim homo Anima & Corpore conſtat, eſtq; animal ſociale, oportuit ut dirigeretur tum in ſpiritualibus & ſupernaturalibus, quæ ad Animæ ſalutem æternam pertinent, tum in temporalibus naturalibus & humanis, quæ ad Corporis & vitæ cōſervationem, mutuam ſocietatem, & Generis totius propagationem ſpectant. Igitur prinò inſtituta eſt à Deo *Politia Eccleſiaſtica*, tamquam dignior & primarium finem ſpectans, nimirum, beatitudinem & ſalutem Animæ; quæ quia etiam paucis hominibus exiſtentibus neceſſaria erat, ab Adamo quidem tamquam naturæ Propagatore juxta aliquos incæpit: Secundum alios vero ab Abele Iuſto, in quo natura propagari cœpit, & qui primus in fide & iuſtitia conſummatus eſt, computatur. Dum autem cœperunt multiplicari homines ſuper terram *Politia Sæcularis & Laica* incœpit reſpectu multitudinis, aliquamdiu quidem remanens intra Familias ſub paterna velut Poteſtate, poſtea autem in Civitates diſtributa & ſub regimine Primariorum, quos velut Principes multitudinis Poteſtate à Deo credita populus ſuſpiciebat. Hæc omnia ex ſacris litteris in Geneſi facile demonſtrari poſſunt. & ut ad ſingula veniamus, pono ſequentes Paragraphos.

§. I.

De Politia Eccleſiaſtica ſive Spirituali.

Politia Eccleſiaſtica.

POlitia itaque Eccleſiaſtica ſive Spiritualis dicitur: *Cœtus ſive Coadunatio Fidelium ſub aliquo Capite & certis Legibus a Deo immediate & ſupernaturaliter inſtituta, ad regendos Fideles in ſpiritualibus & ſupernaturalibus, ac alijs humanis & temporalibus quatenus ſpiritualibus conjuncta ſunt, vel ad illa aliquo modo pertinent.*

Eccleſiaſtica Politia ab Adam uſque ad Moyſen qualis.

Hæc Politia ab Adam uſque ad Moyſen ſatis imperfecta manſit: Quo tempore Patriarchæ & Principes Familiarum, velut Eccleſiæ Capita fuerunt & Populi directores in ſupernaturalibus, *Ex. g.* in Sacramento Legis Naturæ, Sacrificijs, Doctrina Articulorum Fidei tunc ſcitu neceſſariorum, in Legum tum Naturalium Divinarum, tum etiam Poſitivarum (quarum plures per inſpirationem illis à Deo datæ ſunt) obſervantia ac earum declaratione Sine dubio enim Leges nonnullas Credendorum habuerunt pro ratione Status illius; *Item* Leges Sacrificiorum, quoad ritus aliquos; Leges Matrimoniorum, ut de non contrahendo in primo gradu lineæ rectæ à ſtipite; Item Leges aliquarum obſervantiarum, ut Septimi diei à principio, Oblationis primitiarum, Oblationis decimarum tempore Melchiſedech; Et mandatum ne carnem cum ſanguine comederent, ac iſto exemplo ſibi ab homicidio maxime temperarent; & harum Legum Declaratores & Judices habebantur Familiarum Principes. Hæc porro Eccleſiaſtica Politia ſucceſſu temporis ſemper perfectior evaſit; Nam tempore Môſis, ſub uno Summo Sacerdote Populus Dei coadunatus fuit, & Politia illa varijs Miniſterijs, Officijs, Legibus exornata fuit, donec figura tranſeunte ad perfectiſſimam ſub Chriſto Filio Dei perveniret veritatem, & in Legem Gratiæ velut tranſiret, ſub eodem Salvatore Deo & Domino noſtro.

À Moſe uſque ad Chriſtum.

Tempore itaque Chriſti Regis ac Sacer-

doris

Hebr. 7. v. 1. Politia Eccleſiaſtica à tempore Chriſti. Ibid.

dotis noſtri, ut dicit Apoſtolus, *Translato enim Sacerdotio, neceſſe fuit ut Legis translatio fieret*: & Politia Eccleſiaſtica, quæ & Evangelica & Spiritualis, ſurgeret, *Reprobatione facta* (ut idem ait) *præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex: Introductio vero melioris ſpei per quam proximamus ad Deum.* Quæ verba Apoſtoli ſic interpretanda ſunt, ut ſcilicet ea quæ pure erant Legis Moſaicæ & Cœremoniarum ac *umbra futurorum*, adueniente Veritate ceſſerint; remanentibus tamen ijs, quæ erant Præceptorum Legis Naturalis Divinæ, nec non Poſitivæ Legis Divinæ (quæ abſtrahit ab omni figura & ſola imagine futurorum, quæ in introductione melioris ſpei per Legem Gratiæ perfectionem acceperunt. Hic igitur incœpit *Politia Eccleſiaſtica* ſub uno Capite, ut initio huius Paragraphi dictum eſt, quæ quia duos habet fines: unum Primarium & ultimatum, qui eſt Animarum ſalus æterna, Alium velut Acceſſorium, qui eſt directio ſubditorum in ijs quæ humanum quidem finem ſortiuntur, ſpiritualibus tamen annexa ſunt, eiſque deſerviunt & ſubordinantur, idcircò Aliæ *Leges Eccleſiaſtica Politica Divina*; Aliæ *Politicæ Eccleſiaſtiæ humana* ad hanc Politiam conſervandam datæ ſunt, & uſque ad finem mundi dabuntur, quarum qualitas ut clariùs eluceſcat pono ſequentem paragraphum.

Hebr. 10. v. 1.

Duo fines Politiæ Eccleſiaſticæ.

§. II.

Triparita Leges & mandata Politiæ Eccleſiaſticæ Spiritualis.

IGitur ut Politiæ Eccleſiaſticæ Leges melius intelligantur pono Triparitas Leges Politiæ Eccleſiaſticæ Spiritualis: Aliæ ſunt *mere Divinæ* ſive *Primo-Divinæ*: Aliæ ſunt *Secunda Divina* ſive *Humano-Divina*: Aliæ ſunt *Humana Spirituales.*

Leges primo divina

Illæ ſunt Leges *mere Divinæ* ſeu *Primo Divinæ*: *Quæ à ſolo Deo ferri poſſunt, & pure ad Deum ut finem referuntur*; Tales Leges ſunt *Primo*, Quæ pertinent ad rationem Credendorum ſive Articulorum Fidei, Inſtitutionem Sacramentorum, Eſſentiam & Effectum ſupernaturalem illorum, Sacrificij Incurrenti Inſtitutionem & Effectum, Ordinationem Vicarij Chriſti & Epiſcoporum, Remiſſionem peccatorum ex opere operato, Diſpenſationes votorum & Juramentorum Deo factorum, Diſtributionem indulgentiarum ex Theſauro Eccleſiæ, omnes denique Leges, quarum obſervantia ſecundum finem primarium dependet à ſingulari Gratiâ Dei: ſive quarum obſervantia dependet ab effectu ſpeciali Gratiæ, ut ſunt, quæ in explicatione Decalogi, & intentionis, ac fructus bonorum operum referuntur apud Matth. à c. 5. uſque ad 7. incluſive.

Leges Secundo Divina.

Leges *Secundo Divinæ ſeu Humanæ Divinæ* dicuntur: *Quæ etſi ab Humana Poteſtate emanare videantur, tamen ex Spiritus Sancti ſingulari aſſiſtentia & ſpeciali inſtinctu, ex divina ordinatione inſtituuntur.* Huiuſmodi ſunt Sacramentalia, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ Sacramentis ſunt adjuncta, & ſpecialiter in Matrimonio Leges Contractuum & impedimentorum, quæ annullant Matrimonium. Quò etiam ſpectant Leges concernentes Sacras Cœremonias in Sacrificio Miſſæ & Sacramentorum adminiſtratione, Sacras veſtes & alia huiuſmodi. Hæc enim etſi ab Eccleſia ſint conſtituta, & per modum Legis demandata; ſingularem tamen aſſiſtentiam & inſtinctum Spiritus Sancti in ſua inſtitutione prærequirunt, & moralem quandam ſanctificationem, ac effectus aliquos ſpirituales & ſupernaturales participant & operantur. Huc etiam ſpectant Leges Benedictionis Aquæ, Agni Cerei, &c. Huc denique referendæ ſunt Leges Excommunicationum & Pœnarum ac vinculorum ſpiritualium, ad quas ferendas, Poteſtas communicationem quandam Divinæ Poteſtatis prærequirit.

Leges Humana ſpirituales.

Leges *Humanæ ſpirituales* dicuntur: *Quæ etſi meram Poteſtatem humanam conſequantur, verſantur tamen circa rem ſpiritualibus Officijs, Miniſterijs, aut etiam obligationibus conjunctam.* Tales ſunt Leges Beneficiorum, Dignitatum ab Eccleſia inſtitutarum, Penſionum, Bonorum temporalium quæ Officijs vel Beneficiis ſunt annexa; quæ quia ad cultum Divinum, Sacerdotium, & alia ſpiritualia Miniſteria referuntur, ſpirituales Leges reputantur. Quo etiam pertinent quæ contra Adulterium latæ referuntur, quia eſt violatio Sacri Matrimonij, Item Leges Canonicæ. Ad has tandem humanas ſpirituales Leges referuntur, Leges Iudiciales, quæ ad forum Iudiciale Eccleſiaſticum pertinent, & ſecundum quas Cauſæ Clericorum, qui in ſortem Domini ſunt vocati, iudicantur, ac cæteræ, quæ ſpirituale Regimen reſpiciunt, ut Leges Sacrilegiorum, Hæreſum, &c.

§ III.

De Politia Humana Sæculari.

Politia Humana ſæcularis deſcriptio.

POlitia Humana ſæcularis dicitur: *Cœtus ſive Coadunatio hominū ſub alicuius vel aliquorum Gubernatum Regimine, Poteſtate a Deo ordinata ad Civilitatem & bonum commune multitudinis in naturalibus & humanis conſervandum, & ſingulorum propulſandas iniurias.* Vnde & Leges ab hac Poteſtate procedentes in hoc diſtinguntur à Divinis vel Eccleſiaſticis Humanis: Quod Divinæ & Eccleſiaſticæ humanæ non aliter de temporalibus tractent, niſi in quantum referuntur ad aliquod bonum ſpirituale: Leges vero ſæculares in humanis & temporalibus per ſe ſiſtant, etſi ex accidenti & velut acceſſori interdum etiam ad ſacra & ſpiritualia ordinari videantur, ut infra patebit. Ad hanc poteſtatem & Leges ſæculares Politicas pertinent Leges Pontificiæ, Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Eccleſiaſticorum, quas ferunt Poteſtate ſæculari in quantum Domini terrarum; & Principes politici ob Principatus & Dominia ex pietate Imperatorum, Regum, & Principum Eccleſiæ donata, vel alio modo acquiſita: Quæ omnes Politiæ Sæcularis naturam, modos & qualitates ſequuntur, Civilibuſque

clau-

clauduntur terminis, etſi quandoque ex indulgentia Principum privilegijs, nonnullis velut ſpiritualibus perfruantur.

TITVLVS IV.

De Legum ad invicem comparatione, & Lege Mixta.

QUÆSTIO I.

Quomodo ſe habeat Lex Divina Naturalis, ad Legem Divinam Poſitivam,

CONCLUSIO I.

Identitas & diſtinctio Legis Naturalis & Divinæ Poſitivæ.

L*Ex Naturalis Divina, & Lex Poſitiva Divina interdum ſolo reſpectu externo & accidentali diſtinguntur: Interdum vero diſtinguntur materia Legis. Prior pars* Concluſionis patet: In Decalogo, cujus Præcepta ſive Leges eædem & Naturales & Poſitivæ Divinæ dicuntur: *Naturales* quidem, Quia Principijs Naturæ à Deo inſitis conveniunt & Naturæ à principio ſuæ originis velut inditæ ſunt: *Poſitiva* autem, Quia per inſpirationem, verbum, ſcripturam declaratæ, propoſitæ, & extenſæ clarius fuerunt, ut nemo allegare poſſit ignorantiam. *Poſterior pars* etiam declaratur: Multæ enim ſunt Leges Divinæ Poſitivæ, quæ omnia Naturæ principia excedunt, nec ullam cum Lege Divina Naturali convenientiam habeut, ut eſt præceptum de Baptiſmo in Nova Lege, de Circumciſione in Veteri, Præceptum de Confeſſione, & alia plurima Præcepta moralia Legis Divinæ Poſitivæ reperiuntur tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento, quorum materia ab illa quæ eſt Legis Divinæ Naturalis, planè diſparata eſt, & alterius omnino ordinis: ut in decurſu Legum declarabimus.

CONCLUSIO II.

De ſtabilitate & mutatione Legum Divinarum.

L*Ex Divina Naturalis prioritate & ſtabilitate excedit Legem Divinam Poſitivam, Lex tamen Divina Poſitiva interdum excedit Naturalem dignitate & præſtantia ſubjecti, ac materia, etſi utraque ſit prima Veritatis enuntiatio. prima pars* Concluſionis patet ex ipſa natura rei, & hiſtoria humanæ creationis & conditionis: Prius enim creatus eſt homo, & conſequenter Prima Legis Naturalis Divinæ principia ei data intelliguntur, quâm aliquod poſitivum mandatum, aut aliqua Lex Poſitiva ei tradita fuerit, non enim legimus aliquod ei mandatum fuiſſe datum, niſi poſtquam extra Paradiſum creatus, in Paradiſo poſitus eſt ut cuſtodiret illum, cui tunc demum de fructu ligni Scientiæ boni & mali non

Lex Naturalis. Poſitivâ magis ſtabilis.

edendo Mandatum poſitivum datum eſt. *Altera pars* de maiori ſtabilitate Legis Divinæ Naturalis ſupra Poſitivam ſimiliter declaratur: Etſi enim in omni Lege Divina prima & infallibilis ac immutabilis Veritas æqualiter (quantum eſt ex parte Leges & Legislatoris) emineat: Quia tamen Leges Poſitivæ Divinæ interdum feruntur ſuper materia mutabili, & ex cauſis circumſtantiarum quæ à tempore, & rebus mutandis ac mutabilibus pendent, idcirco contingit Leges Divinas Poſitivas mutari: Econverſò, Quia Lex Naturalis Divina pro fundamento habet rectitudinem naturalem & fundatur in materia quæ ex natura honeſti immutabilis eſt; ex utraque parte tam Legislatoris quam materiæ, immutabilitatem velut naturalem ſortitur. Vnde Gratianus Diſt. 5. De Naturali Iure coævo homini ac immutabili agens: *Naturale*

Grat diſt. 5. de Nat. Iure.

Ius (inquit) *inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate: Cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nam nec variatur tempore, ſed immutabile ſemper permanet.* In quibus verbis quod de dignitate dicit, id intelligendum venit quoad ſtabilitatem, non tamen quoad materiam Legis, ut ſtatim explicabitur. Omnia verò Exemplis declarari poſſunt: Et quidem de Lege Divina Poſitiva: Multa enim fuerunt præcepta Legis Divinæ Poſitivæ tum in ſtatu Legis Naturæ, tum in ſtatu Legis Moyſaicæ, quæ adueniente Lege Gratiæ ceſſaverunt & immutatæ ſunt; ut de carne non comedenda cum ſanguine, de Circumciſione, de Sabbatho die, de Sacrificijs varijs, de Matrimonijs, &c. Quæ mutatæ ſunt & ceſſaverunt, veritate Gratiæ, & perfectiori Lege adueniente, Quia cauſæ cur Leges illæ datæ erant, adueniente Lege Gratiæ ceſſaverunt, etſi rectitudo Legis in ſe immutabilis eſſet. Aliud eſt de Lege Naturali Divina, cum enim illa animæ immortali inſita ſit, ut cum Anima in æternitatem tendat, ſemper perſeverat quoad uſque in Charitatem, quæ ſola permanet in Patria, abſorbeatur. Vnde Gratianus Diſt. 6, n. 3. volens oſtendere Legem Naturalem immutabilem, cum ſibi initio diſtinctionis quaſdam Leges fuiſſe mutatas propoſuiſſet in Lege Veteri: *Non* (inquit) *quæcumque in Lege & Evangelio inveniuntur, Naturali Iuri cohærere probantur, ſunt enim in Lege quædam Moralia præcepta ut, Non occides, &c. quædam Myſtica, utpote Sacrificiorum præcepta &c. Moralia mandata ad Naturale Ius pertinent atque ideo nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrantur: Myſtica vero quantum ad ſuperficiem a Naturali Iure probantur aliena, quantum ad moralem intelligentiam inveniuntur ſibi annexa. ac per hoc etſi ſecundum ſuperficiem videantur eſſe mutata, tamen ſecundum moralem intelligentiam mutabilitatem neſcire probantur, &c.*

Idem diſt. 6. num 4.

Aduertendum tamen eſt: Legem Divinam Poſitivam interdum, quatenùs pro ſubjecto habet rem præceptam immutabilem, eandem omninò ſortiri immutabilitatem & ſtabilitatem: ut illa quæ fundatur in credendis, ſperandis, diligendis: Cum enim credendorum fundamentum ſit ſola prima Veritas inconcuſſa & immutabilis, ſperandorum prima & inconcuſſa Fidelitas, diligendorum infinita & immutabilis Bonitas: Leges Poſitivæ Divinæ ſuper illis fundatæ, per omnia & ſemper immutabiles ſunt: Neque enim aliquid mandatur uno tempore credendum altero non; uno tēpore ſperādum non altero, uno diligendum non altero:

Leges poſitivæ Divinæ intercdum digniores Naturalibus.

Secunda Pars Concluſionis de dignitate & præſtantia ſubjecti Legis Poſitivæ Divinæ, etiam manifeſta eſt: Leges enim Poſitivæ frequenter ſunt de ſupernaturalibus & ſubjecto ordinis altioris, ut conſtat de Legibus Fidei, Sacramentorum, Sacrificiorum, &c.

Objectiones contra Legum Naturalis immutabilitatem.

Dices: Leges Naturales Divinæ frequenter immutatæ ſunt à Deo, ergo etiam ex ſe ſtabilitatem perpetuam non habent: Declaratur antecedens ex Scripturis varijs, ut ex mandato dato Abrahæ de Filio occidendo: *Item*: Ex furto Filiorum Iſrael in egreſſu de Ægypto: *Item*: De fornicatione permiſſa Oſeæ Prophetæ: *Item*: Ex mendacio & præventione Iacob, qua ſupplantavit Fratrem ſuum Eſau, & ex varijs alijs quæ paſſim in Scriptura occurrunt. Hæc enim omnia militant contra Legem Naturæ de Vitando Homicidio Innocentis, de Furto non faciendo, nec alienam rem concupiſcendo, de Fornicatione fugienda, de Iure unicuique reddendo.

Reſpondeo, In nullo horum contineri prævaricationem alicuius Præcepti Legis naturalis per ſe: Etſi enim in primo exemplo Parenti non ſit conceſſa Poteſtas in Filij vitam extra caſum Iuſtitiæ publicæ, Deus tamen, cum ſit Dominus vitæ & mortis, potuit imperare occiſionem Iſaac, & Abraham obligabatur obedire: *Nemo enim dicere poteſt Deo, Cur ita facis*; Lex itaque Naturæ non tantum hominem obligat ad vitandam iniuriam proximi: ſed etiam mandat ut in omnibus homo ſubdatur Deo: ideoque ipſa mutata non fuiſſet in facto Abrahami, ſed ſuperiori Lege præventa, Furtum etiam Filiorum Iſrael materiale fuit? Potuit enim Deus, cujus *eſt terra & plenitudo eius*, bona, quæ Jure Naturæ communia ſunt, in Iſraelitas ſalua Lege Naturali transferre: Quinimo Ægyptiorum ſpoliatio Iuſtitiæ & Æquitatis compenſatio fuit, & mercedis retributio ob operas ad quas Filij Iſrael iniuſte damnati fuerant, & ob iniurias quas ab Ægyptijs pertulerant, Deo id juſtiſſime decernente. Fornicatio etiam in Oſea non fuit, etſi enim fornicaria mulier fuiſſet, tamen Oſeæ à Domino tradebatur, ut iam non cum aliena copularetur, ſed cum ea, quæ de mandato Domini fiebat ſua, & pro uxore aſſignabatur. Nec Jacob mentitus fuit ubi benedictionem præripuit, præterquam enim quod S. Auguſtinus per figuram rei futuræ explicit facti veritatem, vere Jacob Primogenitus reputari debebat, quia ei Eſau pro lenticulæ pulmento ſua Primogenita vendiderat & ceſſerat. Vnde ſit *Generalis Regula*: Deum nunquam aliquid immutaſſe vel immutare in Lege Naturali ſimpliciter; ſed omnem mutationem, ſi quæ videatur facta, non ipſam Legem, ſed materiam & circumſtantiam aliquam Legis contingere, vel ſuprema poteſtate per mandatum Superioris ordinis præveniri mandatum inferius: Vnde Sanctus Auguſtinus lib 3. Confeſſ. cap. 8. citatus à Gratiano D. 8. num. 3. ſic ait: *Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet iubet, etſi nunquam ibi factum eſt, faciendum eſt, & ſi omiſſum, reſtaurandum eſt: & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt &c.* cujus rationem addit paulo poſt ex ſubordinatione Legum ad ſupremam Dei Poteſtatem: *Quanto magis Deo Regnatori univerſa creatura ſua ad ea quæ iuſſerit ſine dubitatione ſerviendum eſt: ſicut enim in Poteſtatibus Societatis humanæ, major Poteſtas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus*: Hæc ibi. Addo ego quod cum Leges Naturales & Poſitivæ Divinæ ſint à Deo, ſemper ſubjaceant divinæ diſpoſitione, & quamvis in æterna & prima Veritate Leges omnes Divinæ tam Poſitivæ, quam Naturales fundentur, Dei tamen Veritas infinita à ſolo Deo comprehenditur, & conſequenter in ſuis Legibus varie nobis revelatur: Cui, cum de revelatione conſtat, abſque tergiverſatione rationis obediendum eſt. Vnde iterum inngo *Regulam unam*: Quandocumque inter Leges Divinas Naturales & Poſitivam reperitur aliqua incompoſſibilitas, Legi Poſitivæ Divinæ cognitæ & revelatæ obediendum eſt: Quæ Regula hoc argumento probatur, quia ubi de mandato Dei conſtat, cum Deus ſit omnium Legum Dominus, & de omnibus infinitâ ſua poteſtate, ſapientia, & incomprehenſibili veritate diſponat, idcirco de eius mandato cognito dubitare fas non eſt: Itaque; obedire debuit Abraham mandato Dei ſibi facto de Filij immolatione, quamvis Ius Naturale Divinum videretur contrarium.

S. Aug. l. 3 Confeſ. c. 8.

Quid in Revelationibus agendum vel cavendum

Dixi vero notanter *cum de revelatione conſtat* vitandæ enim ſunt Dæmonum illuſiones, ac proprij ſpiritus phantaſmata, ſemperque ſequendum conſilium S. Petri 2. Epiſt. cap. 1. quo ſtatuit revelationibus (niſi omnino ſint manifeſtæ) præferendum eſſe propheticum Sermonem: *Et Habemus* (inquit) *firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*, &c. Quapropter Lex publica ſemper eſt præferenda mandato privato, & Lex Naturalis Divina & Poſitiva ſemper tenenda eſt, niſi clarè & manifeſte conſtet Deum aliud mandare; quâ ratione excuſantur facta nonnullorum Sanctorum ut Sampſonis, qui ſeipſum cum multitudine hoſtium voluntaria concuſſione columnarum oppreſſit: S. Apolloniæ quæ ſeipſam ardore fidei & amoris in rogum injecit: Sed hæc exempla ſunt rara, nec tantum non imitanda, ſed timenda; nec ex illis facilè argumentum ſumendum ad aliquam actionem.

2. Pet. 1. v. 19.

QUÆSTIO II.

Quomodo ad invicem ſe habeant Lex Divina, & Lex Humana?

CONCLUSIO I.

Lex Humana ſemper eſt conforma Divinæ.

N*Vlla Lex Humana cenſetur iuſta, niſi in quantum Legi Divinæ conformis eſt, aut ſaltem illi diſformis non eſt*. Concluſio clara eſt: Quia Lex Divina Naturalis & Poſitiva ſunt menſura cæterarum Legum, tum ut rectæ ſint, tum ut obli-

quitas

quitas earum appareat: Si ergo aut conformitas oſtendi nequeat, aut aliqua difformitas probetur, Lex juſta non erit & conſequenter Legis nomen amittet. Unde eſt illud S. Auguſtini Epiſtola 50. ad Booifacium apud Gratianum D. 4. *Imperatores quando pro falſitate contra veritatem conſtituunt malas Leges; probantur bene credentes, & coronantur perſeverantes.* Infra: *Quicumque ergo Legibus Imperatorum, quæ contra oeritatem Dei feruntur, obtemperare non oult, acquirit grande præmium.*

S. Aug. ep. 50. ad Bonif. apud Grat. D. 4

Concluſio II.

Legis Humanæ juſtitia pendet à Lege Divina.

IN omni Lege *Humana ſemper emicat aliquid Iuris Naturalis Divini oel poſitioi, ratione cuius eſt iuſta.* Hæc cooclusio probatur & declaratur manifeſtè ex qualitatibus Legis Homanæ ab Iſidoro lib. 5 Etymol. c. 10. & 21. relatis ſub his verbis. *Erit Lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundum naturam & ſecundum conſuetudinem Patriæ, loco, temporique conveniens, neceſſaria & utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi Civium utilitate conſcripta*: Hæc Iſidorus. Ex quibus, ſubſumo; Nihil eſt honeſtum, juſtum, ſecundum oaturam &c. niſi virtute Legis Divinæ Naturalis vel Poſitivæ in illo eminenter contentæ; Ergo omnis Lex iſtis qualitatibus veſtita, aliquid ſaltem eminenter continet Legis Divinæ, ſive illud conſideretur in ſe abſolutè, ſive aliquo reſpectu quo omnis Lex ad aliquod bonum refertur.

Iſid. lib. 5. Etym. cap. 10. & 21.

APPENDIX.

De Lege Mixta.

EX dictis colligi poteſt quomodo ad eundem actom dirigendom plures communiter Leges concurrant, ut ad invicem commiſceantur: Unde & uſus obtinuit, ut quædam Leges *Mixtæ* dicantur, quia diverſæ Leges ſimul ad idem concorrunt, & in una Lege plures Leges tum formaliter, tum virtualiter contineotur & velut commiſceotur.

Leges variæ ad invicem miſcentur.

Hæc verò commixtio varijs modis conſurgit: Interdùm enim *Naturalis Divina* cum *Poſitiva* io esdem Lege concurrit: Ioterdum *Divina* ſive *Naturalis* ſive *Poſitiva* cum *Lege Humana* commiſcetur, & Humanum perficit: Interdùm *Iudicialis, Cæremonialis*, & *Moralis*, eandem Legem componunt. Res exemplis manifeſta eſt. Ex. g. in Præcepto *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*: Colere Deum aliquo die, Legis Naturalis eſt: Quod autem Sabbatho fiat, ad Legem Cœremonialem pertinet, unde & io Dominicam in Lege Nova Sabbathum translatum eſt: Quod verò Cultus exhibeatur ceſſando ab operibus ſervilibus, & in Lege nova Miſſam sodiendo, eſt Poſitivi Juris tum Divini, tum Humani; Tandem quod colligens ligna Sabbatho lapidibus obrueretur Judiciale & Politicum præceptum eſt. *Item* in illo Levit. 19. *Si dormierit cum muliere coitu ſeminis, quæ ſit ancilla,* &c. id eſt, ſerva, *vapulabunt ambo & non morientur: pro delicto autem ſuo offert* Domino *arietem.* Dormire cum Ancilla Lege Naturæ prohibetur, quia ad minus fornicatio eſt: Quod vapulent ambo humanæ Legis eſt, ad Politiam humanam, ut nuper dictum eſt, pertineotis: Offerre arietem pro peccato Domino, Cœremoniale Divioum eſt. Et qui omoes ferè Judiciales antiqui populi Leges expenderit, in illis ſemper reperiet vel formaliter, vel eminenter contineri aliquam Legem Naturalem Divinam. Sic & in humanis noſtris communiter: Imponitur Ex. g. Lex vectigalium ſolvendorum ſub pœna graviſſimæ mulctæ: Vectigal ſolvere Principi ex Lege Naturali Divina deducitur: Eò ipsò enim quò à Deo poteſtas ordinata eſt, & aliquis eſt legitimè inſtitutus Princeps, illi debentur Jure Naturæ alimenta, & omnia quæ ad Principis ſtatum & neceſſitatem pertineot, ut & ſe in Principatu, & Reipublicæ bonum conſervare poſſit pace, belloque; Et ſicut teſte S. Auguſtino lib. 3. Confeſſ. cap. 8. *Generale pactum eſt ſocietatis humanæ obedire Regibus ſuis*: Sic generale & naturale pactum eſt Regi Tributa pendere, ut & ipſe in ſtatu conſervetur, & Rempoblicam ſervare poſſit. Pœna verò mulctarum eſt Juris humani, qood tamen virtute fundatur in Lege Naturæ, qua injuria compenſanda eſt. Huc pertinet Jus Regis deſcriptum 1. Reg. cap. 8. quod partim in Lege Naturali fundatur, partim in humanis diſpoſitionibus. Sed de his omnibus ſuis locis.

Exod. 20. verſ. 8.

Levit. 19. verſ. 20.

Verſ. 20.

S. Aug. lib. 3. Confeſſ. cap. 8.

Hic tamen circa Legem Mixtam advertendum eſt: Quamvis vix detur In viatoribus Lex pura Naturalis, pura Poſitiva, pura Civilis, pura Eccleſiaſtica; deooominationes tamen Legum ſumi ordinariè à prædominante, ſive magis apparente; ita ut Lex in qua aliqua ex Legibus videtur prædominari, ab illa Lege prædominante dicatur *Divina Naturalis, Divina Poſitiva, Humana Eccleſiaſtica, Civilis*, &c. Hæc porrò doctrina de Lege Mixta maximè memoriæ mandanda & expendenda eſt: Ex hujus eoim ootitia & conſideratione infiniti caſus pendêt, & ex ejus ignorantia vel diſſimulatiooe, naſcuntur in opinionibus Auctorum infiniti errores, ut io ſingulari explicabimus.

Lex mixta à Lege prædominante ſumit denominationem.

TITVLVS V.

De Legiſlatoribus & eorum Poteſtate.

QUÆSTIO I.

Quotuplices ſint Legiſlatores?

PRo Reſolutione advertendum eſt. Politicum Regimen generaliter, prout Divinum, Humanumq; complectitur, rectè dividi io *Monarchicum, Ariſtocraticum, Democraticum.*

Monarchicum Regimen dicitur: *Quod eſt unius*

Regimen monarchicum.

Principis ſupremi. Ariſtocraticum : Quod eſt plurium quidem, ſed paucorum & optimorum, quos Optimates idcireò vocamus, conſtituuntque Senatum. *Democraticum : Quod totius populi ſuffragijs conſtituitur.* Iuxta huiuſmodi Regimina Legislatores diſtribuendi ſunt.

Conclusio Unica.

Sextuplices Legislatores.

SExtuplices Legislatores iuxta diverſa Regimina & modos aſsignari poſſunt videlicet. Deus Trinus & Vnus: Homo-Deus CHRISTUS JESUS: *Vicarius* CHRISTI *ſive Princeps Eccleſiaſticus : Princeps Sæcularis ſive Civilis: Senatus: Congregatio populi.* A *Deo* ut ſupremo Monarcha Leges, Naturales & Poſitivæ, quas Divinas nuncupamus, indicuntur & hominibus revelantur, prout ad æternam beatitudinem hominem dirigunt. Ab *Homine-Deo* Chriſto Jeſu per Poteſtatem Excellentiæ proceſſit Lex Evangelica Sacramentalis, Moralis, & Judicialis in Evangelio contenta. A *Vicario* Chriſti Leges Eccleſiaſticæ tum Humanæ Divinæ, tum Spirituales, quæ ad Animarum Regimen ſpectant, & ad illud referuntur ac imponuntur; Ad *Vicarium* autem Chriſti reducuntur *Epiſcopi*, qui proportione ſervata reſpectu ſuæ Eccleſiæ ſunt Principes Eccleſiæ in ijs, quæ ſimiliter Animarum ſpirituale Regimen contingunt. A *Rege* ſive *Principe ſæculari* Leges humanæ derivantur. Et hi omnes ad *Monarchicum* Regimen ordinati ſunt. *Senatus* tandem in regimine *Ariſtocratico* Leges dictat : In *Democratico* autem populi per ſuffragia communia & conſenſus, Leges condunt & ſibi imponunt.

Epiſcopi ad regimen Monarchicum pertinent.

Conſiſtoriũ Cardinalium & concilia Monarchicum Regimen habent.

Advertendum tamen eſt : Senatum Apoſtolicum, qui eſt S. R. E. Cardinalium Conſiſtorium : Similiter, Concilia Oecumenica & Generalia, & idem dicendum de Metropolitanis & Provincialibus, ad Monarchiam magis reduci debere, quam ad Ariſtocratiam : Quia etſi interdum in illis Leges condantur, non obligant tamen, niſi prout à *Monarcha* ſive Chriſti *Vicario* vel *Principatum Eccleſiaſticum* tenente approbantur, ſive prout *Caput Eccleſiæ* in illos influit. Unde Eccleſia Dei ita Monarchica eſt, ut vel à Monarcha immediatè regi debeat, vel Monarchæ ſive ſummi Pontificis Vicarij Chriſti & Succeſſoris Petri auctoritate : quapropter nec Concilia Generalia ſine auctoritate Papæ cogi aut celebrari, nec Leges in illis condi poſſunt niſi auctoritate Capitis, quæ & mortuo Pontifice penes Eccleſiam remanet, donec Pontifex eligatur, ut infra dicemus.

QVÆSTIO II.

Qualis ſit Legislatorum Poteſtas?

VT diſtinctius hæ Poteſtates intelligantur, per ſingulos Paragraphos ſigillatim Quæſtionem diſtribuemus.

§. I.

De Dei & CHRISTI IESV Poteſtate in ferendis Legibus.

Poteſtas Dei.

P*Oteſtas Dei* ſicut in cæteris ſuis operibus ſine ullo termino infinita eſt, ſic in Legibus condendis indicendiſque illimitata eſt. Ratio ſumitur ex eo quod Deus ſit ſua ipſe infinita Veritas, Æquitas, Rectitudo, Potentia, qua poteſt quidquid vult, & nil niſi verum, æquum, & juſtum velle poteſt, dicente Pſalmiſta : *Iuſtitia tua, Iuſtitia in æternum & Lex tua veritas* : Et *Principium verborum tuorum veritas in æternum omnia judicia iuſtitiæ tua*: Item : *Cognovi Domine quia æquitas iudicia tua & in veritate tua humiliaſti me.* Et ut Job. c. 9. *Quis dicere poteſt (utique Deo) cur ita facis? ſi fortitudo quæritur robuſtiſsimus eſt : Si æquitas iudicij nemo audet pro me teſtimoniũ dicere ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit*, &c. *Verebar omnia opera mea ſciens quia non parceres delinquenti.* Sap. 12. *Quis tibi imputabit ſi perierint Nationes quas tu feciſti?* Dan. 4. *Poteſtas eius poteſtas ſempiterna. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilũ reputati ſunt, iuxta voluntatem enim ſuam facit tam in Virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & nõ eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, quare feciſti?* Pſal. 118. v. 142. 160 Verſ. 75. Job. c. 9. v. 12. 19. 20 Verſ. 28. Sap 12. v. 12 Dan 4. v. 11.

Poteſtas Chriſti.

Poteſtas Chriſti Jeſu, ut *Homo-Deus* eſt, in Legibus condendis etiam per omnia illimitata eſt, Ita Math. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, &c. Joan. 5. *Quæcunq; enim fecerit utique Pater) hæc & Filius ſimiliter facit: Pater enim diligit Filium & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*; &c. *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat* : Et ut de ratione Legis & Legislatoris ſpecialiùs explicet: *Neque enim* (ait) *Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Joan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et cap. 17. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* Hæc eſt poteſtas excellentiæ, Poteſtas Capitis, Poteſtas Regia ſecundum quam. *Agnus qui occiſus eſt, fecit nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes* : Secundum quam : *Omnis Creatura quæ in cœlo eſt & ſuper terram & ſub terra & quæ ſunt in mari & quæ in eo* acclamant : *Sedenti in Throno & Agno Benedictio & Honor, & Gloria & Poteſtas in ſæcula ſæculorum Amen*: ſecundũ quam eſt *Caput omnis Principatus & Poteſtatis* : ſecundùm quam : *Conſtitutus eſt ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc Sæculo, ſed etiam in futuro*: ſecundum quam: *Facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri & poteſtas* Chriſti *eius*, (Monarchæ noſtri) *qui habet claves mortis & inferni, qui habet clavem David, qui eſt caput corporis Eccleſiæ.* Math. 28. Ioan. 5. v. 19. 20, 21. Verſ 22 23 Ioan 13. v. 3. Idem c. 17. v. 2. Apo 5. v. 10. 13. Col 2. v. 10 Ad Epheſ. I. v. 21. Apoc. 12. v. 10. Apoc. I. v. 18 Apoc. 3 v. 7. Col 1. v. 18.

§. II.

De Poteſtate Papæ, & aliorum Eccleſiæ Principum.

Poteſtas Papæ.

INfinitam Divinam Poteſtatem ſequitur poteſtas Papæ, ut eſt CHRISTI *Dei & hominis* Vicarius,

Pſalm. 44 v. 17. Pſalm. 46 v. 10.

Vicarius, & aliorum qui *pro Patribus* Eccleſiæ *nati ſunt Filij*, quos & *conſtituit Dominus Principes ſuper omnem terram, Principes populorum congregati cum Deo Abraham*; quorum quidem poteſtas his ferè gradibus honoratur.

1. *Poteſtas Papæ circa credenda.*

Primo, Credendorum declaratione, expreſſione, mandato, modis, Legibuſque, prout à Domino acceperint, indicendis. Et hæc poteſtas reſidet in Capite Petri Succeſſore, cui aſſiſtentia Dei infallibilis repromiſſa eſt Luc. 22. dicente CHRISTO ad Petrum: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Et Matth 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Ubi juxta S. Baſilium lib. 2. in Eunomium, *Qui* (utique Petrus) *quoniam fide præſtabat Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcipit.*

Luc. 22. v. 32. Math. 16. v. 18. S. Baſilius lib. 2. de Eunom.

Reſidet hæc poteſtas in Eccleſia, prout ſub uno Capite Chriſto eiuſque Vicario Petro, Petrique Succeſſore adunatur, quæ idcircò dicitur Eccleſia Dei vivi, *Columna & Firmamentum Veritatis*. Et Apoſtolis ac Epiſcopis, prout Eccleſiæ columnæ ſunt, promittit Chriſtus, quia *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo*, &c.

1. Tim. 3. v. 15. Ioan 16. v. 13.

2. *Circa Sacrificium & Sacramenta.*

Secundo, In Myſteriorum Dei diſpenſatione, Sancti Sacrificij oblatione, ac Sacramentorum adminiſtratione, quorum inſtitutio quidem à Chriſto Domino in eſſentialibus facta eſt, Legum tamen Sacramentalium diſpoſitio Summis Pontificibus ut plurimùm reſervata fuit juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros* Chriſti *& Diſpenſatores* Myſteriorum: *Hic iam quæritur inter Diſpenſatores ut Fidelis quis inveniatur*: Huc pertinet illa diſtributio variarum gratiarum ad Epheſ. 4. qua: *Unicuique* (inquit *noſtrum* (id eſt Apoſtolorum & Eccleſiæ ac Evangelij Miniſtrorum) *data eſt gratia ſecundum menſuram donationis* Chriſti, &c. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas: Alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterij in ædificationem corporis* Chriſti, &c. Plurimis enim Legibus opus fuit ut Eccleſia Dei ſtabiliretur etiam in Sacro-Sanctis Sacramentorum Miniſterijs, quæ Apoſtolis inſpirata ſunt, & Eccleſiæ tradita. Unde Paulus de ſeipſo loquens ubi Sacramenti Euchariſtiæ puram ſumptionem ſuis Legibus ſtabilire conatus eſt. *Ego* (inquit) *accepi a Domino quod & tradidi vobis*, &c. Actor. 15. Perambulans Civitates, *præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum*: Item cap. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus.*

1. Cor. 4. v. 1. 2. Epheſ. 4. v. 7. 11. 12. 1. Cor. 11. v. 23. Act. 15. v. 14. Acto. 16. v. 4.

3. *Circa leges Morales ſtatum Spiritualem concernentes.*

Tertio, Hæc poteſtas conſiſtit in variarum Legum Moralium, quæ ad ſpiritnale Animarum regimen ſpectant, promulgatione, & ad illarum obſervationem coactiva virtute pr, out etiam penetralia Conſcientiæ attingunt, ſive ut in Conſcientia obligant. Unde dicitur Petro Matth. 16. *Tibi dabo Claves regni Cœlorum & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: Quod de vinculis omnibus ſpiritualibus etiam Legum obligantium in conſcientia intelligendum eſt: juxta illud CHRISTI de Phariſæis Math. 23. *Alligant onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere*: ubi per Onera intelliguntur Legum præcepta, per Alligationem, Legum obligationes. Unde & Act. 15. Petrus cum Concilio decrevit propter eos qui ex Gentibus convertebantur, Eccleſijs abrogationem Legalium ſignificandum ex omnibus aliqua tantum præcepta imponens: *Viſum eſt enim* (inquiunt) *Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorū, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*: Ex quibus conſtat illa tria præcepta de abſtinentia ab immolatis ſimulacrorum, ſanguine, & ſuffocato, fuiſſe ſpecialiter ob cauſas ab Apoſtolis ſub præcepto impoſita, cum per ſe nec bona nec mala ſint: ſub præcepto tamen fuiſſe impoſita conſtat ex illis Scripturæ verbis: *Nihil imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria*: Nomen enim (*oneris*) ſervitutem Legis dicit, & particula (*Neceſſaria*) obligationem demonſtrat. Fuerunt autem hæc præcepta à principio Eccleſiæ dictante Spiritu Sancto impoſita, ut ab Idololatrarum moribus & ſuperſtitionibus Gentiles converſi deterrerentur, prout Interpretes tradunt; ideoque cum profligata totaliter Idololatria neceſſaria ampliùs non eſſent, abrogata fuerunt. Porrò hanc Papæ & aliorum Paſtorum Eccleſiæ Poteſtatem variæ Scripturæ probant.

Math 16. v. 19. Math. 23. verſ. 4. Actor. 15. v. 28. 29.

Petro quidem & eius Succeſſoribus demandatum eſt univerſæ Eccleſiæ regimen Joan. 21. dum triplicis amoris teſtificatione poſtulata, cum ſecundò dixiſſet ei CHRISTUS *Paſce Agnos meos*, tandem univerſaliori vocabulo dicit, *Paſce oves meas*; Paſtor ſanè gregis unicus eſt, ſicut & unum ovile juxta illud: *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere*, &c. *Et fiet unum ovile, & unus Paſtor*: Quibus verbis docuit CHRISTUS unitatem Eccleſiæ, & unitatem Capitis, & Succeſſionem: Quia (inquit) ſicut fiet unum Ovile, ſic fiet unus Paſtor, alius utique ab illo qui jam Paſtor erat, qui jam ovem perditam requiſierat, & idcircò qui jam erat, alium futurum prædicebat, Petrum utique & eius in Principatu Succeſſorem. Advertendum autem eſt, ſicut Paſtoris officium eſt, non tantum cibare, ſed educere, reducere, contra lupos protegere, medicari, regere cogere, & aberrantem ovem corrigere, &c. quæ omnia ſub verbo, *Paſcere*, comprehenduntur: Sic eſt Petro & Succeſſoribus cura demandata, qua, Poteſtate non tantum directiva, ſed etiam coactiva Eccleſiam regeret & gubernaret. Vide hæc omnia apud Patres explicata, & ab Auctoribus qui Controverſias tradunt, ex Patribus deſumpta & propoſita. Cæteris etiam Eccleſiæ Principibus, ut Epiſcopis aliiſque Superioribus proportionaliter, nec

Ioan. 21. v. 16. 17. Ioan 10. verſ. 16. *Ex verbo Paſcere.* *Poteſtas Epiſcoporū & Eccleſiæ miniſtrorū*

non

non Eccleſiæ congregatæ hæ auctoritates in Scriptura & Evangelio adſcribuntur; Luc. enim
Luc. 10. v. 1. 10. ubi CHRISTUS mittens *Septuaginta duos in omnem Civitatem & locum quo erat ipſe venturus*
Luc. 10. v. 16. commiſſam ſibi auctoritatem declarans ait: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Iterum
Matth. 18. v. 17. 18. Matt. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: Et ut Eccleſiæ in ſuis Miniſtris poteſtatem patenter declararet: *Amen (inquit) dico vobis: Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*: Item: *Ubi*
Verſ. 20. *enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Act. 20. v. 28. Et Præpoſitis ſive Epiſcopis Eccleſiæ dicit Paulus Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.*

Hebr. 13. v. 17. Item ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis: ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et 1 ad Theſſ. c. 4 cum
1. Theſſal. 4. v. 2. Fideles monuiſſet ut ambularent ſecundum ea quæ ab illo acceperant: *Scitis* (inquit) *quæ præ-*
Verſ. 8. *cepta dederim vobis per Dominum* JESUM. Et infra ſubdit: *Qui hæc ſpernit non hominem ſpernit ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum Sanctum in nobis.*
2. Theſſ. 3 v. 14. Et 2 cap. 3. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum eo, ut confundatur.* Rurſus Poteſtatis illius graviſſima exempla & effectus leguntur Actor. 5 de Poteſtate Petri contra Ananiam & Saphyram. Et 1 Cor. 5. in Corinthio inceſtuoſo quem Paulus in virtute Domini JESU tradidit Sathanæ in interitum carnis, &c.

4. Poteſtas in civilibus & Politicis. *Quarto*, Eſt etiam in Eccleſia Dei & ejus Præpoſitis Regimen quoddam Politicum & Humanum iuxta quod Poteſtatem habent Leges aliquas conſtituendi in rebus, quæ ab ſpirituale regimen aliquo modo quidem referuntur, revera tamen ex natura ſua temporales ſunt, & ad finem temporalem referuntur; puta cauſa Civilitatis, concordiæ, pacis, ordinis ſecundum vocationem uniuſcujuſque, in Eccleſiaſtica diſciplina. Sic conſtat S. Paulum aliqua præcepiſſe, quæ Divina præcepta non erant, nam 1 ad Corinth. 7. manifeſte diſtinguit inter præceptum Dei, cum enim dixiſſet ijs, qui
1 Cor. 7. v. 10. Matrimonio juncti ſunt: *Præcepto non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere*, poſtea ſubijcit
Verſ. 12. præceptum ſuum humanum: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, ſi quis Frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam.* Similiter fuiſſe etiam in Eccleſia Iudicia Politica ſuis Legibus inſtructa oſtendit Apoſtolus 1 Corinth. 6. reprehendens Fideles quod ad Tribunalia ſæcularia infidelium ſe invicem provocarent: *Audet aliquis veſtrum* (inquit) *ha-*
1. Cor. 6. v. 1. *bens negotium adverſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos.* &c *Sed Frater cum Fra-*
Verſ. 6. Verſ. 5. *tre iudicio contendit & hoc apud infideles:* Supra *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam qui poſſit iudicare*
1. Thim. 5. v. 19. *inter Fratrem ſuum?* Et 1 ad Timoth. 5. ſancitum eſt: *Adverſus Presbyterum accuſationē noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Variæ etiam Leges reperiuntur datæ diverſis ſtatibus hominum: Ut de electione viduarum, de inſtructione filiorum, de habitu mulierum in templo & foris, de educatione adoleſcentularum, quarum plurimæ humanam dumtaxat referunt civilitatem, & quandam morum externorum honeſtatem.

CORROLARIUM.

EX his patet quadruplicem in Monarcha Eccleſiæ, & proportione ſervata in Epiſcopis ſive Eccleſiæ Præpoſitis & Principibus, ſive etiam in Eccleſia legitime in Spiritu Sancto congregata, reperiri Poteſtatem. *Quatuor Præpoſitorum Eccleſiæ poteſtates.*

Prima eſt *mere Divina* (ut eſt Poteſtas condendi Leges Credendorum, ſive declarandi Articulos Fidei, Eſſentialia Sacrificij Incruenti & Sacramentorum de quibus ſupra in Appendice de Politia Eccleſiaſtica & Sæculari §. 2. &c.) quæ dependet ab aſſiſtentia certa & infallibili Spiritus Sancti, juxta quam in rebus Fidei aut in materia morali ad ſalutem æternam pertinente definiendis Summus Pontifex & Eccleſia in Spiritu Sancto congregata errare non poteſt, ac conſequenter nec in Legibus ad æternam ſalutem pertinentibus condendis ſive declarandis. *Mere Divina.*

Secunda eſt Poteſtas *Secundo Divina*, ſive etjam *Humano-Divina*, quæ in Homine quidem humano modo operante reſidet, Leges tamen Divinas reſpicit ut loco immediate allegato diximus de Legibus ſacrarum Cœremoniarum & nonnullorum Sacramentalium ut Aquæ benedictæ, Agni, Cerei, Sacrarum veſtium, &c. *Secundo Divina.*

Tertia eſt Poteſtas *Canonica ſpiritualis*, ſive quæ circa rerum temporalium diſpoſitionem verſatur, prout tamen alicui Miniſterio, Officio, vel rei ſpirituali ſunt annexæ. Talis eſt Poteſtas Papæ in Legibus ferendis circa beneficia, penſiones, dignitates, &c. ut conſtat ex omnibus fere Titulis Decretalium. *Canonica.*

Quarta eſt Poteſtas *Eccleſiaſtica Politica*, quæ de nonnullis, quæ Civilitatem & externam quandam diſciplinam Politicam concernunt, juxta diverſos Status in Eccleſia diſponit, de quibus in ultimo numero immediate ante Corrolarium. *Politica Eccleſiaſtica.*

§ III.

De Poteſtate Regum & Principum, ſive etiam Magiſtratuum Sæcularium, &c.

POteſtas Regum & Principum ac Magiſtratuum Sæcularium ſequitur immediate Poteſtatem Eccleſiaſticam, ita ut non tantum Divinæ Naturali & Poſitivæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ ſubiaceat, cum Reges & Principes, ſi Chriſtiani ſint ipſi Eccleſiæ actu ſubijciantur: Si vero infideles ſint, habitu quodam neceſſariæ obligationis innatæ, ut ſalutem ſuam ordinatis modis procurent, Eccleſiam reſpiciunt, *Eiuſdem Regum &c.*

quia

quia extra Eccleſiam non eſt ſalus Undè quamvis Eccleſia non habeat in illos, ſicut nec in populum infidelem, Poteſtatem coactivam: Illi tamen de mandata eſt Prædicatio Evangelii extra Eccleſiam. Hæc autem Poteſtas Regum & Principum ex inſtitutione & ordinatione ſua eſt quidem à Deo ut ſupremo Gubernatore humanæ Naturæ, & ex hoc reſpectu extrinſeco Divina dici poteſt : Humana tamen eſt, nec ultra humanam Politiam & Civilitatem ac Juſtitiam per ſe & directè vires ſuas exercere poteſt, nec niſi humana præcipere.

Poteſtas Regum Humana.

Unde Poteſtas Humana dupliciter conſiderari poteſt , Primò, in ſe & ſimpliciter prout Humanam Politiam ſpectat & ad populum in humanis & politicis regendum à Deo inſtituta & ordinata eſt. Secundo. Prout Legi Divinæ & Eccleſiaſticæ ſubordinata eſt , & quaſi ſubalternata.

Humana Poteſtatis duplex reſpectus.

Si conſideretur primò modo , humanis & civilibus coarctatur limitibus , ità ut nil aliud circa ſubditos ſuis Legibus & Conſtitutionibus agere valeat, quàm ut ſecundum rectam rationem & æquitatem Civilem (habita primò ratione boni communis Reipublicæ) per Leges convenientes regantur , boni præmientur , & mali corrigantur ac plectantur.

Si verò ſecundo modo conſideretur : quemadmodum ſubordinata ſive ſubalternata ſcientia utitur principijs ſubalternatis ſive eius cui ſubalternata eſt ; ita Poteſtati Sæculari conveniens eſt, uti Legibus & Principijs Poteſtatis cui ſubordinata eſt & ſubalternata , ad regimen ſuum ſtabiliendum.

Poteſtas Humana ſubalternatur Poteſtati Divinæ.

DOCTRINA NOTABILIS.

Ad intelligendas Sacras Scripturas quæ de Poteſtate Sæculari Principum, & Magiſtratuum loquuntur.

PRimò: Igitur de Fide eſt : Poteſtatem Legitimam Principum Sæcularium, ſive per Electionem ſive per Hæreditariam Succeſſionem conſtituti ſint, modo legitima ſit inſtitutio, eſſe à Deo. Quod ex Scripturis probatur Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt, per me Principes imperant , & Potentes decernunt juſtitiam.*

Poteſtas Humana eſt à Deo.

Proverb. 8.v.15.16.

Sap. 6. *Audite ergo Reges & intelligite , diſcite Iudices finium terræ : præbete aures vos qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis Nationum: Quoniam data eſt à Domino Poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo*, &c.

Sap. 6. v. 2. 3.

Verſ. 4.

Ad Roman. 13. *Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.*

Ad Rom. 13. v. 1.

Ad Tit. 3. *Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe.*

Ad Tit. v. 1

Secundo, Mandatum Divinum omnibus ſubditis ſub peccato mortali impoſitum eſt , ut obediant Regibus & Principibus Sæcularibus , ſive etiam Magiſtratibus : Eſt de Fide: Ad Roman. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* , &c. *Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; Qui autē reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, &c. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam.* In quibus Apoſtoli verbis tria cōtinentur: Primum, Præceptum Divinum affirmativum, *De obediendo*: Secundum Præceptum negativum, *De non reſiſtendo*: Tertium, Pœna peccati mortalis, nimirum, *Damnatio æterna*, ibi *Qui enim Poteſtati reſiſtunt , ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Item: *Reatus conſcientiæ*, ibi: *Non tantū propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rurſus 1. Pet. 2. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum* (ut autem in particulari oſtendat quibus, ſubdit:) *ſivè Regi quaſi præcellenti; ſive Ducibus, tamquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt Voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* In quibus ultimis verbis damnat Hæreſim nonnullorum Hæreticorum Libertinorum , qui aſſerebant ſub titulo mendaci, quòd *ſoli Deo oportet obedire* , quorum perverſum dogma vocat *Imprudentium hominum Ignorantiam.* Et ſubdit obedientiæ Regibus debitæ modum meritorium: *Quaſi* (inquit) *liberi & non quaſi velamen habentes malitia libertatem, ſed ſicut ſervi* Dei: Quibus iterùm verbis indicat ſervitutem Chriſtianam, libertatem quandam eſſe, quâ amore potius quàm timore in libertate cordis Deo ſervitur , & hominibus propter Deum; Condemnat autem manifeſtè eos , qui ſub titulo libertatis ſpiritualis obedientiam detrectant. Quod eſt unum ex profanis mendacijs Hæreticorum & falſorum Chriſtianorum hujus ſæculi, quod uſque ad animas ; quas ſpirituales falsò nuncupant, penetrat.

Sub peccato mortali Regibus obediendum

Rom. 13. verſ. 1. 2.

Verſ. 5.

1. Pet. 2. Verſ. 13.

Verſ. 14. Verſ. 15.

Verſ. 16.

Nota.

Unde iterum ſubdit Petrus : *Deum timete* (timore utique Filiali) *Regem honorificate Servi ſubditi eſtote in omni timore* Filiali & Reverentiali) *Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

1. Pet. 2. Verſ. 17. Verſ. 18.

Tertio, Regimen ſæculare Regum & Principum ita coarctatur Legibus Divinis tum Naturalibus tum Poſitivis , ut non tantùm non poſſint Legem aliquam ferre contra Legem Divinam Naturalem vel Poſitivam , ſed caſu quo etiam tales Leges ferrent, non liceret ſubdito illis obedire. Eſt etiam de Fide Actor. 5. ubi cum Principes Sacerdotum reprehenderent Petrum & Apoſtolos; quòd mandato de non prædicando Evangelio non obedirent: Reſpondens Petrus & Apoſtoli dixerunt: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Et. 1. Machab. 2. *Etſi omnes gentes Regi Antiocho obediunt ut diſcedat unuſquiſq; à ſervitute Legis Patrum ſuorum* , &c. *Ego & Filii mei & Fratres mei obediemus Legi Patrum noſtrorum*, &c. *Non eſt nobis utile relinquere Legem & Iuſtitias* Dei Et ad Rom. 13. Non aliter eorum prædicatur Poteſtas, quàm quòd Rex ſivè Princeps ſit *Miniſter Dei.* Vide ſuperius S. Auguſt. Epiſt. 50. ad Boniſacium.

Regimen ſæculare Divinis Legibus coarctatur & ſubjicitur.

Actor. 5. Verſ. 29. 1. Machab. 2. v. 19. 20. 21.

Quarto, Reges & Principes ita in Legibus ſuis, Divinis Legibus tum Naturalibus ; tum Poſitivis ſubjiciuntur, ut ſine peccato non poſſint ferre Legem vel modicum à vera Dei Lege

Reges non poſſunt in ſuis declinare à Lege Divina;

ge declinantem. Hoc declaratur Sap. 6. ubi (ut Sap. 6. v. 4. ſupra citavimus) Sapientia Regibus loquens cum dixiſſet: *Data eſt à Domino Poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo*: Statim ſubjungit Regulam: *Qui* (inquit) *interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur;* Verſ. 5. *Quoniam cum eſſetis Miniſtri regni illius non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis Legem iuſtitiæ, neque ſecundum Voluntatem Dei ambulaſtis.* Verſ. 6. Et Pœnam addens *Horrende & citò apparebit vobis quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet:* lege quæ habet Gratianus in Decreto tota diſt. 9. 1. parte cuius in fine eſt hoc Axioma; *Conſtitutiones vel Eccleſiaſtica vel Sæcularis, ſi naturali Iuri contraria probantur, penitus ſunt excludenda.*

Leges Sæculares debent conformari Legibus Eccleſiaſticis. *Quinto*, Leges Regum & Principum ſubjiciuntur Legibus Eccleſiaſticis, ita ut ſi Legem contra Eccleſiaſticas Leges ſtabilire velint, eis impunè non pareatur. Unde Symmachus Papa in 7. Synodo. Symmach Papa apud Grat. diſt. 10. *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra divina mandata præſumere, nec quidquam quod Evangelicis vel Propheticis aut Apoſtolicis regulis obviet agere.* Et alia vide apud Gratianum ſupra Diſt. 10. per totam. Quod verò de Poteſtate & Legibus Regum & Principum dictum eſt, idem proportionaliter de Poteſtate & Legibus Senatus ſive Magiſtratus in Ariſtocratia; de Regimine Populi in Democratia dicendum eſt; ſed ad alia tranſeamus.

TITULUS VI.

De varia Legum obligatione ac foro Diverſo.

QUÆSTIO I.

Quotuplex ſit Legum obligatio.

Omnes Leges obligant. Hic *primo*, repetendum eſt quod diximus in definitione Legis in genere Tit. 1. Q. 1. Tractatus huius: Nimirum: Omnem Legem obligare ad ſui ſequelam, alias Lex inutilis eſſet, & ab Exhortatione, Monitione, Conſilio, &c. non diſtingueretur.

Variæ Bonitatis Actus. *Secundo*, Advertendum eſt. In quolibet actu bono libero diverſas Bonitates ſive Rectitudines reperiri: Prima eſt *Bonitas moris*, ſive de genere moris, quæ nihil eſt aliud, quam quædam conformitas ad primam honeſtatem: quomodò omnes actus virtutum dicuntur boni. Secunda eſt *Bonitas Finis*, ſecundum quam actus Creaturę Rationalis ut ſint boni non tantum in genere moris, ſed etiam in ratione finis, ad Deũ & æternam beatitudinem, ad quam creatus eſt homo, referri debent; ut diximus ſupra Qu. 2. Corrol. Doctrinali. Tertia *Bonitas* eſt *Gratiæ*: Quia opus bonum eſt in Gratia & Charitate factum. Quarta *Bonitas* eſt Gloriæ, ſive Meriti: Quia per talem actum quis meretur gloriam, imò & gratiæ augmentum.

Obligatio alia abſoluta alia Conditionalis. *Tertio*, Advertendum eſt. Aliquas eſſe Leges abſolutè obligantes, quæ ſimpliciter & ſine aliqua conditione obligant: ut ſunt Leges Decalogi, & aliæ tum Divinæ Naturales, tum Poſitivæ: Aliæ ſunt Conditionales ſive conditionaliter tantum obligantes: ut ſunt Regulæ perfectionis in Conſilijs Evangelicis, quæ non obligant niſi eos, qui deſiderio perfectionis ad eas ſe obligarunt: De quibus Math. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurũ in Cœlo, & veni ſequere me.* Math. 19. verſ. 21. Et hæc quidem ex Chriſti inſtitutione ſunt tantum Conſiliã, ſed, ſuppoſito quod homo Statui perfectionis ſe addixerit, ſunt præcepta & mandata. Tales ſunt Regulæ Religionum approbatæ, quoad vota & formalia præcepta, juxta cuiuſquæ Regulæ obligationem.

Quarto, Advertendum nos hic & deinceps dum agemus de obligatione Legum, conſequẽter acturos de obligatione cujuslibet præcepti in particulari: Cum enim ſit eadem ratio Legis & Præcepti quoad obligationem, utrumq; pro eodem ſumemus, nè ſæpius cogamur cum tædio diſtinctionẽs terminorum repetere.

CONCLUSIO UNICA.

Iuxta varios reſpectus: Variæ diſtingui poſſunt obligationes Legis.

Primo, Alia enim eſt **Obligatio ad Culpam**, quæ & *Reatus Culpæ* dicitur: Alia eſt *obligatio ad Pœnam*, quæ & *Reatus Pœnæ* nuncupatur. *Variæ & multiplices legũ obligationes.*

Secundo, Alia eſt *obligatio ad Culpam mortalem*: Alia ad *Culpam venialem*. Illa dicitur *obligatio ad Culpam mortalem*, ex qua homo Dei inimicus conſtituitur, Gratia privatur, mortem ſpiritualem animæ incurrit, actionem ad æternam hæreditatem amittit: Illa autem dicitur *obligatio ad Culpam venialem*, per quam amicitia Dei in modico remittitur, Gratiæ & Charitatis fervor diminuitur, Anima ſpiritualiter langueſcit, in actibus meritorijs jacturam patitur.

Tertio, Alia eſt *obligatio ad pœnam æternam*. Alia ad *Pœnam temporalem*. Obligatio ad *Pœnam æternam* dicitur illa, quæ conſequitur peccatum mortale, vocaturque *Reatus damnationis æternæ*; quæ conſiſtit in pœna ſenſus & pœna damni, quibus adjudicatur homo ſtatim ubi peccatum mortale committit, ſi in peccato illo moriatur. Obligatio ad *Pœnam temporalem* dicitur, quæ conſequitur peccatum veniale, & interdũ poſt remiſſum mortale in Pœnitente remanet, tamquam reliquiæ obligationis prioris ex peccato ortæ: Vocatur autem *Pœna temporalis*, quia in tempore finitur, ſive in hac vita illi ſatisfiat, ſive in Purgatorio in altera vita.

Quarto, Rursùs: Alia eſt obligatio ad *Pœnam corporalem*: Alia ad *Pœnam ſpiritualem*. *Pœna corporalis* dicitur, quæ in corpore Pœnitentis vel circa illud exercetur, quovis modo fiat etiam per ſupernaturalem actionem: Tales ſunt pœnalitates corporis ortæ ex tranſgreſſione præcepti de non comedendo de ligno ſcientiæ boni & mali, ab Adamo velut radice in omnes homines transfuſæ: *Similiter*: Pœnæ corporales quas nobis Deus in hac vita immittit propter peccata noſtra: *Item*, Pœnæ quas aliquis pateretur in Purgatorio ſi in corpore & anima ad Purgatorium damnaretur. Ad Pœnas corporales

porales pertinent etiam Pœna quæ à Legibus Humanis Eccleſiaſticis vel Civilibus imponuntur. *Pœna ſpiritualis* nuncupatur: Quæ ſingulariter in Animæ Potentijs ſpiritualibus exercetur vel ſpirituali bono hominem privat: Tales ſunt Cœcitates Mentis, Obdurationes Voluntatis, aut Pravi Habitus, Remorſus Conſcientiæ, Graves errores, & alia id genus quæ à
S. Auguſt. Deo, & in hac vita & in altera propter peccata immittuntur: Talis eſt illa qua juxta S. Auguſtinum: *Inordinatus animus ſibi ipſi eſt pœna.* Ad pœnas ſpirituales pertinent Excommunicationes, Cenſuræ, &c. quibus Lege Eccleſiaſtica plectuntur Tranſgreſſores.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit forum?

Quid Forum. OMiſſis varijs ſignificationibus quæ ad rem noſtram non ſpectant: Nomine *Fori* intelligo *Iudicium cauſarum quatenus certis Iudicibus, Conſtitutionibus, Legibus, Conditionibus ab habente auctoritatem eſt ſtabilitum.*

CONCLUSIO I.

Forum duplex. Forum Divinum. DUplex eſt Forum: Aliud *Divinum*, Aliud *Humanum*. Fotum Divinum eſt: *Quod à Deo vel per ſe, vel per Iudices Divina Poteſtate præditos, ſecundum Leges & Ordinationes ſive Conſtitutiones Divinas* exercetur.

Forum humanum. Forum humanum eſt quod per Hominem poteſtate Humana, juxta Leges & Ordinationes ſive Conſtitutiones Humanas fieri conſuevit.

CONCLUSIO II.

FÒrum Dìvinum: Aliud eſt *inviſibile in ſeipſo*: Aliud eſt *Internum Conſcientiæ*. Aliud eſt *Externum & Viſibile in ſigno.*

Forum Dei inviſibile. *Forum inviſibile* ſive *Inſcrutabile eſt*, in quo Deus ſecundum ſecreta Decreta & cauſas ſuæ Sapientiæ Pœnas tum temporales, tum æternas hominibus variè immittit, aut gratioſa dona & præmia decernit: de quo agens ad Rom. 11. Ex-
Rom. 11. verſ. 33. clamat Paulus: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia*
Verſ. 14. *eius, & inveſtigabiles viæ eius! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit?* Et
Pſalm. 35. verſ. 7. Dan. 3. verſ. 31. Pſalm 35. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua Abyſſus multa.* Dan. 3. *Vniverſa quæ feciſti nobis, in vero iudicio feciſti*, &c.

Forū Conſcientiæ. *Forum Internum Conſcientiæ* eſt Judicium, quod in interiori homine in propria conſcientia, exercetur: Præſidente, Accuſante, Teſtificante, Convincente, & Condemnante Conſcientia, de quo latè Tom. 1. tract. 5. per totum.

Forum Dei externum. *Forum Divinum Externum & viſibile* eſt, in quo à Judicibus viſibilibus à Deo conſtitutis ex ſignis viſibilibus cauſa cognoſcitur, & per ſigna externa ſententia pronuntiatur. Tale eſt Tribunal Sacramentale Pœnitentiæ in quo Peccatores judicantur.

CONCLUSIO III.

FOrum *Divinum Externum & Viſibile*, triplex eſt: Aliud *Vniverſale Finale*, in quo viſibiliter juxta Apoſtolum: *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal* CHRISTI *ut referat unuſquiſq; propria corporis prout geſſit*: Aliud eſt *Forū Sacramentale Pœnitētiæ* de quo toto Tomo primo: Aliud eſt *Eccleſiaſticum* in quo Poteſtate Divina viſibiliter Eccleſiæ Principes exterius cauſas ſpirituales cognoſcunt, & tranſgreſſores pœnis ſpiritualibus ut Excommunicationibus & alijs cenſuris plectunt, vel ab eis peccatores abſolvunt juxta illud Matth 18. *Quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* *Forum Dei externum triplex. 2. Cor. 5. verſ. 10. Math. 18. verſ. 18.*

COROLLARIUM.

EX quibus omnibus *Infero primo.* Multam diſtinctionem eſſe inter *Forum Divinum & Humanum*: *Forum* enim *Divinum* ſicut à Deo per ordinationes & leges Divinas exercetur, ſic in omnibus Divinam ſequitur voluntatem & poteſtatem, nec ullis clauditur terminis, niſi quos poſuerit divina voluntas: Unde exercetur non ſolum in Corpora, ſed in Animas, non ſolum in Naturalibus, ſed etiam in Supernaturalibus, non ſolum in Corporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus juxta divina Decreta & diſpēſationes æternas: In hoc foro enim Anima privatur vita gratiæ, addicitur pœnis ſempiternis, vinculis denique ſupernaturalibus devincitur, quam & annihilare in hoc foro poteſt Deus. *Forum* verò *Humanum* quantum eſt ex natura ſua & per ſe, terminis humanis concluditur, & quidquid extra Poteſtatem purè Humanam in illo reperitur, extra ſphæram activitatis & Fori proprij eſt, & ad ſuperiorem cauſam reduci debet, ut infra declarabimus cum de obligationibus Legis Humanæ agemus. *Differentia inter forum Divinum & Humanū.*

Infero ſecundo, In quocumque Judicio Poteſtas Divina, qua Divina eſt, exercetur, aut ubi Leges Divinæ concurrunt, quidquid ex hujuſmodi Poteſtate Divina aut Legibus Divinis procedit, ad *Forum Divinum* pertinere: Unde diximus *Forum Conſcientiæ* ad Fotum Divinum pertinere, quoniam & ipſum Judicium Conſcientiæ à Deo eſt, & per Divinas Leges Naturales exercetur. Similiter dicendum eſt de *Foro Sacramentali Pœnitentiæ & Eccleſiaſtico* quoad Poteſtatem ligandi & ſolvendi vincula ſpiritualia, ferendi Excommunicationes ac Pœnas ſpirituales, &c. Econtrà ubi ſola Humana Poteſtas per Leges Humanas exercetur, etſi Poteſtas à Deo ſit, illud *Forum Humanum* non excedit, ut eſt *Forum Eccleſiaſticum*, quod *Civile* aut *Politicum* dicitur, de quo frequenter ſupra.

TITVLVS VII.

De obligatione Legis Divinæ in Foro Conſcientiæ & Sacramentali.

QUÆSTIO I.

An Lex Divina ſemper obliget ad culpam & ad quam?

Diverſi gradus in Lege Divinæ.

PRo Reſolutione Aduertendum *primo*, diverſos gradus, aſſignari in Lege Divina. *Primus* eſt: Legum, quæ immediate à Deo latæ & revelatæ ſunt: ut ſunt omnes Leges Divinæ, quæ in Scriptura Canonica referuntur latæ à Deo in Veteri Teſtamento, vel CHRISTO JESV in Novo Teſtamento ſive Evangelio. *Secundus gradus* eſt: Legum, quæ etſi expreſſe & explicite in Scriptura Sancta non contineantur, ex illis tamen quæ in Scripturis Sanctis ſunt, evidenti conſequentiâ deducuntur. *Tertius gradus* eſt: Legum, quæ per ſucceſſivam Traditionem & Relationem Apoſtolorum, (quæ Canonicæ Scripturæ æquivalet) tamquam à CHRISTO traditæ, ad nos pervenerunt. Ad quas pertinent illæ, quæ per Determinationes ſive Declarationes Summi Pontificis, & Eccleſiæ in Spiritu Sancto congregatæ, tamquam de Cathedra & infallibili Poteſtate ac aſſiſtentia Spiritus Sancti, quâ Eccleſia regitur, promulgatæ ſunt. *Quartus gradus* eſt: Legum, quæ particularibus perſonis revelatæ ſunt, ubi de revelatione abſque tergiverſatione conſtat, Eccleſiâ in Spiritu Sancto congregatâ eas approbante Multa enim ſingulariter Apoſtolis aliquibus & Sanctis à Deo ſucceſſive revelata fuerunt, quæ revelatione cognitâ poſtea per determinationem & approbationem Eccleſiæ ut obſervanda per modum Legis propoſita ſunt, quorum fundamentum eſt revelatio, & prima veritas revelatione manifeſtata.

Aduertendum *ſecundo, Legem Naturalem*, ut ad Beatitudinem æternam dirigit, etiam pertinere ad *Divinam*, eò enim ipsò, quòd à Deo homini immediatè indita eſt, revelationi æquivalet, & ex eo quod ad finem ultimũ Deum ut beatitudinem Animę dirigat, omnem Legis Divinæ rationem in ſe continet, ut frequentiùs repetivimus. Vndè eleganter Gratianus in Decreto Diſtinct. 9. epilogans omnes Sententias Patrum de Lege Divina & Naturali, in Scriptura Sancta vel in cordibus ſcripta, illas Leges ità inſeparabilitèr conjungit, ut in omnibus eas æquiparet: *Cùm ergo* (inquit) *in Naturali Iure nihil aliud præcipiatur, quã quod Deus vult fieri, nihilq; aliud vetetur quàm quod Deus prohibet fieri; denique cùm in Canonica Scriptura nihil aliud, quàm quod in Divinis Scripturis & Legibus invenitur, Divinæ verò Leges Natura conſiſtant: Patet quòd: Quæcũque Divinæ Voluntati, ſeu Canonicæ Scripturæ contraria probantur, eadem etiam Naturali Iuri inveniuntur adverſa. Vnde Quæcumque Divinæ voluntati, ſeu Canonicæ Scripturæ, ſeu Divinis Legibus poſtponenda cenſentur, eiſdem Naturale Ius præferri oportet.* Hæc Gratianus.

Gratian. diſt. 9.

CONCLVSIO I.

Solius Dei eſt obligationem in ſuis Legibus aſſignare.

SOlius *Divinæ Voluntatis eſt decernere: An Leges Divinæ ſive Poſitivæ ſive Naturales ad pœnam obligent, an ad culpam?* Item: *An ad pœnam æternam, an ad temporalem tantùm;* Tandem: *An ad culpam mortalem, An ad venialem?* Vndè ad quam culpam vel pœnam Lex Divina obliget, id vel ex Scriptura, vel ex Traditione, vel ex Eccleſiæ declaratione, vel ex ratione evidenti in prædictis fundata erui debet: *Ratio eſt*: Quia ſicut Lex eſt actus Voluntatis Divinæ per ſignum rectum hominibus manifeſtatus: ità & Legis obligatio ab ipſo Divinæ Voluntatis actu emanare, & de illa ex evidentibus ſignis conſtare debet: ſicut enim pro peccato ex materia apparente levi, poteſt Deus abſolutâ ſuâ potentia creaturam etiam annihilare, quemadmodùm uxorem Loth in ſtatuam ſalis vertit, ſic de obligationibus Legis ſuæ in gravioribus poteſt leniùs diſponere. Geneſ. 19.

CONCLVSIO II.

Omnes Leges Divinæ obligant ad culpam.

OMnes *Leges Divinæ, quæ Divinæ ſunt, obligant ex natura ſua ad peccatum mortale vel veniale.* Ratio fundamentalis eſt: Quia ſivè præceptum ſivè prohibitionem contineant, regulam aliquam primæ veritatis cum obligatione includunt: omnis autem obliquitas, quatenùs à prima veritate recedit in materia præcepti, eſt peccatum: Peccatum enim diffinitur: *Dictum, factum vel concupitum contra Legem Dei, ſive Legem æternam.* Principia autem primæ Veritatis per modum Præcepti ſub obligatione indicta, Legem faciunt Divinam vel Æternam. Deindè: Omnis Lex Divina ex natura ſua ordinat hominem ad Beatitudinem æternam cum obligatione ad ſui ſequelam, omnis autem voluntarius receſſus ab eo, ad quod à Deo obligati ſumus, peccatum eſt, & quædam inobedientia. Quandò verò Legis Divinæ tranſgreſſio cenſeatur peccatum mortale & veniale; latiſſimè docuimus *Tom. 1. Tract. 3. Tit. 1. Quæſt* 3, 4. 5. ubi ſingulariter ſigna & regulas ad diſcernendà peccata mortalia à venialibus aſſignavimus totâ Quæſt 6 ad quæ, nè inutiliter repetantur, Lectorem remittimus.

Quia verò ex parte Peccatoris ratio culpæ mortalis aut venialis plurimùm pendet à Voluntario, nè iterum rem actam agamus & ſæpè eadem in hoc Legum Tractatu repetantur, neceſſarium erit Lectori attentè legere, quæ *dicto Tom. 1. Tract. 3. Tit. 2.* per totum fuſiſſimè ad Pœnitentium Conſolationem, & Confeſſariorum informationem per dogmata & regulas certas ac claras ſunt diſtributa.

Similiter: Ea quæ de gravitate & malitia peccatorum toto *Titulo* 3. ſunt dicta, & quæ toto *Tit. 4 de unitate & diſtinctione numerica & ſpecifica peccatorum* clariſſime ſunt declarata. Hæc autem ſunt baſes omnium, quæ à nobis dicentur toto hoc Tomo, & niſi memoriæ mandentur, ferè

ubique

ubique deberent reiterari, non ſine tædio. De quibus tamen interdum monebimus.

Conclusio III.

Quando cenſeatur peccatum mortale.

N*Vllum peccatũ cenſeri debet mortale ex Lege Divina, niſi ex Legis obligatione per Scripturam, Traditionẽ, Eccleſia ſenſum & declarationem, aut evidentẽ rationem ex dictis principijs deductam id probetur.* Ratio eſt: Quia cum obligatio Legis ſit virtus velut coactiva Legi impreſſa; ſicut ut Lex me obliget, mihi de illa conſtare debet: ſicut ad tantum obliget, obligatio eius mihi innoteſcere debet. Quibus igitur modis mihi Lex innoteſcit, ijſdem & obligatio Legis debet mihi manifeſtari.

QUÆSTIO II.

Quis in dubiis vel obſcuris ſit Legum Divinarum interpres.

HÆc Quæſtio ponitur ad elucidationem præcedentis Cum enim frequenter contingat Leges Divinas, ſive quod apertis verbis aut ſignis non ſint notæ, ſive quod, etſi Leges ſint notæ, de earum tamen obligatione diverſæ ratiocinationes, interpretationes, opiniones, cõſuetudines & uſurpationes hominum oriri ſoleant, ex quibus in animis diverſorum dubia nonnulla exſurgant: Operæ pretium eſt ſcire in obſcuritatibus & dubijs ad quem tandem Legũ Divinarum Interpretem recurſum habere oporteat, ad Conſcientias ſedandas & ſerenandas.

Conclusio Unica.

Sex Legis divinæ Interpretes.

S*Ex fere recenſeri poßunt Legum Divinarum Interpretes, ſeu quaſi interpretes, ubi aliqua obſcuritas vel dubium in illis oritur.*

Legislator.

Primus eſt ipſe *Legiſlator*, qui Præcepta uno loco ſimpliciter tradita interdum clarius alio loco expoſuit, & diverſis temporibus quæ ad idem Præceptum pertinebant explicatis verbis declaravit. Hic eſt obvius in univerſa Scriptura modus. Unde Math 5. CHRISTUS ſingula ferè Decalogi præcepta reſumens, & velut expurgans, quæ vel non ſatis explicata fuerant, vel impertinentibus interpretationibus ac commentis obſcurata, latiſſimè declarat. Vide totum

Math. 5. verſ. 21. Textum ab illo loco: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides. Qui autem occiderit Reus erit judicio,*

Verſ. 22. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur Fratri ſuo Reus erit judicio*, &c. uſque ad finem capitis. Vide etiam varias ampliationes, explicationes, declarationes Decalogi ſparſim per Exodum, Leviticum, & Deuteronomium, quas ſuis locis expendemus.

Sacra ſcriptura.

Secundus Interpres Legis Divinæ eſt ipſamet *Sacra Scriptura* ſecundum ea quæ varijs locis exprimuntur. Solet enim interpretatio Præceptorum juvari per collationem veram diverſorum locorum ejuſdem Scripturæ, quorum unus alterius intelligentiam ſubminiſtrat. Sic

Exod. 20. verſ. 4. Lex illa: *Non facies tibi ſculptile*, &c. Exod. 20. V. 4 explicatur V. 5. per illam Scripturã *Non adorabis ea neque coles.* Ex quo probant Catholici Sculptilis fabricationem non prohiberi, niſi in ordine ad adorandum & colendum illud: Multa enim in Scriptura Sculptilia facta leguntur, ut pro Tabernaculo Moyſis, pro Arca, pro Templo Salomonis, quorum fabricatio à Deo eſt demandata; Sola ergo adoratio ad Sculptile terminata prohibetur.

Traditio.

Tertius Legis Divinæ *Interpres* eſt, *Traditio continua*, & communis Eccleſiæ ſenſus & uſus, qui æquivalet interpretationi ipſius Legiſlatoris & Scripturæ Canonicæ. Sic Legem Sabbathi in Dominicam tranſiſſe non habemus niſi traditione & Eccleſiæ ſenſu ſic interpretante; etſi enim frequens de una Sabbathi, & de die Dominica fiat mentio in Scriptura, de mandato tamen colendi Dominicam loco Sabbathi Traditio Eccleſiæ Interpres Legis eſt & Scripturam interpretatur.

Eccleſiæ determinatio.

Quartus Legis *Interpres* eſt, *Eccleſia ſpecialis determinatio* in certis caſibus, quæ eſt directa aut indirecta *Directa* determinatio eſt: Quandò Eccleſia de Cathedra reſolvit caſum dubium, & Legem Divinam ſpecialem, alias obſcuram, declarat. Quomodo in Legibus Sacramentorum multa declaravit, ut: *Non licere Pœnitentem abſentem per literas abſolvere*, & conſequenter Sacerdotem abſolventem hujuſmodi mortaliter peccare: *Sacrificium in una ſpecie non ſubſiſtere*, & conſequenter Sacerdotem in una ſpecie tantum ſacrificantem mortaliter peccare. Et alia in Concilio Tridentino ſpecialiter declarata ſunt circa Leges Divinas pertinentes ad Fidem, Spem, Charitatem, Juſtificationem peccatoris, quæ priùs aut controverſa erant, aut non ita clara. *Indirecta* autem Interpretatio Eccleſiæ eſt, quando ipſa alicui Legis Divinæ tranſgreſſioni aliquam pœnam apponit, quæ non niſi peccato mortali apponenda eſt, ut pœnam Excommunicationis Majoris, &c.

Ratio.

Quintus Legis Divinæ *Interpres* eſt *Ratio*, maximè ſi in prioribus interpretibus & eorum interpretationibus ſit fundata: *Ratio* enim interpretationẽ legitimam faciens eſt illa, quæ Legi Divinæ Naturali vel Poſitivæ, aut Scripturæ Sacræ, aut Traditioni & communi Eccleſiæ ſenſui, aut denique ſpeciali Decreto Eccleſiæ eſt conformis.

Patres & Doctores.

Sextus Legis Divinæ *Interpres*, ſunt *Eccleſia Doctores ac Patres*; *Quorum* vita & *Doctrina fulget Eccleſia, ut Sola Luna*: Quorum doctrina Sacris Concilijs eſt approbata ut ſancta, & immaculata.

Patres nominati fidem facientes.

Qui autem ſint illi, conſule Eccleſiæ monumenta: Inter quæ extat Gelaſij Papæ primi inſignis Patrum in ijs quæ ſcripſerunt commendatio, quæ incipit *Sancta Romana Eccleſia*, & habetur apud Gratianum 1. P. Decreti D. 15. num. 4. inter quos *SS. Cyprianus, Athanaſius Alexandrinus, Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylus Alexandrinus, Hilarius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Proſper, Leonis Papæ Epiſtola ad Flavianum, Decretales Epiſtola Summorum*

rum Pontificum,& plures alij referuntur. Et ſi qui alij poſt tempora Gelaſij ab Eccleſia eodem ſtylo commendati ſunt,in interpretatione Divinæ Legis Fidem faciunt, & ſcientiam generant.

Duplex Librorum approbatio Advertendum porrò eſt,dupliciter Opera Scriptorum ab Eccleſia approbari. *Primò*, Poſitiva,directa,& ampla approbatione tum doctrinæ,tum Auctoris. Etſi autem Approbatio ad Fidem & infallibilitatem Fidei non pertineat; Omnes tamen doctrinam ſic approbatam ſequentes ſecurè, & in offenſo pede ambulant. Sic eſt approbata ſupra dictorum Sanctorum doctrina & aliorum plurimorum qui ſecuti ſunt quos velut Pharos vita & doctrina prælucentes Eccleſia ſpectat. *Secundo*, Approbantur Auctorum libri Approbatione quadam negativa à Cenſoribus particularibus ab Eccleſia vel Epiſcopis conſtitutis quibus ſufficit: Nil deprehendiſſe in illis libris quod fidei vel moribus adverſetur: Et horum librorum doctrina non aliter fidem facit,aut ſecuritatem præſtat, quam quantum Scripturis, Traditioni, Concilijs, Rationi rectæ eſt conformis.

S. Auguſt. Epiſt. 19. ad Hier. Præclarè S. Auguſtinus Epiſtola 19. ad Hieronymum, omnibus univerſalem præbet Regulam in Librorum lectione ſervandam,quam pro ſeipſo ſervavit. Ego (inquit) *ſolis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre,ut nullum eorum Auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam: ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt. vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt.* Hæc ibi S. Auguſt.

ADMONITIO.

VIdeant & S. Auguſtinum audiant: Qui audent aſſerere: Licere ſolo titulo unius aut alterius Auctoris,abſque alia ratione quamlibet ſententiam in Conſcientia tanquam probabilem ſequi. Videant & audiant S. Auguſtinum: *Nota.* Qui ut ſuæ Conſcientiæ pravæ adulentur, toti ſunt in coacervandis Auctorum nominibus, ſub quorum umbra ſi non peccata, graviſſimos tamen defectus & vitæ errores ſequuntur. Videant & audiant in Paulo Auguſtinum,vel cum Auguſtino Paulum condemnantem eos, *qui coacervant ſibi Magiſtros, prurientes auribus.* *2. Tim. 4. Verſ. 3.*

Qualiter Auctores ſequendi. Ego cum Auguſtino: Non opinioni ut fidæ & ſecuræ aſſentiri poſſum, niſi per Canonicas & probabiles rationes eam à vero non aberrare mihi perſuadeatur: Quantalibet ſanctitate, quantalibet doctrina Scriptores polleant Scriptoribus tamen illis, quos cum doctrina Sancta canonizavit Eccleſia, eum affectum & honorem defero ut abſque timore eorum ſententias confidenter ſequar: eo argumento: Quod doctrinam illorum poſitiva approbatione commendationeque in Sacris Concilijs ſuis Sacra approbet Eccleſia, ita ut ſi quid videatur adverſari veritati, mendoſitatis in Scriptore vel Interprete, aut modicitatis mei Intellectus eſſe defectum agnoſcam. Sed ad alia pergamus.

QUÆSTIO III.

An in Legem Divinam poſſit cadere Diſpenſatio vel Epikeia?

ADvertendum *primo*, In Lege Divina poſſe varias mutationes contingere. 1. Ratione Status. 2. Ratione Materiæ. 3. Ex mera Dei Voluntate. 4. Ex Regula Charitatis. 5. Ratione concurrentiæ diverſorum præceptorum. *Varia in Lege Divina mutationes varijs ex potiſsimum.*

Primo, Ratione Status dicitur Lex mutari quando pro uno tantum Statu determinatè data eſt. Ita mutata & abrogata eſt ſive per ceſſationem ſive per prohibitionem Lex Circumciſionis & aliæ Leges,quæ CHRISTI venturi præfigurativæ erant,& pro ſolo tantum Statu Legis Moſaicæ latæ erant.

Secundo, Ratione materiæ Lex ceſſare & immutari dicitur, quando ipſa materia immutatur, quæ in ſe vel circumſtantijs ſuis erat tota materia Legis. Sic Præceptum: *Non furtum facies,* *Exod. 20. verſ. 14.* ceſſabat apud Hebræos in ſpoliatione Ægyptiorum,quia bona, quæ fuerant Ægyptiorum, jam non erant aliena, ſed decernente Deo facta erant Hebræorum, ad juſtam compenſationem laborum,& eorum quæ ab Ægyptijs paſſi fuerant.

Tertio, Ex mera Dei Voluntate Lex ceſſare dicitur: Quando Deus expreſsè contrarium præcipit & mandat. Ita in Lege de non occidendo Deus diſpenſaſſet cum Abrahamo, quando præcepit ut occideret Filium ſuum. Vide quæ dicta ſunt ſupra *Tit. 4. Q. 1. C. 2.* in obiectione.

Quarto, Per Regulam Charitatis Lex Divina ceſſet obligare, quando actus ei oppoſitus eſt altioris bonitatis & charitatis. *Ex g.* Præceptum de ſalute propria ſaluti proximi præferenda in Paulo ceſſare videbatur, dum Anathema deſiderabat fieri pro Fratribus ſuis Iudæis; Ibi enim erat & actus melior habens pro obiecto gloriam Dei,& charitas eminentior Bonum Dei præferens omni bono ſuo proprio, malens Deum glorificari in ſalute plurimorum, quam unius particularis: In hac Charitatis Regula fundatur actus, quo ſi quis morti exponit pro amico ſuo: Etſi enim ſit præceptum de conſervanda vita, alter tamen actus quia eſt charitatis eminentioris, per Regulam Charitatis prævalet contra Legem. In hac Regula Charitatis etiam fundantur Leges, quibus in Republica plurima permittuntur, imo & quandoque inferuntur privatis mala, contra communia Dei præcepta, ut

Corpus

Corpus Reipublicæ ſalvetur. Ratio vero ſupradictorum univerſalis eſt: Quia finis omnis Præcepti Charitas eſt: ubi ergo vel major charitas, vel magis ordinata eſt, præceptum minoris charitatis cedere cenſetur majori vel magis ordinatæ charitati.

Quinto, Ratione concurrentiæ diverſorum præceptorum incompoſſibilium, quorum unum alteri præferendum ratio circumſtantiarum dictat: Sic præceptum de vita conſervanda, Proximo juvando in neceſſitate aliqua, Honorandis Parentibus, antecedit præceptum Sanctificandi Sabbathum vel Dominicam. Iſtis ferè modis obligatio Legis Divinæ ceſſare vel in genere, vel in aliquo caſu ſpeciali cenſetur.

Diſtinctio inter Diſpenſationẽ & ceſſationem Legis.

Advertendum *ſecundo, Diſpenſationem* diſtingui à *Ceſſatione*: *Diſpenſatio* enim propriè dicta: *Eſt Iuris relaxatio facta cum cauſa cognitione ab eo, qui habet ius diſpenſandi*: unde ſi non ſit cauſa legitima, jam non *Diſpenſatio*, ſed *Diſſipatio* erit: Si autem cauſa legitima ſubſiſtat, auctoritas verò diſpenſandi deſit, etiam *Diſpenſatio* validè dari nequit: Duo enim ad legitimam Diſpenſationem requiruntur: *Auctoritas* in Diſpenſante, & *Cauſa* gravis utilitatis vel neceſſitatis in Diſpenſato: *Ceſſatio* verò Legis: *Eſt ſimpliciter ſublatio illius, declarando Legem non obligare.* Et ita communiter loquuntur Doctores.

Quid Epikeia.

Advertendum *tertio, Epikeiam*, quæ à Latinis *Æquitas* dicitur, non tam eſſe diſpenſationem, quam Judicium de Legis æquitate: ſive ut aliqui definiunt: *Iuſtitiam, penſatis omnibus circumſtantijs particularibus, miſericordiæ dulcore temperatam*: Quando nimirum ex circumſtantijs judicatur homo ad rigorem præciſum Juris ſive Legis non obligari, Juxta illud commune axioma: *Ipſæ etiam Leges cupiunt ut Iure regantur*? Et monet Sapiens Eccleſiaſtæ 7. *Noli eſſe iuſtus multum*: nimirum; *Quia ſummum Ius ſumma interdum iniuſtitia eſt.* Quo ſenſu etiam de Epikeia interpretantur nonnulli illud Pſalmiſtæ Pſal. 118. *Cognovi quia æquitas iudicia tua*, id eſt, cum æquitate penſanda. Quapropter *Epikeia* à Juriſperitis vocatur *interpretatio iuris*: Ab alijs autem *Bona Fides.* Diſtinguitur itaque à *Diſpenſatione*, quod non ſit relaxatio Juris, ſed interpretatio intentionis Legislatoris: Cuius interpretationis cauſa alia aſſignari non poteſt, niſi *ipſa rei æquitas* ex veris & ſubſiſtentibus circumſtantijs eruta. His ſic prænotatis ſit,

Eccl. 7. verſ. 17.

Pſal. 118. verſ. 75.

Conclusio I.

Summa Dei Poteſtas in tollenda Legis obligatione.

D*Eus poteſt abſoluta ſua potentia omnem Legis obligationem tollere.* Ratio eſt: Quia eſt Dominus ſuæ Voluntatis, à qua omnis Lex eiuſq; obligatio dependet ut à ſupremo Legislatore.

Dices: Lex Prima æterna, ſive Prima Veritas eſt ipſe Deus, ergo ſicut ſeipſum, ſic nec Legem æternam tollere poteſt. *Reſpondeo*, Æternam & Primam Veritatem eſſe quidem ipſum Deum ſeu ipſammet eſſentiam Dei: illam tamen Legis rationem non habere niſi extrinſeco reſpectu, quatenus in participatis veritatibus ſub modo, forma, & obligatione Legis à Deo indita & tradita eſt. Potuit enim Deus hominem beatum & confirmatum in gratia & rectitudine creare, cui non eſſet opus Lege: Potuit & infinitis alijs ſuæ Sapientiæ modis de creatura ſua diſponere abſque formali aliquâ Lege, vel alijs Legum diſpoſitionibus.

Conclusio II.

Quando cenſeatur Deus in Lege diſpenſaſſe.

E*Tſi poſſit Deus in omni Lege ſua diſpenſare ſeu Legis rigorem relaxare: Non cenſetur tamen facere, niſi certa revelatione vel declaratione innoteſcat.* Prior pars patet ex fundamento prioris; eſt enim Legum & Creaturarum ſuarum Dominus. Poſterior autem manifeſta evadit, quia Voluntas Dei tamdiu durare cenſetur, quamdiu non probatur revocata.

Conclusio III.

Nemo in Lege Divina poteſt diſpenſare.

N*Vllus hominum de facto habet poteſtatem diſpenſandi in iure ſive Lege mere Divina, ſive Naturali ſive Poſitiva.* Ratio eſt: Quia de hujuſmodi auctoritate non conſtat.

Quid de poteſtate ligandi & ſolvendi.

Dices: Petro & ſucceſſoribus dictum eſt: *Tibi dabo Claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*; Ergò poterit Summus Pontifex ſolvere Leges Divinas per diſpenſationem & relaxationem Legis: Leges enim Divinæ ſunt vincula alicujus ſervitutis. Deinde idem declaratur ex praxi Chriſtianæ Eccleſiæ totius Nam Pontifex virtute hujus Poteſtatis diſpenſat in Juramentis, in Votis, quæ ſunt Juris Divini: *Similiter* in Legum Divinarum tranſgreſſionibus, &c.

Simile argumentum deduci poteſt pro Epiſcopis Apoſtulorum Succeſſoribus, quibus dictum eſt *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

Math. 18. verſ. 18.

Diverſitas præceptorũ.

Pro reſolutione *Nota primo*, Aliqua præcepta eſſe ex ſe & ex natura ſua merè Legis Divinæ: Aliqua eſſe Legis Divinæ ex adjecto, ſive aliquo ſuppoſito humano. Illa præcepta dicuntur ex ſe & ex natura ſua merè Legis Divinæ, quæ à Deo liberè impoſita ſunt abſque ullo conſenſu vel concurrentia hominis, ut ſunt: *Non habebis Deos alienos coram me. Non occides. Non mœchaberis*, &c. Illa verò dicuntur præcepta Legis Divinæ ex adjecto ſive ſuppoſitione, quæ ſimpliciter non ſunt præcepta Divina, ſed tantum ex concurrentia præcedentis alicuius actus humani. *Explico*: Præceptum Legis Divinæ: *Redde altiſſimo Vota tua*: Item, *Diſplicet ei infidelis & ſtulta promiſſio*: Eſt quidem Juris Divini & a Lege Divina, non tamen ex ſe & ex natura ſua, ſed ex adjecto & ſuppoſitione quod quis juraverit, vel voverit, qui ſunt actus à Voluntate humana procedentes.

Exod. 20. verſ. 3. Verſ. 13.

Pſalm. 49. verſ. 14. Eccleſ. 5. verſ. 3.

Quid de Votis & Iuramentis.

Nota ſecundo, Vota & Juramenta, quatenus ſunt talia, & à Voluntate humana procedunt, triplices continere conditiones implicitas. Prima Quod intelligatur Superioris auctoritas reſervata, Secunda Quod ita bonum verumque

reſpiciant, ut idem malum deinceps fieri non poſſit. Tertia Quod non ſint in ſalutis diſpendium vel perfectionis impedimentum. Vide Cancellarium Pariſienſem Gerſonem in Regulis moralibus Tit. de ſuperbia Lit. R.

Ad argumentum igitur *Reſpondeo*, Hominem non poſſe diſpenſare in præceptis, quæ ſunt merè Legis Divinæ? In ijs verò quæ ſubſtratum habent aliquid humanum, interdum ex natura rei, interdum poteſtate à Deo ſibi facta poſſe diſpenſare. Vnde ad exemplum de Votis & Juramentis, *Dico*: In Votis & Juramentis non eſſe diſpenſatinnem ſimpliciter, in Lege Divina, ſed in ſubſtrato Legis Divinæ, *Ex.g* in Voto. Neque enim Papa diſpenſat in hoc præcepto: *Redde Altiſſimo Vota tua*, ſed in illis, quæ ad rationem Voti pertinent & ſuæ Poteſtati à Deo collatæ ſubijciuntur. Ratio enim diſpenſandi in Votis, Prima Eſt: Auctoritas Superioris in Subditum, ratione cuius nemo ſubditorum ſe obligare poteſt niſi ſub iudicio & poteſtate Superioris, cui a Deo eſt commiſſus. Secunda Eſt: Objectum voti, quod etſi fortè tempore quo emittitur ſit bonum, ſucceſſu tamen temporis ſit malum aut periculoſum. Tertia Eſt: Quod ex hominis incapacitate, infirmitate, aut alia circumſtantia votum quantumvis in objecto bonum, in perniciem, detrimentum, vel impedimentum majoris perfectionis cedat. Hæ ſunt tres rationes diſpenſandi in Votis, &c. Salvo ſemper Divinæ Legis præcepto. Et generaliter pono duas univerſales Regulas ad intelligendam poteſtatem Summi Pontificis in ijs, quæ aliqua ſui parte pertinent ad Jus Divinum.

Tria in votorum emiſſione excepta.

Regula prima Generalis.

Quid per vincula intelligatur.

Poteſtas à Chriſto *Petro & Succeſſoribus eius Math 16. & 18 promiſſa Apoſtolis per verba*: Quodcumque ligaveris, &c & quæcumque alligaveritis: *ſolum ea vincula complectitur quarum ſolutio vel ligamẽ ad animarum ordinatam & veram ſalutem pertinere noſcuntur in regimine ordinato & iuſta Eccleſiæ*. Talia ſunt peccatorum vincula ſine quorum abſolutione non pervenitur ad regnum. *Similiter*: Pœnarum obligationes, quarum ſolutio vel congrua compenſatur Pœnitentia & operibus iuſtitiæ ab Eccleſia impoſitis, vel de Theſauro meritorum Chriſti & Sanctorum per Indulgentias deponitur. Huiuſmodi etiam ſunt vincula Votorum & Iuramentorum ex Capitibus ſupra relatis, nimirum: Quia in Votis & Iuramentis ſemper intelligitur reſervata auctoritas Supremi Eccleſiæ Principis: Supremi enim Paſtoris eſt providere nè quæ ad ſalutem ovium ordinata ſunt, ad perniciem & detrimentum ſalutis ex humana infirmitate revoluantur. Et hæc omnia complectitur mandatum Chriſti Ioan. 21. *Paſce oves meas*, idemque mandatum deſignatur Clavium Poteſtate, quæ ſcientiam & prudentiam Regiminis prærequirit. Deniq; ut fatetur Paulus: *Legatione* Chriſti Paſtores Eccleſiæ *funguntur*, & ſunt *Miniſtri & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*, eâ Lege *ut fideles inveniantur*? Fidelitas autem in hoc fundatur ut poteſtate utatur in ædificationem non in ruinam, iuxta quod ait Paulus: *Secundum Poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem non in deſtructionem.*

Ioan 21. verſ. 17.

1. Cor. 5. verſ. 20.

1. Cor. 4. verſ. 1.

2. Cor. 13. verſ. 10.

Regula ſecunda Generalis.

Papa in lege Divina non diſpenſat.

Summus Pontifex non poteſt diſpenſare virtute Clavium ſibi conceſſarum in aliqua Lege Divina Naturali vel Poſitiva, in ijs quæ præciſe ad Legem Dei pertinent. Ratio petenda eſt ex Definitione Poteſtatis Eccleſiæ, quam habet Gerſon in Tractatu eiuſdem Tituli Conſid. 1. *Poteſtas* (ait) *Eccleſiaſtica eſt Poteſtas quæ à* Chriſto *ſupernaturaliter & ſpecialiter collata eſt Apoſtolis & Diſcipulis ac eorum Succeſſoribus legitimis uſque ad finem huius ſæculi, ad ædificationem Eccleſiæ militantis ſecundum Leges Evangelicas pro conſecutione fœlicitatis æternæ*: Conſtat autem Leges Evangelicas non diſpenſaſſe in Legibus Divinis Naturalibus, ſed illas rigoroſiùs perfeciſſe: Conſtat hominem nõ dirigi in viam beatitudinis æternæ, niſi per mandata: Quinimò & etiam Chriſtus, cui *data eſt omnis Poteſtas in Cœlo & in terra*, de ſeipſo fatetur: Quia: *Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere: Amen quippe* (ait) *dico vobis*, &c. *Iota unum aut unus apex non præteribit à Lege donec omnia fiant.* Quod tribus modis factum explicat S Chryſoſt hom. 16. in cap. 5. Math. paulo poſt initium. *Vna quidem* (inquit) *quia nihil ex legitimis ipſe tranſgreſſus eſt*, &c. *Alia vero, quia per nos quoque idipſum facit. Hac eſt quippe mirabile quia non ſolum legem implevit ipſe, ſed idem iſtud nobis quoque facere donavit: quod Paulus ſignificando dicebat Quoniam finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*, &c & poſt pauca, *Si vera aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modũ impleta ab eo legis inveniet. Quem vero iſtum; per ipſa uiſque præcepta, quæ erat daturus. Non enim interitus priorum, ſed augmentum potius & complementum erant ea quæ dicebantur à Chriſto: illius quippe ſententia quæ dicitur, non occides: non interemptio, ſed adimpletio magis atque munitio eſt dicere non iraſcaris omniumque ſimiliter cæterorum.* Hæc Chryſoſt. Huic Regulæ concinunt Scripturæ nonnullæ etiã Veteris Teſtamenti Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* & cap. 12. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam nec minuas.* Quæ verba intelligi debent de additione, quæ præceptum corrumpit vel per additionem Legi contrariam, vel per Legis relaxationem, quæ in diſpenſatione fit Hoc etiam ſenſu dicit Iacobus cap. 4. ubi prohibet Legem immutari per contrarium iudicium: *Si iudicas Legem, non es factor Legis ſed Iudex, unus eſt Legiſlator & Iudex qui poteſt perdere & liberare.*

Math 21. Verſ. 18. Math. 5 verſ. 17. 18

S. Chry. hom. 16. poſt init. in cap. 5. Mat.

Rom. 10. verſ. 4.

Deut. 4. Verſ. 2. Ibid 12. verſ. 32.

Iacob. 4. v. 11. 12.

Conclusio IV.

Epikeia in Lege Divina.

D*Atur in Lege Divina Epikeia ſive Legis interpretatio, ex iuſta conſideratione circumſtantiarum, & rationabili interpretatione mẽtis Legiſlatoris orta.* Ratio clara eſt: Cum enim intentio Legiſlatoris

Google

tis ſit vita Legis, & contingat interdum nonnulla in Legibus Divinis obſcuritas ob varias perplexitates, congruum fuit & neceſſarium ut Deus relinqueret Legum ſuarum obſcuritatem vel perplexitatem rationabili judicio & interpretationi humanæ, ad Conſcientiæ elucidationem. *Expliso*: In Sabbatho hoſtis aggreſſus eſt Machabæos, dubitarunt Machabæi utrum pugnare in Sabbatho Legi de obſervando Sabbatho non adverſaretur? & conſequenter, An liceret illis pugnare & ſe defendere? Quamvis primò ſcrupulo ſuccubuiſſent, alio tamen tempore recurrente caſu interpretati ſunt Legem eum tanto detrimento non ligare: utique, quia Legislator in iſto caſu obligare non intenderet. Quam etiam intentionem de obſervatione Sabbathi ſæpius explicavit CHRISTUS in Evangelio.

1 Mach. 2. verſ. 14.

DUBIUM.

Cuius ſit interpretari Legem Divinam.

Modi varie Legis interpretande.

ADvertendum triplicem nos poſſe diſtinguere Interpretationem Legis. Prima Eſt Auctoritativa & Judicialis. Secunda Eſt Doctoralis. Tertia Eſt Neceſſitatis ob periculum & perplexitatem imminentem. *Reſpondeo* itaque Auctoritativâ & Judiciali ſummum Pontificem cum ſuo Concilio pro univerſali Eccleſia; Epiſcopos ſimiliter cum Concilio pro ſuo grege poſſe & interdum debere interpretari Leges Divinas, ubi aliqua obſcuritas vel perplexitas naſcitur. Doctorali verò auctoritate Legem Divinam vel Humanam interpretari poſſunt Doctores, Profeſſores, Paſtores, Confeſſarij, &c. In neceſſitate autem inevitabili, quando hic & nunc operandum eſt, & non patet ad Doctores & Paſtores, &c. acceſſus, quilibet judicio recto Legem de bono & æquo interpretari poteſt. Ita communiter Doctores. Prima interpretandi poteſtas ex natura Poteſtatis ſupremæ oritur: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*, & Legem ex ore ejus requirendam præcepit Dominus Malach. 2 Item Luc. 10. *Qui vos audit, me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c. pertinetque hæc poteſtas ad illud Ioan. 21. *Paſce oves meas.* Secunda interpretandi auctoritas colligitur ex loco ad Epheſ. 4. ubi dicitur Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij*, &c. Tertia ſumitur ex Lege naturali qua quis in omni perplexitate ad dictamē Rationis rectæ recurrere & poteſt & debet.

Interpretes Legis Divinæ.

Unde proveniat ius interpretandi, &c.

Luc. 10. v. 16. Ioan. 21. v. 17. Epheſ. 4. 11. 12.

QUÆSTIO IV.

An detur in Lege Divina aliquis Terminus ſive Latitudo maior vel minor?

SEnſus Quæſtionis eſt: An omnis præcepti tranſgreſſio ſit mortale peccatum? ſive, An dentur in Lege Divina gradus aliqui Major vel Minor, ſecundum quos, actus contra idem præceptum cenſeatur interdum majus, interdum minus peccatum?

CONCLUSIO I.

Latitudines diverſa intra idem præceptum.

D*Atur diverſa Latitudo intra idem præceptum eiuſdem Legis, juxta quam Actus contra præcepta reputantur mortalia vel venialia peccata, aut defectus maiores vel minores.*

Concluſionem declarat Gerſon Lect. 5. de vita ſpirituali Animæ, Lit. G. & ſeqq. ubi Latitudinem Legis ſive Præcepti dividit in *Latitudinem Magnam, Parvam, Maiorem, Minorem vel Minimam.*

Latitudo Magna.

Latitudo Magna dicitur, quam qui tranſgreditur peccatum mortale committit, & infra quam ſe continens homo Dei odium & reatum mortis æternæ ac pœnæ æternæ non incurrit, eſtque velut externus terminus, ultra quem gratia Dei & Animæ vita non ſubſiſtit. Ex g. in hac Lege ſive præcepto: *Non furtum facies*: Magna Latitudo eſt: Quod nec voluntate, nec opere notabilem irroges injuriam vel detrimentum bonis proximi tui, ita ut termini hujus Latitudinis ſint materiæ vel objecti, vel malitiæ ac circumſtantiarum gravitas. Si igitur tranſgrediaris vel modicum iſtum terminum, ita ut deliberatâ voluntate vel opere irroges iniuriam vel detrimentum bonis proximi tui, quæ ad moralem gravitatem, conſideratis circumſtantijs, perveniat, peccas mortaliter: Quia qui Latitudinem, quæ dicitur Magna & ab alijs Extrema, vel minimùm eſt egreſſus, cenſetur totius Juſtitiæ tranſgreſſus terminos, & peccaſſe mortaliter, eſt enim velut ultimum eſſe Juſtitiæ & primum non eſſe iniquitatis mortalis.

Latitudo parva.

Latitudo parva dicitur, quam qui tranſgreditur peccatum veniale incurrit, & infra quam conſiſtit Juſtitia ſeu Rectitudo actus qualem à nobis requirit Deus, ut quamlibet offenſam vitemus, ratione cuius vel diminuatur eius amicitia, vel contingat nos retardari ab æterna vita, aut temporali pœna mulctari. Et qui hanc Latitudinem egreditur, peccatum veniale committit. Explicatur Exemplo ſupra poſito in præcepto: *Non furtum facies*: Qui enim diviti vel mediocris fortunæ viro aliquot aſſes ſurripit, etſi Latitudinem Magnam, quæ omnimodam Rectitudinem & Juſtitiam comprehendit, non egrediatur, quia tamen in actu illo eſt quædam injuſtitia & obliquitas contra præceptum, & præcepti rectitudinem, quæ eſt velut virtutis medium, qui illam tranſgreditur peccatum incurrit veniale, quod charitatem diminuit, à vita æterna retardat, & temporalis pœnæ mulctam demeretur. Quemadmodùm enim de rectitudine virtutis locutus eſt Horatius.

Eſt modus in rebus, ſunt recti denique fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere verum.

Sic in Legibus vertere poſſumus.

Eſt in Lege modus, ſunt recti denique fines.
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere Rectum.

Digitized by Google

Et ſicut datur levitas in tranſgreſſione Veritatis, ſic & in tranſgreſsione Recti. Quidquid igitur juxta Epikeiam & interpretationem rationabilem in omni præcepto cenſetur tantum leviter terminum præceptæ rectitudinis excedere ſive ratione materiæ, ſive ratione deliberationis, &c. illud dicitur egredi Latitudinem Parvam, ideoque reputatur veniale: quicumque verò abſolutè præceptum tranſgreditur deliberata voluntate in re quæ gravis eſt, cenſetur magnam præcepti Latitudinem egreſſus, & conſequenter odium Dei & peccatum mortale incurriſſe.

Latitudo Minor.

Alia Latitudo vocatur *Minor*, & reſpicit perfectionem & rectitudinem actus non tantum in ſe, ſed etiam in ordine ad Finem Præcepti Divini, qui eſt conſecutio æternæ beatitudinis: Quia enim (ut ſupra docuimus à principio) Lex non tantum rectitudinem actus præcipit, ſed etiam ordinat actum ad Deum & vitam æternam conſequendam, homo non tenetur tantum rectitudinem actus ad implendam Legem in Subſtantia intendere, ſed etiam actum ad Deum & æternam beatitudinem ordinare, ut per omnia intentioni Legis & Legislatoris ſatisfaciat: Ideoque alius iterum terminus Latitudinis, quæ dicitur minor ſtatuendus eſt, infra quem non tantum omnimoda Juſtitia & Rectitudo actus in ſe conſervetur, ſed etiam intentio finis, ad quem Lex ordinata eſt: Quam Latitudinem qui egreditur, non quidem cenſetur injuſtus aut non rectus: inutilis tamen ſive vanus reputatur, quia in vanum abſque fine & merito operatur: ita ut per exercitium actus in ſubſtantia Legi conformis, homo quidem rectus ſive potius non obliquus dici poſſit: Et hoc ſenſu S. Auguſt. ut diximus ſupra hoc Tract. Tit. 2. Q. 2. §. 4. in Coroll. Actus virtutum moralium in infidelibus generali acceptione peccata eſſe dixit, quod à fine Legis deviarent, & per illos Lex non impleretur ſecundum intentionem Legislatoris: Quamvis in ratione offenſæ & peccati magis debeant dici inutiles & vani, niſi fortè ubi non tantum à fine Legis deviant, ſed etiam ad finem prohibitum convertuntur.

Latitudo minima.

Ultima Latitudo Legis vocatur *Minima*, ſive ſtrictiſſima, quæ excludit omnem imperfectionem, ſive diminutionem actus reſpectu cuiuſcumque, & in omnimodâ actus perfectionis ſecundum puriſſimum & perfectiſſimum actum charitatis & amoris Dei ſuper omnia conſiſtit. Et hic actus ſicut perfectiſſimus ſic rariſſimus eſt in Viatoribus, nec niſi in ſublimibus illis & Heroicis Animabus reperitur, eiuſq; tranſgreſſio nec peccatum reputatur, nec obliquitas, ſed eſt mera Naturæ deficientis imperfectio.

Advertendum porro eſt aſſignatas Latitudines ſumi à ſtudio quo homines ſolent vel à peccato ſe continere & perfectioni ſtudere, vel ad peccata & imperfectiones declinare: Quidam enim ſolum à peccatis mortalibus ſibi timent & præcavere conantur: Et hi reſpectu peccati dicuntur ambulare in Latitudine Magna; ita ut cum in extremitatibus ambulent, in graviſſima peccata ſæpe dilabantur: quidam etiam à venialibus quantum poſſunt ſe continent: Et in Parva Latitudine ſive Anguſtiori gradiuntur via: Quidam non ſolum à venialibus peccatis ſibi cavent, ſed etiam ſtudent actus ſuos ita in Deum dirigere, ut à recto fine non aberrent: Et hi denuo in Minori Latitudine ſive arctiſſima ſemita incedunt, quippe qui non tantum à peccatis ſed etiam ab omni inutilitate ſe conſervant: Quidam denique non tantum obliquitatem à fine vel inutilitatem operis declinant, ſed actus ſummam perfectionem & puritatem intendunt: Et hi in minima Latitudine ſtant, & velut in puncto centri. Primam igitur Latitudinem ſolum mortale peccatum coarctat. Secundam, omnis rectitudo contra minimam obliquitatem. Tertiam, ſolus finis ſeu ſcopus dirigit. Quartam, excellens perfectio actus. Qui primam Latitudinem excedit dicitur Injuſtus: Qui ſecundam minùs Juſtus: Qui tertiam Inutilis: Qui quartam imperfectus.

Doctrina univerſalis,
ſive

CORROLLARIUM I.

Ex his pro peccatis & Legum tranſgreſſionibus univerſaliter dignoſcendis Lector.

Dantur gradus in præcepti tranſgreſſione.

Attende primo, Non omnem tranſgreſſionem Præcepti & Legis Divinæ eſſe mortale peccatum, ſed in omni præcepto dari gradus in ſubſtantia actus, ſicut & in animi deliberatione & voluntate; Quemadmodum enim *Primo Tomo* docuimus ad peccatum mortale requiri plenam deliberationem ſaltem interpretativam in voluntate: Sic in actu ipſo ſive actus ſubſtantia requiritur materia quæ prudenti æſtimatione cenſeatur Latitudinem primam, qua concluditur totum præceptum, egredi, hoc eſt, ut ſit materia ſaltem ex circumſtantijs, interpretatione rationabili, & æſtimatione prudenti, alicuius gravis momenti ſive malitiæ: Neque enim levis geſtus, riſus, vel irreverentia in Sacris aut levis aliqua injuſtitia vel injuria in proximum, aut levis carnis motus, titillatio, aſpectus, verbum inhoneſtum in ſeipſo peccata mortalia cenſenda ſunt: Etſi enim Latitudinem Minorem rectitudinis præceptæ egrediantur, non tamen totalem illam, quæ à Legislatore Deo poſita eſt ad peccatum mortale. Ut in ſingulis Præceptis & Legibus ſingulariter adnotare conabimur. Et ſatis amplè docuimus Tom. I. agentes de peccatorum mortalium & venialium diſtinctione.

Veniale peccatum eſt contra Legis ſubſtantiam.

Attende ſecundo, Omne peccatum veniale eſſe aliquo modo contra ſubſtantiam Legis, vel circumſtantiam ad ſubſtantiam Legis pertinentem: ideoque quidquid non eſt contra ſubſtantiam vel circumſtantiam ad ſubſtantiam Legis pertinentem, nec mortale nec veniale peccatum dici poteſt, ſed tantum defectus vel imperfectio.

Attende

Digitized by Go

Qualiter intentio pertineat vel non pertineat ad obſervantiam Legis?

Attende tertio, Intentionem implendæ Legis non eſſe ordinariè & præciſè neceſſariam ad evitandum peccatum: niſi ſit de ipſa Legis ſubſtantia: aut niſi habeatur intentio omninò contraria Legi vel eius impletioni, etſi plures Doctores videantur contrarium ſentire. *Explico*: Ut impleam præceptum de diligendo Deum, non eſt neceſsè ut habeam formalem intentionem implendi illud præceptum, ſive ut reflectam ſuper eo quod tenear Deum diligere, ſed ſufficit ut ego intendam bonum ipſum amoris Dei abſque alia reflexione. *Ex. g.* Inſtat periculum mortis, naufragij, &c in quo obligor ad contritionem & amorem Dei ſuper omnia: In iſto periculo non eſt neceſſarium quod concipiam me ad illud Præceptum teneri, aut me huic præcepto velle ſatisfacere: ſed ſufficit ut purè, abſtrahendo ab omni obligatione & præcepto, excitem in me contritionem & amorem Dei ſuper omnia. Et clariſſimè in alio caſu: In Dominica internâ ſolâ pietate motus audio Miſſam, non cogitando me obligari, vel non obligari: auditâ illâ Miſsâ ſatisfeci præcepto nec teneor aliam Miſſam audire. *Ratio eſt*: Quia intentio ſatisfaciendi præcepto non eſt de ſubſtantia præcepti: Neque enim præcipit Legiſlator ut intendas ſatisfacere præcepto, ſed ut facias opus quod præcipitur, vel abſtineas ab opere quod prohibetur. Quinimò, facere opus ſolum quia eſt præceptum ſæpius eſt imperfectionis & animi ſervilis; facere autem opus ſimpliciter quia eſt bonum & placens Deo, & conforme Veritati æternæ, eſt perfectionis & amoris filialis. Quo

1. Tim. 1. verſ. 9.

ſenſu dicitur 1. *ad Tim* 1. *Quia Lex Iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis*, &c. Quia nimirum Juſtus fertur amore puro in opus Legis quia bonum eſt, non amore ſervili quia præceptum eſt: Injuſtus autem ſolo ſervili affectu ob pœnæ timorem.

Duplex intentio.

Hic tamen oportet notare duplicem diſtingui debere Intentionem: Alia eſt *Intentio intrinſeca* actui ut moraliter ſit bonus, qua intendo facere actum revera bonum vel abſtinere ab opere malo: Et hæc Intentio ita adjuncta eſt morali actui, ut non cenſeatur mo-

Nota.

raliter bonus ſi hac intentione actuali vel virtuali non dirigatur: Alia eſt *Intentio extrinſeca*, qua intendo per actum illum vel omiſſionem ſatisfacere præcepto vel prohibitioni, & hæc Intentio ad Legis impletionem ſimpliciter neceſſaria non eſt; ſufficit enim opus juxta Intentionem intrinſecam fieri, & contrariam Legi Intentionem non haberi. Unde dixi ſuperiùs: *Niſi ſit contraria Legi ſive Legis impletioni. Ex. g.* Audio Miſſam in Dominica poſitivè nolens ſatisfacere præcepto, imo omninò excludens opus illud ab impletione præcepti; hoc modo certum eſt me non ſatisfacere præcepto: Quia nolo, & poſitivè excludo rationem implendi præceptum. Unde in hac mea poſitiva nolitione includitur formalis quædam inobedientia, non tantum generalis ſed individua contra hanc Legem formaliter mihi propoſitam imò & formalis contemptus Legis: & nolitio illa non tam afficit intentionem quam ipſam Legem, cui formaliter non vult obedire.

Dico (*poſitive*) ſi enim purè indifferenter & negative me habeam aut diſparate, quia intendo ex pietate audire, forte proponens adhuc aliam Miſſam poſteà audire, aut ſaltem non habens Voluntatem poſitivam non audiendi aliam: Hoc modo etſi non audiam aliam, cenſeor præcepto ſatisfeciſſe, quia verè opus Legis, circumſtantias, & ſubſtantiam complevi: Et quamvis poſitivam intentionem non habuerim implendi præceptum, contrariam tamen non habui, ſed tantùm diſparatam quæ non repugnat Legis impletioni, imo in ſubſtantia Legem complet.

Dixi etiam ſuprà: *niſi Intentio eſſet de ipſa Legis ſubſtantia*? Tunc autem cenſetur ad ipſam Legis ſubſtantiam pertinere, quando eſt de intrinſeca ratione operis. *Ex. g.* Ad ſatisfaciendum præcepto auditionis Miſſæ in Dominica non eſt ſatis quod corporaliter & materialiter ſim vel fuerim in loco quando celebratur Miſſa, ſed ampliùs requiritur ut moraliter interſim Miſſæ, ſive, ut moraliter intendam audire Miſſam, & actum Religionis & cultus divini exercere, *Ratio eſt*: Quia illa intentio eſt intrinſeca huic actui ſine quo non eſt actus bonus moraliter, multo minùs religioſus, qualis tamen requiritur ut quis cenſeatur audire Miſſam, & opus Legis in ſua ſubſtantia adimplere, ut ſuo loco probabitur.

COROLLARIUM II.

Reſolutio Quæſt. de Intentionis neceſſitate.

Ex his patet *primo*, Reſolutio Quæſtionis: *An intentio implendi præcepti ſit neceſſaria ad illius impletionem*? Reſpondetur enim eum diſtinctione: Si Intentio ſit de intrinſeca ratione operis, omnino requiri: Sic baptizans tenetur habere intentionem baptizandi ut ſatisfaciat tam quoad eſſentiam, quam quoad præceptum Baptiſmi. Si vero intentio ſit tantum extrinſeca? ut ſupra declaravimus? non eſt neceſſaria, ſed ſufficit non habere poſitivè contrariam intentionem.

Reſolutiones Dubiorum & Scrupulorum.

Secundo, Patet reſponſio ad multa dubia & ſcrupulos, quos cum turbatione multarum animarum aliqui interdùm foverunt, *Ex g.* An qui Miſſam manè audivit ex pietate non cogitans de impletione præcepti, imo ignorans eſſe diem feſtum in loco, aut ſe teneri, ſive etiam ſciens & proponens aliam Miſſam poſteà audire, cenſeatur, ſi aliam non audiat, ſatisfeciſſe præcepto? *Reſpondeo*, Eum ſatisfeciſſe: Quia vere implevit opus ad quod obligabatur, nec poſitive habuit totaliter contrariam Voluntatem, Quinimo, etſi habuiſſet contrariam Voluntatem omnino nolens præcepto ſatisfacere, & proinde peccaſſet peccato interno inobedientiæ, quia iſto acto noluit Legem implere pro iſta die: Si tamen intra tempus quo poſſet impleri præceptum, pœniteret de ſua Voluntate interna, & intentionem demùm referret ad auditam Miſſam, modo il-

Jam religioſè audiſſet, non damnarem illum peccati externi Omiſſionis: Exemplo à Chriſto allato Matth. 21. id confirmante: *Homo* Math. 21. verſ. 28. 29. (ait) *quidam habebat duos Filios & accedens ad primum dixit: Fili vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem reſpondens ait: Nolo. Poſtea autem, Pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit* Verſ. 30. *ſimiliter. At ille reſpondens ait. Eo Domine, & non* Verſ. 31. *ivit: Quis ex duobus fecit Voluntatem Patris; Dicunt ei: Primus.* Quo exemplo oſtenditur, Mandatum impleri per opus ipſum, & eum qui dixit: Nolo, poſſe intra tempus Mandati implendi revocare Voluntatem, & Pœnitentiâ moveri, cumque illud opus ſit iam factum ſecundùm ſubſtantiam Legis, probabile eſt Voluntatem poſſe retrotrahi ad illud.

Nota. Alii ſimiles ſcrupuli ſunt eâdem doctrinâ è medio tollendi, ut *Ex. g.* Legit quis Horas Canonicas cum alio non intendens ſatisfacere præcepto, ſed intendens poſteà illas vel in Choro vel in particulari repetere: *Item*: Scrupuloſus ſentit ſe diſtractum in Horis, & ratione diſtractionum proponit Horas denuo repetere: hi omnes arcendi ſunt à repetitione tamquam obligatoria: Non enim tenentur repetere, ſed ſufficit ad implendum præceptum ſemel legiſſe. Quinimo prohibendi ſunt frequentiùs repetere ex pietate, quia talis repetitio fit ſeges ſcrupulorum & anxietatum mentis, eſtque animæ magis damnoſa, quàm proficua.

TITVLVS VIII.

De obligatione Legis Eccleſiaſticæ.

QVÆSTIO I.

An Leges Eccleſiaſticæ obligent ad culpam in Foro Dei & Conſcientiæ?

Hic repetenda ſunt quæ diximus latiùs de Politia Eccleſiaſtica ſive Spirituali & Legibus eius Tripartitis *Tit. 3. Quæſt. 2.* in Appendice §. 1. & 2 per totum, & quæ ad finem §. 3. ponuntur *Item*: Quæ *Tit. 5. Q. 2.* § 2. Et in *Corrol.* ad *Quæſt.* Et *Quæſt.* de Foro Dei Eccleſiaſtico diximus *Tit. 6. Quæſt. 2. Concl. 3.* Ex quibus tota Doctrina huius Tituli & Quæſtionis omnino dependet.

CONCLVSIO I.

...et Eccleſiaſticas ad ſalutem Animarū iata quales

Eccleſia in iis quæ pertinent ad ſpirituale Animarum regimen poteſt Leges condere & Mandata imponere, quæ in Foro Dei & Conſcientia obligent ad culpam.

Concluſio ſumitur ex ipſis Fundamentis Poteſtatis datæ à Chriſto tum Petro, tum Apoſtolis: cùm enim docuiſſet qualiter corripiendus eſſet correptione fraterna Frater in Fratrem peccans. Primo inter ſe & ipſum ſolum. Secundo adhibitis teſtibus: Tertio adhibitâ Eccleſiâ; Vt oſtenderet ſummam Poteſtatem correctivam & coactivam in Eccleſia eſſe: Si (inquit) *Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut* Math. 18. verſ. 17 *Ethnicus & Publicanus.* Et declarare ampliùs volens unde & cur Eccleſiæ hæc Poteſtas competeret? *Amen* (ait) *dico vobis. Quæcumque alligaveritis* verſ. 18. *ſuper terram; erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* In quibus verbis: poteſtas Leges ferendi, & de Animarum regimine ſub Deo diſponendi ampliſſima facultas continetur, ſivè ad miſericordem abſolutionem à peccatis & vinculis, ſivè ad vim coactivam & vindicativam, quæ ſignificatur myſtice per vincula; quæ ſuprema Poteſtas priùs Matth. 16. conceſſa erat Petro: Ubi ſuppoſito Primo Fundamento ædificationis Eccleſiæ, præter quod nemo aliud ponere poteſt, quod eſt CHRISTUS IESVS cui tota moles Eccleſiæ innititur: Secundum Fundamentum Petrus deſignatur alteri primario CHRISTO annexum, & mediante quo parietes Eccleſiæ (quæ in finem ſæculorum ſemper ædificatur ex vivis & electis lapidibus) conſurgunt & coædificantur in ædificium ſanctum Domino. Unde Petro dicitur: *Beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis non* *Explicatio notabilis totius Poteſtatis Papæ & Eccleſiæ, ex verbis Chriſti. Matth. 16. verſ. 17. & ſeq.* *revelavit tibi ſed Pater meus, qui in cœlis eſt Et Ego dico tibi: Quia, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiā meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam Et tibi dabo Claves Regnum cœlorū. Et quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatū & in cœlis & quodcumq; ſolveris ſuper terrā, erit ſolutū & in cœlis.* In quibus verbis totum Eccleſiæ regimen in Chriſto ſub Petro & Succeſſoribus eius clariſſimè & diſtinctiſſimè explicatur.

Primo, enim *Fundamentum primarium* agnoſcitur Chriſtus *Dominus* per Petri confeſſionem: Mat. 16. verſ. 16. *Tu es* (inquit Chriſtus. *Filius Dei vivi.*

Eccleſiæ fundamentum primum Chriſtus ſecundum Petrus. *Secundum Fundamentum Petrus*, ſub obedientia Chriſti & regimine *Spiritus Sancti*: *Beatus* (inquit) *es Simon Bariona*: Simon enim *obediens*, Bariona *Filius Columbæ* interpretatur: Qui ſunt fundamenti ſecundi nexus cum Chriſto & in Chriſto; Quia quod Petrus ſivè eius Vicarius facit, in Obedientia Chriſti facit, quia *Simon* ſivè *Obediens* eſt. *Item*: quod Petrus & eius Vicarius docet aut decernit, ductu Spiritus Sancti docet & decernit: Quia *Bariona eſt*, id eſt, *Filius Columbæ*, & à Spiritu Sancto, qui in figura Columbæ ſuper Chriſto apparuit, regitur & dirigitur.

Secundo, Infallibilitas doctrinæ Fidei & morum in *Infallibilitas doctrinæ Eccleſiæ* *Petro* explicatur: *Quia* (inquit) *caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus.* In quibus verbis primùm omnis doctrina & ſcientia humana fallibilis & mutabilis à doctrina Eccleſiæ excluditur, dum à Petro removetur: *Quia* (inquit) *caro & ſanguis non revelavit tibi*, id eſt, à ratione carnali, naturali, ſenſuali, tuam iſtam confeſſionis Fidei doctrinam non habes. Quæ enim à carne & ſanguine eſt, mundana Sapientia eſt, & animalis, qualis eſt vel Philoſophorum vel mundanorum Politicorum & Hæreticorum, qui non ſapiunt quæ Dei ſunt, quos vocat Apoſtolus Iudas: *Animales, Spiritum non habentes. Hi quæcumque quidem ignorant, blaſphemant.* Iudæ v. 10.

Qui-

Verſ. 10. *Quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*: Quæ doctrina adulterina facile iſtis ſignis dignoſcitur & à CHRISTI doctrina proſcribitur: Quia carnis & ſanguinis ductum ſequitur.

Math. 16. verſ. 17.

Petri demùm & *Eccleſiæ doctrina infallibilis* adſtruitur, quia à carne & ſanguine expurgata, ſoli revelationi æterni Patris adſcribitur: *Quia* (inquit) *caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus*; Utique Deus prima & ipſa Veritas quæ errare non poteſt, minùs falli aut fallere.

Nulla doctrina infallibilis & vera extra Petrum & Eccleſiam.

Tandem ex verbis illis manifeſtè inſinuatur: Nullam doctrinam in Fide & moribus recipiendam eſſe, quæ à Petro non eſt vel Petri judicio non approbatur: Quod indicat pronomen, *Tibi*, q.d. Pater meus *Tibi* revelavit, ut per te revelatio illa ad cœteros derivetur: *Tibi* aſſiſtentiam illam benignè repromiſit, ut in te & per te cæteri erudiantur: *Tibi*, ut judicio tuo omnis revelatio carnis & ſanguinis ab Eccleſia repudietur & proſcribatur.

Firmitas & perpetuitas Eccleſiæ in Petro,

Tertio, Firmitas & perpetuitas Fundamenti adſtruitur: *Et ego* (inquit) *dico Tibi*; *Quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, &c.

In quibus iterùm verbis Petrus Eccleſiæ Fundamentum ſuper CHRISTO aperitur, cui tota doctrina Fidei & morum committitur: *Ego* (inquit) *dico tibi*, q.d. Quia *Ego dico tibi, tu es*, id eſt, meum verbum, mea poteſtas, mea promiſſio hoc facit, ita ut Fundamentum ſis, ſed per me & in me, ex verbo meo, & promiſſione mea fideli procedens. *Tu es* igitur *Petrus & ſuper te*, velut Petra, *ædificabo Eccleſiam meam* Ædificatur Eccleſia Fide, Spe, & Charitate ex qua opera bona ſunt, & ſine qua non ſunt: Ita ut S. Auguſtino teſte: Fides ſit fundamentum, in Spe ſit erectio parietum, in charitate coronis & tectum: quæ ædificatio ſuper CHRISTO primario Fundamento. & Petro in CHRISTO & per CHRISTVM conſurgit. Perpetuitatem autem Fundamenti contra omnem nequitiam defenſam demonſtrat, dum ait: Et *portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quod expreſſit, quia adverſaria Poteſtate abyſſi ſuperata, nil amplius ſuperſit quod prævalere poſsit: *Nobis* enim Apoſtolo teſte, *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia*, quibus ſuperatis, nihil poſſunt qui ex parte Diaboli ſunt, qui mendax eſt & mendacij Pater.

S. Auguſt.

Epheſ. 6. verſ. 12.

Monarchicum Eccleſiæ regimẽ.

Quarto, ut *Monarchicum Regimen* in Poteſtate Regiminis perfectiſſimum oſtendat: *Tibi* (inquit) *dabo claves Regni cœlorum.* Cum legis, *Tibi*, unum Caput agnoſce, cui ſuprema Poteſtas & in univerſa Corporis membra neceſſarius influxus communicatur, à quo omnis in cætera membra Poteſtas juxta uniuſcujuſque rationem & ſubordinationem reſpectu Capitis dependet. Cum audis *Regnum cœlorum*: unicum & univerſale Regimen confitere, quemadmodum enim cœleſtium orbium unico & univerſali Regimine inferiora gubernantur, ſic unica ſola univerſalis Eccleſia ſub uno Capite & uno eodemque Spiritu, qui ſingulis dividit prout vult, regitur.

Poteſtas directiva & Coactiva Eccleſiæ.

Cum legis *Claves regni cœlorum* concipe *Poteſtatem Principatus*, tam in virtute directiva qua Principes Eccleſiæ Leges dare & ipſarum obſervationem efficaciter urgere, ac ſubditos ad eam adigere poſſunt. Quod ut expreſſiùs demonſtret: *Quodcumque* (ait) *ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Ubi verbum *Ligare* virtutem Coactivam; *Solvere*, miſericordem & Directivam in Spiritu lenitatis enuntiat.

Math. 16. verſ. 19.

Forum Dei & Conſcientiæ in Eccleſia.

Quod verò in cœlis ligatum affirmat, id quod ligatur in terris: Forum Conſcientiæ & Dei agnoſce, & quod in Concluſione dictum eſt, Petrum & Eccleſiam poſſe Leges & Mandata imponere, quæ in Foro Dei & Conſcientiæ obligent ad Culpam. Et hæc eſt explicatio Concluſionis; Forum enim Eccleſiæ eſt participatio quædam Fori Divini, & quod Poteſtate ſpirituali Eccleſiæ agitur in terris, id in Foro Dei tranſigi CHRISTUS ipſa Veritas affirmat.

Reſtrinxi porrò Legem Eccleſiaſticam in Foro Dei ad culpam obligantem (*ad ea quæ pertinent ad ſalutem Animarum*) ſicut enim Eccleſia ipſa ad æternam beatitudinem eſt ordinata, ſic & ipſius Regimen: Unde fundamentum eius eſt Revelatio Dei, excludens revelationem Carnis & Sanguinis: Et Poteſtas eius vocatur Humano-Divina: ita ut *Humana* dicatur, quia reſidet in homine, *Divina* verò, quia ex Divina Spiritus-Sancti aſſiſtentia procedit.

Dupliciter aliqua pertinent ad ſalutem.

Dupliciter autem aliquid poteſt dici pertinere ad ſalutem Animarum: Primo *per ſe*, quia eſt ex illis medijs quæ à Deo inſtituta ſunt ad ſalutem, ut uſus Sacramentorum, S. Sacrificij, cultus Dei, Orationis, Praxis bonorum operum ac Juſtitiæ Chriſtianæ. Secundò *Ex accidenti*, quia ijs quæ ad ſalutem Animæ per ſe ordinata ſunt, connexum eſt, vel ad illa refertur. Et hæc duo ad materiam Legum Eccleſiaſticarum ſive Poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpectant, & ſub ijs quæ ad ſalutem Animæ pertinent, comprehenduntur.

QUÆSTIO II.

An omnia Eccleſiæ Præcepta & Leges obligent ad Culpam, & ad quam?

CONCLUSIO I.

Eccleſiæ præcepta ad culpam obligantia.

P*Lurima Eccleſiæ Præcepta obligant ad Culpam.* Patet ex quinque Generalioribus Præceptis & alijs Legibus, quæ ſparſim in Canonibus pro omni ferè hominum ſtatu promulgatæ ſunt. Ad quam verò culpam mortalem, an venialem obligent? inferiùs dicendum eſt.

CONCLUSIO II.

Multæ Leges Eccleſiæ pure pœnales.

M*Vltæ Leges Eccleſiaſticæ feruntur, quæ pure Pœnales ſunt, & ad ſolam Pœnam obligant, neutiquam ad Culpam.* Hæc etiam Concluſio deduci poteſt

poteſt ex varijs Pontificum Decretis & Reſcriptis. Tale eſt Decretum Pij Papæ & Martyris qui, ut in vita eius continetur: Pœnam ſtatuit in Sacerdotem cuius negligentia de Sanguine Domini aliquid ſtillaverit, nimirum: *Pœnitentiam* (inquit) *agant 40. diebus ſi in terram aliquid deciderit: Si ſuper altare, tribus diebus: Si ſuper linteum ſuperius, quatuor: Si in inferius defluxerit, novem diebus: Si uſque ad quartum, viginti diebus,* in quo decreto nulla culpa imponitur, ſed tantum ſupponitur conditionalis, ut ex negligentia qualiſcumque ſpecies ſtillaverint ad incurrendam pœnam. Et generaliter mihi certum eſt omnes illas Leges Pœnales Eccleſiæ non obligare ad Culpam, quando vel Pœnæ ex natura Legis non habent culpam annexam, vel quando materia Legis alias nullum peccatum includit, *Explico*: Pœnæ Excommunicationis majoris, Suſpenſionis, Degradationis nunquam feruntur, niſi ſubſit culpa mortalis, ideoque ubi Leges illæ appoſitæ ſunt, actio propter quam imponuntur, cenſetur peccatum mortale, & illæ puræ pœnales dici non poſſunt: Aliæ verò pœnæ ſunt quæ non modo pro peccatis imponuntur, ſed etiam pro nonnullis defectibus & imperfectionibus, ut ſunt pœnæ Irregularitatis ex defectu, quibus feriuntur Miniſtri Juſtitiæ Criminalis, Civilis, Bigami, &c. Et illæ Leges pœnales quidem ſunt, culpam tamen in perſona non ſupponunt: Sicut interdictum multi ſervare tenentur, qui nullam interdicto cauſam dederunt. Imo Pœnitentiæ aliquæ per Canones antiquos deſignantur aliquibus actionibus quæ per ſe verè peccata non ſunt, ſed potius dantur ad prævenienda peccata, quam punienda. De quibus per occaſionem aliàs.

Pius Papa & Martyr.

Concluſio III.

Pia Mater Eccleſia non reperitur ullum dediſſe Præceptum obligans ad culpam, quod non ad aliquod præceptum Divinum Naturale, vel Poſitivum in ratione materiæ reduci poſſit. Hæc Concluſio committitur ſolertiæ prudentis & judicioſi ingenij conabimurque illam in ſingulis Præceptis ſuo loco ad evitationem prolixæ confuſionis probare. Modò ſufficiat in genere nonnullam ejus demonſtrationem texere.

Demonſtratio Generalis.

Quod Præcepta Eccleſiæ, & Leges ad culpam obligantes ad aliquod Divinum Præceptum Naturale, vel Poſitivum reducantur.

Præcepta Eccleſiæ ad culpam obligantia, præcepti alicuius divini materiam continent.

Sic igitur generalem Demonſtrationem formare libet: Eccleſiæ Præcepta vel ad Deum, vel ad Hominem in ſeipſo, vel ad Proximum, vel ad Rempublicam & commune Bonum Eccleſiæ conſervandum referuntur. Quod univerſali deductione ſic probo: Quidquid enim ordinatum ab Eccleſia hactenus fuit: His ferè rationibus & cauſis ordinatum fuit, nimirùm: Vel ad conſervandam Fidem: vel ad avertendam Deſperationem, & ſubiugandam Præſumptionem: Vel ad firmandam in Deum Charitatem: Vel ad Cultum Dei verum & ſincerum ſtabiliendum, prout Legibus Divinis, Scripturâ, & Traditionibus Evangelicis ac Apoſtolicis, eſt declaratus: vel ad illum determinandum in Sacris Cœremonijs, quod Eccleſiæ relictum erat. Multa enim erant quæ (ut dicit Christus) Apoſtoli *non poterant portare modo*, id eſt, tempore illo: Multa erant quæ creſcente Eccleſiâ diſponi debebant: Quomodò & Apoſtoli poſt Christum multa diſpoſuerunt ut de Legalibus ſopiendis: De modis ſumendi Euchariſtiam: De Dominica loco Sabbathi ſervanda: Et Eccleſia à principio plurima de diebus Feſtis, de Cœremonijs Sacroſancti Sacrificij, de Oratione, de Horis Canonicis ſancivit, &c. *Item* plurima ordinata ſunt ad removendas Superſtitiones, Superfluos Cultus, Inventiones humanas, quæ veræ pietatis & unguenti interioris ut muſcæ volantes ſanctum odorem perdebant (prout & ſimilibus eheu modò providendum eſſet, antequàm ulteriùs ſerpant) quæ fere omnia ad Deum & Dei cultum ſpectant. Demùm multa decreta ſunt ab Eccleſia ad evitanda ſcandala & peccata proximorum & Reipublicæ Chriſtianæ: Quomodò à principio Concilium Apoſtolicum mandaverat ut *à Contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatu, & ſanguine* Abſtineretur cuius cauſam benè explicat S. Paulus: Ut ſcandalum proximi, communicatio etiam apparens, cum Idololatris & Gentilium Superſtitionibus longiſſime fugaretur: Quomodò & Eccleſia modò ſub peccata mortali iuſtiſſimè prohibet Catholicum omnem nefandis Concionibus Hæreticorum vel à limine intereſſe, aut libros eorum vel à labio legere, aut Cœnis profanis etiam ad curioſitatem, adeſſe: prout & Primitiva Eccleſia inhibuerat Hæreticis dicere *Ave*, ob pericula & incentiva malorum. Quis prudens non attendat omnia hæc, & ſi quæ alia ſunt, Dei Præceptis & Scripturæ Sanctæ tanquam fundamento principali inhærere, eaque jam ex natura rei, mandatorum & prohibitionum meras explicationes eſſe & juſtiſſimè mandata mandatis divino quodam nexu cohærere?

Ioan. 16. verſ. 12.

Act. 15. verſ. 20.

Quod & in omnibus membris diviſionis generalis præceptorum manifeſtum eſt; oſtendat enim mihi ſubtiliſſimus quicumque Cenſor, unam Eccleſiæ Legem quæ ad Hominem in ſeipſo referatur, & non cohæreat Divinis mandatis: omnia enim quæ in Canonibus præcipiuntur Homini Chriſtiano reſpectu ſuiipſius, reducuntur vel ad periculum peccati avertendum, vel ad Hominem ſalutaribus Decretis in Gratia conſervandum, vel ad eum in ijs, ad quæ obligabatur, dirigendum: *Explico*. Feſta indicta, ſunt determinatio Divini Cultus prout Homini ad ſalutem neceſſarius eſt: Jejunium imponitur, Determinatio eſt Divini Præcepti

man-

mandantis non tantum ut pœnitētiam agas; ſed ut fructus digrios Pœnitentiæ facias: Communio in Paſchate demandatur: Recordare, quia minatus fuerat Dominus: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cū ergò tempus manducationis non aſſignaſſet CHRISTUS, Eccleſia tibi præcipit & ſpecificat, ut in Paſchate ſemel in anno, & in periculo mortis pro Viatico Generali CHRISTI Præcepto ſatisfacias. Jejunium præcipit accedere, ut reverentiam cibo ſancto præſtes, & ne, etiam monente Apoſtolo, cum ſcādalo & irreverentia alius eſuriens, alius ebrius accedat; Ne quis præſumat ſuam Cœnam ad manducandum. Miſſam audire præcipit in Dominica & Feſtis, ut cultum in Dominica ſpecificet, quo ſuprema Latria colitur Deus. Deniq;: Quid miraris, ſi in Eccleſia Sacerdotibus, Clericis, Religioſis, Monialibus, Virginibus, Viduis; ſi Epiſcopis, Prælatis, in dignitate conſtitutis ſuæ Leges aſſignentur, quas ſi examines, ſunt tantū Directiones & coactiva media, ut quilibet in ſuo ſtatu ſervet ea ſine quibus ad æternam ſalutem congruè pervenire non poteſt?

Nota ſingula.

Joan. 6. verſ. 54.

Sed & quæ reſpectu Proximi Eccleſia ſtatuit, ſi ad amuſſim omnia conferantur, non ſunt niſi ſalutaris Juſtitiæ & Æquitatis lineæ, & veri contra omnem iniquitatem paralelli.

Rogo (*Lector*) excuſa ſi longius excurro, aut ſi fortè hoc loco nimis conſtringo, ſingulis dabitur locus ſuus. Cauſa vero hujus diſcurſus explicatur ſequenti Corollario.

COROLLARIUM.

Calumnia Hæreticorum ſuper multiplicitate præceptorum Eccleſiæ.

EX dictis *colligitur primo*, Quanta inſipientia & ignorantia Hæretici aut Politici Eccleſiam arguant: Quaſi multiplicatis Legibus gravius jugū & multipliciora onera impoſuerit humeris Chriſtianorum, & jugum CHRISTI ſuave ac onus leve, reddiderint jugo ſervitutis Judaicæ amarius, & onus aggravaverint quod nec nos nec Patres noſtri portare potuerūt & pro ſua inſipiētia vel ignorātia obumbranda, adducunt truncatam queremoniā S. Auguſt. Epiſt 119. ad Inquiſitiones Januarij cap. 19. ubi ait: *Ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationū Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit cōditio Judæorum; qui etiamſi tempus libertatis nō agnoverint, Legalibus tamen Sacramentis* (alias ſarcinis) *non humanis præſumptionibus ſubijciuntur* Hæc ibi

S. Auguſt. Epiſt. 119. ad Inquiſit. Ian. c. 19.

Verum, *Mentita eſt iniquitas ſibi*, nam de Eccleſiæ Sanctæ Præceptis & Legibus cognitis & manifeſtis non loquitur S. Auguſtinus, ſed de nonnullis inventionibus humanis quæ nec à Deo in Scriptura, nec ab Eccleſia ſunt cōſtitutæ & approbatæ. Sic enim *eodem cap.* cum conqueſtus fuiſſet de multis præter conſuetudinē Eccleſiæ conſtitutis, quaſi obſervationes Sacræ eſſent: ſubdit: *Sed hoc nimis doleo: quia multa: quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas ſuas terrā nudo pede tetigerit, quā qui mentem vinolentia ſepelierit.* Ut oſtēdat antē quæ ſint ſervanda, & quæ non? *Omnia itaq;* (inquit) *talia, quæ neq; Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilijs Epiſcoporū ſtatuta inveniuntur, nec cōſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorū locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquā inveniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecāda exiſtimo.* Ex quibus verbis conſtat S. Auguſtinum nec cōqueri, nec invehi in Eccleſiæ Præcepta, quæ maturè & ex cauſis ſunt cōſtituta: Si nimirum Primò ſanctarū Scripturarū auctoritati innitantur. Secundo Si in Concilijs Epiſcoporū ſtatuta inveniantur. Tertiò Si conſuetudine Eccleſiæ roborata. Quarto Si propter cauſas juſtas inveniantur data. Unde & idem Epiſt. 118. de varijs obſervationibus quæ in diverſis locis obſervantur conqueſtus reprobat illas *quæ per quorumdam fratrum cōtentioſam obſtinationē, & ſuperſtitioſam timiditatē, ſive tantum quia ſubeſt qualiſcunq; ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe cōſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationē ſuam quo remotiorem à ſuis eo doctiorem factam putat: tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment*, introductæ ſunt: Approbat tamen iterū illas. Primò Quæ Scripturæ Sanctæ auctoritate. Secundò Quæ univerſalis Eccleſiæ traditione. Tertiò Quæ vitæ corrigēdæ utilitate ad certum terminū perveniunt. Et antea eodē capite pro regula generali dixerat: *Nec Diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentiq; Chriſtiano, quā ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiā ad quamcumq; forte devenerit.* Probatq; ex S. Ambroſij ſibi data reſolutione pro ſedando ſcrupulo Matris quæ offenſa videbatur eo quod in Eccleſia Mediolanēſi Sabbatho nō jejunaretur, cum tamen Romæ jejunium ſub Præcepto eſſet: Cui dixit Ambroſius: *Cum Romam venio, jejuno Sabbatho, cum hic ſum* (id eſt Mediolani) *non jejuno.* Et hæc tantum adjunxi ut Textus S. Auguſtini ab Hæretico vel quovis hujus temporis Polititico vindicaretur.

Explicatur S. Auguſtinus.

Idem.

Idem. Ep. 118. cap. 2.

D. Amb.

Colligitur ſecundo, piam Matrem Eccleſiam nullum præceptum aut Legē ſtatuiſſe ad culpam obligantem, cujus Fundamentum non pertineret ad Legem Divinā Naturalem vel Poſitivam, ſive etiam Evangelicam vel ſervandā vel fovendam, vel à tranſgreſſionum periculis, abuſibus, & ſcandalis expurgandā in Animarum utilitatem, profectum, & neceſſitatem: Veni, vide, & Lege ac diligenter confer, ne matrem æſtimes Novercam, quia adverſaria eſt Carni & Sanguini.

Eccleſia pietas & prudentia in præceptis ſuis.

Colligitur tertio: Nonnullos parum prudēti oculo reſpexiſſe Gerſonem Cancellariū Pariſienſem cum Almaino & alijs, dum temeri-

Excuſſatur Gerſon & Almainus

tatis & erroris eos arguunt ex eo quod docuerint: ***Solum Deum poſſe obligare ad culpam in Foro Conſcientiæ*** : quaſi ex eo neceſſariò inferretur Eccleſiam & Summum Pontificem nõ poſſe (quod vere erroneum eſſet) ſi enim attendiſſent Vicariam Poteſtatem agere in virtute Principalis, & præcepta Eccleſiaſtica, quæ à Vicario CHRISTI procedunt, à poteſtate ſpirituali procedere, quæ idem Forum cum Deo participat (ut ſuperiùs declaratum eſt) ſi demum conſideraſſent aſſiſtentiam divinam infallibilem in condendis Decretis Fidei & Morum, ac materiam præceptorum Eccleſiæ eſſe ſpiritualem, vel quaſi ſpiritualem: Tandem omnes leges Eccleſiaſticas ad culpam obligantes ſuper aliquo mandato Dei fundari; Non judicaſſent abſurdum cum Gerſone aſſerere ſolum Deum obligare ad culpam in Foro Conſcientiæ: Cum participatæ Poteſtatis Divinæ ſit quod Eccleſia ad culpam obliget, & participatio Fori Divini in Poteſtate à Deo data firmetur, ut quidquid ligat vel ſolvit in terris Eccleſia, ſit etiam ſolutum & in cœlis Qualiter autem & hoc ipſum in Lege Humana contingat infra dicendum eſt.

QUÆSTIO III.

Quibus ſignis colligatur Legem & Præceptum Eccleſiaſticum obligare ad Culpam mortalem, vel venialem?

QUia Quæſtio univerſalem aliquam Reſolutionem requirit, pono ſequentes Regulas.

REGULA I.

De materia gravi præcepti Eccleſiaſtici.

QVandocumque materia Legis vel Præcepti Eccleſiaſtici eſt gravis ex conformitate ad Legem Divinam Naturalem vel Poſitivam: ſive illa gravitas attendatur intrinſece, ſive extrinſece ex aliqua circumſtantia vel conditione, Lex cenſetur obligare ad peccatum mortale Ratio huius Regulæ eſt: Quia Lex Divina eſt menſura & regula cæterarum Legum: ſicut igitur, ubi materia gravis eſt, cenſetur Lex Divina obligare ad peccatum mortale: ita ob conformitatem quia Lex Eccleſiaſtica ex participatione quadam Poteſtatis & Legis Divinæ, quà Divina eſt, emanat & Dei Vicaria eſt, ac in ordine ad Deum ſive Beatitudinem æternam refertur) juxta gravitatem materiæ, obligatio Legis Eccleſiaſticæ erit æſtimanda.

Unde dixi ***primo*** ſingulariter (***quando materia eſt gravis ex conformitate ad Legem Divinam***) debet enim attendi gravitas materiæ in Lege Eccleſiaſtica ex ordine ad finem, qui eſt ſalus Animarum, prout ſpirituali regimini ſubijciuntur.

Dixi ***ſecundo*** (***ſive illa gravitas attendatur intrinſece***) de illa enim dubitandum non eſt, & ordinariè illa ex parte materiæ Divino præcepto permixta eſt.

Dices: Si Materia ab intrinſeco gravis ſit, jam eſt prohibita Jure Divino Naturali vel Poſitivo: Quid ergo eſt opus Præcepto Eccleſiaſtico eandem materiam prohiberi? vel quid Eccleſiaſticum Præceptum operabitur? ***Reſpondeo***, Etſi ut plurimum Materia Legis Eccleſiaſticæ cadat primò ſub Legem divinam, non inutiliter tamen ſuperaddi Præceptum Eccleſiaſticum, imo ut plurimùm Eccleſiaſticum Præceptum neceſſario pro ſalute Animarum intervenire debere, ob ſequentes neceſſitates & utilitates.

Vtilitates & neceſſitates Præcepti Eccleſiaſtici Divino ſuperadditi.

Prima, Quia quandoque obſcurior eſt Lex Divina, & ratiocinationibus varijs obfuſcata, quibus ſub titulo variarum Opinionum, libertati humanæ ſeipſam amanti non rarò fræna laxantur, quæ ideo per Eccleſiaſticum Præceptum reſtringi debuerunt, ut libertas nimia refrænaretur. Exempla paſſim in Decretalibus leguntur. ***Ex g.*** Etſi furtum Divina Lege ſit prohibitum, contingit tamen ignorari ***An particeps furti peccet eodem peccato?*** Hoc Lege Eccleſiaſtica declaratur Tit. de Furtis l. 5. Decret. c. 4 ***Qui cum Fure partitur, occidit Animam ſuam: Non Fur ſolum, ſed ille Reus tenetur, qui furti conſcius, quærente Poſſeſſore non indicat. Similiter*** dubitari poſſet. ***An Furtum rei Sacræ maius ſit Furto rerum non Sacrarum?*** Legem ſtatuit Eccleſia l. 5 Tit. de Reg. Jur c. 7. ***Quidquid in Sacratis Deo rebus & Epiſcopis iniuſte agitur. pro ſacrilegio reputatur quia Sacra ſunt, & à quocumque violari non debent.*** Item Tit. ***De delictis puerorum c. 1.*** ſtatuitur, Pueros ante 14. annum contra varias opiniones in Furtis, mendacijs, & perjurijs mortaliter peccare poſſe. Et alias infinitas Leges Eccleſiaſticas vide in Decretalibus ad ſuos Titulos, quæ merè declarativæ ſunt divini Juris

Lib. 5. Decret. Tit. de Furtis c. 4.

Tit. de Reg. Iuris cap. 7.

Secunda Neceſſitas ſive utilitas.

Secunda neceſſitas ſive utilitas Legis Eccleſiaſticæ Legi Divinæ ſuperadditæ eſt: Quia quod in genere tantum præcipit Deus, per Eccleſiam debuit determinari, & ad certas materias & ſubjecta applicari. ***Explico***: Præcepit Deus: ***Memento ut diem Sabbathi ſanctifices,*** &c. Quoad diem quidẽ, Apoſtolica Traditione in ſcriptura tradita Sabbathum mutatum eſt in Dominicam: Sed quia præter abſtinentiã ab operibus ſervilibus, modus poſitivæ ſanctificationis à Deo non erat determinatus, Eccleſia ad Miſſam ſive Miſſæ auditionem illum determinavit. Quinimò t Quia de operibus prohibitis variæ opiniones naſcebantur, de illis etiam Leges aliquas determinativas Eccleſia tulit. ***Similiter***: Opera Pœnitentiæ à Deo & CHRISTO JESU in genere demandata erant: Ait enim Dominus per Ioëlem 2. ***Convertimini ad me in toto corde veſtro in jeiunio, & fletu,*** &c. Et Lucæ 13. CHRISTUS: ***Niſi*** (ait) ***Pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis.*** Et 2. Corinth. 6. Paulus monet: ***Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros in ieiunijs,*** &c. Quia tamen his Pœnitentiæ operibus non erat determinatum tempus aut modus, Apoſtolica Trad. Quadrageſima indicta eſt, & alij dies ab Eccleſia ſunt aſſignati, diverſiquè modi jejunãdi Po-

Exod. 20. verſ. 7.

Ioel. 2. verſ. 12. Luc. 13. verſ. 3. 2. Cor. 6. verſ. 4. 5.

teſtate

Tertia neceſſitas vel utilitas.

neſtate Eccleſiaſtica & Legibus Eccleſiaſticis ſunt præſcripti.

Tertia Neceſſitas ſive utilitas Legis Eccleſiaſticæ fuit: Externis etiam pœnis ſpiritualibus peccatores ferire, quia inuiſibilia iudicia Dei non timebant. Sic contra Blaſphemos graviſſimæ Pœnitentiæ publicæ Legibus Eccleſiaſticis ſunt indictæ. Vide *Lib 5 Decret. Tit. de Maledicis cap.* 2. ſic pro peccato contra Naruram Ex communicatio fulminatur, *Tit. de exceſſ. Prælat. c.* 4. ex Concilio Lateranenſi. Et alia paſſim vide, nè ſim hic longior quia nos ſuis locis ferè ſingula exāminabimus.

Nota.

Dixi *tertio* in Regula (*ſive gravitas attendatur extrinſece ex circumſtantia vel conditione*) Contingit enim quòd etſi res in ſe exigua videatur, ratione tamen periculi, vel alicujua pravæ conſequentiæ vel circumſtantiæ exiſtimanda ſit gravis. *Ex. g.* Lex Eccleſiaſtica prohibet ſub pœna mortali & excommunicatione lectionem ſivè etiam detentionem librorum Hæreticorum: ſimplex & marerialis detentio ex ſeipſa, ſicut nec aliquod paginarum lectio, non videtur, nec eſt per ſe materia gravis: Quia tamen detentio eſt lectionis incentivum, & lectio aliquot paginarum falſæ doctrinæ venenum poteſt diffundere, ob rationem periculi efficitur materia gravis, & Lege ad peccatum mortale obligante prohibetur. Nec ſufficit quòd non ſit proximum periculum, imò hic & nunc ratione perſonæ nullum ſit: Quia Lex fertur ad avertendum malum commune & tollendam omnem occaſionem generaliter, quod ſicut in communi eſt magnum Eccleſiæ bonum, ſic ejus oppoſitum æſtimatione mali, quod contingere poteſt, eſt grande malum & materia gravis.

REGULA II.

QVandocumque Lex Eccleſiaſtica verbis apertis vel æquivalentibus vel ſub pœnis, quæ non niſi pro peccato mortali imponuntur, tradita eſt, cenſetur obligare ad peccatum mortale. Talia ſunt: Quandò apertè dicit Legiſlator ſe præcipere ſub mortali culpa: Sub interminatione mortis & maledictionis æternæ: Per Sanctam Obedientiam: Seu in virtute Spiritus Sancti: *Item*: Diſtrictè præcipimus: *Item*: Sub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, &c. Regula per ſe patet.

REGULA III.

QVandocumque conſtat omnino de materiæ levitate aut nullitate, cenſetur Lex Eccleſiaſtica vel ad ſolùm veniale peccatum obligare, vel ad nullum, ſed ſolùm ad pœnam, ſi Lege ſit adiuncta. Hæc Regula ex præcedentibus eſt manifeſta. Certum eſt enim *primo* Eccleſiam in materia leui ſivè intrinſecè ſivè extrinſecè no intendere obligare ad peccatum mortale.

Secundò, Supponendum etiam certò eſt, ubi utitur terminis illis gravioribus; illis eam non uti, niſi æſtimet materiam in ſe vel in circumſtantia vel conſequentia gravem, & ſufficientem eſſe ad peccatum mortale. Quod ſi ex ſiniſtra informatione id ſaccre convincatur, jam Lex ſeipſam diſſolvit, quia manifeſta fraus & injuſtitia in illa includitur, ut etiam monet Pontifex *lib. 1. Decret. Tit. 3. de Reſcriptis* per totum, & ex ipſius Legis eſſentialibus conditionibus convincitur. Debet enim Lex eſſe honeſta, juſta, conveniens, &c. Inhoneſtum autem, injuſtum, & inconveniens eſt, ur pro re leviſſima Anima peccati mortalis reatu ab Eccleſia mulctetur, kum nec in judicio Dei id fiar nec illi ſit conforme.

QUÆSTIO IV.

An Leges Eccleſiaſticæ cenſeantur ſemper durare, donec ab Eccleſia revocentur.

CONCLUSIO VNICA.

Varij modis quibus Leges Eccleſiaſticæ ceſſant.

VArijs modis etiam abſque formali revocatione Leges Eccleſiaſticæ, quoad id quod Eccleſiaſtici Iuris & Mandati eſt, ceſſare conſueverunt.

Primo, Fine Leges ceſſante. Ex. g. Ab Apoſtolis ordinatum erat ſub peccato mortali ut Fideles abſtinerent à *ſuffocato & ſanguine*, ob ſuperſtitiones Gentilium quæ tunc erant in uſu: Gentilitate autem & Gentilium ſuperſtitionibus jam abolitis Lex illa ceſſavir, quia ſublata Legis ratione ſive fine, Lex conſequenter ceſſare cenſenda eſt. *Act. 15. verſ. 20*

Secundus.

Secundo. Mutata Materia Legis: utpote, ſi materia quæ erat juſta, fiat injuſta, vel quæ erat utilis, fiat inutilis, aut quæ erat poſſibilis, impoſſibilis reddatur. &c. De quibus infinita penè exempla reperiuntur apud Grarianum in Decreto Diſt. 29. 30. 31 ubi ex Canonibus antiquis oſtendit ex circumſtantijs & cauſis perſonarum, locorum, temporum & materiæ quæ inter Hæreticos verſabantur, multa fuiſſe ab Eccleſia conſtituta & mandata, quæ poſtea ceſſante materia ac præceptorum cauſis & circumſtantijs ex ſe ipſis fuerunt abrogata: Inter quæ propter Manichæorum Hæreſim refert in *Concilio Gangrenſi* prohibitum: *Ne filij parentes deſererent occaſione cultus* Dei: Quod quidem Mandatum etſi videretur abſonum & contra Evangelium, tempori tamen convenientiſſimum fuit propter Hæreſim Manichæorum, qui deteſtabantur Conjugium, & docebant filios recedere debere à Conjugatis parentibus tanquam à re abominanda propter Conjugium: Et ibidem prohiberur: *Ne mulieres ob Religionem comas ſibi præſcinderent*, ad avertendam iterum ſuperſtitionem Manichæorum.

Gratian. in Decret. Diſt. 30. c. Si qui.

Cap. Quæcumque mulier.

Tertius modus quo Lex Eccleſiaſtica abrogatur. prima conditio requiſita.

Tertio, Uſu & Conſuetudine Leges Eccleſiaſticæ ſolent abrogari: Ad quod tamen plura requiruntur. *Primo*, ſit id quod abrogatur ſit pure Juris Eccleſiaſtici: Si enim Lex admixtum habeat aliquid, quod eſt ſingulariter Divini Juris Naturalis, vel poſitivi: id

quod Divini Iuris eſt nullâ conſuetudine vel uſu abrogari poteſt *Explico*: Multi Canones Pœnitentiales ſunt abrogati, nec ampliùs ſunt in uſu, qui tamen erant ſub præcepto; tum ad ſatisfactionem in Foro Dei, tum ad ſatisfactionem in Foro Eccleſiæ, utpotè, ad tollenda ſcandala: Etſi id, quod in illis Iuris erat Eccleſiaſtici, ſit abrogatum; quod tamen eſt Iuris Divini & Naturalis (ut ſatisfactio neceſſaria pro peccatis, ſublatio ſcandali, &c.) ſublatâ Lege Eccleſiaſticâ ſemper obſervandum manet. Sic in Religionibus multa præcepta reperiuntur uſu abrogata ex iis quæ ad diſciplinam externam Religionum ſpectabant, & utiliter obſervabantur: Quæ tamen ad Vota eſſentialia paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis per ſe pertineot, & quæ ex Iure Divino Religioni & probatæ vitæ ac moribus ſunt annexa, illa nullo uſu & conſuetudine abrogari poſſunt. Quod in omni ſtatu providè aduertendum eſt: Reformationes enim ſtatuum non tam pendent ab externis quibuſdam exterioris hominis diſpoſitionibus, quam à vera & fundamentali obligationis Legum Diviuarum & hominis interioris reſtitutione.

Secunda conditio. *Secundò*, Ad Legis Eccleſiaſticæ abrogationem per uſum & conſuetudioem contrariam, requiritur tacita diſſimulatio Legislatoris Ex. g. Summi Pontificis & Eccleſiæ ſcientis & videntis, ex cauſa tamen diſſimulantis, ſivè Legem non urgentis, quia iudicat obſervantiam non ita neceſſariam ad probam vitam: Hæc eſt enim diſtinctio inter Eccleſiam tacentem ſive diſſimulantem ob cauſam rationabilem, Et eandem coactè interdùm mala patientem: *Quod* (ait S Auguſtinus Epiſt. 119. ad Januarium) *Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat: Et tamen quæ ſunt contra Fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* q.d. Accidentalia quædam, & quæ non ſunt Juris Divini, nec per ſe pertinent ad Fidem & bonos mores tolerat Eccleſia: Circa alia autem quæ ſunt contra Fidem vel bonos mores per ſe; ſive contra vitam bonam Eccleſia oſtendit facto, monitionibus, pœnis, & modis alijs ſe nec tacere, nec illa approbare. Ubi ergo tacens tolerat Eccleſia aliquam relaxationem in Legibus ſuis, videtur rem non æſtimare tam gravis momenti ad vitam bonam: idcirco poteſt interdum uſus & conſuetudo contra Legem præſcribere, ſi nimirum, in multis annis præceptum ſingulariter non renovetur, nec obſervatio illius urgeatur.

Diſſimulatio Legislatoris requiſita & qualis.

S. Auguſt. Epiſt. 119. ad Ianua. cap. 19.

Tertia conditio. *Tertio*, Ad Legis Eccleſiaſticæ abrogationem per uſum & conſuetudinem, debet attendi an contrarius Legis uſus ſit inter timoratos & doctos: hi enim & res meliùs expendere cenſeotur, & ob timorem Dei, quo ſciuntur piè vivere, creduntur nolle Deum offendere.

QUÆSTIO V.

An in Legem Eccleſiaſticam cadat Interpretatio, Epikeia, vel Diſpenſatio, & quorum interſit eam interpretari aut in illa diſpenſare?

CONCLUSIO I.

In Legem Eccleſiaſticam frequentiſſimè cadit Interpretatio Imo ut plurimum neceſſaria eſt. Ratio Concluſionis eſt petenda ex fragilitate & inconſtantia ac obſcuritate mentis humanæ maximè in ſubditis. Etſi enim Spiritus Sanctus Legislatori Eccleſiaſtico aſſiſtat, ſpecialiſſimè verò & infallibiliter Summo Pontifici, quandò de Cathedra Petri Legem profert (in materia enim morum errare non poteſt) Quia tamen interdùm procedit ut Homo juxta varias informationes, & ſtylus Legum eſt Humanus, ex altero etiam Capite multa fragilitas & inconſtantia, imò ſæpenumerò impoſſibilitas Legem obſervandi in ſubditis conſideratis rebus humanis ſubeſt: Ideò frequenter eſt neceſſaria Interpretatio Legis. Conſtat ex toto *Tit. 2. de Conſtitutionibus lib. 1. Decretalium Gregorij 9.* Et in *ſexto, eodem Tit. cap. 1. Item Tit. 3. de Reſcriptis lib. 1. Decret.* In quibus Pontifices manifeſtè oſtendunt Conſtitutiones ſuas interpretationem admittere, ſivè ut nihil contineant in præiudicium aut in gravamen intolerabile tertii, ſivè nè una Conſtitutio ſit in deſtructionem prioris, &c. Quinimò lib. 1. Tit. 3. de Reſcriptis cap. 5. Alexander 3. ſic ſcribit Epiſcopo Ravennati: *Qualitatem negotij pro quo tibi ſcribitur diligenter conſiderans aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas. aut per litteras tuas quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas: Quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Et cap. 10. Pontifex conqueritur: Quòd multa Reſcripta Conſcientiam eius effugiant, quia diverſis occupationibus impeditus, ſingulis cauſis examinandis non ſufficit. Vndè reprobat omnia quæ à S. Sede dicuntur emanare, ſi quid in illis contra rectitudinem contioeri videatur.

Epikeia in lege Eccleſiaſtica unde.

Alexand. 3. Raven. Epiſ.

CONCLUSIO II.

Quadruplex aſſignari poteſt Legis Eccleſiaſticæ, interpretatio ſicut Interpres quadruplex (prout docuimus ſuprà Tit. 7. Quæſt. 3. Dubio finali poſt Regulas) Prima eſt *Auctoritativa & Iudicialis* Secunda *Doctrinalis*. Tertia *Vſualis*. Quarta *Æquitatis*.

Interpres Legis Eccleſiaſticæ.

Auctoritativa & Iudicialis eſt: Quæ fit ab ipſo Conditore Legis ſivè Canonis, vel eius Commiſſario ſivè Interprete. Sic Pontifex univerſales ſuas Leges interpretatur, Epiſcopus ſuas Diœceſanas, & ità de aliis ſuperioribus. *Item* S. Congregatio Cardinalium interpretatur Concilium Tridentinum ex commiſſione Summi Pontificis.

Doctri-

Doctrinalis Interpretatio eſt; Quæ ſit à Doctoribus & Scriptoribus approbatis. Ad quam requiritur primo. Vt ſit conſormis verbis uſualibus Legis. Secundò, Ut ſit menti Legiſlatoris accommoda. Tertio, Ut contra rectitudinem Legis Divinæ Naturalis vel Poſitivæ, vel contra aliam Legem Canonicam non impingat. His enim terminis Interpretatio cuiuſvis Doctoris concluditur, hocque modo metuenda eſt

Vſualis Interpretatio dicitur: Quæ de Lege iudicat prout eſt in uſu & praxi apud pios & timoratos, quorum vita & mores pij Legem interpretantur: Quomodo Lex jeiunij, in accidentalibus multis menſuranda venit ex uſu piorum & timoratorum.

Interpretatio Æquitatis dicitur: Quæ ex bono & æquo (maximè in anxietate & perplexitate) judicat agendum contra verba expreſſa Legis Quod tripliciter contingere poteſt, Primò ubi duæ Leges concurrunt nec utraque poteſt ſimul impleri; *Ex.g.* Præceptum urget de audienda Miſſa in Feſto; aliunde ſiquis Miſſam audiat, debet infirmo ſua opera indigenti deeſſe, *Epikeia* ſive *Æquitas* interpretatur legem de audienda Miſſa cum tanto detrimento Præcepti Charitatis non obligare. Secundò Contingere poteſt, quia Lex videtur in caſu nimis ardua, vel impoſſibilis. *Ex.g.* Petrus in Feria 6. inuenit ſe in loco ubi nullus ei cibus ſuppetit niſi carnes comedat: interpretatur per rationabilẽ Epikeiam Legem de abſtinentia illum ad tantam famem non obligare ob periculum infirmitatis vel mortis Tertiò *Epikeia* verſatur circa intentionem Legiſlatoris, quæ nõ videtur ſe extendiſſe ad caſum præſentem. *Ex.g.* Eccleſia prohibet Lectionem librorum Hæreticorum, interim occurrit caſus quo vel meam Fidem tueri, vel Hæreticum conuincere non poſſum, niſi ex ipſius libro illum falſitatis redarguam, poſſum tunc liberè legere librum: quia mens Legiſlatoris non videtur huiuſmodi caſum comprehendiſſe. Et in hoc Æquitatis iudicio quilibet eſt interpres ubi ratio probabilis occurrit, nec patet recurſus ad Superiorem.

CONCLVSIO III.

Dari poteſt diſpenſatio in Lege Eccleſiaſtica.

D*Atur etiam (legitima causa id poſtulante) Diſpenſatio in Lege Eccleſiaſtica in quantum Eccleſiaſtica eſt.* Ratio eſt: Quia in quantum eſt. Eccleſiaſtica dependet à Voluntate Legislatoris & Regulis paſtoralis prudentiæ & providentiæ, cùm igitur ſæpiſſime contingat ut quod univerſitati bonum eſt, indirectè in detrimentum perſonarum particularium cedere poſſit, auctoritatis & prudentiæ paſtoralis eſt in caſu & pro particularibus perſonis interdùm in Lege diſpenſare, quod proprie eſt relaxare. Diſpenſatio enim nihil aliud eſt, quam relaxatio obligationis Legis reſpectu unius aut alterius perſonæ, manente interim Legis obligatione reſpectu univerſitatis & multitudinis.

Dixi (*legitima cauſa id poſtulante*) Si enim legitima cauſa non ſit, diſſipatio eſt non diſpenſatio; niſi fortè Privilegium aut Exemptionem prætendas à Lege communi: Tunc enim Diſpenſatio non eſt, ſed potius Abſolutio à Lege, ſive quædam Legis Abolitio reſpectu perſonæ, in hoc à Diſpenſatione diſtincta, quod Diſpenſatio ſit pro aliquo caſu duntaxat, Privilegium pro omni caſu & omni tempore reſpectu ejusdem Legis *Explico*: Quod Petrus hoc Paſchate à proprio paſtore non teneatur ſumere Sacram Cõmunionem ex cauſa rationabili Diſpenſatio eſt: Si verò eximatur à quolibet Parocho & libertati ſuæ relinquatur ut à quolibet poſſit ſumere, Privilegium erit & Exemptio.

Dixi (*In Lege Eccleſiaſtica quatenus Eccleſiaſtica eſt*) quatenus enim interdùm Divinam Legem conjunctam habet, in eo quod Legem Divinam concernit diſpenſare nemo poteſt, ut ſupra de Diſpenſatione Legis Divinæ diximus, *Explico* Diſpenſat Pontifex cum Maria in Voto ſimplici Caſtitatis ut nubere poſſit: Diſpenſatio illa quatenus concernit promiſſionem ſub obedientia Superioris ſive ut nuper dictum eſt ſub reſervata auctoritate Superioris factam, tangit Eccleſiaſticam Legem & conſequenter Diſpenſatio eſt Juris Eccleſiaſtici: Quatenus verò Caſtitas concernit obligationem naturalem divinam ad continentiam ſive virginalem ſive maritalem, non cadit ſub Diſpenſationem, ſed ſemper Maria manet obligata in quocumque ſtatu, juxta rationem illius, caſte vivere. Quis verò in Lege Eccleſiaſtica diſpenſare poſſit? Certum eſt Summum Pontificem in univerſa Eccleſia poſſe: Quæ autem Diſpenſationes Epiſcopis ac alijs ordinarijs Superioribus competant, id ex varijs jurium diſpoſitionibus requirendum eſt, nec hujus loci eſt ea in ſpeciali explicare.

APPENDIX.

De Promulgatione Legis Eccleſiaſticæ

Qualiter Legis promulgatio obliget.

HIc ſolet proponi Quæſtio: An Lex Eccleſiaſtica ſtatim obliget ubique terrarũ, quando fuit Romæ promulgata debite per affixiones in Campo Floræ, in Campo Martio, &c. Verùm opinor hanc Quæſtionem ad rem noſtram parum pertinere: Nam promulgatio Romæ facta: Aut intelligitur obligare reſpectu ipſius Legis, ita ut Lex ipſo momento vim obligandi habeat, nec dependeat ullatenus ab acceptatione populi Chriſtiani aut perſonarum pro quibus fertur: Aut intelligitur de facto obligare omnes & ſingulas perſonas ſive ſciant ſive neſciant aut Legẽ ignorent. Si primo modo: Clarum eſt Legem Eccleſiaſticam legitime promulgatam non dependere ab acceptatione populi aut perſonarum

ſonarum, & conſequenter vim obligandi per ſe habere, Si ſecundo modo: Manifeſtum etiam eſt, quòd quamdiu per modum Legis obligantis non pervenit ad notitiam ſufficientem populi vel perſonarum, utpote, quia eis obligatorie intimata non eſt, actu non obligare, ſive ob juſtam & invincibilem ignorantiam, ſive quia, etſi vim obligandi habeat, vim illam tamen defectu ſufficientis intimationis in actu ſecundo necdum potuit exercere in perſonas illam ignorantes

Lex Eccleſiaſtica non obligat perſonas non iuridice intimata.

Dixi (*utpote, quia eis obligatorie intiamta non eſt*) non enim quævis notitia Legis vel Promulgationis Legis quemlibet obligat: ſed debet obligatorie intimari, nimirum, per eos ad quos regimen populi, Diœceſis, ſive Coogregationis ſpectat, & quibus credere & acquieſcere obligor. Quod dicendum fuit propter aliquos, qui cum particulari notitia aliquid audiunt Romæ promulgatum, ſtatim obligationem proclamant, non exſpectantes ut ordinarie Lex per Nuntios Apoſtolicos vel Epiſcopos intimetur. Et hæc omnia apertiſſimè declarari poſſunt ex ijs quæ Auctores tradunt de Ignorantia invincibili & Probabili à peccato excuſante, quam diximus etiam inveniri poſſe in Lege Divina Poſitiva, imò & in nonnullis ex Lege Naturali tantum deductis. Et hoc modo juſte & rationabiliter concordari poſſunt variæ opiniones de Legum ſufficienti promulgatione & obligatione. Aliud enim eſt Legem eſſe ſufficienter promulgatam, & vim obligandi habere, Aliud eſt illam has vel illas perſonas, imo & Communitates de facto obligare.

TITVLVS. IX.

De obligatione legis Humanæ Politicæ.

HIc repetenda ſunt omnia quæ à nobis dicta ſunt *Tit*, 3. *De Lege Humana ac eius Diviſionib*: *Quæſt.* 1. & 2. Et in Appendice ſive Digreſſione *De Politia Eccleſiaſtica & Sæculari* §. 3. Item *Tit.* 5. *Quæſt.* 2, §. 3. Et in Doctrina Notabili ibidem.

QUÆSTIO I.

An Leges Humanæ Politicæ in conſcientia obligare poſſint, & aliquando obligent?

Dupliciter conſideratur Lex Humana.

MOre meo nolo diſputare: Quamvis enim ſciam inter Doctores Catholicos hanc Quæſtionem controverti: Alijs negantibus: Alijs affirmantibus: Conabor tamen claram Opinionum concordiam ex ipſis S. Scripturæ Fundamentis proponere, quod mihi in hoc opere ſufficit.

Pro Reſolutione itaque: Advertendum eſt *primo*: Poteſtatem Humanam dupliciter conſiderari poſſe. *Primo*, Originative, quatenus à *Deo* ordinata eſt ad bonum commune Societatis humanæ, quomodò ad Rom: 13. dicitur: *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, & : *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinatione reſiſtit.* *Secundo.* Formaliter, quatenus Poteſtas illa via merè humana acquiritur, ad finem mere humanum ordinatur: Utique per electionem populi, per Succeſſionem, per Poſtulationem, per Inſtitutionem merè humanam. Rom 13. verſ. 1. & 2.

Legis Humanæ duplex miniſterium.

Advertendum *ſecundo*, Poteſtatem illam reſpicere duplex Miniſterium: Aliud eſt *Subordinatum* ſuperiori Poteſtati: Aliud velut *Liberum & Diſparatum* ab omni alia Poteſtate Illud dicitur *Miniſterium ſubordinatum*, quod à ſuperiori Poteſtate ita dependet, ut ipſius Principia, Leges & Ordinationes in ſuis Legibus ſequi teneatur, nec poſſit illis contraire Hoc modo poteſtas humana ſubordinatur Poteſtati Divinæ, ita ut Principia Legum & ordinationum in ſuis Legibus ſequi teneatur, nec poſſit contrauenire. Hoc ſenſu ad Rom. 13. dicuntur *Principes non eſſe timori boni operis, ſed mali*: id eſt, in eo eſſe ſubordinatos à Deo ut malum ſive peccatum à ſuis ſubditis arceant. Undè poſtea dicitur Princeps, *Dei Miniſter tibi in bonum.* Iterum: *Dei Miniſter, vindex in iram ei, qui malum agit.* Et ſubditur: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter Conſcientiam, Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes*: In quibus verbis patenter Apoſtolus diſtinguit Iram ſive Pœnas à Principe humano impoſitas, à reatu Conſcientiæ, & reatum Conſcientiæ ponit in eo quod poteſtas humana ſive Princeps, *Dei Miniſter ſit in hoc Deo ſerviens* ad promovendum verum bonum & avertendum malum. Ex quo ſequitur, Poteſtatem humanam primario Deo ſubordinatam eſſe ut mediis humanis promotionem boni & auerſionem à malo procuret.

Miniſterium ſubordinatum.

Rom. 13. verſ. 3.

Verſ. 4.

Ibid. verſ. 6

Miniſteriū Liberum

Illud dicitur *Liberum & Diſparatum Miniſterium*, quod per ſe Legibus Divinis non ſubordinatur, ſed intra limites rationis humanæ communi hominum bono deſervit: Et in hoc dicitur Princeps *Vindex in iram*, & propter iram timendus, & *Non ſine cauſa gladium portare.* Explico: Pœnam capitis imponit Princeps ei qui Vallum Civitatis tranſcendit; Cuſtodi Civitatis qui portas abertas, etiam abſque ullo periculo, relinquit, Vigili ſi vel ex inaduertentia ſigni, ſivè verbi militaris, vulgò *Le Mot*, oblitus fuerit, imò ſi ſine aliqua culpa ex naturæ gravedine obdormierit. Hæc per ſe culpam & reatum Conſcientiæ non inducunt, à principe tamen iuſte pœnâ mortis vel capitis Lege data mulctantur. Rom. 13, verſ. 4.

Diverſitas obligationum in Lege Humana.

Aduertendum *tertio*, Aliud eſſe, Legem Humanam obligare de facto ad culpam in Conſcientia: Aliud, obligare ex vi Legis humanæ qua humana eſt. Ad obligationem enim in Conſcientia ſufficit, quòd in Lege Humana aliquid ſit quod obliget revera ad culpam in Conſcientia, ſivè illud oriatur ex

vi

vi Legis humanæ, ſive ex alia Lege ſuperiori in illa operante. Ut autem obligatio dicatur eſſe ex vi Legis humanæ, qua humana eſt, debet oriri præcisè ex humana Lege, omni alia excluſa ſive circumſcripta.

Quid tráſgredi ex contemptu.

Advertendum *quarto*, Aliud eſſe, contemnere Poteſtatem humanam, & ei reſiſtere vel rebellem eſſe: Aliud ex fragilitate ſive alia cauſa, citra contemptum vel reſiſtentiam, Poteſtatis humanæ Leges tranſgredi: Qui enim contemnit aut rebellat ſive reſiſtit poteſtati, illam non agnoſcit, eique poſitivè contrarius eſt: Qui vero leges ex fragilitate aut alia cauſa tranſgreditur, Poteſtatem quidem agnoſcit & reveretur, quamvis ex alio incentivo ei in Legibus ſuis non obediat. His ſic prænotatis, pono ad totius Quæſtionis evidentem Reſolutionem ſequentes Concluſiones.

Quid tráſgredi ex fragilitate.

Concluſio I.

Reſiſtere Legi humanæ in re gravi eſt peccatum mortale. Rom. 13. verſ. 2

R*Eſiſtere aut rebellare, ſive adverſari & contemnere poteſtatem humanam Regum, Principum, Magiſtratuu, &c. eſt peccatum mortale contra legem Divinam Poſitivam* Concluſio de Fide ex cap. 13. ad Romanos: *Qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Infra. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter Conſcientiam.* Et alia præclara loca S. Scripturæ vide explicata *Tit. 5. Quæſt* 2. §. 3. per totum.

Verſ. 5.

Concluſio II.

Leges humanæ obligant ad culpam ex vi Legis Divinæ.

L*Eges humanæ, quatenus Legibus Divinis tam Poſitivis, quam naturalibus ſubſerviunt, obligant ad culpam in Foro Dei & Conſcientiæ.* Ratio eſt: Quia hoc titulo aliquid ſemper de Lege Divina participant, virtute cuius homo in Foro Dei & conſcientiæ, reatu culpæ juxta qualitatem tranſgreſſionis mulctatur. Unde ut ſupra notatum eſt, ex hoc Principes dicuntur *Miniſtri Dei in bonum: In hoc ipſum Deo ſervientes.* Et in hoc miniſterio fundantur Scripturæ ſequentes Proverb. 8. *Per me Reges regnant & Legum Conditiones iuſta decernunt: Per me Principes imperant & Potentes decernunt juſtitiam* In hoc enim non tantum Poteſtate humana Principes ſunt, ſed etiam Legislatores per Deum ſua decernere dicuntur: non quia in eos, ſicut in Summum Pontificem & Eccleſiæ Principes, influat ſingulari aſſiſtentia Deus: Sed quia eorum Decreta & Leges coarctantur Divinis Legibus, & eius Juſtitia & Æquitate, quam excedere nõ poſſunt. Unde ſicut in conſcientia ipſi Principes ſub reatu culpæ tenentur in Legibus ferendis ſe cõformare Legibus divinis, adeo ut, ſi excedant vel deficiant, peccent tamquam infideles Dei Miniſtri ſua Poteſtate abutentes: Ita ſubditi tenentur ſub peccato illorum Legibus, in quantum Divinæ Legi conformes ſunt, obedire, obligante eos ipſa virtute Legis Divinæ in illis Legibus ſuam virtutem exercente, Et

Prove. 8. verſ. 15. 16.

hoc bene exprimitur Sap. 6. ubi poſtquam dixit Salomon Poteſtatem datam Regibus & Principibus ab Altiſſimo; Poteſtatis illius rationem, limites ac obligationem exprimere volens: *Qui* (inquit) *interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur Quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis nec cuſtodiſtis Legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis* Ex quibus verbis quædam ſingulariter *nota* in Principibus ſæcularibus, quæ & ab illis ſunt obſervanda. Primò Quod ſicut Summus Pontifex, Epiſcopus, &c. ſunt Miniſtri Dei in Spiritualibus & Sacris, ſive etiam ſupernaturalibus: Ita Reges, Principes, &c. in humanis & temporalibus, ex quibus componitur unum Dei regnum. Secundò utroſque juxta rationem Spiritualis vel Temporalis Status, concludi terminis Legis Divinæ naturalis vel Poſitivæ; juxta quam tenentur. Primò Rectè judicare. Secundò Legem Juſtitiæ in toto ſuo Regimine tam in ſe, quam in Decretis & Mandatis in ordine ad ſubditos cuſtodire. Tertiò In omnibus ſecundum voluntatem Dei ambulare. Quæ omnia manifeſtè oſtendunt Leges Humanas, quatenus obligant ad culpam, Legibus Divinis menſurari & non obligare ad culpam, niſi ob legem Superioris cujus ſunt Miniſtri in eorum Decretis & Mandatis virtute operantem. Vide quæ diximus *loco ſæpe allegato* §. 3.

Sapient. 7. verſ. 4. 5. 3

Concluſio III.

Quando Lex Humana ad culpam nõ obliget.

I*N Materia per indifferenti, & ſecluſo omni eo quod Lege Divina Naturali vel Poſitiva vim obligandi habet: Leges Humanæ non obligant ad culpam.* Huic Concluſioni neceſſariò ſubſcribere debent omnes qui culpam contra Legem Humanam metiuntur, vel ex ratione cõtemptus, vel ratione materiæ, vel conſequentia gravi ac ſcandalo quod ex tranſgreſſione Legis Humanæ oriri poteſt. Hæc enim omnia ex virtute Legis Divinæ oriri manifeſtum eſt: Nam ut Concluſione prima dictum eſt: Ex tranſgreſſione Juris Divini ſive Divinæ Ordinationis oritur, quod contemptus, Rebellio, Reſiſtẽtia contra Principem ſit ex natura ſua mortale peccatum. Quidquid verò in alijs Principum Legibus eſt peccatum mortale ſive veniale, ex radice iſta procedit, quod tranſgreſſionem materiæ Legibus Divinis præceptæ vel prohibitæ contineat, ſive illa ſit intrinſeca ſive extrinſeca ratione ſcandali aut gravis damni Reipublicæ, aut ſingulari perperſonæ imminentis. Nec poteſt aſſignari ulla Lex Humana quæ ſpeciem obligationis in Cõſcientia præ ſe ferat, niſi ex radicibus jam allatis, quarum vis tota Legi divinæ innititur. Declaratur itaque Concluſio pro ſingulis partibus ſuis.

Radix obligationis Legis Humanæ.

Dixi (*in materia per ſe indifferenti*) id eſt, quæ vel non eſt per ſe mala, aut aliqua Lege non eſt præcepta vel prohibita ſub peccato. *Explico*: Prohibet Lex Humana ſub pœna

Digitized by Google

Capitis ne quis mœnia aut vallum Civitatis furtim aut aliter traſgrediatur: Cum hæc materia ſit per ſe indifferens nec ulla Lege ſuperiori divina prohibita: Talis Lex non poteſt obligare ad culpam, etſi millies obligare intẽderet Princeps *Ratio eſt*: Quia excedit forum eius humanum quatenus humanum eſt, nec in tali Præcepto habet ſe ut *Miniſter Dei*, ſed ſimpliciter ut *Pleb Rector & Superior*. Tales ſunt Leges: Ne quis gladium vel arma portet nocte: *Item*, ut certo tempore claudantur portæ Civitatis: *Item*, de habilitatibus & inhabilitatibus quibuſdam merè Civilibus & ex mero Principis inſtituto, ne quis ad Magiſtratus officia, &c poſſit talibus notatus promoveri: quarum omnium Legum & Præceptorum tranſgreſſio nequaquam ad peccatum mortale obligare poteſt.

Dixi (*ſecluſo omni eo quo Lege Divina Naturali vel Poſitiva vim obligãdi habet*) quæ enim per ſe indifferentia ſunt quandoque ab extrinſeco & ex accidenti poſſunt fieri mala, & inordinationem aliquam contra Divinam Legem participare. *Explico*. Tranſgredi vallũ vel foſſas Civitatis, eſt per ſe indifferens: Si quis tamen id faceret ad introducendum hoſtem vel proditoriè tentandum locum, mortaliter peccaret ob finem malum quem intendit. *Item*: Non claudere portas hora præcepta per Legem, res indifferens eſt ad culpam, ſi tamen periculum grave immineret Civitati ab hoſte, quod portarum cuſtodiam habens advertere debuit, mortaliter peccaret imminenti periculo hoſtium Civitatem exponens, ob detrimentum quod Civibus evenire poſſet. Sic in omnibus quæ obligant ad culpam, ſemper aliquid reperitur ſive intrinſecum ſive extrinſecum, quod indifferentiam tollat & humano Præcepto & Legi aliquid Lege ſuperiori prohibitum, vel præceptum ſuperaddat.

Concluſio III.

Lex humana obligat ad pœnas.

P*Roprium eſt humanæ Legi, quatenus humana eſt, obligare ad pœnas temporales, etiam uſque ad mortem corporalem* Unde ad Rom. 13. Principibus ſæcularibus in inſigne poteſtatis attribuitur Gladius: *ſi malum* (inquit) *feceris, time: Non enim ſine cauſa gladiũ portas*. Et ibidem dicitur: *Vindex in iram ei, qui malum agit*. Et 1. Pet 2. dicuntur: *Duces populi miſſi ad vindictam malefactorum & laudem bonorum*. Et Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & Animam & corpus perdere in gehennam*: Similia habentur Lucæ 12 Quibus verbis patenter diſtinguit inter Poteſtatem Divinam & Humanam Sæcularem ſive Politicam: Quod Divina poſſit imponere reatum damnationis pœnæ æternæ, Humana verò præcisè ſumpta, abſque omni Divinæ Poteſtatis participatione, non poſſit niſi pœnas temporales & mortem.

Rom. 13. verſ. 4.

1 Pet. 2. verſ. 14.

Matt. 10. verſ. 28.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint ſigna obligationis ſive ad Culpam, ſive ad Pœnam in Lege Humana?

ETſi hæc Quæſtio videatur in præcedenti Quæſtiõe & alijs ſuperioribus Titulis ſatis reſoluta: ad pleniorem tamen explicationem & faciliorem memoriam, quaſi recapitulando, pono duas Regulas.

REGULA I.

Q*Vandocumque tranſgreſſioni Legis Humanæ annexa reperitur vel formaliter vel cauſaliter tranſgreſſio Legis alicuius Divinæ Poſitivæ ſive Naturalis, aut proximum eius periculum, Lex humana cenſetur obligare ad peccatum in Foro Dei & Conſcientia iuxta materiæ & circumſtantiarum qualitatem.* Hæc Regula in ſuperioribus manifeſta eſt: Tria enim ſunt ſigna obligationis ad culpam in Lege Humana: Materia, Effectus conſequens, & periculum proximum peccati: Ubi autem illa non reperiũtur, nullus unquam Doctorum obligationem aliquam ad culpam agnovit: Cum enim Lex juſta eſſe debeat, juſtè ad peccatum obligare non poſſet ubi nec materia malitiam annexam habet, nec ex illa aliquod malum aut mali periculum naſceretur.

Tria ſigna obligationis ad peccatum in Lege Humana.

REGULA II.

V*Bi in tranſgreſſione Legis Humanæ materia in ſe vel in cauſa ſive effectu nõ videtur alicujus peccati vel malitiæ; Lex Humana tantum cenſetur obligare ad pœnam vel culpam aliquam civilem in Foro Civili & Politico.* Hæc Regula ex ſuperiori infertur, & ex dictis ſatis eſt declarata. Sed reſtat Dubium unicum ut tota materia de Lege Humana bene penetretur.

Signa obligationis ad pœnam tantum.

DUBIUM.

An Lex Humana aliquid addat obligationi quæ ex Lege Divina naſcitur, ubi materia eſt communis?

SEnſus hujus Dubitationis, Exemplo declarari poteſt: An *Ex. g.* Lex Humana prohibens homicidium vel furtum ſub pœna mortis temporalis, capitis, vel ſuſpendij, aliquid in Conſcientia ſuperaddat ad Præceptũ Dei, *Non occides*, vel *Non furtum facies*?

Reſolutio.

R*Eſpondeo primo*: Præter pœnam æternam & temporalem, Poteſtatem Sæcularem poſſe ſuperaddere Præcepto Divino ſive etiam Eccleſiaſtico obligationem culpæ in Cõſcientia. Hæc Reſponſio declaratur ex obedientia Filiorum ad Parentes: Quemadmodum enim Filij in Conſcientia non modò tenentur Parentibus ad amorẽ & reverentiam, ſed etiam ad obedientiã juxta illud ad Ephes.

Lex humana poteſt culpam ſuperaddere Divino præcepto.

6. *Filij*

Epheſ. 6. Verſ. 1. Colloſ. 3. verſ. 20.

6 *Fi'ij obedite Parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.* Et ad Colloſ. 3. *Filij obedite Parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino.* Ea quibus inferunt communiter Doctores; Filios ſpeciali titulo inobedientiæ peccare, ſi Parẽtum mandatis non obediant in ijs quæ ſpectant ad bonos mores, Animæ ſalutem, & Familiæ bonum neceſſarium. Ita ſine dubio de Principibus & Magiſtratibus philoſophandum eſt: Sunt enim Parentes & Domini noſtri, quibus obedientiam jure Divino debemus: ut ſufficienter docuit S. Paulus ad Rom. 13. unde 1. Pet. 2. dicitur: *Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis,* &c. *Quia ſic eſt Voluntas Dei.* Infra: *Regem honorificate: Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Ut autem doceat id pertinere ad Conſcientiam, ſubdit. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte* Et demum: *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis?* In quibus verbis duo notanda ſunt. Primo patienter nos debere interdum ferre moleſtias à Poteſtatibus illatas quamvis injuſtè, propter Conſcientiam Dei, hoc eſt, quia abſque læſione obedientiæ reſiſtere non poſſumus. Secundo Si aliquando juſte puniunt, id ſupponere quod peccaverimus, hoc enim indicat particula *Peccantes*, quæ omnia planius exponuntur ad Tit. 2. Ad Colloſ. 3. Ubi obedientia ſervorum ad Dominos explicatur tam in materia, quam in forma & fine obediendi.

1. Pet. 2. v. 13. 14. 15. — verſ. 17. 18. — verſ. 19. — verſ. 20.

Ea quibus omnibus: *Infero.* Quod ſicut præceptum Parentum præcepto Dei ſuperadditum in Conſcientia obligat, & tranſgreſſoribus in Conſcientia inobedientiæ peccatum inducit: ita Præcepta Principum & Regum ac poteſtatis Politicæ, ubi eſt materia & cauſa ſufficiens, præter peccatum contra ſpecialem Divinam Legem Naturalem vel Poſitivam, inobedientiæ culpam in Conſcientia ſuperaddere poſſe.

Dixi (*ſuperaddere poſſe*) Hoc enim pendet ex Legiſlatoris Voluntate & Intentione: Poteſt enim tantum intendere pœnas & non culpam interiorem conſcientiæ, nec ad præceptum obedientiæ ſibi debitæ urgere. Nec hoc obſtat dictis à nobis de foro humano poteſtatis Sæcularis; hæc enim poteſtas præcipiendi Divino Jure illi advenit, & ſi quæ culpa eſt Conſcientiæ in virtute obedientiæ Divino Jure ſubditis impoſitæ, illa naſcitur mediante Præcepto humano.

Lex humana aliquando ad culpã ex ſui natura obligat.

Reſpondeo ſecundo: Multa in Lege Divina Naturali & poſitiva eſſe demandata in genere quæ Præceptis humanis Poteſtatis tũ Eccleſiaſticæ tũ civilis determinari debent: ut ſunt, ordo charitatis, ſalus publica, bonum comune, juſtitiæ adminiſtratio, quæ in particulari diffiniri non poſſunt niſi publica Poteſtate: Cum enim homo in ſeipſum naturaliter reflexus, ſuum ſpeciale bonum omni alteri individuo bono naturaliter præponat, & cum ipſe ſibi ſit velut menſura charitatis & juſtitiæ ad alterum, juxtà communia Axiomata: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et: *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et: *Omne Ens eſt naturaliter ſui conſervativum*: Et: *Vim vi repellere licet,* &c. ſolet ſeipſum ſuumque bonum bono proximi præferre, non habita ratione communis boni corporis moralis, qualis eſt Reſpublica & Civitas: Quapropter Deus poteſtatẽ publicam ordinavit, & ei ordinis charitatis, Publicæ ſalutis, boni comunis & juſtitiæ determinationem & adminiſtrationem commiſit: ne Bonum publicum & Societas detrimentum pateretur: & ut per publicam poteſtatẽ Leges & Præcepta decernerentur, quæ Generalia Divinæ Legis principia determinarent, & de illorum applicatione definirent, ac conſcientias obligarent tanquam Leges originativè à Miniſtris Dei procedentes. Unde ex hoc capite Leges Humanæ in Conſcientia ad Culpam obligant, quia à publica Poteſtate Humana in determinandis generalibus Principijs Legum Divinarum, quatenus publico Regimini deſerviunt & applicandæ ſunt, Dei ordinatione procedunt Quod unicum diligenter notandum eſt ad Controverſias, quæ inter Catholicos Doctores ſubortæ ſunt, ſopiendas, quibus alter alterum erroris in Legum materia condemnare videtur

Matth. 7. verſ. 12.

Legiſlatori Humano in nonnullis relicta eſt Divina Legis determinatio

Aſſignata autem doctrina exemplis ſic declaratur: Poteſtas publica indicit communia & juſta vectigalia & tributa, etiam in detrimẽtum rei familiaris & particularium ſubditorũ: Tenetur ſubditus in Conſcientia illa ſolvere etiam cum ſui & familiæ detrimento & jactura: Quia ordo Charitatis ac Juſtitiæ & ſalus publica requirit, ut prius provideatur principi tanquam Capiti Reipublicæ, aut ipſi Corpori Reipublicæ conſervando, quam particulari Civi aut ſubdito, hac Regula generali, Melius eſt ut pereat unum membrum, quam totum corpus diſſolvatur *Item*: dantur Leges Contractuum quæ videntur particularibus contrahentibus vel præjudicium inferre, vel libertatem adimere ad evitandas fraudes, dolos, vel nonnullas difficultates quæ toti Reipublicæ præjudicarent. *Item*: Legibus Ex. g. Gandavi prohibitũ eſt: Ne Donationes fiant inter virum & uxorem durante Matrimonio: ad providendũ injurijs multis, quæ inde naſci poſſent hæredibus, ut ad conſervationem Familiarum & Reipublicæ. Hæ itaque Leges obligant in Conſcientia, etiamſi ab Humana Poteſtate ferantur & inter Humanas Leges reputentur; quia generalia Principia Legis Naturalis Divinæ per mandata hominũ, qui Poteſtate à Deo ordinata præſunt, determinantur & materijs ſuis applicantur juxtà ordinem Juſtitiæ & charitatis, qui ordo in ſimilibus publica Poteſtate determinari debet ad commune bonum conſervandum & avertenda mala.

De Vectigalibus.

APPEN-

APPENDIX I.

De Lege Pœnali.

EX dictis patet: Quæ dicenda ſit Lex purè Pœnalis, ad evitandas multas controverſias. Illa enim dicitur *pura pœnalis*: Quæ non habet annexam materiam vel circumſtãtiam peccati ſive culpæ in Conſcientia. Illa verò dicitur non habere annexam materiam peccati vel circumſtantiæ peccaminoſæ, cujus materia aliqua ratione contra principia Legum Divinarum tum generalia tum particularia non militat.

Petes: An Poteſtas Civilis poſsit Legem purè Pœnalem ferre, ubi materia eſt de ſe peccaminoſa in Foro Dei & Conſcientiæ? *Ex. g.* An poſſit Civilis poteſtas prohibere Homicidium ſolum ſub pœna Capitis, abſque obligatione in Conſcientia?

Reſpondeo primo, Poſſe & frequenter facere; Non enim plùs obligat Lex Humana quam intendit Legiſlator obligare, atqui poteſt intendere tantum obligare ad pœnam, ergo ſi non plus intendit, non plùs Lex obligat. Dico (*frequenter etiam facere*) Arbitror enim in Legibus Humanis, ubi gravis pœna imponitur, etſi pœna ſit ſignum gravis peccati contra Legem Divinam, ſalutem aut bonum publicum, &c. non idcirco obligationi, quæ eſt ex Lege Divina & eius Principijs, ſuperaddi culpam novam virtute Legis humanæ præcisè, ſed relinqui totam obligationem ad culpã prout in Foro Dei & Conſcientiæ ex natura tranſgreſsionis impoſita eſt, niſi aliud exprimatur. *Explico*: Juſtitia publica prohibet furtum ſub pœna ſuſpendij: Cum furtum in materia gravi Lege Divina ſit prohibitum cum obligatione ad culpam moralem & damnationem æternam, credo ordinariè culpam non ampliari per ſuperadditam Legem Humanam; ſed ex parte Legis Humanæ obligationem eſſe ad Pœnam temporalem. Unde nemo indicat furem de carcere fugiendo & ſe eripiendo de manu Juſtitiæ ſimpliciter in Conſcientia peccare; ſed tantum pœnis Legum mulctari. Quòd ſignum eſt obligationem Legis, quantum eſt ex parte poteſtatis Civilis; eſſe purè Pœnalem, quam qui poteſt & quantum poteſt abſque culpa effugit. Et magis declaratur in Lege quæ Furi imponit reſtitutionem in quadruplum: Fur enim non tenetur in Conſcientia reſtituere quadruplum ſed ſufficit ut ſimplum ſive damnum ad æqualitatem reſtituat, quæ Pœna ei in Foro Dei & Conſcientiæ ex natura furti competit: Quod autem amplius eſt tanquam à Lege Humana procedens, pœna Civilis eſt in Conſcientia non obligans, qualis erat etiam Lex Judicialis apud Hebræos de reſtitutione quadrupli.

Nota.

Dixi autem in reſponſione: *Legiſlatorem frequenter ad ſolam Pœnam obligare*: Aliquandò enim intendere poteſt inobedientiæ culpam, aliquandò Legem Divinam Generalem determinans, cenſetur culpam etiam intendere, quæ ex natura Legis Divinæ ſic applicatæ naſcitur.

Reſpondeo ſecundo, Etiamſi Legiſlator Civilis non intẽdat ex ſe obligare ad culpam: Non poſſe tamen tollere culpã quæ ex natura materiæ vel circũſtantiæ peccaminoſæ, & tranſgreſſione legis Divinæ oritur. *Ratio eſt*: Quia non poteſt diſpenſare in Lege Divina, aut ejus obligationem impedire. Ad explicandas verò multas in hac materia Legis Pœnalis difficultates & caſus reſolvendos. Nota.

Advertendum eſt: Triplicem eſſe pœnam quæ per Leges imponi conſuevit: Alia enim peccatum ſupponi annexum: Alia ita tranſgreſſioni conjuncta eſt ut etiam ſubiri deberet, etiamſi Lege non imponeretur. Tertia pœna omninò à ratione peccati diſparata eſt nec ad peccatũ per ſe ex natura ſua ullatenus refertur. *Explico exemplis*: Pro *primo* itaque *membro* aſſignantur pœnæ ſpirituales Eccleſiaſticę ut ſunt Excommunicatio, Suſpenſio, &c. Nunquam enim Excommunicatio Latæ Sententiæ vel Suſpenſio per Legem imponitur, niſi ſuppoſita culpa mortali propter quam pœnæ illæ feruntur. Pro *ſecundo membro* exemplificatur in reſtitutione bonorum, famæ, &c. ſatisfactione injuriæ annexæ. Pro *tertio membro* faciunt pœnæ externæ, *v. g.* mortis, carceris, flagellationis, exilij, ſpoliationis bonorum, &c. quæ ſola voluntate Legiſlatoris vel Judicis imponuntur. Rurſùs Pœnæ poſſunt imponi vel in Foro Dei & Sacramenti Pœnitentiæ, vel in Foro Fori & externo. His ſic prænotatis, pono ſequentes Regulas. *Triplex pœna per Legem imponitur.*

REGULA I.

POenæ quæ in Foro Dei & Sacramẽti imponuntur, non ſunt materia Legum purè Pœnalium. *Ratio eſt*: Quia non imponuntur niſi ob aliquam culpam, nec abſq; culpa per ſe poſsũt omitti Regula manifeſta eſt: Dei enim mandatũ non poteſt eſſe inefficax, & cum ejus vis coactiva oculum omnia videntem ſequatur, nõ eſt qui ſe poſsit ab ipſius potentia abſcondere: Ideoq; niſi Deus condonet, aut Peccator ſatisfaciat, ipſe pœnæ debitæ ſemper Reus eſt ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro. Quod proportionaliter pœnis in Sacramẽto Pœnitentiæ impoſitis attribui debet, quæ in Foro Dei obligãnt, niſi (ut dixi) vel aliundè remittantur, vel alia ſatispaſſione ſuppleãtur. Huc etiam pertinent pœnæ, quæ in votis pœnalibus ſive ad pœnam obligantibus oriuntur: Ut ſi quis voveat Deo ſervare Caſtitatem ſub Pœna jejunij per octo dies in pane & aqua; ſi enim Caſtitatem violaverit, propter peccatum commiſſum, in Foro Dei tenetur ad jejunij Pœnam ſpecificatam. *Pœna in Sacramento impoſita.*

Dixi ſupra (*in Foro Dei & Sacramenti*) Multæ enim ſunt pœnæ à Deo impoſitæ, quæ tamen in Foro Dei non obligant, ut erant omnes ferè Pœnæ Judiciales in Antiquo Teſtamento *Ex. g.* Pœna lapidationis impoſita violanti Sabbathum, nõ obligabat violantẽ Sabbathum

Digitized by Google

bathum in Foro Dei; ſed tantùm in Foro Externo: Non enim qui violauerat Sabbathū, tenebatur ſe accuſare, aut ſe lapidationi exponere; ſed poterat peccatum ſuum occultare, & è manibus lapidantium fugere abſque peccato. Similiter dici debet de Pœnis in Canonibus Pœnitentialibus contentis, quæ non imponebantur niſi pro peccatis ad Forum Externum deductis, nec in Foro Dei & Conſcientiæ obligabant.

REGVLA II.

Pœnæ peccatum ſupponentes.

POenę quæ ſupponunt peccatum, non pertinent ad Leges purè Pœnales. Tales ſunt Pœnæ ſpirituales Excommunicationis, Suſpenſionis, &c. Hæc enim ſi per Leges actu (ſivè ut dicunt) lata ſententia ferantur, ſemper culpam annexam habent, & idcircò qui Lege latâ prohibet aliquid ſub Pœna Excommunicationis vel ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda culpam annexam ſupponit, ratione cuius Pœna incurritur, adeoque Lex mere Pœnalis dici non poteſt.

REGULA III.

Pœna aliquibus neceſſario annexa

QUandò Lex imponit aliquam Pœnam ad quam, etiam nulla Lege poſitâ, ſubditus ſub peccato obligatur, non eſt purè Pœnalis: *Explico exemplo*: Lex prohibens furtum ſub Pœna reſtitutionis, calumniam ſub Pœna talionis, &c non eſt purè Pœnalis: Quia etiamſi nulla eſſet poſita Lex, ex natura Juſtitiæ Fur teneretur ad reſtitutionem, Calumniator ad reparationem juxta rationem Juſtitiæ & Æquitatis: Nam ſi Lex præcipiat *v. g.* reſtitui quadruplum, aut Pœna in reparatione injuriæ læſionem multùm excedat: Omnis exceſſus Pœnæ in Lege, cenſetur pertinere ad Legem pœnalem puram, & in Conſcientia non obligare. *Explico*: Non tenetur Fur in Conſcientia ad quadruplum, nec Calumniator ad excellentem reparationem, ſed tantùm ad ſimplicem reparationem juxta rationem injuriæ.

REGULA IV.

Pœnæ à peccato diſparatæ.

POenæ impoſitæ per Leges, quæ nullam cum peccato connexionem habent, non obligant tranſgreſſores Legis in Conſcientia ut illas ſubeant; ſed ſunt purè Pœnales. Hæc iterùm Regula clariſſima eſt, & in humanis Legibus exemplificari poteſt: Ex. g. Pœna capitis, ſuſpendij torturæ, confiſcationis bonorum, mulctæ pecuniariæ quæ non referuntur ad reſtitutionem vel damni reparationem, &c. non obligant in Conſcientia ut Tranſgreſſor illas ſubeat, ubi illas evadere poteſt: ſed tantùm in Foro Externo reſpectu Poteſtatis externæ & coactivæ. Hæ omnes Regulæ poſſunt caſibus pluribus applicari, & enodationi multarum Quæſtionū, quæ apud Auctores longè & latè diſputâtur, deſerviunt, ad quas omnia fere quæ de Legibus Pœnalibus Jure Divino Eccleſiaſtico & Humano diſputantur, referri poſſunt & ex illis reſolvi. Nos ſuis locis illas materiæ occurrenti applicabimus.

COROLLARIUM.

EX dictis porro manifeſtum eſt. Primò Leges purè pœnales non poſſe obligare in Conſcientia. Secundò Quæ Leges debeant dici purè pœnales. Tertio Quando pœna in Legibus expreſſa tranſgreſſorem obliget in Conſcientia ad illam ſubeundam. Quarto Non pendere ab intentione ſola Legiſlatoris ut Lex Pœnalis ad pœnam in Conſcientia ſubeundam obliget, ſed rationem habendam materiæ cui annexa eſt Pœna, & actus ipſius Tranſgreſſoris.

APPENDIX II.

De contemptu Legiſlatoris vel Legum prout inducit peccatum.

QUia Doctores ſæpe loquuntur de peccato Contemptus qui addere videtur ſpecialem malitiam in Tranſgreſſore & tranſgreſſione Legis. Hic volui per modum Appendicis totam rationem Contemptus annectere.

Primo igitur *Advertentum* eſt: Contemptum tripliciter accipi. *Primo*, ut eſt *Appretiatio* ſivè æſtimatio rei vel perſonæ minus juſto, Quomodò dicitur Prælatus minùs æſtimari dum eius dignitas, doctrina, prudentiaque minoris fit quàm ſit, ſivè in æſtimatione ſubditi minuitur. *Item*: *Legis* contèmptus dicitur, quandò Lex aliqua minus æſtimatùr, ſivê quia creditor minùs rationabilis, minùs juſta, ſivè quia putatur minoris neceſſitatis quàm ſit: Qualiter Regularis interdùm parū æſtimabit Legem, quæ injungit ſilentium in locis Regularibus, vel continet prohibitionem bibendi in domibus Sæcularium, &c.

Secundo, Contemptus dicit Actum ſecundum ex illa æſtimatione procedentem: *V. g.* Quia aliquis minoris æſtimat Legem & Legiſlatorem, illius obſervantiam quaſi negligit, vel non ità curat ita ut tranſgreſſio Legis oriatùr non tam ex cōtemptu Legis aut Legiſlatoris, quàm ex quadam negligentia, quę ex minori æſtimatione originem ducit.

Tertio, Contemptus dicit formalem quandam aſpernationem, vilipendentiam, deſpicientiam Legis aut perſonæ Legem ferentis & ipſius obſervationem urgentis, quà homo velut dedignatur ſubjici perſonæ aut ordinationi Legis.

Ex quibus *conſtat*, quòd etſi Contemptus radicaliter ſit in intellectu in quantùm æſtimationem injurioſam includit: Formaliter tamen (prout in tranſgreſſionem Legis influit) illum eſſe in Voluntate vel negligente vel deſpiciente, ſivè ex deſpectu & dedignatione nolente Legi obedire, vel Legiſlatori ſubjici.

Advertendum ſecundo: Aliud eſſe ex advertētia, malitia, paſſione vel prava conſuetudine Legē tranſgredi: Aliud eſſe trāſgredi ex Contemptu: poteſt enim quis malitioſè Legem

tranſ-

tranſgredi ex quadam vehementi paſſione& indignatione, quamvis in ſe & illius gravitatem ſatis expendat, & Legislatoris dignitatem, nec contemptu aliquo ad eius tranſgreſſionem moveatur.

Advertendum tertio: Aliud eſſe tranſgredi Legem *ex Contemptu*: Aliud tranſgredi *cum Contemptu*: ille enim dicitur tranſgredi Legem ex *Contemptu*, quando Contemptus Legis&perſonæ ita eſt cauſa tranſgreſſionis, ut ſi abeſſet ille Contemptus, homo non tranſgrederetur Legem: ſive quando Contemptus eſt cauſa totalis ipſius tranſgreſſionis: ſicuti ille dicitur tranſgredi Legem ex ignorantia, quando ignorantia eſt cauſa tranſgreſſionis, ita ut ſi ignorantia abeſſet, aliquis Legem non tranſgrederetur.

Ille vero dicitur Legem tranſgredi *tum Contemptu*, qui quamvis contēptum nonnullum ſive Legis ſive perſonæ habeat in intellectu & Æſtimatione, Contemptus tamen non eſt illi motivum tranſgreſſionis, ſed vel fragilitas vel infirmitas aut vitioſa aliqua affectio: ita ut quamvis abeſſet contemptus; tranſgreſſio tamen ſequeretur. His ſic prænotatis, pono ſequentes Regulas.

REGULA I.

Quando dicatur propriè peccare ex contemptu.

NEmo dicitur propriè peccare ex Contemptu, niſi ubi Contemptus eſt cauſa motiva ſive influens in ipſam tranſgreſſionem. Hæc Regula benè attendenda eſt: Aliud enim eſt peccare *per Contemptum*, Aliud ex *Contemptu*. Ille autem dicitur peccare *per Contemptum* qui iniuriam irrogat alicui Perſonæ, quia illam minùs æſtimat, ubi magis tenetur æſtimare: Vt qui negat ſuffragium alicui digno, quia minùs æſtimat illum, cùm tamen teneatur illum magis æſtimare. Ille vero dicitur *ex Contemptu* Legem tranſgredi ſive peccare contra Legem, qui negligit vel renuit Legi obedire, motus ob ſolam minorem æſtimationem vel deſpicientiam Legis vel Legislatoris. Unde quis poteſt contemnere perſonam & Legem eius, & nihilominus alio motivo Legem ſervare: utpote, quia timet pœnas aut notam, vel quia Legis obſervatio ſibi opportuna eſt: & talis peccabit quidem ex contemptu perſonæ contra Juſtitiam vel Charitatem Non tamen ex contemptu Legis Tranſgreſſor reputabitur.

REGULA II.

Quando Contemptus eſt mortale peccatum?

TRanſgredi Legem ex gravi Perſonæ legitimi Superioris contemptu, eſt ſemper peccatum mortale Hæc Regula clara eſt: Qui enim cōtemnit Perſonam quæ Superior& Legislator eſt, contemnit Poteſtatē ei9, *Qui autem Poteſtati reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtunt, & ipſi ſibi damnationem acquirunt*: ad Rom. 13. Omnis enim Superioris legitimi Poteſtas à Deo eſt, ut alibi docuimus.

Rom. 13. verſ. 2.

Dixi (*ex gravi Perſona contemptu*) Si enim Contemptus dūtaxat ſit levis ex hoc capite peccatū etiā leve erit. Attendenda eſt enim ratio æſtimationis& actus eius: Poteſt uti quē quis leviter minùs prælatum æſtimare, & in actu ſecūdo min9 deferre mandatis eius (vtpotè, quia apparet imprudens, vel minùs providus,) intra venialis peccati rationē: Si verò vel in animo gerat gravem deſpicientiā, dedignationē, vilipēſionem, ita ut ideò renuat obedire mandatis Prælati, certum eſt, quod etſi levis materia eſſet, quia tamen gravis iniuria ſit Legitimo Superiori, & in illum contemptus redundat, ex hoc capite ſemper eſt peccatum mortale.

Dixi (*Legitimi Superioris*) Aliud eſt enim perſonæ mandata contemnere quia iuſtè pro Legitimo Superiore non habetur, ut ſi eius Superioritas ſit controverſa: Tunc enim nō eſt cōtemptus perſonæ Superioris ſimpliciter; ſed iuſta renitentia contra prætenſam auctoritatem: modò tamē renitentia illa remaneſt intra terminos Juſtitiæ & Æquitatis Tenetur enim quis obedire: ſi actu talis perſona pro Superiore habeatur& toleretur, nec à Jure vel ab Homine Superioritate ſpoliata ſit.

REGULA III.

Contemptus Legis peccatum mortale.

TRanſgredi Legem ex iniuſto contemptu Legis in re gravi, eſt peccatum mortale. Regula etiā manifeſta eſt: Quia talis iterùm tranſgreſſio in Poteſtatem & ordinationē Dei redundat, & gravem iniuriam irrogat auctoritati Legū & mandatorum quibus conſervatur Reſpublica. *Exempli* Rex aut Magiſtratus mandat ut nemo bombardā aut ſclopetum in regione aliqua, vel de nocte in civitate ferat, propter homicidia, latrocinia & id genus mala avertēda, quæ accidere poſſunt vel accidiſſe noſcuntur: Aliquis in deſpectū vel vilipenſionē illius Legis, aliàs non factur9, vadit bōbardā vel ſclopeto armatus, peccat mortaliter: quia iſta vilipenſio redundat in gravem Poteſtatis & Auctoritatis Regiæ & Senatoriæ iniuriam, ac publicæ obedientiæ detrimentum. Aliud eſt ſi ad ſui conſervationem in privato abſq; aliquo contemptu id faceret. *Item* in Spirituali Poteſtate: Præcipit Superior Religioſis ob abuſus qui communiter ſerpunt, ne quis domum aliquam ingrediatur, vel ne quis bibat in Civitate: Si quis hoc præceptum contemnat, & eò ipsò quia præceptum eſt, illud per quandam vilipenſionem tranſgreditur, Tranſgreſſio illa mortalis eſt, etſi materia de ſe mortalis non eſſet.

Nota.

Dixi in Regula (*ex iniuſto contemptu Legis*) ſi enim ſine ulla tergiverſatione materia Legis ſit levis, & ſine ac circumſtantijs benè ponderatis iudicetur Lex iniuſta, aut non digna tanta pœna: Tunc qui ex tali iuſta æſtimatione levitatis, injuſtæ, vel inutilitatis Legis illam tranſgreditur, non cenſetur tranſgredi ex injuſto contemptu, ſed ex juſta rei ponderatiōe æſtimans Legem prout eſt, etſi minus illā æſtimet quam Legislator. *Ex.g.* Rex imponit graves pœnas, vel etiā intēdit in Cōſcientia obligare, promulgādo aliquā legē in

inœris

materia quæ tam ex ſe, quàm ex conſequentia & circumſtantiis verè non eſt capax talis obligationis, & ratione cujus prudens Theologus judicaret Regem in Conſcientia non poſſe obligare, &c. Qui ex hac æſtimatione Legem transgreditur, non cenſetur peccare: Quia non tam contemnit Legem, quàm eam intra terminos æquitatis & veritatis expendit. Cavendum tamen eſt, ne errore, ignorantia, vel hallucinatione proprii Intellectus quis decipiatur. Et ubi eſt dubium, ſemper in favorem Legis & Legislatoris judicandum eſt: Quia ut docuimus: In dubio de obligatione Legum, Lex poſſidet: Et Legis placita opinionibus ac interpretationibus ſubditorum non ſubjiciuntur. Et ſupponendum eſt Superiorem cauſas habere cur ita præcipiat, ſi manifeſtus error, ac gravamen injuſtum non appareat. Omnis enim Lex, ut ſæpe notavimus, debet eſſe Juſta, Rationabilis, Obſervabilis, bono Communi Accommodata. Talis autem ſemper eſt habenda quamdiu de contrario abſque ulla tergiverſatione non conſtat. Undè: Videant qui Leges Superiorum ſecundùm affectus proprios librant: Qui de ſuis Superioribus contemptibilia Judicia faciunt: Qui, ut ſuæ libertati abblandiantur, transgreſſiones & peccata ſua in ſuos Prælatos rejiciunt, quaſi interdùm defectus doctrinæ, prudentiæ, morum, &c. in Prælatis eſſent, ſibi ſuarum incentiva Transgreſſionum: quos tamen nec doctrina, nec ſapientia, nec vitæ bonitas alterius Superioris unquam compeſcere potuit: Ex quo pleni contemptu & deſpicientiâ eſſe convincuntur, &c.

Nota. *Nota.*

T I T V L V S X.

De Conſuetudine.

Q U Æ S T I O I.

Quid ſit Conſuetudo?

C O N C L U S I O U N I C A.

Diffinitio Conſuetudinis.

C*Onſuetudo eſt Ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cùm deficit Lex.* Ità Iſid. lib. 5. Etym. citatus à Gratiano Diſt. 1. cap. Conſuetudo.

Dicitur (*Ius quoddam*) id eſt, juſta quædam facultas ad agendum, utendum, vel poſſidendum, &c.

Dicitur (*moribus inſtitutum*) id eſt, quod per ſe dictamine Legis Naturalis, Scripturâ, vel Verbo non eſt traditum, etſi tamen poſteà tradi poſſit.

Dicitur (*quod pro Lege ſuſcipitur*) id eſt, pro Regula rationabili directiva humanæ actionis, qualis eſt Lex.

Dicitur (*cùm Lex deficit*) id eſt, cùm Lex Divina Naturalis, vel Poſitiva, Eccleſiaſtica, vel Civilis Humana, contraria non apparet, vel in vigore non eſt.

Conſuetudinis approbatæ Conditiones.

Ex quibus ſequentes colligo conſuetudinis approbatæ conditiones. *Prima*: Ut ſit Juſta, id eſt, Rationi & veritati conſentanea: Si enim à ratione & veritate diſſentiat, corruptela dicenda eſt, non conſuetudo. Undè Nicolaus Papa Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo apud Gratianum di. 8. *Mala* (inquit) *Conſuetudo quæ non minùs quàm pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citius radicitùs evellatur, in Privilegiorum Ius ab improbis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ, pro Legibus venerari, & Privilegiorum more perpetuò celebrari.* Hæc ille. Quæ quidem Sententia Nicolai Papæ, plurimùm notanda eſt: Hinc enim tot pravæ cõſuetudines ſub titulo Privilegiorum inoleverunt, & quamvis contra Leges Divinas Naturales & Poſitivas, vel obligationes Perſonæ aut ſtatus dignoſcantur eſſe, nihilominùs ſub ratione Conſuetudinis aut Privilegii impiè defenduntur: Undè S. Aug. *lib. 3. contra Donatiſt. ca. 6.* citatus à Gratiano *diſt. 8. cap. veritate manifeſtata. Nemo* (ait) *conſuetudinem rationi, & veritati præponat: quia conſuetudinem ratio, & veritas ſemper excludit.* Et Iſidor. *lib. 2. in Synonymis cap. 16.* apud eundem Gratian. *diſt. 11. cap. uſus. Vſus* (inquit) *auctoritati cedat: pravum uſum lex, & ratio vincat.*

Prima. Nicolaus Papa ad Gratian. diſt. 8.

Nota.

S Auguſt. apud eundem.

S Iſidor. apud eundem diſt. 11

Secunda.

Conditio ſecunda: Ut ſuſcipiatur pro Lege: Nimirùm, obligante. Undè non ſufficit aliquam Conſuetudinem communi uſu receptam eſſe ob decentiam, pietatem, honeſtatem, utilitatem, quæ in illa continetur, niſi etiam ſub obligatione Legis ſuſcipiatur, etſi fortè ob firmatam Conſuetudinem & continuatum uſum aliquibus ſcrupuloſis ingeniis videatur vitioſum ab illa recedere: Poteſt enim vitio deputari receſſus à moribus melioribus, & quæ perfectioni deſerviunt, non tamen propterea iſte receſſus peccatum judicari debet, quia Conſuetudo illa per modum Legis obligantis ſuſcepta non eſt: Transgreſſio itaque hujuſmodi Conſuetudinis eſt defectus fervoris vel pietatis, peccatum autem dici non poteſt. Hinc mihi ſemper viſa eſt dura quorumdam opinio, quæ Moniales ſub peccato mortali obligat ad Officium Divinum & Horas Canonicas in ſpeciali & privato dicendas, quæ nec per Regulam nec per Legem ad illas dicendas ſub peccato mortali obligantur, pro fundamento allegantes Conſuetudinem Ordinis ſivè Congregationis: Deberent enim probare Conſuetudinem illam per modum Legis ſub determinata obligatione peccati mortalis fuiſſe communi uſu & conſenſu receptam, quod probare non poterunt: Ad ſummum enim conſuetudo illa ſancta induet formam Statuti vel Conſtitutionis: conſtat verò Conſtitutiones & Statuta in Ordinibus, ſeclusâ materiâ aliàs obligante, non obligare ad peccatum mortale. Nec obſtat quod plurimæ putent ſe offendere mortaliter, hoc enim imputandum eſt fœmineæ credulitati, vel ignorantiæ, aut ſcrupuloſitati Confeſſariorum, aut Conſcientiæ erroneæ. Aliud eſſet de perſolvendo Officio in Choro, quod ſæpè juſtitiæ contractum includit, ratione fundationum, vel quia ſtatui in genere eſt annexum: Sed de his

Nota.

Regula n-ſtilu.

aliàs. Interim ſtet firma propoſitio: Quòd niſi clarè conſtet conſuetudinem per modum legis obligantis ad culpam communi uſu & conſenſu eſſe receptam, eam non habere vim Legis, nec in Conſcientia obligare. Quod notandum ſpecialiter volui propter ſcrupuloſos, qui de receſſu ſivè omiſſione cujuſcumque exercitii pii vel devotionis quam conſueverunt exercere, tamquam de peccatis anguntur, & ſe ac Confeſſarios turbant. Agnoſcant itaq; aliquandò inconſtantis animi eſſe, aliquandò verò ſalutare exiſtiment de conſuetudine quantumvis pia aliquid quandoque remittere, ut nimia illa adhærentia, quæ libertatem ſpiritus & amoris Dei frequenter impedit, extirpetur: Fit enim ut amori proprio & ſenſuali conſuetudini tanquàm Idolo proprii affectus adhæreamus.

Tertia Conditio.

Tertia Conditio ad introducendam Conſuetudinem eſt, ut deficiat Lex: Ubi enim conſtat de Lege in vigore perſeverante, nunquam Conſuetudo contraria vel etiam diſparata reſpectu ejusdem poteſt obtinere vim Legis: Conſuetudo enim cedere debet Legi juxta illud Iſidori ſuprà allegatum: *Vſus auctoritati cedat, pravum uſum Lex & Ratio vincat*. Et in Codice lib. 8. Tit. Quæ ſit longa Conſuetudo, ſic habetur: *Conſuetudinis uſuſque longævi non vilis auctoritas eſt, verùm non uſque adeò ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut Legem.* Et de Legibus Eccleſiaſticis Nicolaus Papa Epiſt. 1. ad Michaelem Imperatorem ſic ſcribit: *Conſequens eſt: ut quod ab hujus Sedis Rectoribus plena auctoritate ſancitur, nullius Conſuetudinis præpediente occaſione proprias tantùm ſequendo voluntates, removeatur, ſed firmiter atque inconcuſſe teneatur.* Et hæc eſt communis ſententia totius Eccleſiæ ac SS. Patrum apud Gratianum in Decreto tota Diſtinctione 11. Ubi docet Conſuetudinem & omnem uſum aut morem debere cedere Legi: Solamque Conſuetudinem tenendam & ſervandam, quæ nec Sacris Canonibus, nec Legibus Divinis humaniſque contradicit.

Iſid. ſup. diſt. 11.

Cod. lib. 8 Tit. Quæ ſit, &c.

Nicolaus Papa citatus ibid. cap. conſequens.

Quando cenſetur Lex deficere.

Porrò, ſicut in Diffinitione, ſic in hac tertia Conditione dictum eſt ad Conſuetudinis approbationem, Legem debere deficere: Cenſetur autem Lex deficere. Primò, Quando Legislator ſcit illam non ſervari, & Conſuetudinem prævalere & non impedit, ſed tolerat & interpretativè conſentit. Ut enim Conſuetudo vim Legis habeat, debet Princeps vel ii ad quos ſpectat, aliquomodo in ſublationem Legis & introductionem Conſuetudinis conſentire, ſaltem conſenſu aliquo implicito; ad quod ſemper requiritur ut Conſuetudo ſit rationabilis, & ſaltem Legi Divinæ Naturali vel Poſitivæ non adverſetur. Secundò cenſetur Lex deficere, quando non fuit aut non ſcitur lata vel legitimè promulgata, & moribus utentium nunquam probata. Tertiò. Quando contra Legem fuit legitimè præſcriptum. Datur enim contra Leges purè Eccleſiaſticas aut Civiles legitima Præſcriptio certi temporis, de quibus conſulantur Canoniſtæ & Legiſtæ qui variè loquuntur ſecundum varia jura quæ moribus Regionum magis determinantur, quàm communi Jure ſcripto. Ad comprehendendam verò totam iſtam materiam de Conſuetudine, pono ſequentes Regulas ex ſupradictis deductas; ſit itaque

Regula 1.

Nulla Conſuetudo, quæ eſt contra Legem Divinam Naturalem ſive Poſitivam, aut Fidei, rationi, veritati, bonis moribus, &c. adverſatur, toleranda eſt, ſed pro corruptela habenda. Vide Gratianum in Decreto D. 1. 8. 9. 11.

Quæ Conſuetudo pro corruptela habenda.

Regula 2.

Omnis Conſuetudo, quæ Legi Divinæ, Fidei, rationi, bonis moribus, &c. conformis eſt, ſi alteri Legi juſtæ non adverſatur, pro Lege ſervari poteſt aut debet. Vide Gratianum ſuprà & ſpecialiter Diſt. 12

Quæ conſuetudo legis vim habet.

Dixi (*ſervari poteſt aut debet*) ubi enim Conſuetudo in vim Legis obligantis ſuſcepta eſt, ſervari debet: Ubi autem per modum nudæ conſuetudinis abſque obligatione ſervatur, poteſt ut lex bona moribus utentium & conſenſu in legem tranſire. Et hæc de natura conſuetudinis dicta ſufficiant. De privilegiis non ago, quia vix ad rem noſtram pertinent, cùm ſint privatæ leges vel ad legis relaxationem aliquam ſpectent.

QUÆSTIO II.

Quomodo dicatur conſuetudo interpretari legem?

Commune ferè axioma eſt: conſuetudinem eſſe interpretem legis, ſuper quo multi abuſus ſuperſtruuntur, dum quidam non conſuetudinem; ſed corruptelam ſæpè introducunt, tamquam legis interpretem.

CONCLUSIO UNICA.

Conſuetudo non cenſetur interpretari legem niſi per modum ſigni, id eſt, quatenùs continuatio quædam obſervantiæ legis alicujus in modo, qualitate, æſtimatione, eſt ſignum obligationis legis. Pro cujus concluſionis intellectu,

Advertendum eſt: Tria prærequiri ut conſuetudo legem interpretetur. *Primum*, ut conſtet legem eſſe & per modum legis obligare, ſivè ut ſit introducta per ſcriptum, ſive per traditionem, ſive per uſum obligantem. Quando enim non conſtat de lege, minùs conſtat de obligatione quæ ex lege ſequitur, & ut *primo Tomo* docuimus, quando dubium eſt de lege an ſit, vel data fuerit? debet judicari non data, quia *Melior eſt conditio poſſidentis libertatem*: & *In dubiis potius eſt non obligari, quàm obligari, ubi de lege dubitatur.*

Tria requiſita ut conſuetudo legis ſit interpres.

Secundum prærequiſitum eſt: ut, poſitâ certitudine legis, ſit verum dubium de ſenſu, vel obligatione illius: nimirum, quia ſenſus & obligatio non poſſunt benè comprehendi ex verbis

aut

aut ex declaratione legis, neque ex alia lege ſimili concurrente, neq; ex pœnâ appoſita: Tunc enim ad conſuetudinem ſive uſum proborum recurrendum eſt: uſus enim & conſuetudo proborum tunc ſignum eſt manifeſtativum intellectus vel obligationis legis, quando aliundè non poteſt conſtare.

Tertium prærequiſitum eſt: ut conſuetudo habeat omnes conditiones bonæ conſuetudinis: nimirùm, ut ſit juſta, rationabilis, confòrmis legi divinæ, & morum honeſtati ac ab omni ſpecie corruptelæ libera.

His igitur poſitis: conſuetudo fidem facit & eſt ſignum interpretativum tam legis in ſe, quàm obligationis ejus: legis quidem, ſi deficiente ſcripto, conſuetudo probet ſeipſam legis vim obtinere: Obligationis autem; ſi lege probatâ, de obligatione teſtimonium ferat. Debet tamen, juxta primam conditionem, probari conſuetudinem obtinuiſſe vim legis, antequam ipſa poſſit interpretari obligationem. *Ex gr.* Conſuetudo communis obtinuit ut in die Commemorationis Animarum omnes audiant Miſſam: Primò deberet probari quòd illa conſuetudo vim legis obtinuiſſet, utpotè, communi uſu ſuſcepta, cum credulitate quòd obliget, & demùm ex communi uſu inter probos, vim haberet interpretandi qualitatem obligationis.

Corollarium Vniverſale

Totius Tractatus primi per Regulas generales.

EX dictis hoc toto Tractatu primo has elicio Regulas generales, tamquam fundamenta totius hujus ſecundi Tomi & velut Baſes omnium caſuum conſcientiæ.

Regula I.

NUlla Lex poteſt ad culpam in conſcientia obligare, niſi quatenus lex divina in illam formaliter vel virtualiter influit.

Regula 2.

QValitas & quantitas omnis peccati ſumi debet ex difformitate à lege divina, quatenus per ſe vel per leges inferiores, Eccleſiaſticas aut Civiles, ſive ſcripto, ſive traditione, ſive inviolabili uſu nobis manifeſtatur.

Regula 3.

DIfformitas à lege divina in omni actu vel omiſſione, non debet ſolùm attendi penes ſubſtantiam actus, ſed etiam penes accidentia, circumſtantias, & effectus actum conſequentes.

Regula 4.

SCriptura, Traditio, Definitio Eccleſiæ, Interpretatio Conciliorum & Canonum, Ratio evidens ex principiis primis deducta, ſola certam de peccato & peccati qualitate in dubiis fidem faciunt: cætera probabilitatem excedere non poſſunt, ſi tamen ad probabilitatem accedant.

Hæ Regulæ omnes hujus operis reſolutiones fundant, quarum regularum fundamenta toto iſto tractatu, ut ſpero, ſufficienter fuerunt ſtabilita. Vide *Lector*, & attentè lege.

TRACTATUS SECUNDUS

DE DECALOGO, ET EIUS PRIMO PRÆCEPTO.

PROLOGVS

DE DIGNITATE ET EMINENTIA DECALOGI ſuper omnes Leges.

CUM Legum multiplicitas confuſionem parere ſoleat: noſter autem ſcopus ſit univerſos conſcientiæ caſus ad ſuarum legum principia reducere: ne vaſto variarũ opinionum mari expoſiti, in diverſa jactaremur opinantium pericula: Decalogum mihi propoſui velut Pharos ad cujus lumen portum veritatis aſpicerem, cujus ductu fidam doctrinæ ſalutaris ſtationem tenerem: eſt enim Decalogus teſte S. Auguſtino qu. 140. ſuper Exodum *Omnium legum velut Epitome*, brevem omnium præceptorum in ſe continens rationem, ita ut ſit velut index omnium præceptorum tam divinorum, quàm humanorum: *Locutuſq; eſt Dominus ad vos de medio ignis* (inquit Moyſes Deut. 4) *& oſtendit vobis pactum ſuum quod præcepit ut faceretis, & DECEM VERBA quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.* Suprà: *Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, &c.* Et ut benè notavit Clemens 1 lib 6. Conſt Apoſtolicarum: *Dedit nobis Deus legem ſimplicem ad auxilium naturalis legis, puram, ſalutarem, ſanctam, in qua & propriũ nomen repoſuit, perfectam, abſolutam, decem præcepta continentem, plenam, reprehenſione carentem, convertentem animas.* Et Juſtinus Martyr in colloquio cum Tryphone Judæo ante med. *Nam* (inquit) *Moyſis lex præſcribit quidquid naturaliter bone-*

S. Auguſt. q. 140. ſuper Exod.

Decalogus Epitome omnium Legum

Deut 4 v. 12 13. &c.

Clem. 1. l. 6

Juſtinus Mar Dial. cum Tryphone Judæo.

honeſtum, pium, juſtumq́; eſt. Undè & Chriſtus Decalogum Matth. 5. explicavit, illum non modò confirmans; ſed etiam excellentiam ejus declarans, quam litterales Judæi obfuſcaverant.

Ut autem Decalogi dignitas magis eluceſcat: advertendum eſt: variis nominibus in Scripturis celebrari: *Decachordum* enim *Pſalterium* à Davide vocatur, & paſſim dicitur antonomaſticè *Lex*. item *Præceptum, Mandatum, Eloquium, Sermo, Verbum, Iudicium, Iuſtitia, Aequitas, Iuſtificatio, Via, Semita, Teſtimonium*, de quorum verborum energia vide Interpretes: nolo enim his immorari.

Diverſa diſtributio Decalogi.

Diſputant porrò Theologi de ipſius Decalogi convenientia & Præceptorum ordine ac numero: *Alii* quidem quinque præcepta in prima Tabula, & quinque alia in ſecunda: *alii* quatuor in prima, ſex in ſecunda: *alii* tria in prima, & ſeptem in ſecunda: *alii* pro primo præcepto aſſignantibus illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ex decem eraſo præcepto de ſabbathi obſervantia, tamquàm cæremoniali: *alii* pro primo præcepto aſſignantibus: *Non habebis Deos alienos coram me*. Pro ſecundo verò: *Non facies tibi ſculptile ut adores illud*: pro tertio: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*: pro quarto: *Memento ut diem ſabbathi ſanctifices*: cæteris ſex in ſecunda tabula poſitis, ità tamen ut duo illa de *non concupiſcenda uxore proximi*, & de *non concupiſcenda domo vel agro*, &c. in unum præceptum coaleſcant. In qua opinionum varietate adhæreo firmiter ſententiæ D. Auguſtini tom. 4. qu. 71. in Exodum, quam ſequuntur communiter Doctores cum D. Thoma 1. 2. q. 100. ar. 4. quòd illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti*, ſit præambulum totius Decalogi, & velut titulus legislatoris & legis, ita ut quémadmodum Reges ſolent titulos ſuos præmittere tabulis legum ſuarum ad majeſtatem & auctoritatem ſuam manifeſtandam: ſic & Deus exordium legis voluerit ſuis titulis inſignire: demùm tria præcepta primæ tabulæ inſcripſerit, quæ ad Deum referuntur, nimirum:

Exod. 20. v. 2. 3. &c.

D. Th. 1. 2. q. 100. art. 4.

Ordo præceptorum.

1. *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*, &c. *non adorabis ea neque coles*.

2. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, &c.

3. *Memento ut diem ſabbathi ſanctifices*.

In ſecunda verò tabula ſeptem præcepta poſita ſint quæ proximum reſpiciunt.

4. *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c.

5. *Non occides*.

6. *Non mœchaberis*.

7. *Non furtum facies*.

8. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*.

Deut. 5. v. 20. 21.

9. *Non concupiſces uxorem proximi tui*.

10. *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam*, &c.

Ut autem ordo & ſufficientia horum omnium clariùs innoteſcat, & ne eadem ſæpe repeti debeant, pono ſequentes paragraphos.

§. I.

De Titulo Decalogi.

Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.

Excellentia tituli.

PRæclara de hoc titulo annotaverunt Scriptores, pauca recenſeo.

Primò, hoc titulo totius fidei noſtræ fundamenta contineri. In illo enim, *Ego ſum*: tres proprietates Entis comprehenduntur, quæ infinito modo & tranſcendentaliter inveniuntur in Deo, nimirum; *Unitas, Veritas, Bonitas*, juxta quod una fides, unus Deus, una & ſola veritas, una & ſola bonitas quæ in illo nomine, *Ego ſum*, comprehenditur: nam ut benè notavit S. Th. 1. parte qu. 13. art. 11. *Hoc nomen, qui eſt*, eſt perfectiſſimum nomen Dei, eſſentiam Dei abſolutam ſignificans, & (ut ait D. Damaſc. lib. 1 de fide orthod. c. 12.) *Hoc nomen totum in ſeipſo comprehendens, habet ipſum eſſe, veluti quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum*. Quò etiam ſpectat quod Epiphanius l. 1. contra hæreſes, hæreſi 8. ſubtiliter conſideravit: in hac ſuperſcriptione decalogi ac primis præceptis doceri: nos debere credere Deo ſoli, ipſumque colere: *Et in Monarchia quidem* (inquit) *ac unius Principatu prædicabatur nomen: in Monarchia verò Trinitas ſemper annuntiabatur, & inter Eminentiſſimos apud ipſos credebatur*. Undè & Clemens I. ſuprà ait: *Deum in lege proprium Nomen repoſuiſſe*, alludens ad titulum & ad particulam, *Ego ſum*. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.*

S. Thom. 1. part. qu. 13. art. 11.

D. Damaſ. lib. 1 de fide orthod. cap. 12.

Epiph. l. 1. contra hæreſes.

Clemens 1. ſup.

Hebr. 11. verſ. 6.

Secundò: Patres notant: præcipua attributa ad extra in illo titulo nobis à Deo propoſita eſſe, quibus firmaret fidem, Spem corroboraret, & Charitatem accenderet. In eo enim quod dicit: *Ego ſum Dominus*, Majeſtatem ſuam oſtendit ut fidei noſtræ objectum, & beneficium creationis commemorat. In eo quoquod dicit, *Deus*, omnipotentiam & potentem manum ſuam manifeſtat, ut noſtræ ſpei anchoram firmam in rerum gubernatione demonſtret: in eo quod dicit, *Tuus*, bonitatis ſuæ profuſionem prædicat, quâ pro redemptione noſtra totus nobis datus, totus nobis natus, totus in noſtros uſus expenſus eſt.

Tertiò, Obligatione obedientiæ noſtræ proponit. Quia enim *Dominus*, nos ſervi ejus: Quia *Deus*, Judex noſter eſt, & nos in gehennam perdere poteſt. Quia *Tuus* ſivè *Noſter* eſt, finis, poſſeſſio, & beatitudo noſtra eſſe oſtenditur, ad quem ſolum per viam mandatorum aſpirare debemus. Quod autem addidit de eductione è terra Ægypti, umbraticum beneficium in figura poſuit, ut veritatem liberationis à diaboli ſervitute per Chriſtum faciendam futuro populo Chriſtiano indicaret, & inſinuaret nos ipſius ſervos eſſe, etiam jure liberationis ab aliena ſervitute.

Ex quibus omnibus *quartò* annoto: omnem cauſam peccatorum referendam in oblivionem iſtius præmii: quia enim homines non attendunt eum qui ſolus eſt principium & finis a.

&

& ●.qui creatione, gubernatione Dominus noſter eſt: qui redemptione noſter factus eſt: qui poteſtate & juſtitia Deus & Judex noſter eſt, unicuique reddens juxta opera ſua, ideò in tot tantaque peccata prolabuntur.

§. II.

De ſufficientia Decalogi.

ETſi paucæ videantur Decalogi leges, reſpectu omnium agendorum (quæ & ob brevitatem nominantur DECEM VERBA) in hac tamen brevitate & ſapientiam ſuam & benignitatem manifeſtavit Deus: ſapientiam quidem, quod in paucis verbis omnia moralia præcepta neceſſaria ad ſalutem complexus eſt: benignitatem verò, quia hominem multitudine præceptorum gravare noluit. Undè & in E-
Matth 19 v.16.17. vangelio petenti: *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* velut in compendio reſpondit Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Porrò ſufficientiam Decalogi declarat S. Thomas ex duobus.

Primò ex Eminentia: quia, ut docet 1.2.q. 100.art. 3. Omnia præcepta moralia virtute continentur in Decalogo: aut ut principia in ſuis concluſionibus: quomodo in illo continentur principia prima fidei, & principia prima legis naturæ, quæ per ſe nota ſunt, & ad concluſiones præſupponuntur, ut ſunt: *Deum eſſe, Deum & proximum diligendum* eſſe: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c. Aut ut concluſiones clarè & proximè ex principiis primis promanantes, ut ſunt omnia formalia præcepta in Decalogo contenta: aut ut concluſiones ſecundariæ ex primariis ſapienter deductæ, ut ſunt omnia quæ ex formalibus Decalogi præceptis deducuntur, vel ad illa paritate rationis & ratione materiæ illis affinis, referuntur. De quibus in toto decurſu præceptorum. Ubi ad ſingula præcepta reducemus omnia quæ in aliis quibuſcumque legibus in conſcientia obligant.

Secundò. Sufficientiam eandem probat S. Thomas generali partium enumeratione ſecundùm divinam quandam politiam, & ſic illam deducit ſuprà art. 5. *Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem humanam: ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quandam communitatem ſeu Rempublicam hominum ſub Deo.* Duo porrò, ut idem notat, in qualibet Republica reperiuntur, nimirum; ordinatio debita ad eum qui præeſt, & ordinatio congrua ad ſocios ſivè membra communitatis & Reipublicæ. *Oportet igitur* (inquit) *quod in lege divina primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos ſimul convenientes ſub Deo.* Subdit: *Principi autem communitatis tria debet homo. 1. Fidelitatem, 2. Reverentiam, 3. Famulatum,* quibus correſpondent tria præcepta primæ tabulæ quæ ordinant ad Deum.

S. Thom. ſup. art. 5. *Sufficientia præceptorum 1. Tabulæ.*

Idem.

Primum enim: *Non habebis Deos alienos coram me*, præſcribit fidelitatem, nimirùm, ut unus, verus, & ſolus Princeps in Republica agnoſcatur, & honor ei debitus alteri non tribuatur, id eſt, uni, vero, ſoli Deo fidelitas in omnibus ſervetur.

Secundum præceptum aſſignatur reverentiæ: ut nimirùm in Principem nil indecens, nil injurioſum committatur; ſed omnis honos tam perſonæ, quàm iis quæ ad perſonam referuntur impendatur, quod continetur in ſecundo præcepto primæ tabulæ: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum:* Quo prohibetur omnis irreverentia in Deum & ſanctum Nomen ejus, & in ea quæ ad Deum referuntur, ut ſuo loco explicabitur.

Tertium præceptum aſſignatur famulatui: obſervatio enim diei Sabbati ſive Dominici, inſtitutio feſtorum & hujuſmodi ad famulatum pertinent, ſunt enim quædam proteſtationes ſervitutis ad Deum ratione beneficiorum acceptorum. Et hæc quoad ſufficientiam præceptorum primæ tabulæ.

Proſequitur deindè S. Thomas ſufficientiam ſeptem præceptorum ſecundæ tabulæ quam deducit ex ordinatione ſufficienti hominis ad proximum: *Ad proximos autem* (inquit) *aliquis benè ſe habet & ſpecialiter & generaliter: ſpecialiter quidem quantùm ad illos quorum eſt debitor ut eis debitum reddat, & quantùm ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum* (utique, quia ex naturæ obligatione omnis homo parentibus eſt debitor) *Generaliter autem quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neq; corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoq; quidem in propriam perſonam quantùm ad conſiſtentiam perſonæ, & hoc prohibetur per hoc quod dicitur:* Non occides: *Quandoque autem in perſonam conjunctam quantùm ad propagationem prolis, & hoc prohibetur cùm dicitur:* Non mœchaberis: *Quandoque autem in rem poſſeſſam, quæ ordinatur ad utrumque, & quantùm ad hoc dicitur:* Non furtum facies: *nocumentum autem oris prohibetur cùm dicitur:* Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium: *Nocumentum autem cordis prohibetur cùm dicitur:* Non concupiſces: *Hæc S. Thomas.* Ex quibus omnibus Decalogi ſufficientia ſatis apparet, & omnia quæ ad decalogum quovis modo referibilia ſunt, facilè juxta aſſignata membra poſſunt ad illum referri & applicari.

S. Thom. *Sufficientia præceptorum 2. Tabulæ.*

Notat verò ex ſuperabundanti S. Tho. art. 2. Omnes actus virtutum tàm intellectualium, quàm moralium in decalogo eminenter contineri, prout ſub præceptum cadunt aut cadere poſſunt: vult enim legem decalogi proponere omnia per quæ homines benè ordinentur ad communicationem & conjunctionē cum Deo, ad quod requiruntur intellectuales virtutes, quibus actus rationis benè ordinantur in ſeipſis & virtutes morales quibus homines ordinantur circa interiores paſſiones, & exteriores operationes. Advertit ampliùs art. 5. nullum dari præceptum formale in Decalogo, quo ordinetur homo ad ſeipſum: quia dilectio ſui-ip-

ſius eſt nimis naruralis & homini nimis inſerta, quæ benè ordinari & regulari nequit niſi per dilectionem Dei & proximi, & homo qui rectè ordinatur in dilectione Dei & proximi, eſt ſanctè ordinatus in ſeipſo: ſi enim Deum propter ſe, proximum propter Deum diligat, cùm ſuiipſius amor ſit menſura dilectionis proximi, ſeipſum benè amare convincitur.

PARS PRIMA.

TITULUS PRIMVS.

De primo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quæſit ſubſtantia primi præcepti Decalogi?

ADvertendum primò: Omnia præcepta Decalogi eſſe negativa, ſivè ſub negationibus & per modum prohibitionis proponi, exceptis duobus, nimirum: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*: &, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, quæ ſunt affirmativa, ſivè ſub affirmatione & per modum mandàti proponuntur. Exod. 20. v. 8. 12.

Omnia præcepta continent affirmationem & negationem. *Advertendum ſecundò*, omnia quantumvis negativè propoſita ſemper includere aliquid poſitivum (nimirum oppoſitum negationi, quod ſimiliter ut plurimùm ſub mandatum cadit) & conſequenter in omni poſitivo præcepto virtute contineri prohibitionem oppoſiti. *Explico exemplo*: Primum præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me*, ſupponit præceptum affirmativum: *Habebis me verum & ſolum Deum*: ſimiliter ſecundum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, infert poſitivum: *Aſſumes nomen Domini in veritate & reverentia*, &c. ut in ſingulis exemplificabitur ſuo loco.

Differentia inter præceptum affirmativum & negativū. *Advertendum tertiò*, illam eſſe diſtinctionem inter præceptum affirmativum ſive ſub affirmatione propoſitum, & inter negativum ſive ſub prohibitione propoſitum: Quod affirmativum, etſi obliget ad ſemper ſive in perpetuum, non tamen pro ſemper, id eſt, non pro omni differentia temporis; ſed pro tempore juxta legem vel occurrentiam temporis determinato. Ex. gr. *Memento ut diem ſabbathi ſanctifices*, tantùm pro die ſabbathi ſive dominica obligat. Et: *Honora patrem tuum & matrem tuam* tantùm pro tempore quo exhibendus eſt honor parenti: negativum verò præceptum obligat ad ſemper, hoc eſt, in perpetuum, & pro ſemper, id eſt, pro omni differentia temporis. *Ex. gr.* Nunquam licet habere Deos alienos: nunquam licet aſſumere nomen Domini in vanum: nunquam licet inhonorâre Parentem, &c. Cujus ratio eſt: quia præceptum, quatenùs eſt negativum, eſt prohibitivum mali; nullo autem unquam tempore licet malum perpetrare: præceptum verò affirmativum eſt præceptivum boni: poteſt autem quis interdùm ceſſare ab aliquo bono in ſingulari, nec ſemper ex circumſtantiis ab ſubſtantia rei tempus eſt, aut obligatio hîc & nunc boni faciendi. His ſic prænotatis ſit

CONCLUSIO I.

SUbſtantia primi præcepti primæ tabulæ quatenùs eſt affirmativum, eſt: *Cognitione & affectu unum, verum, & ſolum Deum habere, eique ſoli verum latriæ cultum exhibere.* *Præceptum primum quà affirmativum.*

Conſtat hæc concluſio ex interpretatione Chriſti Matth. 4. ubi diabolo ut ſe adoraret poſtulanti reſpondit: *Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: Manifeſtum eſt autem: adorationem includere veri Dei cognitionem, & affectum Deo ex omni parte devotum, juxta illud Deuter. 6. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*: Diliges *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Quorum verborum prior pars unitatem Dei, fidei & cognitionis; poſterior affectum & amorem exprimit: Et hoc indicat verbum expreſſum mandati: *Non habebis Deos alienos coram me.* Ex quo infertur affirmativum: *Habebis me ſolum verum Deum.* Matth. 4. verſ. 10. Deut. 6. verſ. 4. 5.

Quatuor modis habetur Deus in hac vita. Porrò quatuor ferè modis dicimus habere Deum in hac vita. Nimirum. Primò *fide* ſivè apprehenſione per veram fidem. Secundò, *Spe*, ſive certâ expectatione futuræ beatitudinis. Tertiò *Charitate* ſivè fruitione & unione quâ homo fit unus ſpiritus cum illo. Quartò, *Cultu vero* tum interno, tum externo, ſivè virtute Religionis quæ immediatè ex Theologicis procedit. Quemadmodum enim in patria Beati Deum habere dicuntur *viſione, tentione, fruitione, æternâ glorificatione & laude*; ſic in via Deus haberi dicitur *fide*, cui ſuccedit viſio: *ſpe*, cui correſpondet tentio: *charitate*, quæ fruitione perficitur: *cultu*, qui æternâ glorificatione conſummatur: Et hoc eſt quod indicat S. Paulus Act. 17 dum prædicans Athenienſibus de vero Deo, illum ut finem hominum ſuper terram habitantium proponit: *Quærere Deum, ſi forte* (ut ait) *attrectent eum aut inveniant, quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum: In ipſo enim vivimus & movemur, & ſumus*, &c. Ubi. Quærere, attrectare, & invenire Deum, ponuntur pro *habere Deum*: Et S. Bonaventura in 3. diſt. 37. notat primum præceptum, quamvis ſub negatione proponatur, in re tamen eſſe magis affirmativum, quàm negativum, quia ipſa negatione exprimit velut à contrario: quid Deo tribuendum, quid ad Deum referendum. Actor. 17. verſ. 27. verſ. 28. D. Bonav. in 3. diſt. 37. qu. 2. circa finem.

CON-

CONCLUSIO II.

Præceptum ſecundum quod negativum.

SUbſtantia primi præcepti primæ tabulæ, quatenus negativum eſt, *prohibet omnem actum & effectum, qui ſoli Deo debetur, alicui extra Deum impendi.*

Exod. 20. verſ. 3. &c.

Hoc indicant verba Decalogi: *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum: non adorabis ea neque coles.* Quibus verbis. *Primò*, omnis actus qui Deo debetur, excluſus eſt, ſivè ſit actus intellectus, ſivè memoriæ ſivè voluntatis; ſicut enim illis actibus Deus verus haberi dicitur, ſic illis aliquid extra Deum pro vero Deo haberi prohibetur. *Secundò*, omnis affectus Deo debitus removetur per illa verba: *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem,* &c. *Non adorabis ea neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes,* &c. In hoc enim quòd adorationem cujuſvis extra Deum prohibet, omnem internum affectum excludit: eſt enim adoratio actus in ſe continens omnem affectum, ſivè credulitatis & fidei, ſivè ſpei & fiduciæ, ſivè charitatis & amoris: quod & indicatur per verbum *coles*: nam (ut ait S. Auguſt. Enchirid. cap. 3.) *Deus colitur fide, ſpe, & charitate*: utique maximè: & adoratio à Theologis deſcribitur: actus intellectus & affectus quo homo fertur in Deum ut in ſummum bonum omniumque rerum principium & finem. Unde & adoratio pro ſupremo latriæ cultu ſupponit. Et in ſequentibus verbis, *ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes,* zelotopyam addens, oſtendit nil ex iis quæ Deo debentur, creaturæ aut alicujus ſimilitudini fictæ tribuendum. Sed de his diſtinctiùs infrà.

S. Auguſt. Enchirid. cap. 3.

Exod. 20. verſ. 5.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint partes primi præcepti primæ tabulæ?

ETſi ex dictis de ſubſtantia præcepti duæ illius partes generales appareant, nimirum, *pars præceptiva*, de attribuendo Deo quidquid illi ſpecialiter debetur, & *pars prohibitiva*: nè creaturæ vel ejus ſimilitudini aliquid Deo debitum attribuatur: quia tamen quodlibet præceptum Decalogi tanquam caput & radix multa alia præcepta partialia in ſe continet, ad enucleariorem doctrinam alia præcepta enumeranda ſunt, quæ ex duobus illis oriuntur, & velut è fonte dimanant.

CONCLUSIO I.

Modi omnes Deum colendi ſub primum præceptum cadunt.

T*ot præcepta ex primo præcepto Decalogi, quatenus affirmativum eſt, emanant, quot modis tenetur homo Deum colere.* Ratio eſt: quia cultus unius veri Dei eſt primum & principale objectum primi præcepti Decalogi, ergo quot modis colitur verus Deus, tot præceptis obligatur homo Deum unum & verum colere.

CONCLUSIO II.

Quatuor præcepta capitalia in primo affirmativo eſt.

PRæcepta emanantia ex primo præcepto Decalogi quatenùs affirmativum eſt, ad quatuor capitalia præcepta reducuntur, nimirum, *ad præcepta fidei, præcepta ſpei, præcepta charitatis, præcepta virtutis religionis.* Hæc concluſio ex ſufficienti partium enumeratione manifeſta eſt: colitur enim Deus aut per intellectum divina profitentem, aut per voluntatem divina intendentem, aut per eandem Deo ſingulari unione adhærentem, aut per illam Deo ut ſupremo omnium bonorum auctori ac principio omnem reverentiam & gloriam cum omni ſubjectione exhibentem. *Primum* pertinet ad fidem, *ſecundum* ad ſpem, *tertium* ad charitatem, *quartum* ad ſupremæ religionis virtutem; ita ut præcepta hæc tamquam quatuor membra totam primi præcepti latitudinem, quatenùs affirmativum eſt, compleant.

CONCLUSIO III.

Quatuor capitalia ex primo præcepto quà negativum eſt.

QUatuor iterum ſunt præcepta capitalia negativa, quæ ex præcepto primo Decalogi, quatenùs negativum eſt, originem ducunt nimirum: primò quæ prohibent oppoſita fidei. Secundò quæ oppoſita ſpei. Tertiò quæ oppoſita charitati. Quartò quæ oppoſita religioni. Et hæc omnia iterùm ſuis dividuntur membris, prout ſingularibus titulis explicabitur.

TITVLVS II.

De præceptis pertinentibus ad fidem, & de peccatis illis oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint præcepta affirmativa pertinentia ad fidem?

Fides eſt medium neceſſarium ad ſalutem.

S*Upponendum eſt primò*, fidem ſupernaturalem veri Dei & mediatoris eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Chriſtus enim Marci 16. Mittens Apoſtolos Evangelii prædicatores & velut ſatores dicit: *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et S. Paulus ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: iterùm: *credere oportet accedentem ad Deum*: cùm enim nemo ſalvari poſſit niſi acceſſerit ad Deum: nemo autem accedere poſſit niſi credat, conſequens eſt, ut nemo ſalvari poſſit niſi credat.

Marci 16. verſ. 16. Ad Hebr. 11. verſ. 6.

Fides infuſa ſub præceptum non cadit.

Supponendum ſecundò, nos in materia Decalogi & præceptorum non agere de fide infuſa, quæ ſimiliter eſt medium neceſſarium ad ſalutem, cùm abſque illa à quocumque peccato etiam originali, non juſtificetur homo, decernente S. Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipere hominem, per Jeſum Chriſtum cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem,* &c. Cùm enim Decalogus pertineat ad adultos, &

Concil. Trid. ſeſſ. 6 cap. 7.

adultis ratione utentibus ſit datus in directionem operum; fides autem infuſa ita ſit à Deo ut operationem hominis non requirat: impertinens eſſet hic quæſtio de fide infuſa. Etſi enim illa neceſſitate medii neceſſaria ſit ad ſalutem, per ſe tamen ſub præceptum formale non cadit; ſed tantùm ratione communis obligationis, quâ quis ſalvari non poteſt niſi ſubeat neceſſaria media ad ſalutem.

Supponendum itaque tertiò, nos hîc agere de fide acquiſita ad quam omnis adultus obligatur, & quæ cadit ſub præceptum, quo mandatur homini ut in unum verum Deum, &c. credat, ſivè ut unum verum Deum fide habeat, & omnem infidelitatem vitet. His itaq; ſuppoſitis ſit

CONCLUSIO UNICA.

Fidei præceptum affirmativum tria continet.

EX fidei præcepto, prout affirmativum eſt, tria potiſſimum præcepta emanant, nimirum: 1. *Scire credenda*: 2. *Credere*, ſivè articulis fidei propoſitis per actum exercitum fidei adhærere. 3. *Fidem tempore debito exteriùs profiteri.* Hi actus indicantur ab Apoſtolo ad Rom. 10. Ubi primò poſteriores duos actus clariſſimè indicat his verbis: *corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Item: *Propè* (inquit) *eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum* Rom. 10. verſ. 10.
fidei quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quòd Deus verſ. 8 9.
illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. In quibus actus internus fidei, qui eſt *credere*, & actus externus fidei, qui eſt *fidem ore confiteri*, clarè proponuntur ut neceſſaria ſub præcepto ad ſalutem: Et nè actus primus ſciendi ea quæ credi debent, minùs neceſſarius putaretur, cùm Apoſtolus quæſtionem ſibi propoſuiſſet: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Reſpondet: *Sed nunquid non audierunt? & quidem: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū.* verſ. 14. &c.

Ad tria circa fidem tenetur homo.

Ex quibus omnibus *infero*: præcepto affirmativo fidei 1. Hominem teneri facere quod in ſe eſt, ut ſcientiam credendorum juxta ſtatum & vocationem ſuam acquirat. 2. Ut circa credenda actum fidei exerceat. 3 Ut verbo, ſignis, operibus congruis opportuno tempore fidem profiteatur exteriùs: pro quorum majori explicatione, pono ſequentes ſectiones & regulas generales.

SECTIO PRIMA.

De ſcientia credendorum, & peccatis illi oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint ſub peccato credenda, & de obligatione eorum qui alios docere debent?

CONCLUSIO I.

O*Mnis homo adultus jure divino naturali tenetur ſub peccato mortali noſſe Deum unum & verum, bonorum remuneratorem, malorum vindicē, mundi creatorem, hominum finē, &c.*

Ratio hujus concluſionis *eſt*: quia Deus hanc ſcientiam homini à principio indidit per lumen naturale divinum & legem in cordibus ſcriptam: ut probant verba Apoſtoli ad Rom.
Rom. 1. verſ. 10. 19. verſ. 20.
1. *Revelatur* (ait) *ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit: inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* In quibus verbis: revelatio iræ Dei peccati mortalis pœnam indicat, ſicut & traditio in reprobum ſenſum de qua eodem capite: inexcuſabilitas autem obligationem declarat. Qualiter verò illud lumen naturæ & lex naturalis intelligenda ſit, & quibus donis Deus hominem à principio pro ſtatu primæ naturæ illuſtraverit ad ſui cognitionem, latè deduximus ſuprà.

Porro hanc obligationem ex lege naturæ provenire etiam ante omnem decalogum, fateri debent omnes Patres, qui totam decalogi ſubſtantiam ante omnem legem ſcriptam in lege naturæ fuiſſe agnoſcunt, ſcriptum verò decalogum ob legem naturæ hominum pravitate obſcuratam. Ita S. Aug. in Pſ. 57. *Ne* (inquit) S. Auguſt. in Pſ. 57. initio.
ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in tabulis quod in cordibus non legebant, non enim & ſcriptum non habebant ſed legere nolebant: oppoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia videre cogerentur &c. Infrà: *non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique eſt, comprehenderis & ad teipſum intro revocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat eis qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis? redite prævaricatores ad cor.* Idem lib. qq. Vet. & novi Iſ. 46. v. 8
Teſtamenti quæſt. 4. *Timor* (inquit) *Dei in terris* Idem libr. qq. Vet. & novi Teſt. q. 4.
non erat, &c. danda ergò erat lex ut & quæ ſciebantur, authoritatem haberent, & quæ latere cœperant, manifeſtarentur. Nam (inquit) *invenimus ante Moyſen non ſolùm non latuiſſe, ſed etiam vindicata eſſe peccata. Quamobrem & juſti fuiſſe reperiuntur multi, qui ſcientes Deum vindicem, timebant peccare. Quod tñm cœpiſſet tam negligi, legem naturalem revelari oportuit, ut ſcirent cuncti apertâ ratione Dominum requiſiturum actus humanos.* Infra: *Hæc vetuſtatis oblivio texerat; unde per Moyſen terroris cauſa ad diſciplinam corrigendam & fidem in Deum reformandam commemorata ſunt.* Hæc S. Auguſtinus.

Ex quibus manifeſtè *colligo* quòd in concluſione prima poſitum eſt: omnem hominem lege divinâ naturali teneri Deum unum

& verùm cognoſcere, bonorum remuneratorem & vindicem. Horum enim omnium cognitio homini à Deo indita eſt, etſi quovis modo obnubilata, non tamen adeò obliterata fuit, quin ad eorum inquiſitionem & notitiam omnis homo adultus teneretur. Vide quæ diximus Tom. 1. Tract. 5. tit. 2. quæſt. 2. & 3. Et pro omnibus ſequentibus concluſionibus vide ibidem q. 5. & 6 ac omnia dubia.

CONCLUSIO II.

Fidei myſteria qualiter ſcienda.

OMnes fideles adulti jure divino tenentur ſub peccato mortali præcipua fidei noſtræ myſteria, & ea quæ ad ſalutem ſpectare dignoſcuntur ſcire, quod intellige quoad ſubſtantiam & generali quadam (etſi non omninò diſtinctâ) apprehenſione: ita ut qui culpâ ſuâ illa ignorant, peccato mortali obnoxii ſint.

Dixi (*præcipua myſteria noſtræ fidei*) illa nimirum quæ vel Symbolo Apoſtolorum continentur, vel Eccleſiæ communi ritu & uſu celebrantur, aut quæ ad ſalutem neceſſaria in Eccleſia communiter uſurpantur. Talia ſunt articuli SS. Trinitatis, incarnationis, paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis Domini, remiſſionis peccatorum, &c. Cultus Sanctorum, uſus Sacramentorum Baptiſmi, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, extremæ unctionis & pro conjugatis matrimonii: ad ſalutem etiam ſpectat ſcientia orationis Dominicæ & præceptorum Decalogi, quæ ſine gravi animæ periculo ignorari non poſſunt, & ad fidelis animæ directionem pertinere noſcuntur. Porrò S. Auguſt. Serm. 181. De temp. docet totam Chriſtianæ fidei ſummam contineri ſufficienter in Symbolo: *Symbolum* (inquit) *breve eſt verbis, ſed magnum eſt ſacramentis: quidquid enim præfiguratum eſt in patriarchis, quidquid denuntiatum in ſcripturis, quidquid prædictum eſt in Prophetis vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu Sancto, vel de ſuſcipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini reſurrectionisq; eius myſterio, totum breviter hoc Symbolum continet, & continendo habet & confitendo.*

S. Auguſt. ſerm 181. de temp. In initio.

Dixi (*quoad ſubſtantiam*) neque enim ſub peccato mortali tenetur quis ſcire illa memoriter recitare, aut doctrinaliter explicare, ſed ſufficit ſubſtantiam illorum tenere, & aliqualiter interroganti reſpondere, aut de eis agentem intelligere modo ſibi accommodato: Unde

Addidi (*generali quâdam apprehenſione, quamvis non omnino diſtincta*) neque enim ad diſtinctos conceptus & rigores Theologicos arctandi ſunt fideles, ut v. g. in *Trinitate* emanationes divinas & modos procedendi concipiant, ſicut nec in *incarnatione* hypoſtaticam unionem: ſufficit enim eis unum Deum apprehendere & tres perſonas ſub nominibus Patris Filii & Spiritus ſancti generaliter concipere: & quidem *Patrem* ſub titulo creatoris omnipotentis: *Filium* ſub titulo Dei hominis nati ex Virgine Maria, paſſi, mortui, ſepulti: *Spiritum ſanctum* ſub titulo illius qui nos juſtificat, ſanctificat, vivificat, qui ſunt termini congrui ſub quibus Apoſtoli articulos fidei in Symbolo nobis propoſuerunt. Unde imprudenter faciunt qui ſingulares conceptus & terminos ab idiotis requirunt, cùm eorum infirmitati ſit condeſcendendum; ut benè monet S. Auguſtinus lib. de Catechizandis Rudibus cap. 13. *Quòd ſi* (inquit) *utique catechizandus nimis tardus eſt, & ab omni tali ſuavitate abſurdus & averſus, miſericorditer ſufferendus eſt, breviterque decurſis cæteris, ea quæ maxime neceſſaria ſunt de unitate Catholicæ Eccleſiæ, de tentationibus, de converſatione Chriſtiana propter futurum iudicium terribiliter inculcanda ſunt, magiſque pro illo ad Deum, quàm illi de Deo multa dicenda.* Et univerſaliter loquens de methodo quâ ipſe procedebat cap. 15. *Sed quia* (inquit) *de rudibus imbuendis nunc agimus de meipſo tibi teſtis ſum, aliter atque aliter me moveri cùm ante me catechizandum vides eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, &c. Illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis aut ſexus, ex illa aut ex illa, aut illa ſecta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diverſitate motus mei, ſermo ipſe & procedit & progreditur, & finitur. Et quia cùm eadem omnibus debeatur charitas, non eadem omnibus eſt adhibenda medicina. Ipſa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiſcit offendere, ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, aliis ſevera, nulli inimica, omnibus mater.* Hæc ibi. Et alia vide toto illo libro de catechizandis rudibus. Ex quibus *infero*: cùm finis & principii ſit eadem diſciplina, & docere ſit principium, finis autem ſit diſcere ſivè ſcire (docet enim quis alterum ut eum ſcientem faciat) ſicut varia debet adhiberi doctrina pro capacitate illius qui docetur: ita in quolibet juxta illius capacitatem & ruditatem ſciendorum menſuranda eſt cognitio, prout infrà explicatiùs docebimus.

Notent Catechiſtæ & confeſſarii.

S. Auguſt. lib. de Catechiz. Rud. c. 13.

Idem c. 15. ſuprà.

Dixi (*eos qui culpâ ſuâ credenda ignorant, peccato mortali eſſe obnoxios*) ad quod ratio culpæ etiam attendenda & expendenda eſt, ut nimirum non ſit culpa levis, qualis eſt quædam humana inconſideratio, & modica negligentia; ſed debet eſſe culpa ſivè negligentia gravis. Unde duæ ferè cauſæ aſſignari ſolent quibus à notitia ſingulari credendorum excuſantur nonnullæ perſonæ. Prima eſt impotentia quædam naturalis ex obtuſo nimis & hebeti ingenio proveniens, quâ fit, ut etſi Dei & Chriſti Jeſu ac aliquorum obviorum articulorum fidei generalem aliquam apprehenſionem aſſequantur, multorum tamen etiam neceſſariorum ſubſtantiam nec in confuſo capere, nec quovis explicare poſſint, unâ contenti generaliſſimâ apprehenſione, quâ *credunt quidquid Eccleſia credit*, vel *paſtor eorum aſſerit*, ſivè quod in cœtu in quo vivunt, credi aut celebrari vident. Secunda *cauſa*: eſt ignorantia invincibilis, quia vel de tali obligatione nihil unquam audiverunt, Doctore & Catechiſtâ qui eis illa congruè & intelligibiliter proponeret, caruerunt, prout ſæpius experti ſunt qui terras & regiones peragrarunt, in quibus ignarisſimi ſacerdotes erant

Qualiter judicanda ſit negligentia in credendorum ſcientia.

Cauſæ excuſantes à notitia credendorum.

Norunt paſtores.

erant Paſtores, qui Catechiſmo & ipſi maximè indigoiſſent: Imò non infrequens eſt paſtorum etiam doctorum tergiverſatio & imprudens negligentia, qoi ſoæ doctrinæ putant derogari, ſi ſimplicem Catechiſmum rudibos familiariter proponant, concionum eloqoentiâ delectati abſqoe fructu ſimplicium animarum, aut certè qui laborem illum ſubire dedignantur. Qui omnes ob hanc cauſam eodem quo ſobditi & graviori peccato renentur: cùm enim correlativorum ſit eadem ratio: ſi fideles ſub peccato mortali teneantur ſcire credenda, paſtores qoorum intereſt, ſub eodem peccato tenentur eis illa proponere. Imò quamvis ob invincibilem ignorantiam fidelis à peccato mortali excuſetor, quia quò minùs ſciret, per illum non ſtetit: non excuſarur tamen à peccato mortali, qui eum docere deboit.

CONCLUSIO III.

Quæ ſcientia in majoribus requiratur.

M*Aiores & eruditi in Eccleſia Dei tenentur ſub peccato mortali ad explicatiorem & magis extenſam cognitionem articulorum fidei noſtræ*, & aliorum ſcitu neceſſariorum, quàm alii minores & ſimpliciores ac minùs eroditi, ſervatâ proportione ſtatus & vocationis cujuslibet. *Explico*: in Epiſcopo reqoiritur explicatior & extenſior cognitio ſopradictorum, quàm in parocho; in parocho major, quàm in ſimplici Catechiſta; in prædicatore & confeſſario amplior, quàm in ſacerdote ſimplici; in aliquo Theologo major, quam in perſona vulgari, &c. *Ratio ſumenda eſt* ex parabola talentorum, quorum ſicut varia fuit diſtribotio, ſic diverſa facta eſt exactio. Et (ot ait S. Gregorius Homil. 9. in Evang.) *Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum*, &c. Quæ qoidem diſtriburio à Deo fit juxta rationem officiorum qoæ demandantur: illi enim quorum eſt inſtruere, corrigere, verum à falſo diſcernere, doctrinam fidei miniſtrare, tenentur plora & majora diſtinctiòs comprehendere, quia ſine hujuſmodi comprehenſione non poſſont minores debitè informare, & eorum ignorantia freqoentiòs eſt animarum ruina.

S. Greg. Homil. 9. in Evang.

Dixi (*proportione ſervatâ*) quæ qoidem proportio debet menſorari joxta rationem vocationis, ſtatus, officii, obligationis ſingularis, qoâ teneror quilibet ſibi aut aliis in rebus ſalutis & fundamento fidei providere; ut Epiſcopi, Prælati religionum, paſtores, prædicatores, confeſſarii, capita familiarum, &c. Super quo addo ſeqoentem concloſionem.

CONCLUSIO IV.

Norunt paſtores & prædicatores.

I*Lli qu bus ex officio incumbit alios in rebus fidei, & aliis ad fidem neceſſariis inſtruere, aut de inſtructione providere, peccant mortaliter ſi aut ipſimet neceſſaria ignorent, aut de ſufficienti inſtructione non provideant.* Ratio ſomenda eſt ex obligatione officii & damno graviſſimo animarum quas inſtruere debent. Ex obligatione quidem officii, qoia cùm illud ad inſtructionem minorum & ſubditorum referatur, & ordinatum ſit, aut officium non debent ſuſcipere aut ſuſceptum tenentur deponere, ſi ſuæ inſoſſicientis doctrinæ aut ignorantiæ ſint conſcii. Ex damno autem animarum: quia ipſi tenentur juxta Apoſtolum invigilare *quaſi rationem pro animabus* ſobditorum *reddituri*. Undè & ad Titum cap. 1. de Epiſcopo, & proportione ſervatâ de qoolibet animarum curam habente dicitur, quòd debeat eſſe *potens exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt, arguere*: Quod non de ſola prædicatione; ſed de vera inſtructione intelligendum eſt, ſive privatim fiat, ſive in publ co, ſivè concionibus, ſivè privatis ſermonibus. Undè

Hebr. 13. verſ. 17.

Tit. 1. v. 9.

Tribus modis peccare ſolent Paſtores defectu inſtructionis.

Dixi (*peccant mortaliter ſi de ſufficienti inſtructione non provideant,*) Quod tripliciter contingere poteſt. *Primò*, ex parte ipſiuſmet perſonæ cui officium incumbit, ipſi enim non ſufficit ſcientia credendorum, ut eſt particularis perſona ſufficiens ad ſalutem; ſed quia officium gerit, debet habere talem ſcientiam, quâ etiam ſibi ſubditos vel commiſſos in neceſſariis juxta cujuslibet ſtatum conformare poſſit. *Secundo*, ex parte perſonæ quam in adjutorium & miniſterium aſſumit: Unde peccant mortaliter, qui ſcienter ignaros ad miniſteria aſſumunt, ad quorum executionem ſcientia requiritur. *Tertiò*, inſufficientia contingere poteſt ratione actionis ſivè ipſius inſtructionis: cujus causâ cenſetur peccare mortaliter qui ſibi commiſſis animabus de docto quidem & ſapiente inſtructore providet, quem tamen novit officium non exercere, aut ſoos de facto non inſtruere, ſi illum modis debitis non urgeat & curet ut animæ inſtruantor. Perinde enim eſt, non inſtrui ac inſtructorem non habere, non enim de inſtructore providiſſe cenſetur, ſi inſtructio non ſequatur.

Undè notanter dixi in conclusione (*ſi de ſufficienti inſtructione non provideant*) inutile autem eſt inſtructorem deſignare, ſi ille officium non exequatur.

CONCLUSIO V.

Scientia articulorum ignoto idiomate non ſufficit.

S*Cientia articulorum fidei in idiomate ignoto non ſufficit ad ſalutem.* Ratio fundamentalis eſt: quia aliquid ignotâ linguâ ſcire, idem eſt ac non ſcire, cum articulorum conceptum & realem apprehenſionem ex lingua & idiomate planè ignoto nemo ſibi formare poſſit.

Undè etſi ad finem qoemdam proteſtationis fidei & pietatis meritoriom ſit in Eccleſia Dei Symbolom Apoſtolorum, Divi Athanaſii vel Nicœnum latino idiomate ab imperitis recitari, ſolo tamen ignoto idiomate illud ſcire, non ſufficit ad ſalutem. *Ratio eſt*: qoia proteſtatio oris exterior, quæ fit etiam ignotâ linguâ, præſupponit fidem interiorem cordis, qoæ eſt fundamentum ex quo illa proteſtatio externa procedere debet: neque enim cenſetur quis proteſtari fidem quovis externo ſigno, niſi

Digitized by Google

niſi illam Fidem concipiat interno actu & affectu: Nullus autem concipere poteſt interno actu & affectu Symboli articulos, niſi illos apprehendat; illos verò nemo apprehendere poteſt, niſi ſigno ſcripturæ aut vocis ſibi cognitæ innoteſcant. Qui igitur recitat Symbolum Apoſtolorum ignoto idiomate, ſignum quidem externum Fidei exhibet, ſed inutile & fictum, ſi fidem intùs non poſſideat, quam abſque generali ſaltem notitia & apprehenſione credendorum habere non cenſetur. Undè Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. de oratione loquens: *Si orem* (inquit) *linguâ, ſpiritus meus orat* (nimirùm quia intendo Deo ſupplicare) *mens autem mea ſine fructu eſt*, quia qui ſic orat, quæ dicit non intelligit.

1. Cor 14. verſ. 14.

Abuſus tollendus.

Ex his *conſtat primò*, Tolli debere abuſum quarumdam regionum, ubi pueri non docentur Symbolum & fidei articulos niſi linguâ latinâ, quam non intelligunt, & pervenientes ad ætatem provectam non niſi ignoto illo idiomate illud recitare poſſunt.

Conſtat ſecundò, Neceſſarium eſſe ad ſalutem, ut de Symbolo & articulis linguâ ſibi notâ informentur, ut credenda apprehendere valeant, & ſaltem juxta ſuam capacitatem aliquo modo conceptus de illis formare poſſint.

Conſtat tertiò, Teneri unumquemque ſaltem ſub veniali peccato, articulos fidei memoriâ etiam in vernaculo idiomate retinere, niſi aut hebetudo ingenii, aut alia cauſa excuſet. Et quidem in concilio Foro Julienſi mandatur: ut Symbolum & orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus: *Quia* (inquit) *ſine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem*. Et in Concilio Moguntino primo, ſub Carolo Magno Canon. 45. ordinatum fuit: Ut *Symbolum quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam diſcere ſemper admoneant ſacerdotes populum Chriſtianum, volumuſque* (inquit) *ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſivè in jejunio ſive in alia caſtigatione emendentur*. Idem decrevit Concilium Meldenſe Can 74.

Concil. Foro Jul.

Concil. Mogunt.

Infero quartò, Modum recitandi Symbolum latino idiomate in Eccleſia, etſi ab imperitis fiat, meritorium eſſe, quia fit ob finem ut ſe Eccleſiæ Romanæ latinæ filios profiteantur. Quod notat Leo 9. Epiſtolâ ad Michaëlem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Leonem Epiſcopum Acridanum cap. 23. de lectionibus lectis latinè in Eccleſia Conſtantinopolitana.

Fundamentum reductionis omnium caſuum conſcientiæ qui ad ſcientiam credendorum ſpectant, ad explicatum præceptum juxta datas concluſiones.

Reductio Caſuum.

EX his deduci poteſt fundamentum & forma reductionis caſuum conſcientiæ qui ad conſcientiam credendorum ſpectant. Aut enim credendorum ignorantia eſt *culpabilis* aut *inculpabilis*: *Si inculpabilis*, vel eſt ignorantia ejus quod eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ut ignorantia ſeu carentia totius fidei unius veri Dei: quo caſu hominem quidem damnari neceſſè eſt, non ob ignorantiam in ſe, quæ, ut ſupponitur, eſt inculpabilis; ſed ob defectum fidei, quæ eſt medium neceſſarium ad ſalutem: Vel *ignorantia inculpabilis* eſt de re ex ſolo præcepto neceſſaria ad ſalutem; & hæc ignorantia etiam à peccato excuſat; Quia involuntaria eſt & merus defectus, ratione cujus non damnabitur ignorans, quia res ignorata non erat medium ad ſalutem neceſſarium. Si verò ignorantia ſit *culpabilis*, vel eſt *culpabilis* reſpectu perſonæ ignorantis, & juxta concluſionem ſecundam eſt peccatum mortale, niſi levitas materiæ excuſet: vel eſt *culpabilis* reſpectu perſonæ cujus eſt fidei articulos neceſſarios docere, aut inſtructionem ſufficientem ſibi commiſſis procurare, & tunc perſona illa mortaliter peccat, ſi ignorantes non doceat, eo modo quo ſcientiæ capaces ſunt, etiamſi illi qui ignorant ratione impotentiæ & inculpabilitatis à peccato excuſentur. Quòd ſi nec ipſe Doctor ſivè Paſtor neceſſarios articulos norit, duplici peccato mortali irretitur: tum quia illos neſcit, tum quia alios inſtruere non poteſt, ad quod tamen ratione officii tenetur. Et ad hæc membra, omnia omninò peccata quæ ſunt contra ſcientiam articulorum fidei & neceſſariorum ad ſalutem, ut ad fundamenta reducuntur, juxta explicationes in concluſionibus ſuperioribus datas. Quidquid verò his membris non continetur, aut peccatum non eſt, aut non niſi veniale. Quomodò diximus non eſſe peccatum, aut non niſi veniale, ſi quis memoriter Symbolum Apoſtolorum aut orationem Dominicam (quam Tertullianus lib. de orat. *Totius Evangelii Breviarium* appellat) neſciat recitare. Si enim ex impotentia aut hebetudine mentis recitare neſciat, peccatum non erit: Si ex negligentia, veniale erit: quia loca ſupracitata conciliorum admonitionem potiùs & præceptum pœnale continent, quàm ſtrictum præceptum. Quod enim in Concilio Foro-Julienſi dicitur quòd *ſine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem*, ad ſubſtantiam fidei rerum in Symbolo contentarum refertur, non ad verba.

Nota.

Tertul. lib. de orat. in initio.

Concil. Foro Jul.

Porrò tota hæc doctrina de peccato ignorantiæ myſteriorum fidei noſtræ, prout illam concluſionibus ſuperioribus diſtinximus, in ſcriptura fundatur. Primò enim ſcientiam credendorum ad ſalutem neceſſariam & ex conſequenti ignorantiam illorum culpabilem eſſe docet S. Paulus gradatione quam facit ad Roman. 10. ubi cùm aſſeruiſſet cordè credi ad juſtitiam & ore confeſſionem fieri ad ſalutem: ex conſequenti infert, *Quomodò credent ei quem non audierunt, & quomodo autem audient ſine prædicante?* ignorantiam autem culpabilem

Rom. 10. verſ. 14.

pabilem Judæis fuiſſe probare volens oſtendit Verſ. 18. ex Iſaia: *Nunquid* (ait) *non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum*, &c. Item: Verſ. 20. &c. *Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*. Itē: *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*: *Inſignis gradatio Apoſtoli.* Salutem verò totam concludens, gradationem hanc ponit, & quidem Primò. Invocationem Dei: *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*: Secundò. Invocationem procedere à Fide: *Quomodo* (inquit) *invocabunt in quem non crediderunt?* Tertiò. Fidem ex auditu: *Quomodò credent ei quem non audierunt?* Quartò. Auditum ex Prædicatore procedere: *Quomodò audient ſine Prædicante?* Quintò. Prædicatorem ut verbum Dei prædicet legitimè à Deo mitti debere: *Quomodo* (ait) *prædicabunt niſi mittantur?* Ex quibus colligitur & Prædicatores miſſos peccare ſi non prædicent, & eos ad quos mittuntur peccare ſi non audiant, & audientes peccare ſi non credant, & credentes peccare ſi non invocent. Sic actus illi ad ſalutem neceſſarii concatenantur, quorum privatio culpabilis, peccatum mortale in Articulis ad ſalutem neceſſariis infert; tum ex parte hominis ſi non audiat, & audiendo diſcat, ac tandem ex Fide Deum invocet; tum ex parte Prædicatoris ſi ille non annuntiet. Et de ignorantia quidem perſonæ quæ diſcere tenetur 1. Corint. 14. v. 38. confirmat Apoſtolus 1. ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*. Sap. 2. v. 22. Et Sap. 2. Culpa & cauſa damnationis impiorum refertur: *Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem Animarum ſanctarum* quæ omnia ex ignorantia veræ Fidei velut ex radice oriuntur. Quod & expreſſit Pſalmiſta Pſ. 13. & 52. Pſ. 13. v. 2. 3. *Dominus de cælo proſpexit ſuper Filios hominum ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum? Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, &c q. d. Pſalm. 52. verſ. 3. 4. Ex defectu ſcientiæ Fidei, eò quòd nullus ſit qui intelligat aut requirat ut intelligat, ſivè qui ſcientiam fidei acquirat.

Tria genera Hominum ex Ignorantia artic. Fidei damnantur. Porrò tria genera hominum, qui ex Ignorantia Culpabili rerum Fidei damnantur, à Scriptura referuntur. Primò. Qui ex negligentia & ſocordia ignorant. Pſalm. 13. ſuprà: *Si eſt intelligens* q. d. *non eſt intelligens aut requirens Deū*, utique ex negligentia ſalutis. Secundò. Qui ex Pſ. 13. v. 2. malitia: Job 21. Job 21. verſ. 14. *Qui dixerunt Deo recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Et Pſ. 35. Pſ. 35. v. 4. *Noluit intelligere ut benè ageret*. Tertiò Qui rebus terrenis ita ſunt abſorpti ut neceſſaria ſalutis ſcire non curent, de quibus figuratè Iſaias cap. 28. Iſa. 28. v. 7. *Hi* (inquit) *quoque præ vino neſcierunt, præ ebrietate erra erunt* &c. *neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium*, quod de iis intelligendum eſt qui voluptatibus & curis ſæculi ità abſorbentur; ut nec de Deo, nec de ſalutis neceſſariis cogitent, quibus juxta parabolam Salvatoris ſemen Fidei & Verbi Dei velut inter ſpinas cadens ſuffocatur.

Declamatio Scripturæ contra Paſtores. Contra peccatum autem Majorum in Eccleſia, quorum eſt alios docere vel eis providere de Inſtructione in rebus Fidei & ſalutis, ſive ex ignorantia, ſivè ex negligentia vel alia de cauſa id non faciant, frequenter declamat S. Scriptura Iſaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes,* Iſai. 56. verſ. 10. 11. *neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare*, &c. *Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinaverunt*. Et Oſee 4. *Quia tu* Oſee. 4. verſ. 6. *ſcientiam repuliſti, repellam te* (ait Dominus) *nè Sacerdotio fungaris mihi*. Et Levitici 10. Præcep- Levit. 10. v. 9. 10. 11. tum Levitis imponitur (in quorum locum Sacerdotes in Nova Lege ſucceſſerunt) *Præceptum* (inquit) *ſempiternum eſt in generationes veſtras, & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatiſq; Filios Iſrael omnia legitima mea*. Quod Præceptum, ex eo quòd Paſtores Animarum docere debeant Fideles, Juris Divini Naturalis eſt. Undè & S. Paulus 1. ad Cor. 9. *Væ enim mihi eſt ſi non E-* 1. Cor. 9. verſ. 16. *vangelizavero*. Et 1. ad Timoth. 4. monet: *attende* 1. Tim. 4. verſ. 16. *tibi & doctrinæ*. Energicè Judith ad Sacerdotes cap. 8. *Et nunc* (inquit) *Fratres quoniam vos eſtis* Judith. 8. verſ. 21. *Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite.*

Appendix.

De Lege Eccleſiaſtica & Humana circa Scientiam credendorum.

HUc reducendæ fuiſſent Leges Humanæ, ſed nullæ Generales in vigore modò ſunt præter illam Eccleſiaſticam, quæ eſt *Concilii Tridentini ſeſſ. 24. de Reformatione cap. 4.* Ubi Parochis indicitur Prædicatio & Catechiſmus, & indicat Concilium Populum teneri illa audire: Quod quidem Præceptum quatenùs neceſſitati ſciendi Articulos Fidei innititur, obligat in Conſcientia & eſt peccatum juxta modum negligentiæ & neceſſitatis prout de Præcepto Divino ſuprà explicatum eſt.

SECTIO II.

De Actu interiori Credendi, & peccatis illi oppoſitis.

UT enucleatius quæ de actu interiori credendi dicenda ſunt, intelligantur, tres à nobis Quæſtiunculæ ſunt reſolvendæ.

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat Actus Credendi interior?

CONCLUSIO UNICA

ACtus Credendi interior nihil eſt aliud, quàm Aſſenſus certus & firmus, etſi obſcurus, quo homo divino lumine illuſtratus aſſentitur Primæ Veritati, & omnibus quæ à Prima Veritate revelantur, quatenùs ab illa revelata ſunt, cum pio in illam affectu.

Dixi (*Aſſenſus*) ut excludatur nuda quædam *De Aſſenſu Fidei.* mentis cogitatio & conceptus de Deo, cui etſi veritas ſubſit; ad Fidei tamen actum non pervenit, niſi quis aſſenſum præbeat Fides enim non tam in ſpeculatione Primæ Veritatis & eorum quæ ab illa procedunt, conſiſtit, quam in actu Intellectus practico, quo deliberato judicio

judicio homo Deo, vel revelatæ veritati voluntate conſentiente aſſentitur. Unde paſſim fidei actus in ſcripturis vocatur *opus*: Joan. 6. Cùm Judæi Chriſtum interrogaſſent: *Quid faciemus ut operemur opera Dei? Reſpondit Jeſus & dixit eis: hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Et Act. 16. interrogavit cuſtos carceris Paulum & Silam: *Domine quid me oportet facere, ut ſalvus fiam? at illi dixerunt: crede in Dominum Jeſum & ſalvus eris.* q.d. Hoc te oportet facere. *Credere* enim eſt quoddam *facere*. Quomodò & Jacobi 2. dicitur. *Tu credis quoniam unus eſt Deus: bene facis.* Et alibi voluntatem Dei facere, *credere* dicitur. Cujus ſingularis ratio eſt: quia tota fides noſtra ad opus refertur, ut nimirum fides per charitatem operetur. Super quo S. Auguſtinus in Pſalm. 89. *Opus ergò unum eſt* (inquit) *in quo ſunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur. Unde etiam Dominus in Evangelio dicit: hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem ille miſit.* &c. In hunc autem aſſenſum voluntatem, Dei dono conſentire docet idem S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 20. cùm oſtendit beatitudinem eſſe quam omnes volunt: fidem autem quam non omnes volunt: aſſentiri enim articulis fidei libertatis eſt, non fati aut naturæ ut aſſerit idem S. Auguſtinus qq Veteris & novi Teſtamenti quæſtione 115. Et S. Ambroſius in cap. 1. 2. ad Corinth. *Quoniam fides* (inquit) *non neceſſitatis, ſed voluntatis res eſt: ideò dicit: Non quod dominemur fidei veſtræ: Dominatus enim neceſſitatis cauſa eſt*, &c.

Joan. 6. verſ. 28. & 29.
Qualiter fides ad voluntatem refertur.
Act. 16. verſ. 30. 31.
Jacobi 2. verſ. 19.
S. Aug. in Pſalm 89. in fine.
Joan. 6.
S. Amb. in cap. 1. 2. Corinth. in fine.

Dixi (*aſſenſus certus & firmus*) ut excludatur omne dubium & opinio, quæ eſt cum formidine oppoſiti: cùm enim prima veritas ſit immutabilis, quidquid primæ veritati innititur, debet eſſe firmum & immutabile. Unde teſte Apoſtolo *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium. Quâ* (teſte S. Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana) *titubante, charitas etiam ipſa langueſcit.* Eſt utique fides fundamentum & firmamentum totius ſalutis & operis Chriſtiani.

De certitudine fidei.
Hebr. 11. verſ. 1.
S. Aug. l. 1. de Doct. Chriſti. cap. 37.

Dixi (*etſi obſcurus*) ut excludatur ſcientia; fides enim eſt *credere quod non vides*, & conſequenter ejus actus obſcuritatem habet.

De obſcuritate fidei.

Dixi (*quo homo divino lumine illuſtratus*, &c.) Fides enim & fidei lumen eſt purum donum Dei, quo Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quo *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Unde Chriſtus Petro fidem profitenti; *caro* (inquit) *& ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt*: Et Paulus ad Roman. 12. *Unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.* Et 1. ad Corinth. 2. *Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Unde & Chriſtus Joan. 6. *Nemo poteſt* (inquit) *venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, nimirum per fidem, trahimur dulcedine, ex Aug.

Joan. 1. v. 9. 12. &c.
Fides donum Dei.
Matth. 16. verſ. 17.
Rom 12. verſ. 3.
1 Cor. 2. verſ 5.
Joan. 6. verſ. 44.

Dixi (*quo aſſentitur primæ veritati & omnibus quæ à prima veritate revelantur*) duo enim ſunt objecta fidei noſtræ: *primarium* & *immediatum*: nimirum *Deus* prout eſt prima veritas, & *ſecundarium* ſivè *mediatum* ſcilicet articuli fidei, ſivè veritates quatenus à Deo revelante derivantur: ita ut ratio formalis actus credendi ſit Deus ipſe ut eſt prima veritas, quod primarium objectum explicatur Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti* Jeſum Chriſtum. q. d. Hoc eſt objectum fidei tuæ in qua inchoativè conſiſtit vita æterna, Deus verus & Jeſus Chriſtus: & paſſim in ſcriptura hæc duo objecta referuntur.

Duplex objectum fidei.
Joan 17. verſ. 3.

Dixi (*cum pio in illam affectu*) etſi enim fides ſit in intellectu, dum tamen actualiter movet, ſcintillat in voluntate & quendam pium cordis motum excitat, ex quo ſpes & dilectio ſuam radicem & originem ducunt. Et hoc indicant ſcripturæ & ſymbola fidei noſtræ quæ exprimendo actum credendi, ſemper utuntur præpoſitione, *in*: ut Joan 6. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum* & Actor 16. *Crede in Dominum Jeſum & ſalvus eris*, & paſſim in Symbolis *credo in unum Deum*: quæ præpoſitio, *in* affectum quendam & motum pium in Deum ſignificat, unde actus credendi communiter cordi attribuuntur, ut ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam.* Et Actor. 8. Philippus ad Eunuchum: *ſi credis ex toto corde, licet.* Et huic doctrinæ Patres ſubſcribunt, dum diſtinguunt inter *credere Deo, credere Deum, & credere in Deum*; quæ tria etſi ad fidem neceſſaria ſint, in ultimo tamen actu potiſſimum actum fidei conſtituunt, lege S. Auguſtinum ſerm. 181. de tempore: ubi explicans illud Symboli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Non dicit* (inquit) *credo Deum, vel credo Deo, quamvis & hæc ſaluti neceſſaria ſunt. Aliud eſt enim credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, eſt credere vera eſſe quæ loquitur, credere illum, eſt credere quia ipſe eſt Deus: credere in illum, eſt diligere illum. Credere vera eſſe quæ loquitur multi & mali poſſunt; credunt enim eſſe vera & nolunt ea facere ſua; quia ad hoc pedum pigri ſunt: credere autem ipſum eſſe Deum, & dæmones poſſunt; credere verò in Deum ſoli norunt qui diligunt illum; qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed & factis & vitâ quia ſine dilectione fides inanis eſt*, hæc S. Auguſtinus; in quibus verbis etſi dilectionem cum fide conjungat, advertendum tamen eſt, etiam ante perfectam dilectionem fidem veram, pium quendam motum ſuſcitare, qui bonorum deſideriorum, & ſpei, & charitatis initium eſt. Nam ut ipſe S. Auguſtinus ſerm. 38. de tempore, dixit: *fides namque eſt bonorum omnium fundamentum. Fides eſt humanæ ſalutis initium*: & apud Apoſtolum dicitur: fides per charitatem operari, quia ſpei & charitatis principium eſt ad illa inclinans & illis cooperans. Quod eleganter explicat Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joannem cap. 16. exponens illud: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum*, &c. *Fides* (inquit) *quid aliud eſt*,

Fides ex intellectu ſcintillat in voluntate.
Jo. 6. v. 29.
Act. 16. verſ. 30.
Rom. 10. verſ. 10.
Actor. 8. verſ. 37.
Quid credere Deo, credere Deum, credere in Deum.
S. Auguſt. ſerm. 181. de temp.
S. Auguſt. ſerm 38. de temp. in initio.
Cyril. Alex. l. 11 in Joan cap. 16

quàm vera de Deo cognitio? per fidem enim cognitio fit. Teſtitur id Iſaias dicens: ſi enim non credetis, non intelligetis. Quòd autem nuda perſpiciendi cognitio inutilis ſit, Sanctorum virorum voces confirmant: dicit enim quidam diſcipulorum Domini: tu credis quia unus eſt Deus & probè facis, Dæmonia etiam & credunt & horreſcunt. Quid igitur ad hæc dicemus? aut quomodò verus hic ſermo Domini erit: ſed verus eſt abſque ulla penitùs hæſitatione. Cognitio enim vita eſt quia totam myſterii virtutem parturit & myſtica benedictionis affert participationem per quam vivifico verbo conjungimur: Hæc Cyrillus. In quibus, nota: fidem non conſiſtere in nuda cognitione, hoc eſt, nuda ſpeculatione intellectus; ſed ſecum affectum aliquem & pium motum connexum habere, quo vivifico verbo conjungimur, id eſt, veritati affectu adhæremus, imò ipſam totam virtutem myſterii parturire, in quantum eſt principium omnis boni exerendo virtutem ſuam in ſpem & charitatem. Et hæc eſt ratio, cur fidei tota ſalus tribuatur, quia ſine fide, ſpes & charitas in quibus eſt conſummatio ſalutis, nec inchoari nec perfici poſſunt. Sed ad alia veniamus.

QUÆSTIO II.

Qui ſint actus oppoſiti actui interiori credendi?

CONCLUSIO I.

TRia potiſſimum actui interiori credendi opponuntur, nimirum: *incredulitas, error* ſive *infidelitas poſitiva*, & *dubium*, ſub quo comprehendo *opinionem*. *Incredulitas* hîc dicitur: privatio fidei vel actus credendi tempore quo quis credere tenetur, ſivè ſit circa totum fidei objectum, ſivè contra aliquem articulum. *Error*, eſt infidelitas poſitiva, ſivè aſſenſus erroneus circa totam fidei materiam vel aliquem articulum. *Dubium*, eſt hæſitatio practica mentis, quâ in materia fidei ita ſuſpenditur, ut in nullam partem propendeat, quod ſi in aliquam partem propendeat cum formidine oppoſiti eſt *opinio*, &c. De his ſuis locis. Colligitur hæc diſtinctio ex quæſtione præcedenti. Tribus enim conditionibus principalioribus actus fidei hæc adverſari perſpicuum eſt; nam *incredulitas* toto actu & aſſenſu fidei hominem privat: *Error*, ejus veritati opponitur: *dubium* & *opinio*, illius certitudini & infallibilitati. Unde ad hæc tria reducuntur omnia peccata quæ ſunt contra fidem.

QUÆSTIO III.

An actus exercitus fidei interioris ſit neceſſarius ad ſalutem?

RAtio dubitandi eſſe poſſet, quia ſufficeret fides infuſa, vel aliquis habitus fidei ſupernaturali lumine prævio acquiſitus.

CONCLUSIO UNICA.

IN *omni adulto ratione utente requiritur non modo ex præcepto, ſed etiam neceſſitate medii aliquis actus interior fidei ad ſalutem.* Hoc ad minus probant ſcripturæ, quæ fidem ad ſalutem neceſſariam explicant per actum exercitum *credendi* Marci ult.: *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Item Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei*, & Chriſtus requiſivit actum fidei ab iis quos vocavit. Item; Apoſtoli ab iis quos converterunt.

Adultus tenetur ad actum fidei internum.

Marci ult. verſ. 16.

Joan 3. verſ. 18.

Dixi (*in omni adulto*) pueri enim cum infuſa in baptiſmo fide ſalvantur: ſimiliter & amentes qui ob carentiam uſus liberi arbitrii & rationis, ſunt incapaces actus fidei & pueris æquiparantur.

Dixi (*non modo ex præcepto*) certum eſt enim præceptum qua affirmativum eſt, ad actum aliquem pro determinato aliquo tempore obligare, ſicut & ad actus ſpei & charitatis ſivè converſionis ad Deum. Porrò neceſſitatem medii allatæ ſcripturæ concludunt. His quæſitis ſic politis & reſolutis; infero ſequentes regulas generales.

Regulæ Generales

De incredulitate prout opponitur actui interno credendi.

Regula I.

OMnis *adultus ſub peccato mortali tenetur interiorem actum fidei aliquo tempore in ſua vita elicere circa articulos quos ei ignorare non licet.* Hæc regula comprehendit tam fideles, quam infideles, fundaturque in præcepto naturali: ſicut enim datur præceptum naturale divinum de diligendo & colendo Deo: ſic datur præceptum naturale de eo lumine ſupernaturali cognoſcendo, ſivè de credendo in illum; neque enim quis poteſt colere aut diligere Deum, niſi in illum credat juxta illud ad Hebr. 11. *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt*, &c. Et ſcripturæ axioma eſt, *ſine fide ſupernaturali hominem Deo placere nunquam potuiſſe.* Ex quo infertur communiter: neminem ex puris naturalibus ſalvari poſſe. *Item:* omnem adultum etiamſi de fide Chriſtiana nihil unquam audierit, ſi in Deum verum non credat & in incredulitate moriatur, damnari non tantùm ob peccatum originale; ſed etiam ob peccatum incredulitatis, ſivè quia non credidit in verum Deum ad cujus actualem cognitionem, ubi ad ætatem adultam venit, præcepto naturali divino obligabatur eodem modo quo etiam illum diligere & amare tenebatur.

Circa quos articulos eliciendus fidei actus.

Hebr. 11. verſ. 6.

Dixi

Dixi (*aliquo tempore vitæ ſuæ*) eſt enim præceptum affirmativum, quod etſi pro ſemper obliget, non tamen ad ſemper, ſed pro aliquo tempore. Quodnam autem ſit illud tempus infra dicemus.

Dixi (*circa articulos quos ei ignorare non licet*) menſuranda eſt enim obligatio eliciendi actum credendi juxta obligationem ſciendi articulos fidei; cùm enim quis ſcire aliquid tenetur, illud tunc primùm tenetur credere: credere enim non poteſt, niſi ſciat.

Regula 2.

Quando adulti teneantur credere.

OMnes adulti, *ubi eis explicitè articuli fidei ſufficienter ad credendum ſunt propoſiti, tenentur ſub peccato mortali illis per actum exercitum aſſentiri & credere.* Ratio hujus Regulæ eſt: quia ubi articuli ſufficienter ſunt propoſiti, ſi non credat, contra judicium practicum rationis & contra præceptum agere convincitur in re neceſſaria ad ſalutem. Sumitur hæc ratio ex capite ultimo Matthæi: *euntes docete omnes gentes*, &c. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* q. d. Cum docueritis ſivè cùm veſtrâ doctrinâ informati debitè fuerint, tunc aut debent credere, aut condemnari. Undè, ut ſuprà vidimus, Apoſtoli cùm docuiſſent, exigebant primò actum fidei, & deinde intingebant Baptiſmi Sacramento.

Matt. ult. 19. Marc. ult. 16.

Dixi (*omnes adulti*) nimirum rationis uſu præditi; non enim uſu rationis aut privato aut impedito benè proponi poſſunt articuli fidei ut credibiles vel credendi.

Dixi (*ubi eis articuli fidei ſufficienter ad credendum ſunt propoſiti*) quod diverſimodè fit, ſive reſpectu articulorum qui proponuntur, ſivè reſpectu modi quo articulorum notitiam ad homines pervenire contingit. *Explico:* nullus adultus potuit unquàm excuſari à cognitione Dei unius, creatoris, remuneratoris, &c. ideoque pro omni ſtatu omnis adultus tenetur illo præcepto hujuſmodi articulos etiam explicitè credere. *Ratio eſt*: quia lumine divino homini & naturæ à principio indito, iſti articuli omni tempore ſunt cognoſcibiles & ſufficienter homini propoſiti & obvii: Unde in ſtatu legis naturæ (qui quoad præcepta divina naturalia uſque ad finem ſæculorum cenſetur manere) quilibet his articulis tenebatur aſſentiri, & circa illos actum fidei explicitæ exercere; ſucceſſu verò temporis legibus & doctrinâ fidei perfectiùs & explicatiùs traditâ, quilibet obligatus fuit, juxta modum quo notitia ad eos pervenit, plures articulos magis explicitè juxta ſtatum ſuum credere. Unde (ut ad praxim redeamus, omiſſis Judæis & gentilibus ſive priorum, ſivè poſteriorum temporum, quos conſtat non tantùm in incredulitate; ſed etiam in infidelitate vivere)

Primò, omnis Chriſtianus tenetur actum fidei explicitum elicere tempore debito, de myſteriis quæ communiter in Eccleſia Catholica credenda proponuntur, ut ſunt ea quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, & quæ omnibus Chriſtianis omni tempore ſcienda declaravimus ſuperiùs: ita ut ſi tempore debito illum actum omittant, mortaliter peccent. Quod moderandum eſt juxta ea quæ ibidem diximus de materia credendorum.

Quæ articulis & modo credendorum.

Dixi verò (*actum fidei explicitum*) circa ea enim quæ quis implicitè tantùm ſcire tenetur, ſufficit actus fidei implicitus.

Secundo, omnis qui Chriſtiano nomine gaudet ſivè hæreticus ſit ſivè ignorans, toties peccat mortaliter, quoties articulo fidei ſibi ſufficienter declarato & propoſito, tempore debito aſſentiri renuit, aut actum credendi exercere detrectat. Ratio eſt quæ ſuprà: quia cùm articulus fidei eſt alicui ſufficienter propoſitus, jam incredulitas incipit eſſe peccatum, quia per illam homo privatur aſſenſu fidei debito in eſſe.

Petes primo, quandonam cenſeatur articulus fidei ſufficienter propoſitus, ad hoc ut quis teneatur aſſentiri & circa illum exercere fidei actum?

Reſpondeo, nos tres ſtatus hominis necdum credentis in propoſito diſtinguere debere. *Primum*, quandò quis de aliquo articulo fidei nullam unquam audivit fieri mentionem, aut ſi audivit mentionem fieri, non niſi illam impugnando, irridendo, reprobando aut ſimilibus modis mentio facta eſt. Et talis cenſendus eſt incredulus negativè, ſivè planè ignorans reſpectu illius articuli: quales ſunt plurimi inter hæreticos educati, qui nomine Chriſtiano gaudent arbitrantes ſe in vera Eccleſia eſſe, quique de pluribus articulis Catholicæ & veræ Eccleſiæ nihil audiverunt, vel non nihil blaſphemias & maledicentias adverſus eos. *Secundus ſtatus* eſt: quandò quis de nonnullis articulis Catholicis non quidem omninò plenè & ſufficienter informatus eſt, ad eum tamen ſtatum pervenit, ut prudens & practicum dubium de ſua fide illi ingeratur ob argumenta vehementia quibus articuli Catholici probati ſunt, ita ut hæſitans & dubius maneat: in quo ſtatu quandò quis ad verum dubium pervenit, etſi necdum teneatur credere: tenetur tamen ſub peccato mortali de veritate articuli inquirere & ſe à dubio eximere congruis inquiſitionibus & aliis modis. *Ratio eſt*: quia tunc ignorantia ei fieret culpabilis, & conſequenter incredulitatis crimine teneretur, eò quòd media non adhibuiſſet ad omnem dubitationem vel ignorantiæ caliginem depellendam. Et in hoc ſtatu ſunt ſimiliter plurimi apud hæreticos educati, qui poſtea inter Catholicos converſantes, aut libros Catholicos legentes, vel vitâ & moribus piorum attracti, me-

Tres ſtatus hominis necdum credentis.

Secundus ſtatus.

ritò in dubia ſuæ Pſeudo-fidei incidunt, qui ſi diligenter non inquirant, non jam inter merè ignorantes reputantur, ſed inter negligentes in acquirenda ſcientia credendorum; ignorantiâ vincibili & culpabili laborare convincuntur.

Tertius ſtatus. *Tertius ſtatus eſt*; Quandò articuli Catholici ut credibiles & credendi ita alicui propoſiti ſunt, ut ejus intellectus convincatur ſcripturis, rationibus, hiſtoriis antiquis, miraculis, vitâ immaculatâ proponentium aut ſimilibus concurrentibus argumentis. Et tunc, eò ipſò quòd hoc modo articuli Catholici ipſi ſunt propoſiti, cenſetur ſufficienter de illis informatus: ita ut ſpeciali peccato mortali incredulitatis condemnetur, quia articulo vel articulis ſufficienter propoſitis aſſenſum non præbet, ſivè quia actum credendi non elicit: toto tamen anteriori tempore quo nondùm articuli ſufficienter ut verè credibiles & credendi propoſiti erant, non tenebatur actum credendi elicere, ſed prout in ſecundo ſtatu ſufficiebat de illis inquirere. Quinimò toto illo anteriori tempore non peccavit diſputando, libros hæreticos legendo, &c. Quia hæc pertinent ad competentem ignorantis vel dubitantis ignorantiâ inculpabili & dubio juſto informationem.

De tempore credendi *Petes ſecundò*, quo tempore præceptum affirmativum de credendo obliget hominem ſufficienter inſtructum?

Reſpondeo primò, quemlibet adultum teneri ſemel ſaltem in vita elicere actum fidei explicitum de articulis ipſi explicitè ſufficienter propoſitis, ſivè de articulis quos explicitè ſcire tenetur. Reſponſio patet ex terminis, ſi enim ſcire teneatur, tenetur & credere; & cùm teneatur, ut diximus, aſſentiri articulo fidei ſibi ſufficienter propoſito (aſſentiri autem nihil ſit aliud quàm actum credendi elicere) tenebitur, ſi explicitè proponatur, explicitè illi aſſentiri & conſequenter explicitum actum credendi elicere.

Reſpondeo ſecundò, quoties tenetur homo conteri vel elicere actum ſpei aut amoris Dei ſuper omnia, toties tenetur indirectè elicere actum fidei ſaltem implicitum. Hæc etiam Reſponſio ex natura terminorum clara eſt: actus enim ſpei, actus contritionis, actus amoris Dei ſuper omnia, præſupponunt & neceſſariò requirunt actum fidei quæ eſt fundamentum cæterorum.

Dixi (*actum fidei implicitum*) non enim tenetur quis ubi conteritur vel exercet actum amoris Dei ſuper omnia, diſcurrere per ſingulos articulos fidei, ſed ſufficit virtus fidei implicitè actibus illis cooperans: neque enim modus ille ſingularis & diſtinctus recenſendi articulos fidei, poſſibilis eſt.

Reſpondeo tertio, ubi eſt aliquod grave periculum fidei circa articulos particulares, tenetur quis explicitum fidei actum de articulis illis elicere; ſicut & in genere ubi grave periculum fidei imminet, tenetur generalem actum fidei exercere. *Ratio eſt*: quia ille eſt unicus ferè modus periculum evadendi, aut ſeipſum confirmandi in fide.

Praxis Confeſſariorum

Circa pœnitentes ignaros vel defectuoſos in actu credendi explicitos articulos ſcitu neceſſarios.

QUia frequenter contingit pœnitentes ex negligentia vel hebetudine mentis, aut alia de cauſa articulos ſcitu neceſſarios explicitè ignorare, vel ſi ſciant, nullum tamen unquam interiorem actum credendi exercent, operæ pretium duxi aliquas praxes & modos hic explicare.

Primò igitur ſi confeſſarius advertat pœnitentem in articulis fidei ſcitu neceſſariis penitùs ignarum, ſciat ſe illum abſolvere non poſſe, niſi ab eo exigat efficaciter firmum propoſitum illos addiſcendi & curandi ſe inſtrui: quòd ſi illum aliter abſolvat, mortaliter peccat. *Ratio eſt*: quia vel pœnitens laboravit ignorantiâ uſque in iſtam horam inculpabili aut culpabili: ſi culpabili, peccavit mortaliter & conſequenter tenetur habere propoſitum firmum ſe emendandi & addiſcendi articulos ſcitu neceſſarios, alias cenſetur in peccato mortali permanere: ſi laboravit ignorantiâ inculpabili, de hac ipſa ignorantia informari debet & urgeri ad firmum propoſitum ſibi procurandi inſtructionem neceſſariam, alias ignorantia quæ erat inculpabilis, fit culpabilis, & conſequenter ſi inſtrui renuat, aut non proponat diſcere neceſſaria ſalutis, eſt in peccato mortali & planè indiſpoſitus ad abſolutionem. *Praxis 1.*

Secundò: ſi confeſſarius advertat, ſe abſque incommodo poſſe breviter pœnitentem inſtruere de articulo aliquo fidei neceſſariò, illum breviter inſtruat & actum credendi ab eo eliciat ante abſolutionem. *Praxis 2.*

Dixi (*ſi abſque incommodo poſſit*) quia minus benè faciunt qui pœnitentes rudes & ignaros variis interrogationibus torquent, inſtructionibus longioribus in confeſſionali inſudant, ut memoriter dictos articulos aut recitent aut repetant; hi enim in vanum ſe inutili labore conſumunt & conficiunt. Non eſt utique ibi locus Catechiſmorum, ubi breviter & fructuosè res expediri non poteſt.

Tertiò, optima praxis eſt: ignaro aut rudi homine ad Sacramentum pœnitentiæ accedente (ſi deprehendatur explicitam ſcientiam articulorum neceſſariorum non habere, adeoque explicito actu fidei circa neceſſaria præcepto divino non ſatisfeciſſe) abſque multis inutilibus inculcationibus illius ignorantiam & hebetudinem ſupplere proponendo illi explicitè articulos neceſſariò creden- *Praxis 3.*

credendos & ad ſingulos actum credendi exigendo, hoc vel ſimili modo: *Credis Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres perſonas, & unum Deum? Credis Jeſum Christum eſſe verum Filium Dei, verum Deum & hominem prætenatum, crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dexteram Patris, & Iudicem venturum*, &c.? *Credis unam Eccleſiam Sanctam & Catholicam, extra quam non eſt ſalus? Credis in Eccleſia eſſe poteſtatem remittendi peccata? credis Christum eſſe in Eucharistia verè & realiter ſub ſpeciebus panis & vini*, &c.? Quibus illi intelligibiliter explicatis & excitato in ipſo pio affectu, ſi ad ſingula corde & ſpiritu pietatis reſpondeat: *credo*; quantumvis ignarus & rudis ſit, cenſebitur elicuiſſe actum credendi explicitum ad ſalutem ſufficientem; & hæc quidem praxis neceſſaria eſt circa rudes & hebetes ac ſimplices; maximè quandò infirmitate periculosâ laborant: ſine dubio enim plurimi pereunt, quia nunquàm actum aliquem fidei explicitè elicuerunt.

De ſigno Crucis. *Advertendum* tamen *eſt* pro ſimplicium conſolatione, Eccleſiam mirâ utilitate ſignum Crucis instituiſſe ſingulari myſterio, ut per illud præcipuorum ferè articulorum noſtræ fidei quilibet Christianus actum credendi & ſuæ fidei dietim & omni momento profeſſionem facere poſſet: quod utiliter & neceſſariò inculcandum eſſet omnibus, ut ad illius ſigni fructuoſam formationem attenderent: *primò* enim: cùm ſe homo ſignat & fronti ſivè capiti manum imprimit dicens: *in nomine Patris*, fatetur ſe agnoſcere Patrem ut caput & fontem totius Divinitatis, ſuumque creatorem à quo, per quem, & in quo ſunt omnia: cùm manum dimittit infrà pectus dicens: *& Filii*, Filium Dei agnoſcit, qui in uterum Virginis Mariæ deſcendit ac pro nobis incarnatus eſt, &c. Cùm deindè manum reducit à ſiniſtra ad dextram dicens: *& Spiritus ſancti*, agnoſcit tertiam perſonam in Sanctiſſima Trinitate Spiritum ſanctum, cujus virtute transferimur à ſiniſtra damnationis ad dextram gratiæ filiorum Dei, ſive qui nos vivificat, ſanctificat, benedicit, &c. In figura autem Crucis quâ hoc ſignum formatur, agnoſcit Christianus & profitetur myſteria mortis & paſſionis Jeſu Christi Domini noſtri & ita hoc ſigno veraciter instructus Christianus quantumvis ſimplex, actum credendi & debitam profeſſionem fidei ſufficienter exercere cenſendus eſt. Quemadmodum enim juxta diverſos ritus apud diverſas nationes utiliter instituta ſunt ſigna tam politica quibus principes & homines ſe invicem honorant (ut ſunt depoſitio pilei, oſculum manus, inclinatio capitis, &c.) quam etiam religioſa (ut Dei adoratio per genuflexiones, proſtrationes, imò & ſtationes; aliqui enim ſtando Deum orant & adorant) ſic univerſalis Eccleſia à principio ſignum Crucis ſub enarratis myſteriis instituit non ſolùm ut fidei Catholicæ ſignum, ſed etiam ad actuum fidei neceſſariorum exercitium & profeſſionem: lege quæ de hoc ſigno uſque ad tempora naſcentis Eccleſiæ referunt ſancti Patres. Hæc per tranſennam indicare volui.

SECTIO III.

De infidelitate & errore poſitivo contra fidem.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit infidelitas poſitiva?

EXplicatis iis quæ ſpectabant ad incredulitatem negativam ſivè etiam privativam (quæ contra actum interiorem credendi à Deo præceptum militat) modò diſtinctè agendum eſt de infidelitate poſitiva, quæ eſt per errorem poſitivum contra veram fidem: cujus ratio ut benè intelligatur propter varios Doctorum conceptus & locutiones, *Præmoneo*; apud me omnem infidelitatem negativam ſivè privativam, quæ vel fidem ipſam vel actum credendi tempore quo ineſſe debet, negat; eſſe ſpeciale peccatum contra præceptum naturale divinum, ſaltem quoad articulos qui in ſtatu legis naturæ erant explicitè credendi ex præcepto divino naturali: ut unum verum Deum, creatorem & remuneratorem agnoſcendum, colendum & glorificandum. Si enim hujuſmodi articulorum nulla ignorantia inculpabilis dari poſſit in hominibus adultis (prout benè oſtendit S. Paulus ad Rom. 1. docens gentiles fuiſſe inexcuſabiles in obligatione cognitionis & glorificationis Dei) conſequenter aſſerendum eſt, ſi qui ignorantiâ laboraverint aut laborent, culpabilem eorum ignorantiam eſſe, & peccatum mortale contra præceptum divinum naturale de cognoſcendo Deo incurriſſe: *Omnis infidelitas privativa eſt peccatum.* Quidquid multi Doctores variè de pœna peccati philoſophantes dicant: neque enim repugnat idem omninò & peccatum eſſe, & peccati pœnam. His ſuppoſitis ſit

CONCLUSIO I.

INfidelitas poſitiva, ſivè error poſitivus contra fidem eſt, qui includit contrarietatem ſivè contradictionem formalem contra id quod revelatum & fide tenendum eſt. *Quid infidelitas poſitiva.* Ex qua concluſione ſecutus Doctores communiter agnoſco triplex peccatum infidelitatis, nimirum, *paganiſmum*, *judaiſmum*, *hæreſim*, *Triplex.* quæ quidem membra non ſumuntur ex erroribus qui ſunt infiniti ſub ſingulis membris; ſed ex variis modis quibus homines veræ fidei contrariantur aut contradicunt. Aut enim contrariantur & contradicunt univerſaliter fidei nullatenus ſuſceptæ & eſt *paganiſmus*; aut veræ fidei ſuſceptæ in figura, ſivè rei in figura repræſentatæ, & eſt *judaiſmus*; aut denique fidei verè ac realiter primò ſuſceptæ, & eſt *hæreſis*. Ad hæreſim autem reducitur *apoſtaſia à fide & Eccleſia.*

His ſic prænotatis, pono ſequentes quæſtiones, concluſiones & regulas generales ſingulis deſervientes.

QUÆSTIO II.

Quid ſit paganiſmus, & quale peccatum?

CONCLUSIO I.

Diffinitio paganiſmi

PAganiſmus ſivè, ut alii vocant, *gentiliſmus* ſic deſcribi poteſt: *eſt infidelitas qua ante ſuſceptam fidem, univerſaliter veritati fidei contradicit.*

Dico (*univerſaliter*) etſi enim in materialibus quibuſdam propoſitionibus fidei, pagani cum Chriſtianis conveniant, nunquàm tamen in aliqua propoſitione quatenùs fidei eſt. Sic autem & à Judaiſmo & ab Hæreſi diſtinguitur: Judæus enim quà Judæus eſt, tantùm contradicit Chriſto & fidei per Chriſtum prædicatæ; hæreticus autem, qua hæreticus eſt, Chriſtum agnoſcens & Chriſti nomine gaudens, ſuſceptâ ſemel veritate fidei, aliquibus tantùm veritatibus eſt contrarius.

Dixi (*Iudæus qua Iudæus & hæreticus quâ hæreticus eſt*) non enim repugnat Judæum hæreticum eſſe, aut hæreticum Judæum fieri, ut ſuo loco oſtendemus.

CONCLUSIO II.

Paganiſmus eſt peccatum mortale.

PAganiſmus de ſe & præcisè eſt mortale peccatum, & fons multorum errorum contra præceptum divinum naturale, & poſitivum.

Concluſio clara eſt: præcepto enim divino naturali, veritati fidei revelatæ aſſentiendum eſt, cujus non mediocris pars in veri Dei cognitione, cultu, glorificatione conſiſtit, quibus veritatibus omnes nationes tenebantur & à quibus in varios errores paganiſmus dilapſus eſt. Jus iterùm divinum poſitivum etiam ab incunabilis naturæ futuri mediatoris fidem inſpiravit, deindè per Patriarchas fidei veritates indicavit, per Prophetas & Sibyllarum oracula explicavit, per Chriſtum explicatam SS. Trinitatis fidem, redemptionis noſtræ myſteria ac ſalutis totius oeconomiam aperuit, & ſub præcepto obſervari mandavit, quibus univerſaliter paganiſmus contradicit.

Dixi (*Fons multorum errorum*) paganiſmus enim idololatrias, ſuperſtitiones & profanos contra verum Deum errores induxit, imò & univerſum penè ſtatum naturæ invertit, juxta varias ejus ſectas ac variarum nationum modos & ritus, de quibus tam ſacra ſcriptura, quàm hiſtoriæ ſunt refertæ. Ut autem conſtet quam abominabile peccatum ſit paganiſmus & quæ peccata illum comitentur vel ex eo originem ducant, pono ſequentes Regulas.

Regula 1.

Converſatio cum paganis quæ licita.

COnverſari cum paganis & infidelibus in actionibus civilibus emptionis, venditionis, &c. (ceſſante periculo alicujus ſubverſionis) *non eſt peccatum.*

Ratio hujus regulæ eſt, quia nullo jure id prohibetur ne quidem Eccleſiaſtico, cùm per actiones purè civiles & politicas communis materia fidei & religionis non includatur.

Dixi (*ceſſante periculo ſubverſionis*) nam ubi periculum alicujus ſubverſionis vel detrimenti cujuſcumque ſpiritualis ſubeſſet, tunc jure divino naturali quilibet teneretur ipſum periculum vitare: quâ ratione Exod. 23. mandatum fuit Iſraëlitis ne inirent fœdus cum Chananæis, & additum: *Non habitent in terra tua ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſervieris diis eorum, quod tibi certè erit in ſcandalum*, id eſt, in occaſionem ruinæ. Exod. 23. verſ. 32.
Quod & repetitur Deut. 7. *Non inibis* (inquit) *cum eis fœdus, nec miſereberis earum*, ratione Deut. 7. verſ. 2.
utique periculi.

Regula 2.

Quæ communicatio prohibita?

PRohibitum eſt iure divino poſitivo & Eccleſiaſtico fideli communicare cum infideli in re quacumque religionis, ideoque quicumque vel eorum ritibus vel doctrinis ad religionem ſpectantibus communicaverit, mortaliter peccat, niſi levitas materiæ aut alia circumſtantia illum excuſet. Unde 2. Corinth. 6.
dicitur: *nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial: aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* quâ ratione impoſitum fuit præceptum Actor. 15. ut fideles *abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum & fornicatione. &c.* 2. Cor. 6. verſ. 14. 15. verſ. 16. Act. 15. verſ. 20.

Quia illa pertinebant ad ritus paganorum, à quorum etiam materiali quacumque communicatione abſtinere debebant fideles: ut benè declarat S. Paulus 1. ad Corinth. 8. ubi etiam reprehendit eum, qui ex certa ſcientia ſciens idolum nihil eſſe, imò & idolum contemnens; ſederet tamen in idolio, id eſt, in loco ubi idolum colitur vel ubi idolothyta manducantur: eo ſolo titulo quòd aliquo modo videretur idololatris communicare, in ſcandalum eorum qui viderent.

Dixi (*niſi levitas materiæ aut alia circumſtantia illum excuſet*) ex. g. Si abſque ullo ſcandalo ex levi curioſitate quis intraret in paganorum templa ut ſolùm aliquos ritus externos ad recreationem & jocum videret: Aut ſi perſona aliqua firma & ſufficiens cum illis communicaret ad illos edocendos, convincendos & ad fidem convertendos. Qui actus juxta rationem & qualitatem perſonæ meritorii ſunt, ubi vel ex officio incumbit vacare converſioni infidelium, vel tanta eſt

capa-

capacitas & firmitas perſonæ ut nullum periculum ſubiit; imò fructus ſperetur. Aliàs infirmis nec talis curioſitas quidem permittenda, quæ abſque veniali ſaltem peccato haberi non poteſt. Quoad præceptum autem Eccleſiaſticum, Concilium antiquum Laodicenum ſic loquitur can. 39. *Non oportet cum gentilibus feſta celebrare, & impietatis eorum habere ſocietatem, qui ſine Deo ſunt*: quinimò lege civili prohibitum erat nè permitterentur pagani in terris Chriſtianorum exiſtentes, aliqua Religionis profanæ exercitia habere: ſic enim habet in Epiſtola Valentiniani & Marciani ad Palladium Prætorii Præfectum: *Et quæ de paganis per omne Romanum Imperium æqualiter valitura, perennitatis noſtræ lege decrevimus, inſtantiſſimè in eos exerceantur quos conſtiterit profanos ritus ac ſimulachrorum impios cultus & interdicta ſibi ſacrilegia celebrare*, quæ quidem leges tum Eccleſiaſticæ, tum civiles, ſub peccato mortali in conſciéntia obligant, quia ſuper re divino jure prohibita ſunt fundatæ.

Conſil. Laod. Can. 39.

Regula 3.

Matrimonia cum paganis prohibita.

JVre divino poſitivo, Eccleſiaſtico & civili prohibitum ſemper fuit omni fideli inire connubia cum Infidelibus paganis. Ita in veteri Teſtamento Deut. 7. præcipitur populo Iſraël, non ſociare connubia cum Chananæis & ſeptem Gentibus quæ in terra Chanaan remanſerant: *Neque ſociabis* (inquit) *cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me.* Ex qua cauſa ſuperaddita oſtenditur hoc præceptum, etſi ex una parte ſit judiciale & civile, ex ratione tamen fundamentali vitandæ ſubverſionis & ſeductionis, eſſe juris divini & naturalis: periculum verò proximum & quaſi infallibile ſubeſſe probat illa cauſalis: *Quia* (inquit) *ſeducet*, q. d. certitudinalibus ſeducet.

Deut. 7. v. 3. 4.

Hujus etiam præcepti meminit S. Paulus 1. Corinth. 7. Ubi loquens de vidua: *Si dormierit* (inquit) *vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat: tantùm in Domino*: id eſt, ſuæ Religionis viro (ſivè ut interpretatur Tertullianus lib. 3. ad uxorem) indubitatè Chriſtiano, *Ne, quod ait, cui vult, nubat, malè uteremur.* Hæc Tertul. Quò ſpectat quod eodem cap. ſuperiùs de fideli cum infideli juncto decernit Apoſtolus: cùm enim præceptum Domini de inſeparabilitate his verbis retuliſſet: *iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam.* Et poſteà ſuaſiſſet: Ut: *ſi quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*: Et è contra de muliere fideli, *ſi habeat virum infidelem*, &c. *non dimittat eum*, idque ob bonum prolis & ſpem converſionis, ut explicat Apoſtolus: nihilominùs concludendo ſubdit: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi.* Ex quo contextu *Colligo.* Primò indiſſolubilitatem matrimonii ut eſt Sacramentum, eſſe à Deo: *Præcipio* (inquit) *non ego, ſed Dominus.* Secundo monitionem illam quâ ſuadet Apoſtolus virum fidelem poſt matrimonium non recedere à muliere infideli, & è contrà, eſſe monitionem & conſilium Pauli, non præceptum Domini: ſic enim loquitur: *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Colligo* tertio, matrimonium ante converſionem alterutrius contractum, etſi ex vi contractus naturalis & politici poſſit permanere juxta leges ut legitimum conjugium: indiſſolubilitatem tamen non obtinere: juxta illud: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*, id eſt, non tenetur vinculo illo indiſſolubili. Quartò, de matrimoniis poſt Baptiſmum contrahendis concludens, nuptias mulieri innuptæ permittit, *tantùm in Domino*, hoc eſt, cum viro Chriſtiano, ut ſuperiùs expoſitum eſt, ità ut ſupponat eſſe præceptum Domini: ne vir vel mulier poſt Baptiſmum ſuſceptum matrimonium ineat cum pagano, ſive infideli. Cui conſonat illud 2. ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Et hoc præceptum variis canonibus conciliorum frequentiùs renovatum eſt, ut in Elibertino can. 15. in Concilio VI. generali, nimirùm, Conſtantinopolitano III. in Trull. Can. 72. Lateranenſi Can. 49. & alios varios Canones vide apud Gratianum totâ causâ 28. q. 1. lege & Auctores tractantes de impedimento diſparitatis cultus in matrimonio, quod eſt impedimentum dirimens quando eſt baptizati cum non baptizata, & è contrà. Graviſſimæ etiam leges civiles reperiuntur prohibentes hujuſmodi matrimonia. Quæ omnes cùm fundentur in materia gravi & in re ſalutis ſummè periculoſa, etiam præcepto divino poſitivo prohibita, in conſcientia ligant, & ad peccatum mortale obligant.

1. Cor. 7. verſ. 39.

Tertul. l. 3 ad uxor. in initio.

1. Cor. 7. v. 10. 11.

Verſ. 12.

Verſ. 15.

2. Cor. 6. verſ. 14.

Ad Paganiſmum revocatur Turciſmus, Mahometiſmus, & Saracenorum Pſeudo-Religio.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Iudaiſmus?

CONCLUSIO UNICA.

Deſcriptio Iudaiſmi.

JVdaiſmus eſt infidelitas quæ poſt ſuſceptam Chriſti veritatem in figuris & ſignis, veritati fidei Chriſtianæ etiam univerſaliter contradicit. Deſcriptio ex ſupradictis patet: dixi verò (*univerſaliter*) eadem ratione quâ ſuprà, etſi enim in multis materialibus creditis nobiſcum conveniant Judæi, in formali tamen veritate fidei Chriſtianæ non conveniunt: cùm finis legis ſolus ſit Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, & fundamentum aliud nemo ponere poſſit præter id quod poſitum eſt; quod eſt Chriſtus Jeſus: quem tamen ſolum & univerſaliter Judaiſmus negat. Quàm verò judaicus error & perfidia ſit abominabilis, præter hoc quòd ſit peccatum mortale graviſſimum, ſequens Regula generalis docet.

Regula generalis.

Omnis converſatio cum Iudæis eſt prohibita.

MAtrimonia, commercium, omnis converſatio, cæremonia, convivia, omnisque cum Iudæis convictus, &c. fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis ſub peccato mortali, & pœnis gravibus interdicta.

Hæc Regula ex Canonibus Apoſtolorum & antiquiſſimis Conciliis conſtat. Et quidem de matrimonii prohibitione vide canones Gratiani totâ causâ 28. ſuprà allegatâ. De commerciis & converſationibus, &c. extant Canones Apoſtolorum 63.69.70. qui reperiuntur in Concilio generali VI. Can. XI. ubi etiam prohibetur Chriſtianis ne in morbis Judæos accerſant, vel ab eis medicinam accipiant, vel unà cum eis in balneis laventur: ſpecialiſſimè autem prohibitum fuit in Concilio generali Baſileenſi ſeſſ. 19. Ne Diœceſani aut poteſtates ſæculares permitterent Judæos & infideles habere: Chriſtianos aut Chriſtianas in familiares ſeu ſervientes aut filiorum ſuorum Nutrices: ubi & omnes converſationes cum illis ſingulariter prohibentur. Et Concilium Agathenſe Can. 4. allegatum à Gratiano causâ 28. quæſt. 1. prohibet omnes intereſſe eorum conviviis, & in Meldenſi Can. 73. ſancitum fuit, ne quis Judæum ad convivia reciperet.

Porrò tanta fuit in Eccleſia abominatio Judaicæ perfidiæ: ut etiam obſervationes quæ reverentiam & honeſtatem in ſacris ſapiebant, quia à Judæis uſurpabantur, fuerint Chriſtianis interdictæ. Mirabile illud quod apud Clementem I. libro 6. Conſtit. Apoſtolicarum legimus de obſervantia in nocturnis pollutionibus, ſeminis fluxu, &c. his verbis: *Quod ſi quidam Iudaicas conſuetudines obſervant fluxum ſeminis, nocturnas pollutiones, legitimos concubitus: dicant nobis his horis vel diebus quibus illis hoc accidit, abſtinent-ne ſe ab oratione, &c. Si affirmabunt, perſpicuum eſt eos Spiritu ſancto deſtitui, qui ſemper cum fidelibus verſatur.* Cujus rationem reddit notandam pro ſcrupuloſis. *Nam nec legitimus* (ait) *concubitus, nec cubile, nec ſanguinis fluxus, nec nocturna pollutio poteſt hominis naturam contaminare, vel Spiritum ſanctum auferre, ſed ſola impietas & actio injuſta.* Hæc Clemens. Ex quibus patet quod, etſi fortè ob reverentiam Sacrificii conſultum fuiſſet interdum ob ſordes illas corporales à Sacrificio abſtinere: quia tamen hoc ſapiebat Judaicam obſervantiam, id fuiſſe interdictum tunc temporis. Alia quæ pro perfidiæ Judæorum abominatione, ab Eccleſia imò & Imperatoribus ac Regibus fuerunt ſtatuta, hîc non repeto, quia multiplicatio illa inutilis eſſet ad rem noſtram; ſolum pono pro moderno tempore unicam quæſtionem.

Clem. l. 6. Conſtit. Apoſtol.

Nota.

* * *

QUÆSTIO IV.

Qualiter ſe debeat gerere Catholicus moderno tempore circa Iudæos.

CErtum eſt *primò*, Judaiſmum ſive Judaicam perfidiam & infidelitatem eſſe graviſſimum peccatum, cujus abominationem nunquam ſatis deprædicarunt Concilia & Patres: Quorum infidelitatem in Evangelio ſæpiùs Chriſtus condemnavit Joan 8. *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Et cap. 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis quia videmus: peccatum veſtrum manet.* Et cap. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me, & Patrem meum.* In quibus verbis Chriſtus patenter ſummam perfidiam Judæorum demonſtrat, qui etſi nil niſi Chriſtum in ſacra Scriptura eis concredita legerint, & ipſum audierint, & in illo viderint ſigna & prodigia ſupremæ ſolius poteſtatis; nihilominùs eorum peccatum excrevit uſque ad malitioſum & voluntarium odium Dei & Chriſti hominis Dei.

Ioan 8. verſ. 21.
Ib. 9. c. 41.
Ib. 15 c. verſ. 22.
Verſ. 24.

Certum eſt *ſecundò*, Eccleſiam non tam Judæum, quàm perfidiam Judaicam abominari: quia enim Eccleſiæ conſtat, quod (teſte Apoſtolo ad Roman. 9. & 11.) *cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec intraret plenitudo Gentium*: Ut Reliquiæ ſecundùm electionem ſalvæ fiant: Idcircò tolerantur Judæi in Eccleſia, & in ſpecialem protectionem S. Sedis contra omnem injuriam & injuſtitiam ſuſcepti ſunt ut videre eſt in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. p 20. cap. 1. ut nimirùm expectetur tempore à Deo deſtinato converſio illorum: Nam (ait ſanctus Paulus ſuprà cap. 9. ex Iſaia) *ſi fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.*

Rom. 9. verſ. 27.
Ibid. c. 9.

Certum eſt *tertiò*, jure divino naturali prohiberi omnem converſationem, quæ periculum aliquod caſus vel ſubverſionis ſecum trahere poteſt: conſtat autem perfidiam Judaicam in converſatione vel à limine periculoſiſſimam eſſe, quia ipſi non tantùm ſibi mali, ſed & malitioſiſſimi ſunt odio interno externoque non tantùm Chriſtum; ſed & Chriſtianum nomen & vitam odientes: idcircò & magis cavendi, & propter gravitatem ſceleris quo crucifixerunt Dominum, meritò omni Chriſtiano ſunt abominandi.

Certum eſt *quartò*, leges omnes antiquas converſationem Judæorum prohibentes modò ſecundùm omnes ſuas partes non eſſe in uſu ubique: videmus enim Romæ & in Germania libera commercia cum illis, videmus & nonnullas ratione commerciorum converſationes, & quidem ſatis familiares. Videmus paſſim Medicos Judæorum ad infirmos vocari etiam per timoratos & probos, videmus modò non ita habitationes eorum certis limitibus conclu-

Digitized by Google

cludi, maximè in nonnullis Germaniæ Civitatibus, ubi indifferenter diſperſi per civitatem habitant, quamvis aliquo ſigno diſtinguantur. His ita obſervatis, reſpondeo ad quæſtionem per ſequentes Regulas.

Regula 1.

Quæ converſatio cum Iudæis prohibita.

OMnis converſatio cum Iudæis, quæ inducit, vel modicum periculi ſive in fide, ſive in obſervantia præceptorum, ſive in moribus Chriſtianis ſub peccato mortali vitanda eſt, ſive ſit in commerciis, ſive in aliis communicationibus quibuſcumque. Ratio eſt: quia periculum quod eſt modicum in converſatione ordinaria humana cum aliæ ſortis hominibus, eſt grave in converſatione cum Judæis ob eorum perverſitatem, perfidiam & radicatum odium nominis Chriſtiani: quo fit, ut, ſi in uno non noceant, in altero noceant. Quapropter omnes illas particulas de periculo in fide, obſervantia præceptorum, moribus Chriſtianis adhibui. Etſi enim non ſit fortè periculum fidei, erit periculum tranſgreſſionis præceptorum in uſuris, injuſtitiis, ſuperſtitionibus, magiis, carnalitatibus, &c. quibus gens illa perfida abundat: imo & mores quoſdam pravos titulò curioſitatis inſinoare ſolent ex Rabinorum ſuorum fabulis & fermento.

Ex qua Regula *infero*: quod ſi in aliquo rigor legum Eccleſiaſticarum pro commerciis & utili uſu alicujus communicationis prophanæ cum Judæis diminutus ſit, ut in mercatura, medicinis neceſſariis, &c. Leges tamen omnes in vigore permanere, ubicumque vel modicum periculi eſt, ut ſuprà exemplificatur, vel ubi modicum ſcandali foris oriretur. Iſta enim duo ſpectanda ſunt: ſicut enim (ut dixi) quod habet rationem modici periculi in converſationibus cum aliis, illud eſt gravè in converſatione cum Judæis: ſic, quod reputaretur modicum ſcandalum ex converſatione cum aliis, graviſſimum cenſebitur, ſi converſatio ſit cum Judæis.

Et in hoc fundatæ ſunt leges tam Eccleſiaſticæ, quàm politicæ, quæ commercia & converſationes cum Judæis prohibuerunt: *Ne fieri videamur* (ut loquitur ſanctus Ignatius Epiſt. ad Philippenſes) *participes & ſocij eorum, qui Dominum occiderunt & Apoſtolos eius.* Hinc etiam in Concilio Baſileenſi ſeſſ. 19 præcipitur, ut cogantur Judæi habitum diſtinctum deferre & in locis ſeparatis habitare, & revocantur omnia indulta tam à Summis Pontificibus, quàm ab Imperatoribus Judæis conceſſa contra libertatem & jura Eccleſiæ. Nec conſuetudo aut lex quævis Eccleſiaſtica aut civilis poteſt in his caſibus ſic explicatis diſpenſare, quia juris divini naturalis ſunt. Stet ergo generalis regula: quod ubi vel modicum periculi aut ſcandali oritur, omnis communicatio cum Judæis ſit interdicta.

S. Ignat. Epiſt. ad Philipp.

* * *

Regula 2.

ETſi ex diſſimulatione vel diſpoſitione Eccleſiæ aliqua mercatura cum Iudæis permiſſa fuerit Catholicis; nullatenus tamen permiſſa eſt mercatura ſacræ ſupellectilis Eccleſiæ: adeoque ſicut prohibitum eſt Iudæis emere ſacram ſupellectilem, ſic prohibitum eſt ſub peccato mortali Catholicis aliquid de ſacra ſupellectili illis vendere.

Quæ mercatura cum Iudæis prohibita.

Ratio fundamentalis hujus Regulæ eſt: quia eſt proximum periculum ne Judæi iis abutantur in irriſionem vel in ſuperſtitionem, aut in aliquam irreverentiam, & nominis Chriſti blaſphemiam. Ita porrò prohibitum fuit in Concilio Baſileenſi ſuprà his verbis: *Prohibeantur etiam libros Eccleſiaſticos, Calices, Cruces, & alia Eccleſiarum ornamenta ſub pœna perditionis emere aut pignori ſub pœna amiſſionis pecuniæ mutuatæ accipere,* &c. quæ Concilii verba etſi Judæos directè tantùm perſtringant, ut ſimilia non emant, idque ſub pœna temporali, cùm Eccleſiæ in ſpiritualibus non ſint ſubjecti: cùm tamen actio emptionis & pignorationis ſit correlativa, meritò Catholicos condemnat qui illa vendunt vel oppignorant, ob peccatum mortale quod contra jus divinum naturale committunt, exponentes ſacram ſuppellectilem inimicis nominis Chriſti in apertum irriſionis ac irreverentiæ periculum.

Conſil. Baſil. ſeſſ. 19.

Alia multa prohibita ſunt Judæis, ut ne publica officia & Magiſtratus obire poſſint; ne ferre poſſint teſtimonium: quæ omnia fundantur in eorum perfidia & infidelitate, ac obligant in conſcientia Catholicos ex duobus capitibus ſuprà poſitis, nimirum: ob alicujus injuriæ periculum quod imminet, vel ob ſcandalum quod oritur vel juſtè oriri poteſt: & per hæc fundamenta omnes caſus Judæorum perfidiam contingentes reducuntur ad legum principia & radices ſuas.

Regula 3.

NOn licet ullâ lege vel privilegio viro Chriſtiano Matrimonium inire cum Iudæa muliere in Iudaica perfidiâ vel infidelitate permanente, etiam ſub ſpe converſionis illius; nec è contra mulieri Chriſtianæ cum Iudæo.

Matrimonia cum Iudæis prohibita.

Ratio eſt: quia ſacrilegium eſt: matrimonium enim nullum eſſet, prout de matrimonio cum Gentilibus ſuprà probatum eſt, & graviſſimis legibus non modò prohibitum fuit; ſed etiam ex natura periculi ſemper judicatum abominabile: Et in Concilio Toletano 4. Canon. 61. allegato à Gratiano causâ 28. quæſtione 1. cap. *Iudæi*, decretum eſt: *ut Iudæi qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Epiſcopo civitatis ipſius, ut, ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur: quodſi admoniti noluerint, ſeparentur.* Cujus rationem affert: *Quia non poteſt Infidelis in eius permanere coniunctione quæ iam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem:* In quibus verbis rigoroſius aliquid decernitur circa Matrimonium cum Judæo vel Judæa, quàm cum Gentili:

Conc. Tolet. 4. Can. 61 apud Gratian. 28. qu. 1. cap. *Iudæi.*

tili : ſanctus Paulus enim ſuprà permittit & conſulit ut uno conjugum exiſtente Gentili ſive infideli & altero fideli, ipſi ſimul poſſint permanere ſub ſpe converſionis ipſius infidelis. Hic autem Concilium præcipit ſeparationem Judæi ab uxore fideli : de ſuſceptis autem prolibus ante ſeparationem diſponit Concilium ut ſequantur partes matris vel parentis fidelis.

QUÆSTIO V.

Quomodo diſtinguantur ab invicem in materia Fidei, ignorans, errans, & hæreticus?

ANtequàm ad hæreſim, & peccata, quæ præcisâ ratione hæreſis contrahuntur, deſcendamus : *Advertendum eſt*, multùm inter ſe differre in materia fidei, *ignorantem*, *errantem*, & *hæreticum*, ut ex ſequentibus concluſionibus patebit.

CONCLUSIO I.

Quis ignorans? I*Gnorans* in materia fidei dicitur, qui ex mera ignorantia errori alicui aſſentitur, ità ut nullius rationis aut argumenti vi moveatur ad aſſentiendum; ſed ſolâ ſimplici ſuâ apprehenſione vel auctoritate dicentis, aut conſuetudine eorum inter quos educatus eſt. Undè eſt illud *S. Auguſt. concione 2. in Pſ. 30* ſancti Auguſtini concione 2. in Pſal. 30. *Hodie hominem invenis v.g natum in parte Donati, neſcit quid ſit Eccleſia : ubi natus eſt, hoc tenet : non illi evellis conſuetudinem quam ſuxit cum lacte nutricis.* Et Epiſtola 40. *Qui neſcit illo tempore* (loquitur de *Idem Epiſt. 40.* tempore Arianorum) *obſcuris verbis multos parvi ſenſus fuiſſe deluſos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod ipſi credebant.* Illi igitur propriè errantes non dicuntur, quia formali errore non ducuntur; ſed merâ ignorantiâ rei circa quam errare dicuntur.

CONCLUSIO II.

Quis errans? E*Rrantes* propriè dicuntur, qui alicui errori contra fidem adhærent rationibus quibuſdam ſibi apparentibus, & imaginatione quadam veritatis ſive etiam pietatis allecti, parati tamen corrigi, ubi eis veritas manifeſtaretur, de quibus S. Auguſtinus ſuprà : *Qui* (inquit) *ſententiam ſuam quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præ-* *S. Auguſt. Epiſt. 162.* *ſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt; ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt : quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquàm ſunt inter hæreticos deputandi.* Hæc S. Auguſtinus.

CONCLUSIO III.

Quis hæreticus? H*Æretici* dicendi ſunt: homines baptizati & Chriſtiano nomine gaudentes, qui voluntariè & cum pertinacia adhærent alicui errori fidei Catholicæ ex parte contrario.

Dixi (*Homines baptizati, &c.*) ad excludendos Gentiles & Judæos, qui cùm Eccleſiam ne dùm ingreſſi fuerint, ſuis erroribus Sectam in Eccleſia gignere non dicuntur, nam extra Eccleſiam ſunt: hæreſis autem, ut modò accipitur, ſupponit pro errore diviſionem in Eccleſia cauſante.

Dixi (*qui voluntariè, &c.*) *Primò*, ad excludendos *ignorantes* ſuperiùs deſcriptos, quorum ignorantia non cenſetur voluntaria. *Secundò*, ad excludendos varios animi motus in imaginatione ſive à dœmone, ſivè à temperamento melancholico, ſive ex aliis cauſis excitatos, quibus affliguntur etiam Animæ piiſſimæ, ita ut propoſitionibus contra fidem etiam blaſphemis adhærere, imò eas aſſerere & proferre videantur: cùm tamen ex mœrore, triſtitia, & anxietate quam patiuntur, clarum ſit illos motus planè involuntarios eſſe: quibus nullum remedium ſecuriùs ſuaderi poteſt, quàm illos motus & repræſentationes omninò contemnere, nec importunè reſiſtere, quia tunc agens agendo repatitur & fortiùs infiguntur. Ita conſulit *S. Bonav.* S. Bonavent. lib. 1. de profectu Religioſorum cap. 2.

Dixi (*cum pertinacia, &c.*) ad excludendos ſimpliciter *errantes*, de quibus etiam ſuprà, qui quia pertinaciam in errore non habent; ſed corrigi parati ſunt, juxta ſententiam S. Auguſtini ſupra citatam, nequaquam hæretici appellandi ſunt.

Dixi (*adhærent*) ad excludendos in fide tantùm dubitantes, qui etſi contra fidem peccent mortaliter, hæretici tamen dicendi non ſunt, quia ſupponuntur ad alterutram partem ſe non determinaſſe. Undè non tam contra objectum fidei peccant, quàm contra ejuſdem firmitatem, de qua poſtea.

Dixi (*alicui errori fidei Catholicæ ex parte contrario*) ad excludendos Apoſtatas à fide qui ad paganiſmum vel Judaiſmum tranſeunt; hi omnes ſi Paganiſmum vel Judaiſmum profiteantur, a fide Catholica & Chriſto totaliter recedunt.

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex ſit hæreſis?

EX quæſtione præcedenti facilè colligi poteſt quid ſit hæreſis, & qualiter ab aliis erroribus diſtinguatur. Unde ſic illam deſcribo.

CONCLUSIO I.

H*Æreſis eſt error voluntarius fidei Catholicæ ex parte contrarius cui cum pertinacia adhæretur.* Partes concluſionis ſufficienter quæſtione ſuperiori explicatæ ſunt. Unicum reſtat dubium.

Petes igitur : In quo conſiſtat pertinacia, & quis judicandus ſit pertinax ad hoc ut ſit hæreticus & hæreſim incurrere dicatur? *Quid ſit pertinacia.* *Reſpondeo,*

deo, Duo ad pertinaciam requiri. *Primò*, Ut quis ſciat aut firmiter ſibi ſtatuat ſententiam contrariam illi quam tenet Eccleſia Catholica tanquam de fide diffinitam eſſe & pro tali haberi. *Secundò*, Ut, hoc non obſtante, velit contrarium illi ſententiæ receptæ in Eccleſia Catholica, vel contradictorium ſuſtinere & illi adhærere, ſivè ex ratiocinationibus ſuis ad hoc moveatur, ſive ex malitia veritati cognitæ reſiſtat, & aliquo odio aut pravo affectu illi acquieſcere nolit. Ex quibus pono quatuor genera eorum, qui ratione pertinaciæ hæreſim incurrere cenſentur.

Quatuor genera hominum pertinacia laborantium. Primi generis pertinaces.

Primi ſunt malitioſiſſimi: quibus etſi Catholicæ ſententiæ apertè & convincibiliter etiam ex ipſis Scripturis ſint probatæ, ita ut dubitare non poſſint, ipſi nihilominùs odio Eccleſiæ, ſuperbiâ & malitiâ ſuâ excæcati, contra propriam ſcientiam & conſcientiam contrarium & tueri & docere contendunt. Tales fuerunt Hæreſiarchæ Lutherus, Calvinus & alii tum antiquiores, tum recentiores. Tales ſunt ut plurimùm Miniſtri hæretici, qui etſi linguis diebus in ſcripturis verſentur, & ſcriptura ipſos convincat, ſuâ tamen malitiâ, ſcripturas contorquent & falſiſſimas interpretationes comminiſcuntur, ſive ut populum ſibi devinciant, ſive ut docti appareant, &c. De quibus agens S. Auguſtinus lib. de utilitate credendi (ait) *Hæreticus eſt, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatuſque ſui gratiâ, falſas ac novas opiniones vel gignit vel ſequitur:* ſciens utique eſſe falſas.

S. Auguſt. lib. de util. credendi cap. 1.

Secundi generis.

Secundi generis pertinaces, minùs tamen malitioſi ſunt: qui etſi diffinitam de fide ſententiam aliquam norint: Eccleſiæ tamen judicio ſtare nolunt: ſive quod Eccleſiam Catholicam non agnoſcant: ſive quod infallibilitati ejus in his quæ ſunt fidei, non credant; ſed errare poſſe autument. Hi itaque ſuæ ſapientiæ ſuiſque rationibus abblandientes ſententias ſuas Eccleſiæ diffinitionibus præferre audent, ſimulantque ſe velle corrigi, cùm tamen verè corrigi non poſſint, quamdiu Eccleſiæ ſenſui, & illius diffinitionibus ſtare nolunt. De his S. Auguſt. lib. de utilit. credendi cap. 18. *Nimis* (ait) *amando ſententiam ſuam, & invidendo melioribus, uſque ad hæreſis*, &c. *Sacrilegium pervenire, diabolica præſumptio eſt.* Hi à prioribus diſtinguuntur, quod nihil contra propriam ſcientiam fingant, ſed propriâ ſcientiâ & philautiâ excæcati ad ſuperbiam illam diabolicam perveniant, ut malint Eccleſiam relinquere aut erroris accuſare, quàm intellectum ſuum captivare in obſequium fidei. Hi itaque ex ſententiæ propriæ amore in fundamentis & ab utero errare coguntur, dum ut ſuam adſtruant, Matris Eccleſiæ auctoritatem negant, quam cùm audire recuſant, ſicut Ethnici & Publicani ſiunt, iiſque peiores hæretici.

Idem c. 18

Tertii generis.

Tertii generis pertinaces ſunt, qui etiam ante diffinitionem Eccleſiæ (conditione mentaliter conceptâ antequam errorem pariant) hæretici ſunt in conceptu ſuo: tales ſunt, qui tanto affectu ſtæ ſententiæ etiam in re necdùm diffinita ardent, ut poſitivè concludant: *Quod ſi Eccleſia contrarium diffiniret, diffinitioni non acquieſcerent*: *Ex. gr.* Qui ad hanc conditionatam pertinaciam voluntariè & deliberatè devolveretur: ut ſi Eccleſia diffiniret tenendum deinceps tamquam articulum fidei B. Virginem Mariam abſque peccato originali eſſe conceptam, nullatenùs illi acquieſcere vellet.

Quarti generis.

Quarti generis pertinaces dicuntur: qui erroneè credentes aliquam ſententiam eſſe de fide definitam; oppoſitam tamen tueri volunt: hi ſunt formaliter quamvis ex errore hæretici & non tantùm materialiter; cùm enim, ut ſupponitur, articulus non ſit diffinitus, & tamen eſſe diffinitum ſibi erroneè proponant, potiùs erronea ſcientia & conſcientia labuntur, quàm errore verò ſeducantur.

CONCLUSIO II.

TRiplex eſt hæreſis, nimirùm *Mentalis* ſive *interior tantùm: exterior tantùm: exterior & interior ſimul.*

Hæreſis mentalis tantum.

Hæreſis mentalis ſive *interior tantùm* eſt: quæ in corde remanet, nec aliquo ſigno vel actu manifeſtatur.

Hæreſis exterior tantum.

Hæreſis exterior tantùm eſt: quæ exteriori tantùm ſigno & actu demonſtratur, manente intùs vera & inconcuſſa fide. Hoc crimine exterioris hæreſis tenentur Catholici, qui timore, metu, aliqua animi paſſione, dolo, diſſimulatione, actus exercent hæreſibus & hæreticis ſpeciales, & qui ſignis ſive quæ ex natura ſua, ſive quæ ex inſtituto hæreſim ſignificant, utuntur: ut qui cœnas hæreticorum frequentant, conventiculis eorum tamquam membra interſiunt, carnibus in diebus ab Eccleſia prohibitis abſque aliqua cauſâ utuntur ut fidem ſuam diſſimulent: qui tempore Geuſiorum & Iconoclaſtarum in Belgio hæreticorum ſignis ſectæ illorum manifeſtativis utebantur. De quibus omnibus poſteà.

Hæreſis interior & exterior ſimul.

Hæreſis interior & exterior ſimul, eſt: cùm error contra fidem & in corde retinetur, & exterioribus ſignis vel actibus manifeſtatur.

CONCLUSIO III.

Hæreſis occulta.

RUrſus *hæreſis exterior & interior ſimul, dividitur in occultam & manifeſtam. Occulta* dicitur, quæ etſi ſignis & actibus exterioribus declarata fuerit, illa tamen ſigna in ſecreto, aut coram pauciſſimis oſtenſa ſunt, ità ut non cenſeantur ſortiri forum publicum, vel publicam notam, ſic, qui ex infidelitate ſacram Euchariſtiam in privato ſolus conculcaret: *Item*: qui hæreſim loqueretur vel profiteretur uno aut altero tantùm præſente, ità ut omninò factum negare poſſet, occulta hæreſi notaretur. *Manifeſta* dicitur, quæ ità foris per ſigna & actus manifeſtata eſt, ut jam vel publicata vel publicanda cenſeatur ex circumſtantiis.

Hæreſis manifeſta.

QUÆSTIO VII.

Quantum peccatum ſit hæreſis, & quas pœnas incurrat hæreticus.

CONCLUSIO I.

Gravitas peccati hæreſios. *Hæreſis eſt peccatum mortale, & ſi ſit interior, eſt gravius Paganiſmo aut Iudaiſmo.* Ratio totius concluſionis ſumitur ex Apoſtolo Petro 2.
2 Pet 2. v. 1. & ſeq. Epiſtolæ capite ſecundo, ubi hæretici dicuntur, *ſuperducere ſibi celerem perditionem*, maledictionis filii, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Eſſe verò gravius peccatum Paganiſmo aut Judaiſmo ibidem inſinuat ſanctus Petrus: *Si e-*
Verſ. 20. *nim* (inquit) *refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſte-*
Verſ. 21. *riora deteriora prioribus: Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Ex quibus verbis ſic argumentor: Pejus facit qui Chriſto Salvatore cognito & ejus mandato ſancto ſive fide accepta poſt agnitionem juſtitiæ retrorſum convertitur, quàm qui Chriſtum Salvatorem & viam juſtitiæ nunquam agnovit: atqui hæreticus baptizatus & fide Chriſti inſtructus, à via fidei & juſtitiæ recedit, cujus notitiam veram nunquam habuit vel Paganus vel Judæus: ergo hæreticus in ratione erroris eſt pejor Iudæo vel Pagano, qui nunquam fidei Chriſti notitiam perceperunt: ergo error hæretici majus eſt peccatum, quàm error Pagani aut Iudæi; quo etiam argumento convincitur peccatum Iudaiſmi majus peccato Paganiſmi, ſive infidelitatem Iudæi pejorem infidelitate Pagani: ille enim pleniorem de Deo & Chriſto per Scripturas accepit notitiam, quàm Paganus ſolo lumine naturali inſtructus.

CONCLUSIO II.

Abominatio hæreſis. *Tanta fuit abominatio hæreſis & hæreticorum, ut & mandato Chriſti & Apoſtolico, Legibus variis tam Eccleſiaſticis, quàm civilibus fierent proſcripti, & multis pœnis uſque ad pœnam mortis puniti.*

De præcepto & mandato Chriſti conſtat
Matth. 18 v. 17. Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* Etſi enim ibi de fraterna correctione ſingularis ſit ſermo: conſtat tamen nullum magis incorrigibilem, ac nullum Eccleſiæ monitionibus & doctrinis magis rebellem eſſe ipſo hæretico.

De præcepto Apoſtolico conſtat ad Titum
Tit. 3. v. 10. 11. 3. *Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita: ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus:* Imò tanta fuit abominatio hæreticorum in Eccleſia, ut nec liceret eis dicere, *Ave*,
Ioan. ep. 2. v. 10. 11. juxta illud Ioannis in Epiſtola 2. ubi ait: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* Unde ipſe ſanctus Ioannes advertens Cerinthum hæreticum in Balneis exclamavit: *Fugiamus ne ruina domus nos opprimendo præveniat*, ut refert S. Irenæus lib. 3. contra hæreticos cap. 3. prout & D. Polycarpus obvio Marcioni & interroganti: *Cognoſcis nos?* Reſpondit: *Cognoſco te primogenitum Sathanæ*: jucundum etiam factum narrat Theodoretus l. 4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 15. & Tripart. lib. 7. cap. 16. de pueris pilâ in foro ludentibus, quorum pila cùm tranſeunte Lucio Epiſcopo Ariano, caſu pedem aſini quo vehebatur, attigiſſet, nullus eorum ampliùs pilam tangere voluit; ſed pedibus protruſam in ignem conſtructum ibidem injecerunt, quaſi veneno infecta eſſet, in horrorem hæreticæ pravitatis. Quò etiam pertinet quod Æneas Sylvius cap. 61 hiſt. Bohemiæ refert de Ladiſlao Rege, qui cùm occurriſſet Presbytero hæretico *Rocheſana* nomine, ſacram Euchariſtiam per urbem deferenti, reverentiæ ſignum etiam Euchariſtiæ exhibere noluit, cauſam interrogatus reſpondit: *Non me latet* (inquit) *diviniſſimum Chriſti Corpus digniùs eſſe, quàm ut à me ſatis honorari queat: verùm cavendum mihi fuit ne dum Chriſtum honoro, ſacrilegum Presbyterum Rocheſanam popularibus approbaſſe videar, quorum plerumque mores ex Principe pendent.* Digna optimi Regis ſententia. Eccleſiaſticis etiam legibus abominatio hæreſis ſatis eſt indicta, cùm omnis hæreticus excommunicationis majoris ſententiâ feritur, à qua præter Romanum Pontificem, extra mortis articulum nemo abſolvere poteſt, niſi ei deſuper ſpeciali favore concedatur, de qua abſolutione poſtea. Quæ quidem pœna ſicut graviſ-
ſima, ità & antiquiſſima eſt in Eccleſia, utpotè, *De pœna Excommunicationis.*
quæ omni ſocietate & communione ſpirituali precum & bonorum operum (de qua fidelis Propheta ſibi congratulabatur Pſ. 118. *Parti-*
cipes ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium *Pſal. 118. v. 63.*
mandata tua.) hæreticum privat & ab omni participatione Sacramentorum ſegregat, nec cum eis cibum aut potum ſumere permittit; imò nec cohabitationem aut commercium: ſpeciali verò præcepto inhibetur: ne quis hæreticorum libros de Religione tractantes ſub eadem pœna excommunicationis legat, aut apud ſe quovis modo retineat, de quibus omnibus ſuis locis infrà. Antiquiſſimam verò hanc pœnam excommunicationis in Eccleſia fuiſſe, ipſa Scriptura inſinuat: nam 1. ad Corinth. 5. Fornicarius ille & inceſtuoſus Corinthius ob incorri-
gibilitatem à Paulo: *In nomine Domini noſtri Ieſu* *1 Cor. 5. v. 4. 5.*
Chriſti congregatis (inquit) *vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit.* Et ſub excommunicatione generaliter mandat: non commiſceri cum hominibus certis vitiis deditis, nec cum eis cibum capere. Specialiter autem de hæreticis 1. ad Timoth. 1. teſtatur ſe Hymeneum & Alexandrum tradidiſſe Satanæ,
quia circa fidem naufragaverant. Et 2 ad Ti- *2 Tim. 2. v. 16.*
moth. 2 prohibet eorum alloquium: *Profana* (ait) *& vaniloquia devita, multùm enim proficiunt*

ad

adimpietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymeneus & Phyletus qui à veritate exciderunt, &c. Et 2. ad Corinth. 6. generaliter ab omni communicatione cum infidelibus (ſub quibus hæretici majori ratione comprehenduntur) fideles deterret Apoſtolus allegans

Levit. 26. v. 15.

Scripturam Levit. 26. *Propter quod exire de medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* etiam tempore S. Auguſtini in die Cœnæ Domini (ut modò in Eccleſia) hæreticos excommunicatos fuiſſe ipſemet teſtatur

S. Auguſt. ſerm. 129. de temp. habito in Cœna Domini.

ſerm. 129. de tempore : & ipſe Pelagium ac Cæleſtinum hæreticos excommunicavit, ut conſtat ex Epiſtola Urbani Papæ relata 24. qu. 3. c. *Notandum.* Et S. Ambroſius Epiſtolâ 80. quæ eſt ad Mediolanenſem Eccleſiam, refert Siricium Papam hæreticos excommunicationis gladio percuſſiſſe.

De inhabilitatibus

Aliis etiam inhabilitatibus in Eccleſia notati ſunt hæretici, ut Irregularitate 1. quæſt. 7. cap. *Saluberrimum*: deindè nota infamiæ, & ne in judicio teſtari poſſent, ut habet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ne Magiſtratus & officia in Republica obirent, & Eccleſiaſticis dignitatibus, beneficiis, & quibuſcumque præeminentiis in Eccleſia privarentur: *C. Quicumque* §. *Ad hæc. De hæret. in 6.* Ne nomina eorum publicè in Eccleſia recitarentur, ut de nominibus fidelium fieri conſueverat, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ careant. Et aliâ vide in antiquis Eccleſiæ Canonibus, ne debito ſim prolixior.

Nec Leges Civiles defuerunt cum Eccleſiaſticis concurrentes : cùm enim boni Principis primum officium ſit Religionem ſtabilire, collapſam reſtituere, & ſartam tectam conſervare in Regno & Republica : *Non enim ſine cauſa gladium portant; Dei enim* (teſte Apoſtolo ad Rom. 13.) *miniſtri ſunt, vindices in iram ei qui malum agit.*

Rom. 13. v. 4.

De aliis pœnis hæreticorum.

Ideò Principes & Reges graviſſimis pœnis in hæreticos animadverterunt. Primò *Pecuniaria mulcta*, ut de Theodoſio refert S. Auguſt. lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 83. & lib. 3. contra Creſconium cap. 47. & Epiſtola 50. ad Bonifacium qui hæreticos mulctavit mulctâ decem librarum auri. Secundò, *Exilio*, ut teſtatur S. Auguſtinus Epiſtola 48. ad Vincentium, S. Ambroſius Epiſtola 81. ad Siricium Trip. Hiſt. lib. 9. cap. 25. & 36. ubi Eunomius hæreticus legitur in exilium pulſus. Tertiò, *Bonorum confiſcatione*, ut meminit S. Aug. tract. 6. ſuper Joannem citatur etiam Concilium Gangrenſe cap. 6. & Carthaginenſe 4. cap. 7. & habetur cap. *Cùm ſecundùm leges de hæreticis in 6.* Quartò, *Pœna mortis*, hoc iterùm patet ex antiquiſſimis Conciliis & Hiſtoriis. Sic enim in Concilio Calcedonenſi actione 1. Eutyches non ſolùm pœnâ mortis; ſed & igne dignus eſſe, ut palmes reſciſſus à vite ardeat, decernitur. *Ioan.* 15. Et S. Hieronymus Epiſtola contra Pelagium ad Cteſiphontem narrat Priſcillianum hæreticum *& ſæculi gladio, & totius orbis auctoritate* fuiſſe damnatum. Quod confirmat Leo Papa Epiſt. 93. ad Turibium Epiſcopum Auſtrienſem, lege etiam S. Auguſtinum l. 1. & 2. contra Epiſtolam Petiliani capitibus multis, quamvis ipſe S. Auguſtinus Epiſtola 127. ad Donatum Africæ ProConſulem intercedat, ut mitius contra hæreticos agatur, & corporali nece non mulctentur.

S. Auguſt. epiſt. 127. ad Donat. in initio.

Neque enim (inquit) *vindictam de inimicis in hac terra requirimus,* &c. *qui diligimus inimicos noſtros & pro eis oramus. Vnde ex occaſione terribilium Iudicum ac legum ne in æterni judicij pœnas incidant, corrigi eos cupimus non necari.* &c. *Quæſumus igitur ut cùm Eccleſiæ cauſas audis, quamlibet nefariis iniuriis appetitam vel afflictam eſſe cognoveris, poteſtatem occidendi te habere obliviſcaris.* Infrà: *Non tibi vile ſit neque contemptibile, fili honorabiliter dilectiſſime, quod vos rogamus nè occidantur, pro quibus Dominum rogamus ut corrigantur. Excepto etiam quod à perpetuo propoſito recedere non debemus, vincendi in bono malum,* &c. Hæc S. Aug. qui proſequitur & oſtendit Eccleſiaſticos non debere concurrere in cauſa ſanguinis. Ex quo colligitur Eccleſiaſticos Judices non concurriſſe ad necem hæreticorum; ſed ubi per leges ſæculares erant damnati, ſi Clerici erant, eos degradationis primùm pœna damnaſſe. Vide *Concil. Conſtantienſe* cap. 16. & cap. *ad abolendam.* Extra. *de hæret.* & cap. *ſuper eo, de hæret. in 6.* Leges autem illas civiles juſtas fuiſſe colligitur ex Patribus, quoniam Eccleſia Dei mitioribus pœnis à principio illibata ab hæreſibus & hæreticorum intolerabilibus in Eccleſiam perverſitatibus aliter ſervari non poterat. Primò enim cùm pœnis Eccleſiaſticis & Excommunicationibus non poſſent coërceri eaſque contemnerent, poteſtas ſæcularis mitiori pœnâ pecuniariâ illos deterrere conata eſt: ſed illa exiſtente inefficaci adhibuit bonorum confiſcationem: cùmque nec illa ſufficeret, veneno ſemper in viſceribus Eccleſiæ graſſante, adinvenit ſeparationem per exilium; ſed cùm demùm litteris & libellis tráſmiſſis ſuum venenum & foverent & ulterius diffunderent, adhibuerunt gladios & ignes, prout ad hæc uſque tempora contra peſtilentiſſimum genus Anabaptiſtarum adhibuerunt. Utilitatem verò & juſtitiam harum legum probant Scripturæ Deut. 13. & 17. ubi morte plectuntur, qui ad Deos alienos ire proponebant. Et ipſe S. Auguſtinus illam confitetur lib. 2. Retract. cap. 5.

S. Aug. lib. 2. Retract. cap. 5.

Multi legibus corriguntur (inquit) *& ſe etiam correctos gratias agunt, & qui oderant diligunt, moleſtiaſq; illis fuiſſe ſaluberrimas leges, quantum in inſania deteſtabantur, tantùm recepta ſanitate gratulantur, & in reſiduos cum quibus erant perituri, iam ſimili dilectione nobiſcum ut pariter inſtemus ne illi pereant, excitantur.* Et alibi de ſua Civitate loquens, ait : *Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium eſt converſa, quàm nunc videmus ità huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea unquam fuiſſe credatur.*

Idem Ep. 82. ad Vincent. & 50. ad Boniſ.

Hæc S. Aug. Epiſtola 82. ad Vincentium & 50. ad Boniſacium: ſed hæc nimis longa pro hac mea profeſſione digreſſio. Qui plura vult, legat noſtrum Alphonſum de Caſtro de juſta hæreticorũ punitione. Nos ad alia pergam⁹.

QUÆSTIO VIII.

An omnis hæreticus incurrat pœnas omnes Excommunicationi coniunctas?

DE incurſione pœnarum civilium non ago, quia ſicut hæ ordinariè non niſi per ſententiam in foro contentioſo exiguntur, ità eâdem viâ infeṛuntur: ſi quid autem peccati ratione illarum tam ex parte poteſtatis imponentis, quam ex parte reorum occurrit, poſteà examinabitur: ut verò ad reſolutionem quæſtionis ordinatè procedamus, repetenda eſt diſtinctio quam ſuprà attulimus de hæreſi & hæretico *interiori tantùm, exteriori tantùm, interiori & exteriori ſimul*, ſicut & diſtinctio de *occulta & manifeſta hæreſi.*

CONCLUSIO I.

Hæreticus tantùm interior. non incurrit pœnas.

HÆreticus interior tantùm non incurrit Excommunicationem aut alias pœnas ſpirituales ab Eccleſia inflictas in Bulla Cœnæ, aut alibi. Ratio eſt: quia Eccleſia non judicat de merè internis.

CONCLUSIO II.

Pœna hæretici exterioris tantùm.

HÆreticus exterior tantùm non incurrit Excommunicationem quoad forum internum conſcientiæ: ſubiacet tamen pœnis fori externi Excommunicationem concomitantibus aut conſequentibus, & in exteriori foro pro excommunicato habebitur.* Ratio prioris partis concluſionis eſt: quia qui eſt hæreticus tantùm exterior, verè hæreticus non eſt cùm hæreticus ab interiori actu infidelitatis formaliter denominetur. Ratio etiam poſterioris partis eſt: quia cùm Eccleſia judicet de exterioribus, & talis externos actus hæreſeos ſupponatur commiſiſſe, pro hæretico quoad pœnas habendus erit.

CONCLUSIO III.

Pœna hæretici exterioris & interioris.

HÆreticus interior & exterior ſimul incurrit Excommunicationis pœnam latam tùm in iure communi, tum in Bulla Cœnæ Domini.* Concluſio clara eſt: quia talis omni ex parte eſt verè hæreticus, & pro hæretico habendus.

Petes: Quid requiratur ad hoc ut cenſeatur quis hæreſim interiorem exteriùs manifeſtaſſe?

Tria ad exteriorem hæreſim requiſita.

Reſpondeo, Tria requiri. *Primùm*, ut exercuerit externum actum verè & determinatè manifeſtativum hæreſis, ſivè ex natura ſua, ſivè ex circumſtantiis hîc & nunc occurrentibus, ſivè illud exercuerit facto, ſive ſcriptura, aut alio ſigno externo: ut ſi quis ſcripto vel verbo Chriſtū in Euchariſtia negaret, aut ſacram Hoſtiam conculcaret: ſi quis prædicationes hæreticas & Cœnas eorum prophanas adiret: ſi quis inter Catholicos nunquàm ad Eccleſiam accederet, & ſic de cæteris ſimilibus.

Dixi (*verè & determinatè*) debet enim ſignum illud abſque omni tergiverſatione eſſe ſignum hæreſis: multa enim hæreſim ſapiunt, quæ tamē poſſunt ſine hæreſi eſſe: ut accedere ad prædicationes hæreticas curioſitatis tantùm gratiâ, aut gratiâ eas confutandi; aliqua verba hæretica diſputando aut alium tentando proferre, ſigna aliqua indifferentia edere, quæ etſi ab hæreticis uſurpentur, non tamen à ſolis.

Secundùm, ad hæreſis manifeſtationem requiſitum eſt, ut actus ſive ſignum exterius ab hæreſi interiori verè procedat: ſi enim quis hæreſim interiorem non habeat, pro hæretico quidem exteriori habebitur, in foro tamen conſcientiæ hæretici pœnas non incurret.

Tertium, requiſitum eſt: ut actus ſit per ſe malus & mortale peccatum; qui enim animo conſulendi, interrogandi, familiariter ſuam hæreſim amicis aliquibus manifeſtaret, & ſuam internam hæreſim aliter nunquam manifeſtaſſet, hæreticus exterior dici non poſſet.

Petes: An hæreticus occultus pœnam Excommunicationis incurrat? ratio dubitandi eſt; quia qui occultus eſt, vix dicendus eſt exterior hæreticus, quod enim in occulto fit, vix exterioris nomen meretur. *Reſp.* Nihilominùs incurrere pœnam: verè enim ſuam hæreſim exteriùs manifeſtavit, & per accidens eſt quod exercere ſuam hæreſim viſus non ſit, vel à pauciſſimis qui rem ſecretam teneant: undè eò ipſo quò exteriùs hæreſim exercuit, in forum Eccleſiæ judicandus tranſivit, & conſequenter fori pœnas incurrit. Quamvis in ipſius abſolutione minor ſit difficultas, ut poſteà dicemus.

QUÆSTIO IX.

An hæreticus exterior incurrat omnes pœnas Excommunicationem concomitantes vel ſubſequentes?

Pœnæ Excommunicationem concomitantes.

SIcut ſuperius communicationis inter fideles plures modos dedimus, ſic docuimus Excōmunicationem plures partiales pœnas & effectus conſequi, ut eſt primò. Separatio ab Eccleſia non ſolùm quoad meritum, ſed etiam quoad numerum: qui enim excommunicatus eſt, ab Eccleſia ſegregatus cenſetur donec reſipiſcat & abſolvatur, quomodo S. Ambroſius Theodoſiū ex Eccleſia ejecit. Secundò, Excluſio a perceptione Sacramentorum 3. q. 4. *c. Engeltrudam.* Tertiò, à ſuffragiis Eccleſiæ ut habetur *Canone* 11. *Apoſtolorum.* Quartò, a conſortio fidelium, ità ut excommunicatus habendus ſit *ſicut Ethnicus & Publicanus Matt.* 18. Quintò, traditio Satanæ in interitum carnis ut habetur 1. *ad Cor.* 5. & 1. *ad Tim.* 1. quæ non erat exigua pœna, quandoq; enim in Eccleſia primitiva fulminatâ Excommunicatione ſtatim à dæmone vexabantur excommunicati teſte Apollinari *Ep.* 23. *ad Tholoſanos.* Sextò, privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ *Extrav. de Sepulturis c. Sacris.* Et ſi qui in loco ſacro ſepulti fuerint, de illo extrahendi ſunt, juxta *c. Ad hæc de privilegiis & exceſſibus Prælatorum.* Ultimò, excluſio a regno cœlorum: quod enim ligatum eſt in terris, hoc ipſum ligatum eſt in cœlis: nec niſi ob peccatum mortale fertur major Excommunicatio: à quo ſi excommunicatus non reſipiſcat ante mortem, eum damnari neceſſe

Matth. 18. verſ. 17. 1. Cor. 5. verſ. 5. 1 Tim. 1. verſ. 20.

ceſſe eſt. Advèrte tamen excommunicatum, ſi antè mortem reſipiſcat & conteratur, quamvis ab excommunicatione ſolutus non eſſet, ob defectum *v.g.* Confeſſarii, coram Deo per contritionem & votum Sacramenti abſolvi à peccato, privari tamen ſuffragiis Eccleſiæ quamdiu ab excommunicatione abſolutus non eſt, à qua etiam poſt mortem abſolvi poteſt, ut Eccleſiæ praxis habet.

Quæritur modò: An hæreticus interior & exterior ſimul has omnes pœnas incurrat vi excommunicationis in quam incidit? Ratio dubitandi eſt, propter commercia, matrimonia, converſationes quæ cum hæreticis paſſim in Belgio & alibi fiunt & ab Eccleſia tolerantur: etſi enim fortè excuſari poſſint communicantes cum illis in caſibus à jure expreſſis hoc verſu:

Vtile, Lex, humile, res ignorata, neceſſe, quibus licet cum excommunicato communicare: hoc tamen in communicatione cum hæreticis locum fortè non habet, *quorum ſermo ut cancer ſerpit*, & quos devitare Apoſtolica auctoritas ſacris litteris expreſſa præcipit, cui conformes ſunt Eccleſiæ leges & canones.

2. Tim. 2. verſ. 17.

CONCLUSIO UNICA.

HÆreticus ſive hæreſi interiori & exteriori verè infectus, omnibus pœnis excommunicationem concomitantibus ac conſequentibus, nec non quovis modo eam afficientibus plectitur, niſi ius naturale vel poſitivum illum ab aliqua pœna eximat:* hæc concluſio generalis eſt, & à ſcrupulis & anxietatibus multos eximit, ſi præcisè conſideretur. Igitur ſingulas particulas expendamus.

Dico (*hæreſi interiori & exteriori verè infectus*) ad excludendos mentales hæreticos vel de hæreſi ſuſpectos, quos pœnas juris incurrere non arbitror: priores quidem, quia in foro externo non peccaverunt; poſteriores verò, quia necdum verè hæretici judicati ſunt.

Dico (*omnibus pœnis*) Non enim eſt ratio cur ab aliqua eximatur, quamdiu in excommunicatione & hæreſi perſeverat.

Dico (*niſi ius naturale vel poſitivum ab aliqua pœna eximat*) Non deſunt enim caſus, in quibus à nonnullis pœnis excommunicationi annexis hæretici eximuntur tum jure naturali, tum Eccleſiæ permiſſione & diſpenſatione.

Caſus eximentes hæreticum ab aliquibus pœnis excommunicationi annexis.

Primò, in caſu neceſſitatis poteſt enim hæreticus abſque peccato ad tuendam propriam vitam in aditus ſacros ſe recipere, ſacris intereſſe, tempore quo inimicus illum perſequeretur: quia jus naturale tuendæ vitæ ſicut divino poſitivo præponitur, ſic cuilibet Eccleſiaſtico præponi poteſt.

Secundò, in caſu magnæ utilitatis ſpiritualis vel temporalis: ut, hæretico excommunicato licet concionibus & ſacris cœtibus Catholicorum intereſſe ad converſionem propriam. *Item*: In commerciis, mercaturis & aliis cum Catholicis convenire ob utilitatem ſui & ſuæ familiæ, idque ex Eccleſiæ tolerantia & benigna Juris interpretatione, quæ conſuetudinem receptam fundavit.

Tertiò. In omnibus cauſis, in quibus diſpenſatione juris naturalis divini vel poſitivi licet Catholico cum hæretico converſari, in iiſdem licet hæretico excommunicato cõverſari cum Catholicis. *Ratio eſt*: quia correlativorum eadem eſt conditio: undè cùm in quinque caſibus ſuprà relatis in verſu, *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*, liceat Catholico fideli communicare cum hæretico, eâdem ratione licebit hæretico communicare cum fideli in iiſdem caſibus. Nec aſſentior illis qui dicunt diſpenſationem ſivè privilegium converſationis & commercii in caſibus illis datum eſſe in favorem Catholicorum fidelium, ita ut ipſi abſque peccato cum hæreticis & excommunicatis in dictis caſibus converſari poſſint: hæretici autem & excommunicati non poſſint: manifeſtum enim errorẽ continet iſta doctrina: cùm enim non poſſit Catholicus converſari cum hæretico niſi converſetur hæreticus cum illo: Eccleſia permittens unum, neceſſariò permittit aliud: niſi dicere velint Eccleſiam eſſe peccati cauſam aut nugacem: eò ipſo enim quo permitteret Catholico converſationem cum hæretico, cenſeretur hæreticum ad peccatum inducere, vel ejus peccato conſentire: aut talis diſpenſatio nugacitatem contineret, dum uni converſationem permitteret, & alterum à converſatione arceret. Nec refert, quòd diſpenſatio illa detur in favorem Catholicorum, cùm enim iſte favor reſpectivus ſit & correlativum neceſſariò reſpiciat, indirectè ad alterum correlativum extenditur, nimirùm ad hæreticum, cum quo Catholicus poteſt ex benignitate Eccleſiæ converſari. Unde apud me hæc regula eſt certa.

Regula generalis.

IN quocumque caſu licet Catholico converſari cum hæretico, licebit & hæretico cum Catholico converſari, niſi ſpecialis ratio vel præceptum alterum impediat. Hæc regula magis patebit ex declaratione juris communis, quo permittitur Catholico fideli converſari cum omni excommunicato, qui non eſt denuntiatus ſive nominatim excommunicatus, ut patet in *Extravaganti, ad evitanda* quæ eſt Martini V. in Concilio Conſtantienſi promulgata, in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 20. confirmata, & demum in Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 10. ratificata: in qua ſic habetur: *Ad evitanda ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuitur, quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione vel receptione aut aliis quibuſcumq; divinis, vel extra prætextu cuiuſcumq; ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel à iure generaliter promulgata, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura huiusmodi fuerit contra perſonam, collegium, univerſitatem, Eccleſiam aut locum certum à Iudice publicata vel denuntiata ſpecialiter & expreſſe.* Hæc ibi. Ex quibus verbis manifeſtum eſt, ſolos hæreti-

Nota. *De converſatione cum excommunicatis lata.*

Concilium.

cos publicè & nominatim per ſententiam Judicis denuntiatos decerni vitandos. ſi ergo liceat Catholico fideli cum hæretico publicè & nominatim non denuntiato excommunicato cōverſari abſque culpa: cur id non licebit è contra hæretico cum Catholico in iiſdem circumſtantiis? maximè cùm periculum majus ſit ex parte Catholici ne pervertatur, qui idcircò à tali converſatione deberet magis arceri.

Dixi (*niſi ſpecialis ratio vel præceptum alterum impediat*) etſi enim ratione communi excommunicationis ſolus publicè & nominatim excommunicatus debeat vitari: aliis tamen rationibus & præceptis poteſt utrimque prohiberi converſatio: *Explico* clariſſimis exemplis: licet quandoq; Catholico ab excommunicato tolerato recipere Sacramenta, ut ſupra in extravaganti continetur: non licet tamen iſta excommunicato miniſtrare. *Ratio eſt*: quia hic intervenit aliud præceptum de non miniſtrando Sacramenta in peccato mortali aut in excommunicatione, & cenſura irregularitatis ab excommunicato Sacramenta miniſtrante incurritur, &c. Ita ut non oriatur impedimentum ratione converſationis ſimpliciter; ſed ratione adminiſtrationis Sacramenti in tali ſtatu prohibitæ. *Similiter*: ubi eſt aliquod periculum ſubverſionis, Catholicus non poteſt communicare cum hæretico ne quidem occulto, non ratione excommunicationis quâ ligatur hæreticus; ſed ratione præcepti divini naturalis, quo ipſe periculum ſubverſionis vitare obligatur, quæ ſingulariter notanda ſunt ut peccata ritè cognoſcantur, ad quem ſinem adjicio alteram quæſtionem.

QUÆSTIO X.

In quibus caſibus teneatur Catholicus vitare hæreticum publicè & nominatim non denuntiatum?

PRæſcindendo à ratione excommunicationis, de qua quæſtione ſuperiori, pono concluſiones ſequentes.

CONCLUSIO I.

Nota. *JVre divino naturali prohibitum eſt ſub peccato mortali Catholico fideli communicare cum hæretico in cauſa, ritibus, ſignis, modis, &c. Hæreſeos, vel hæreticis ſpecialibus.* Ratio manifeſta eſt: quia qui in

Ep. Ioan. 2. v. 11. ſimilibus communicat, cenſetur juxta dictum Joannis *communicare operibus ejus malignis*, & hæreſi conſentire, quod intrinſecè malum eſt. Hâc ratione peccant qui ut ſupra annotatum eſt, concionibus, conventiculis, cœnis, orationibus, &c. hæreticorum ſicut unus ipſorum cum illis interſunt: qui ſignis diſtinctivis Geuſiorum in Belgio tempore tumultuum utebantur, &c. Et hæc quidem non ſolius ſcandali ratione; ſed etiam ex ipſorum actuum & circumſtantiarum natura prohibita ſunt. Hac ratione etiam peccaverunt mortaliter Officiarii, qui Hollandis aliquas Provincias Belgii occupantibus, templa miniſtris aperuerunt, & eorum exercitiis cooperati ſunt ut juſtitiæ miniſtri, vel alia quacunque ratione.

CONCLUSIO II.

NOn licet Catholico admittere hæreticum ad Sacramentorum participationem. Hæc etiam concluſio clara eſt: quia eſſet conſentire ipſorum indignitati & peccato, quod intelligendum tamen eſt, quando ex officio, vel charitatis præcepto Catholicus tenetur & poteſt impedire, aliàs non. Nota.

CONCLUSIO III.

NOn licet Catholico ſub peccato mortali hæreticos admittere ad ſacramentalia, & ritus Catholicos ut iiſdem cooperentur, ex. g. Non licet adhibere in Baptiſmo & Confirmatione patrinum hæreticū. *Ratio eſt*: quia cùm patrini obligatio ſit puerum in Baptiſmo ſuſceptum erudire: confirmatum in fide ſpeciali curâ conſervare. Si hæreticum patrinum adhibeas, doctrinæ & perfidiæ illius videris ſigno illo conſentire, & filio tuo obligationem quandam ad hæreticum acquiris, præter ſcandalum quod naſci poteſt. Nota.

Dixi (*ut iiſdem cooperentur*) poſſunt enim hæretici non denuntiati admitti ad conciones, orationes & ſolemnitates etiam Miſſarum, modò abſit periculum irreverentiæ & irriſionis, maximè ſi ſperetur quod aliquem bonum affectum concipient, ut ſæpè viſum eſt initio Induciarum cum Hollandis, quo tempore multi viſa reverentia & cœremoniis ſanctis ſacrorum Myſteriorum ſunt inducti, ut ad veram fidem & Eccleſiæ Catholicæ gremium ſe reciperent, & inſtructionem debitam poſtularent.

CONCLUSIO IV.

JVre divino naturali ſub peccato mortali inhibetur Catholicis omnis converſatio cum hæreticis, ex qua imminet periculum alicujus pravæ doctrinæ addiſcendæ, infectionis, dubitationis, ſubverſionis tam in materia morum, quàm fidei. Ratio fundamentalis eſt: quia jure divino naturali tenetur quis vitare pericula omnia peccati & perverſionis in via ſalutis. Ex his videant: in quæ ſalutis pericula ſe præcipitent qui commerciis continuis cum hæreticis ineſcati, eorum mores & modos imbibunt, & ſi non omninò pervertantur; multas tamen propoſitiones hæreticas tanquam probabiles ſibi imprimunt; de Catholicis propoſitionib⁹ aut dubitant, aut eos indifferentes credunt, alienationem vel ſaltem diminutionem affectus ad matrem Eccleſiam & vicarium Chriſti ſummum Pontificem concipiunt, mores pravos addiſcunt, tepidi Chriſtiani ſiunt, & tandem ad ſtatum quendam politicum, indifferentem, & ut uno verbo dicam, ad Atheiſmum viam ſibi ſternunt, ſi non totaliter in illum prolabantur. Nota.

Videant: qui proles ſuas ad partes hæreticorum educandas tranſmittunt prætextu mercaturæ, ſtudiorum, converſationis politicæ, &c. Nec ſibi abblandiantur ſuper variis prætextib⁹ qui titulum aliquem coloratum honeſti vel liciti præ ſe ferunt; ſed recordentur quod paucio- Nota.

res

res incorrupti redeant, plures corrupti & aliquâ ſui parte ſæpè infecti; recordentur etiam obligationis ſuæ in Chriſtiana & ſalutari educatione prolium; recordentur denique tenera illa ingenia facilè peregrinis impreſſionibus adulterari, & quod juxta Poëtam

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

CONCLUSIO V.

Credentes, fautores, receptores, & defenſores hæreticorum in cauſa hæreſis iure divino naturali peccant mortaliter: iure autem Eccleſiaſtico incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini expreſſam. Ratio prioris partis concluſionis eſt: quia tales cenſentur conſentire hæreticò in cauſa hæreſis, & eorum erroribus favere: pars poſterior patet ex textu Bullæ Cœnæ.

Dixi (*in cauſa hæreſis*) extra enim omnem hæreſis cauſam præciſe nec peccatum eſt, nec excommunicatio incurritur in prædictis.

Quis dicatur credere hæreticis. Ille verò dicitur *credere hæreticis*, qui eorum erroribus aliquo modo aſſentitur ſivè in particulari alicui articulo, ſivè in confuſo fidei hæretici ſe aſſentiri oſtendit, etſi particulari articulo non adhæreat: ſigna autem hujus credulitatis ſunt: ſi verbis hæretici fidem præbes: ſi isto reſpectu libenter eum de hæreſi ſua diſſerentem audias: ſi ejus doctrinam coram aliis laudes & ut illum audiant, excites, &c. Qui omnes actus ſunt naturâ ſuâ prohibiti & jure Eccleſiaſtico, ſi exteriori opere manifeſtentur, excommunicatione Bullæ Cœnæ feriuntur: etſi enim ex iſtis non poſſit adhuc firma hæreſis perfectè concludi, & fortè diſputationibus opinantium res ſubjacere poſſit, quia tamen prædicta ſunt Eccleſiæ nociva ac animabus pernicioſiſſima, idcircò non ſolùm ut mortalia, ſed etiam ſub nota excommunicationis provida mater Eccleſia eavetari voluit.

Signa credulitatis.

Nota. *Advertendum* verò *eſt*: Non quoslibet actus ſupra relatos inducere notam iſtius credulitatis; ſed requirendam moralem æſtimationem ſivè unius ſive plurium actuum & ipſarum circumſtantiarum, & hoc ad concordanda tot Auctorum judicia varia in re tamen gravis momenti, dum unus unum aut alterum verbum vel ſignum, unam aut alteram concionem auditam judicat inducere notam credulitatis prædictæ, alius aliter ſentit. Super his enim non tam numerus, quàm moralitas actus vel ſigni ex circumſtantiis eſt attendenda; quivis ſiquidem numerus ſine re & circumſtantiis conſideratus inutilis eſt ad rem examinandam, ſuper quo pono Regulam generalem

Regula generalis.

Quandocumque eſt controverſia de verbis, ſignis, operibus hæreſim, credulitatem vel conſenſum in hæreſim ſapientibus: non ex numero neque ex nuda verborum ſignificatione; ſed ex morali actionis, verborum & ſignorum conſideratione, attentis circumſtantiis omnibus, res expendenda eſt, ut de peccato & cenſura peccato annexa judicium rectum feratur.

Ex hac regula: *Infero*: etſi ſæpiſſimè, verba, ſigna, opera ſupradicta ſint ratione ſcandali aut injuriæ peccata mortalia; non inducere tamen excommunicationem quæ fertur in credentes hæreticis. *Explico*: Levis aliquis juvenculus curioſitatis vel levitatis gratiâ ſecundò aut tertiò vadit ad conciones hæreticas: *Item*: levitate quadam animi inter conſodales effutit aliqua verba hæreſim ſapientia quæ vaniloqui adoleſcentes inter coætaneos ſolent ſpargere: *Item* alios incitat ad eandem levitatem & curioſitatem, &c. Certum eſt, illum frequenter in his peccare mortaliter, tum ob ſcandalum aliquorum audientium, tum ob ſuſpiciones malas quas ingerit, tum quia ad malum aut ſaltem ad id quod ex genere ſuo eſt periculoſum, invitat. Denique, quia ipſe levitate animi ſe periculo hauriendi malam doctrinam exponit. Ex his tamen ratione circumſtantiarum non poteſt judicari *credens hæreticis*: quia levitas juvenilis ſeu potiùs vanitas quædam irriſoria attenditur ex perſona & qualitate ejus (hic enim eheu modus vanitatis inter adoleſcentes maximè qui præſumptuoſam nobilitatem fingunt, nimis invaluit) *Item* ex auditoribus, loco, occaſione dicendi: ex quibus ſæpè non tam *credens hæreticis*, quàm vaniloquus juvenculus judicabitur: etſi (ut dixi) in his omnibus varia mortalia peccata committantur: infinita porrò exempla ſimilia proponi poſſunt, quæ ſub doctrina reſolutionum generalium cadere nequeunt; ſed debent ſuis momentis in confeſſione vel conſultatione librari: è contrà, perſona gravis ſæpiùs ad conciones hæreticas intrat, cum hæreticis frequenter de rebus fidei conſultat, eorum opiniones & mores laudat, &c. Hic *credens hæreticis* moraliter reputabitur ob circumſtantias, & perſonæ gravitatem. Nota.

Fautores hæreticorum in cauſa hæreſis dicuntur: qui aliquem illis favorem præſtant, quo eorum hæreſis aut immunis permaneat, aut illam liberiùs diffundere poſſint & exercitia ſuæ hæreſeos perficere, ſive quamcumque actionem vel officium exercere quod ad hæreſim aliquo modo ſpectet. Tales ſunt, qui apud Principes & Magiſtratus agunt, ut hæreticus in ſua hæreſi liber & immunis à pœnis legum maneat: qui obtinent, ut hæretici conventicula ſua celebrare poſſint: qui ſciunt hæreticos graſſari & non denunciant; cùm utiliter & ſine detrimento id poſſint & teneantur facere: maximè qui Magiſtratus & miniſteria in Republica obtinent, quibus annexum eſt officium impediendi, denuntiandi, mulctandi hæreticos, qui omnes ut *fautores hæreticorum* non modò peccant; ſed excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt. *Quis dicatur fautor hæreticorum.*

Receptores dicuntur: qui hæreticos fugientes & ſe abſcondentes ob hæreſim in domo ſua vel in agro recipiunt, vel etiam quovis modo abſcondunt, ne ob hæreſim capiantur. *Item*: qui in domo ſua ordinariè eos admittunt, cùm ſciant *Quis hæreticorum receptor.*

illos hæreſim ſpargere, vel conventicula adventantium ibi celebrare, quod non rarò fit in menſa, inter pocula, per conferentias ſub titulo alicujus negotii vel mercaturæ.

Quis defenſor hæreticorum.

Defenſores dicuntur: qui in cauſa hæreſis aliquem, quem ſciunt hæreticum eſſe, aliquo modo protegunt in judicio vel extra illum excuſando, poſitivè ejus errores defendendo, impediendo ne capiatur, in exilium mittatur, vel quovis modo procurando ne in cauſa hæreſis juſtitia fiat. Ex his videant: quo tandem ſe præcipitent Epiſcopi, Paſtores, Principes ac officiarii juſtitiæ civilis, quorum intereſt, & qui ex officio obligantur hæreticos & hæreſes à republica vel grege ſibi commiſſo propulſare. Dupliciter enim *fautores hæreticorum* dici poſſunt, & in hanc cenſuram Eccleſiaſticam incidere. *Primò, omiſſione*: ſi cum hæreticis diſſimulent, aut eos non accuſent, non detineant, aut à fidelibus ſeparari non curent; imo permittant illos in populo graſſari, quamvis negativè ſe haberent. *Item*: ſi captos abire permittant. *Secundò, commiſſione*, utpote. ſi poſitivè hæreticis faveant, ſi illos defendant, ſi donis & muneribus corrupti illos ſuſtineant bonum teſtimonium de illis reddentes, &c. cùm ex officio obligentur illos aut impedire aut denuntiare. Plurimas alias pœnas & inhabilitates contra fautores, &c. hæreticorum congerit Pontifex in *cap. excommunicamus. titulo de hæreticis. §. credentes*, ad quas Lectorem remitto.

QUÆSTIO XI.

Quid de Matrimonio Catholicorum cum hæreticis cenſendum?

DE matrimonio Catholicorum cum hæreticis, ejuſque validitate vel invaliditate tractant ſufficienter Auctores ex profeſſo agentes de matrimonio: nobis hic aliqua breviter tantùm dicenda & ſuper iis, quæ ad rem noſtram pertinent, nonnulla ſunt reſolvenda; ſit itaque

CONCLUSIO I.

Explicatur ratio matrimonii cum hæreticis, &c.

M*Atrimonium hæretici cum Catholico, & è contrà hæretica cum Catholico, ſi legibus Eccleſiæ coram parocho & duobus teſtibus non contrahatur, non eſt Sacramentum, ſed contractus dumtaxat civilis ſub civilibus legibus extra Romanam Eccleſiam dumtaxat ſubſiſtens.* Concluſio manifeſta eſt: neque enim matrimonium Sacramentum eſſe poteſt, quod materiâ Sacramenti caret: materia autem Sacramenti matrimonii eſt contractus ſecundum Eccleſiæ leges factus: ſolius enim Eccleſiæ eſt præſcribere leges contractus matrimonii, quatenùs ad Sacramenti eſſentiam & conſtitutionem concurrunt.

Dixi porrò (*Matrimonium aliter contractum eſſe contractum civilem ſub civilibus legibus extra Romanam Eccleſiam ſubſiſtentem*) Intra enim totam Romanam Eccleſiam etiam in civilibus judiciis non admittitur ullus contractus matrimonii legitimus; niſi ſit initus ſub legibus matrimonii, quatenùs Sacramentum eſt, ab Eccleſia determinatis & conſtitutis: undè conjuges hæretici qui matrimonium ſolo contractu civili inierunt, ſi ad Eccleſiam Catholicam revertantur, ut matrimonium (prout eſt Sacramentum) contrahant, debent coram parocho & teſtibus contrahere; alias (quantùm eſt ex ratione matrimonii prout eſt contractus civilis) cùm jam ad Eccleſiæ Catholicæ Romanæ fidem redierint, ab invicem ſeparari poterunt, quia talis contractus, etſi civilis apud hæreticos, in Eccleſia Catholica ne quidem ut talis admittitur. Niſi fortè ratione locorum ubi nunquam receptum fuit Concilium Tridentinum, contraxerint, & leges matrimonii in contrahendo ſervaverint, quæ ante Tridentinum obſervabantur & ſufficiebant. De quibus vide Doctores.

CONCLUSIO II.

Explicatur ratio Sacramenti in matrimonio.

M*Atrimonium hæretici cum Catholicâ, & è contrà, ſi in facie Eccleſiæ coram parocho & teſtibus* ſub Eccleſiæ Romanæ legibus contrahatur, eſt verum Sacramentum. *Ratio concluſionis eſt*: quia uterque ſupponitur baptizatus, & conſequenter Sacramenti matrimonii capax.

Dices: Hæreticus non intendit contrahere matrimonium ut Sacramentum eſt; ſed tantùm ut eſt contractus. *Reſpondeo*, etſi ad contrahendū matrimonium requiratur intētio utriuſq; partis, non requiritur tamen intentio contrahentiū ad hoc ut matrimonium illud ſit Sacramentum; ſed ſufficit Chriſti inſtitutio & Eccleſiæ determinatio quoad materiam. Quapropter, etſi cōtrahentes eſſent in illo errore quod matrimonium legibus Eccleſiæ Romanæ contractū non ſit Sacramentum, eò ipſo tamen quò juxta leges Eccleſiæ contrahunt, & uterque baptizatus eſt, ex iſto contractu reſultat ratio Sacramenti etiā ipſis nolentibus: modò intendant ſimpliciter matrimonium cōtrahere, juxta leges Eccleſiæ.

CONCLUSIO III.

Explicatur ratio peccati.

P*Eccat mortaliter Catholicus vel Catholica contrahens matrimonium cum hæretico vel hæretica contra Eccleſiæ Catholicæ leges ad valorem Sacramenti matrimonij requiſitas*, utpotè abſq; parocho vel Sacerdote parochi locum tenente, &c. ubi Concilium Tridentinum receptum fuit. *Ratio eſt*: *Primò*, quia Sacrilegium committit omiſſa vera materia Sacramenti ab Eccleſia Catholica determinata cujus filia vel filius eſt, & de cujus gremio ſupponitur eſſe. *Secundò*, quia errori hæreticorum ipſo facto conſentit, qui negant matrimonium eſſe Sacramentum & materiam ejus ab Eccleſia determinatam reſpuunt. Ex quo capite etiam cenſuras incurrit in foro externo; quia externam hæreſim exercet, eiq; extrinſecùs conſentire cenſetur contrahens coram miniſtro hæretico & ſub cæremoniis hæreticis.

Dixi (*ubi Concilium Tridentinum receptum fuit*) ubi enim nunquam fuit receptum, matrimonia con-

contracta ſecundùm eſſentialia cõtractus abſq; Parocho valida ſunt, ut erant ante Concilium.

CONCLUSIO IV.

PEccat mortaliter Catholica cum hæretico, vel Catholicus cum hæretica contrahens matrimonium *etiam ſub legibus & materia ab Eccleſia inſtitutu, niſi rationabilibus cauſis excuſentur.* Ratio ſumitur primò, Ex jure divino naturali & politivo. quo quis periculum peccati tenetur evitare; pericula vero plurima in iſtis matrimoniis contingere ſolent, ac quidem

Pericula ex matrimonio cum hæreticis expendun tur.

Primum, periculum eſt *ſubverſionis in fide:* ſi enim in converſatione familiari cum hæreticis cenſetur eſſe periculum, quomodò non erit in matrimoniorum vinculis, in quibus fiunt *duo in carne una?* quod periculum tangitur Exodi 34. ubi prohibentur connubia cum infidelibus: *Ne* (inquit) *poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ* (per Idolatriam) *fornicari faciant, & filios tuos in Deos ſuos:* Et Deut. 7. *Quia ſeducet filiũ tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat Deis alienis:* quantùm vero & quam immmens ſit illud periculũ indicat Scriptura 3. *Reg.* 11, eadem connubia cum alienigenis prohibẽs: *Certiſſimè* (ait) *avertent corda veſtra ut ſequamini Deos earum.* Quod ſi autem tantum periculum ſubiit in matrimonio cũ infidelibus, longè gravius ſubeſt in matrimonio cum hæreticis, quorum *ſermo, ut cancer ſerpit*, id eſt, ut exponit D. Anſelmus: *Magis ac magis occupat & devorat, ac maculat mentes in quibus radicari cœperit, ſicut morbus qui dicitur cancer*, &c. Et quidem vix poteſt, ut *qui picem tangit*, non *inquinetur ab ea*. Undè & S. Paulus monet 2. ad Corint. 6. *Nolite ducere jugum cum infidelibus;* jugum enim ſicut commune eſt, ſic communem inducit ſervitutem, & cum ſervitute miſerias communes facit: nec quis poteſt præſumere ſe Salomone ſapientiorem, cujus cor infatuatum eſt per mulieres alienigenas: huc applicari poſſunt quæ ſuprà dicta ſunt de connubio & converſatione cum infidelibus; in ratione enim periculi idem præceptum intervenit.

Exod. 34. v. 16.
Deut. 7. v. 4.
3. Reg. 11. v. 2.
2. Tim. 2. v. 17.
D. Anſel.
2. Cor. 6. v. 14.

Secundum, periculum eſt *ſubverſionis prolium*, quæ ab alterutru parente hæretico facilè inſici poterunt, & pravis ejus erroribus ac moribus informari, prævalente in eas aut paterna poteſtate parentis hæretici, aut dulcedine hæreticæ matris earum animos demulcentis, ita ut cum lacte infidelitatem imbibant.

Tertium, periculum eſt *in condeſcenſionibus indiſcreta charitatis* qua fit, ut maritus Catholicus urgeatur conſentire infidelitatibus uxoris hæreticæ, vel econtrà uxor Catholica infidelitatibus mariti hæretici. Præter importunitates Dalilæ etiam Samſonem fortiſſimum enervantes, & alienigenarum mulierum blandimenta Salomonis ſapientiam in reprobam ſtultitiam adducentia.

Quartum, periculum eſt *diſſenſionum gravium*, juxta illud S. Ambroſii lib. 1. de Abraham c. 9. *Quomodo poteſt congruere charitas ſi diſcrepet fides?* Et illud S. Pauli: *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* ex diſſenſionibus autem conjugum præter bonum Sacramenti & unionis, neceſſe eſt ut diſſolvatur bonum prolis, cùm uterque parens ſibi proles devincire ſatagit.

S. Ambr. l. 1. de Abrah c. 9. in init.
2. Cor. 6. 15

Hæc ſunt ferè pericula quæ perſtringant vehementiſſimis invectionibus patres, hujuſmodi matrimonia condemnantes, quos, quia obviis libris ubicumquè citantur, prætereo.

Ratio concluſionis ſumitur ſecundò ex jure Eccleſiaſtico, quod innixum principiis juris divini naturalis ad certiorem prohibitionem ſua adhibet præcepta, in re utiq; ſalutis graviſſima prohibens ne Catholici hæreticis matrimonio jungantur. Ita decrevit *Concilium Elibertinum* can. 16. *Hæretici* (inquit) *ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam Catholicam nec ipſis Catholicas dandas puellas*, &c. Idem prohibet Conc. Laodicenum ſub Silveſtro c. 10. & c. 31. *Quod non oporteat cum hæreticis univerſis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare vel filias, ſed magis accipere; ſi tamen Chriſtianos ſe fieri promittant.* Legatur & epiſtola Stephani Papæ ad Francorum Regem, quæ extat apud Baronium ad ann. 770. citatur etiã *Bonifacius VIII. in cap. decrevit Tit. de hæreticis in 6.* ſed ibi non tam prohibet, quàm ſupponit matrimonia cum hæreticis ab Eccleſia prohibita ſub pœnis confiſcationis bonorum: *Decrevit* (inquit) *felicis recordationis Innocentius Papa 4. quod propter hæreſim maritorum, uxorum Catholicarum dotes non debeant confiſcari. Quod intelligendum fore cenſemus, niſi fortè mulieres ipſæ cum matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos tunc ſciebant.*

Conc. Eliber. can. 16
Concil. Laod. ſub Silveſt. c. 10 & c. 31.
Bonifac. VIII.

Dixi (*niſi rationabilibus cauſis excuſentur*) quæ autem ſint cauſæ rationabiles excuſantes contrahentes cum hæreticis à peccato mortali, ſequens Appendix indicabit.

Appendix,

Cauſæ excuſantes contrahentes Matrimonia cum hæreticis à peccato mortali.

PRima eſt: *Utilitas ſpiritualis*: ut ſi grandis ſpes affulgeat converſionis hæretici ſive hæreticæ ad fidem Catholicam: aut cùm alter futurorum conjugum promittit fidem ſuſcipere. Hæ enim duæ cauſæ in Canonibus & in Conciliis Elibertino & Laodiceno ſuprà citatis, ſpecificantur, & ad hanc utilitatem referuntur connubia Regum, Principũ, Magnatum, ſi ex iis ſperatur converſio Regnorum, protectio Catholicorum, ceſſatio perſecutionum, aut alia utilitas ſingularis.

Secunda, cauſa eſt: *Damni gravis evitatio vel compenſatio juſta*. Ex. g. Quia alias imminet periculum exhæredationis, proſcriptiónis, ruinæ totius familiæ, ut ſi ad hæreticos tota devolveretur hæréditas.

Tertia, cauſa eſt: *moralis quædam neceſſitas*, eò quod quis in regione, ubi dominatur hæreſis, habitat, nec facilè reperiet perſonam Catholicam ſuæ qualitatis aut conditionis, cui honeſtè nubere poſſit. Et hæ duæ poſtremæ cauſæ ex natura rei ferè oriuntur, cùm vix poſſit iſtis ſubſiſtentibus ſine graviſſima incommoditate aliter matrimonium iniri.

Advertendum tamen *eſt*, in tribus illis cauſis,

Primò debere abeſſe periculum ſubverſionis & lapſus: præferenda enim eſt animæ propriæ ſalus omni commodo, vel damno temporali. Secundo iniri debere matrimonium à Catholico vel Catholica juxta leges Sacramenti matrimonii, ratione ſuperiùs Concl. 3. allegatâ. Tertiò prolium educationem debere manere, ſaltem uſque ad annos pubertatis, ſub conjuge Catholico, ut primis fundamentis fidei orthodoxæ erudiantur: alias enim eſſet procreare proles, & facere illas filios gehennæ contra primum matrimonii bonum & obligationem parentum. Unde in Concl. Tolet. 4. apud Gratianum causâ 28. qu. 1. cap. *Iudei*, decretum erat, ut ſi quandò contingeret Chriſtianas mulieres junctas fuiſſe Judæis, ſi Judæus non converteretur, ſeparandas eſſe: proles verò ex tali conjugio procreatas, fidem ac conditionem Matris fidelis debere ſequi: & è contrà ubi vir eſſet fidelis & mulier infidelis, proles debere conſignari viro & ejus ſequi religionem: quod proportionaliter applicandum eſt conjugiis fidelis mulieris cum hæretico, vel econtrà.

Admonitio.

Nota. Videant igitur in quod ſalutis periculum & peccatorum incentivum ſe præcipitent; qui abſque ulla ſpirituali utilitate, abſque ullo ſibi imminentis detrimenti grandis periculo, abſque ulla neceſſitate ex mera libertate connubia cum hæreticis jungunt: periculum enim magnum eſt ne vir illecebris mulieris, mulier violentia viri pervertatur: & illud quidem periculoſius, hujus verò non rarus caſus. *Item*: advertant qui etiam Sacramento illudunt, dum coram Pſeudo-Miniſtris contrahunt ſigno externo illis conſentientes. *Item*: qui de futura prole non curant, & æternæ gehennæ naſcituros antequàm natos, velut deputant. Videte confeſſarii, ne ante hujuſmodi connubia malignis iſtis operibus conſentiatis; & quid poſt illa inita conſulere valeatis pro animarum ſalute.

SECTIO IV.

De lectione & retentione librorum hæreticorum.

QUÆSTIO I.

Quis dicatur liber hæreticus?

CONCLUSIO UNICA.

Ille dicitur liber hæreticus, qui in toto vel in aliqua ſui parte religionis materiam attingens, aliquam hæreſim vel errorem fidei orthodoxæ contrarium continet, & ex mente auctoris docet.

Dixi (*qui in toto vel aliqua ſui parte religionis materiam attingens*) ſi enim nullatenùs religionis materiam attingat; etſi prohibitus eſſe poſſit (ut ſunt omnes Hæreſiarcharum, quos nullatenus ob abominationem Auctorum legere licet ex Eccleſiæ prohibitione) non cenſebitur tamē liber hæreticus: quia ubi de Religione non agitur, de errore contra fidem agi non poteſt.

Undè *advertendum eſt*: aliud eſſe *librum* dici *hæreticum*: aliud eſſe *librum* dici *prohibitum*: ille enim dicitur ſimpliciter *prohibitus*, qui per ſacram congregationem indicis ſub peccato prohibetur ob aliquam cauſam etiam ad fidem vel religionem non pertinentem, ut quia aliqua continet contra bonos mores vel honeſtatem, &c. Ille veró dicitur *hæreticus*, qui errorem aliquem contra fidem continet. *Diſtinctio inter librum hæreticum & prohibitū.*

Dixi (*in toto vel aliqua ſui parte*) quemadmodum enim ille verè dicitur hæreticus, qui etiam in unico articulo pertinaciter in materia fidei errat: ſic liber dicendus erit hæreticus; etſi unū tantùm errorem contineat, niſi ab illo auctoritate publicâ expurgetur.

Dixi (*aliquam hæreſim vel errorem continet & ex mente Auctoris docet*) ſi enim tantùm hiſtoricè error narretur, vel per modum controverſiæ illum refutando vel convincendo, aut etiam contra mentem Auctoris error aliquis irrepſerit: liber hæreticus dici non debet ut cenſeatur cū libris hæreticis ab Eccleſia proſcriptus: quamvis ſimiles libri variis prohibitionibus mulctētur prout infrà dicemus. Ex quibus iterum advertendum: aliud eſſe *librum* dici *hæreticum*: aliud *librum* eſſe *hæretici* vel *hæreticorum*: *liber* enim ille ſolus dicendus eſt *hæreticus* qui, ut diximus, errorem ſive hæreſim continet & docet, ſive ſit ab hæretico, ſive à Catholico compoſitus: ille verò dicitur *liber hæretici*, qui ab hæretico compoſitus eſt, etſi hæreſim non contineret. *Quis liber hæreticus.* *Quis liber hæretici.*

QUÆSTIO II.

Quale ſit peccatum legere libros hæreticos?

CONCLUSIO I.

Quicumque ſcienter legerit librum hæreticum, ſive hæreſim continentem & docentem, peccat mortaliter, niſi eum levitas materiæ excuſet: Hæc concluſio conſtat ex jure naturali divino ſuperaddito præcepto Eccleſiæ: cùm enim Jus naturale divinum, ut ſuperiùs docuimus, prohibeat omne periculum erroris & defectionis à fide, hoc ipſo cenſetur librorum hæreticorum lectionem prohibere: quia ſicut hæreticorum *ſermo* verbis prolatus *ut cancer ſerpit* & venenum diffundit, ſic & ſermo illorum ſcriptus eò periculoſius penetrat, quo in occulto menti inſtillatur, & velut *ſerpens in ſilentio mordere* ſolet. Quia verò quilibet de fortitudine ſua præſumere ſibique periculosè abblandiri potuiſſet: generaliter Eccleſia lectionem hujuſmodi librorum ſub peccato mortali quibusvis quantumvis doctis probiſque prohibuit, adhibitis pœnis (quæ non niſi pro peccato mortali imponuntur) niſi de illius ſeu S. *Librum hæreticum legere, eſt peccatum mortale.* Eccleſ. 10. v. 11.

Sedis

S. Sedis licentia & auctoritate legantur, prudenter attendens quòd, quamvis in individuo & ſingulari reſpectu alicujus perſonæ doctrinâ, probitate & conſtantiâ præſtantis, nullum ſit periculum: tamen quia illo prætextu advertit plurimos ſeduci poſſe, & graviſſimos abuſus ac pericula populo Dei imminere; univerſaliter doctis pariter & indoctis lectionem librorum hæreticorum inhibuit, niſi perſonarum delectu facto ab iis quibus S. Sedes eorum lectionem & judicium concrederet. Ratio igitur periculi non ſumitur ab eo quod certò accideret perſonæ in individuo legenti; ſed ab eo quod Eccleſiæ vel perſonis indefinitè contingere poſſet: quod ſingulariter notandum eſt ab iis, qui de ſe præſumentes quælibet audent, generalibus quibuſdam axiomatibus deluſi: non attendentes quòd Deus de ſua virtute præſumentes frequentius humiliat caſibus miſerandis. Et hæc fuit prohibitio communis in Eccleſia Dei à temporibus Apoſtolorum, quorum etiam decreto libri hæreticorum & impiorum igni adjudicati ſunt. Præclarum verò illud eſt quod refert Abdias Babylonius lib. 4 certaminis Apoſtolici, de Jacobo Apoſtolo qui libros Hermogenis ante ſuos pedes ab Hermogene ipſo converſo delatos ut comburerentur, juſſit appenſis lapidibus & plumbo in mare demergi: *ne fortè* (inquit) *odor incendii vexet incautos.* Tantus fuit horror librorum hæreticorum.

Abdias Babylon.

Dixi in concluſione (*librum hæreticum ſive hæreſim continentem & docentem*) hi enim ſimpliciter jure naturali & divino prohibentur, & in his ſolis ratio periculi per ſe ſubſiſtit: quòd ſi Eccleſia etiam prohibeat libros ab hæreticis compoſitos, etſi hæreſim non contineant; id in abominationem hæreticorum prohibere cenſenda eſt, quæ noluit ex putido illo luto margaritas colligi, aut ex alia turbida aqua filios ſuos bibere, ne videretur auctoritatem aliquam deferre iis, qui à Deo & ſuo gremio receſſerunt. Porrò quicumque liber hæreſim continens vel docens prohibetur, etſi à Catholico compoſitus fuerit, idque non tam ratione Auctoris, quàm ratione erroris undecumque error ille irrepſerit ſive ex inadvertentia, ſive ex opinione incauta abſque pertinacia vel malitia, ſive ex malevolentia alicujus qui libro errores ab extrinſeco inſperſit.

Dixi (*quicumque ſcienter*) qui enim ex ignorantia aut inadvertentia legeret, ignorans librum eſſe hæreticorum, aut non advertens eſſe hæreticum, ille non cenſeretur peccaſſe mortaliter, modò ignorantia non ſit ſupina & intolerabilis.

Dixi (*legerit*) quod de formali lectione, quatenus id quod legitur à legente intelligitur, interpretandum eſt: materialis enim lectio nil facit ad rem præſentem, cùm nullum poſſit ſequi periculum ſi quod legitur, non intelligatur.

Dixi (*niſi levitas materiæ excuſet*) certum eſt enim dari levitatem materiæ in lectione; ſive ex parte materiæ, quia tantum aliquæ lineæ leguntur, ſive ex parte lectionis, ſi leviter & curſim hinc inde aliquid abſque plena advertentia legatur.

Petes: quæ cenſeatur levitas materiæ? Reſpondes, determinationem illius judicio prudenti relinquendam eſſe: non enim materialis quantitas hîc attendenda eſt, quæ vel in numero linearum, vel in quantitate paginarum conſiſtit (prout diverſi Auctores opinati ſunt) ſed morale periculum infectionis æſtimandum eſt ex materia quæ legitur *Ex. g.* Quis incidit in aliquam paginam vel aliquas periodos quæ errorem continent, & advertens primo intuitu errorem, curioſitate vel levitate movente in lectione proceſſit, peccavit mortaliter, quia periculo ſe expoſuit & contra totum legis finem proceſſit. Quòd ſi legiſſet plures paginas in materia quam advertit indifferentem eſſe, non condemnarem peccati mortalis, quia reſpectu totius libri eſt parva materia & moraliter pro levi æſtimanda, cùm (ut ſupponitur) non ſubeſſet periculum alicujus momenti; non ſuaderem tamen ulli hîc licentiâ uti, quia lectio ulterioris ſemper indagationis incentivum præbet, & incautos decipit: ſed ubi res eſſet facta, nollem condemnare peccati mortalis (ut dixi) ſi quis ſedato animo legerit & à periculo propinquo ſe ſubtraxerit. Lex enim ex mente legiſlatoris menſuranda eſt. Unde pono Regulam unam generalem.

Quæ levitas materiæ reputetur.

Regula Generalis

Ubi nullum eſt periculum legenti dictos libros, nec obedientia ad Eccleſiæ præceptum in aliquo notabiliter læditur, interdum peccatum tantùm veniale eſt, interdum nullum. Explico: ex duobus capitibus lectio librorum hæreticorum prohibita eſt. Primò ob periculum legentis, eaque prohibitio legis divinæ naturalis eſt: Secundò ob præceptum Eccleſiæ, quæ non tantùm proximum periculum prohibere intendit; ſed etiam remotum, non tantùm ratione legentis, ſed etiam ut omnibus modis præveniat infectionem gregis. Igitur niſi quis totam latitudinem iſtorum duorum terminorum egrediatur, non cenſebitur mortaliter peccare. Qui itaque aliquid in libro hæretico legit ſibi præcavens ne materiam erroneam aut errorem legat, ex hoc capite periculum quidem evadit; quia tamen obedientiam tranſgreditur, peccat: cùm verò illa lectio in materia obedientiæ & præcepti latitudinem totalem non excedat totaliter, utpote, ſi periculum infectionis & ſcandali abſit, venialiter tantùm peccare cenſebitur.

Libri hæretici ex 2. cauſis prohibiti.

Dixi itaque notanter (*ſi nullum periculum ſit legenti, nec obedientia ad Eccleſiæ præceptum notabiliter lædatur*) periculum autem est, ubi quis notabilem partem libri hæretici legit, aut incautè ſe lectioni addicit in materia quæ vel errorem continet, vel ad errores allicere eiſque permiſcere ſolet, aut in publico vel aliis ſcientibus legit, ita ut in materia obedientiæ ſcandalizari poſſint,

poſſint, quod prudenti judicio æſtimandum eſt nec facilè habenæ laxandæ, ubi nulla ratio vel cauſa ſuppetit.

Unde dixi (*interdum peccatum tantùm veniale eſſe*) quia frequentiùs ob periculum innatum mortale eſt, niſi perſonæ qualitas & cauſa ſive ratio lectionis excuſet: excuſare autem poteſt: ut ſi ex cauſa a Theologo, confeſſario, vel concionatore debeat citatio aliqua in libro hæretico contenta examinari, aut alicui dubio juſtè interrogantis ſatisfieri, aut hæreticus ex proprio libro convinci, maximè ubi res moram non patitur, nec patet commodus recurſus ad eum cui lectio librorum hæreticorum commiſſa eſt; tunc enim cenſerem, occurrentibus ſimilibus cauſis, nullum peccatum intervenire; ſed juſtâ Epikeia & interpretatione legis hujuſmodi perſonas à peccato excuſari, imò meritoriè poſſe loca neceſſaria in libro hæretico evolvere, modo non excedant: neque enim cenſetur pia prudenſque Mater Eccleſia voluiſſe illa prohibere, quæ ad executionem officii cui aliquis legitime eſt mancipatus, ſunt neceſſaria & quæ ad utilitatem animarum ſpectant.

Nota.

Et hoc eſt quod addidi (*interdum nullum peccatum eſſe*) ſemper autem veniale erit, quando (etſi à parte rei ſubſit materiæ aut lectionis levitas) nulla tamen juſta & rationabilis cauſa lectionis ſuppetit, quæ Epikeiam meritò fundet.

CONCLUSIO II.

Libri hæreticorum non continentes hæreſim.

L*Egentes ſcienter libros hæreticorum de fide aut religione tractantes, etiamſi hæretici non eſſent aut hæreſim non continerent.* Item: *libros quoſcumque in Indice Romano legitimè prohibitos, niſi legitimè ſint expurgati, peccant mortaliter, niſi levitas materiæ excuſet.* Hæc concluſio conſtat ex declarationibus Summorum Pontificum Pii IV. Conſt. 77. Sixti V. Conſt. 74. Clemens VIII. Conſtit. 36 quæ habentur in Bullario Romano Cherubinorum: fundatur autem præceptum in hoc, quòd Eccleſia commune periculum præſagiens, ſivè in iis quæ ſunt fidei, ſive in iis quæ ſunt pietatis & morum, omnem occaſionem lapſus voluit præcludere: etſi enim, quoad libros hæreticorum de fide & religione tractantes, fieri poſſit ut in aliquo tractatu vel libro nullus ſit contra doctrinam orthodoxam error (non enim ſemper hæretici in omnibus articulis ab Eccleſiæ doctrina diſſentiunt) eloquentiâ tamen, phraſi, aut modo loquendi ad errorem viam ſternere poſſunt, aut ſpecioſis verbis animum legentis ita ineſcare, ut vel in perſonâ hæretici ſibi complaceat, vel ad ejus verba & alios libros affectum apponat: unde graviſſima pericula ſæpè incautis imminere conſueverunt. Quod & in libris prohibitis in Indice reperitur: etſi enim hæreſes formales non contineant, non prohibentur tamen niſi ob aliquam pravitatem aut ſuſpicionem mali in illis repertam, judicio eorum qui Indici componendo ſunt præfecti.

CONCLUSIO III.

Libri litterarii hæreſiarcharum.

L*Ibri hæreſiarcharum aut etiam hæreticorum damnatorum quamvis de religione & fide nullatenus tractent; ſed ſint merè litterarii aut hiſtorici prohibentur ſub peccato mortali Eccleſiæ præcepto, niſi ab Eccleſia legitimè ſint approbati & recepti.* Fundamentum præcepti iterum ſumitur. *Primò* quidem ex periculo: quia ſimiæ ſemper ſimiæ ſunt, & corda ſcorpionis ſemper in motu eſt quaquaversùm ſemper percutiens: ſi enim hæreſes aut errores per ſe non ſeminent, indirectè tamen aut mordent, aut animum fœdo aliquo vapore conſpurcant, taceo quòd una hiſtoria (etſi ut indifferens animo repræſentata) plus interdũ noceat, quam erronea aliqua doctrina.

Secundò, fundamentum ſumitur ex juſta proſcriptione hæreticorum ab Eccleſia, quorum nec nomina debent in illa audiri, qui ab illa excommunicati, reſciſſi, anathema penitus ſunt facti. Et quidem ſi non licet Catholico orthodoxo converſari cum hæretico, cur licebit converſari cum libris ejus? cùm non minùs *ſermo* hæretici *ut cancer* in libris *ſerpat*, quàm in ſonis. Hanc verò concluſionem etiam probant decreta Pontificum in indicibus ſuis & Indicum regulis, quæ in ſingulari referre non eſt præſentis inſtituti.

QUÆSTIO III.

Quas pœnas incurrant legentes libros hæreticos, aut alias prohibitos?

H*Ic repetendæ ſunt diſtinctiones ſuprà relatæ hac ſectione quæſt. 1. Aliud eſſe librum dici hæreticum: aliud dici prohibitum. Iterum: aliud eſſe librum dici hæreticum: aliud hæretici ſive ab hæretico conſcriptum; juxta has enim diſtinctiones diverſæ pœnæ ſunt legentibus ab Eccleſia decretæ.

CONCLUSIO UNICA.

Pœna excommunicationis.

L*Egentes ſcienter aut retinentes libros hæreticorũ hæreſim continentes vel de religione tractantes* (præter mortale peccatum quod incurrunt ut ſuperiùs reſolutum eſt) *plectuntur pœnâ excommunicationis in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta, niſi licentiam & facultatem à S. Sede Apoſtolica obtinuerint.* Quâ etiam pœnâ plectuntur imprimentes aut quomodolibet hujuſmodi libros defendentes. Vide Bullas Cœnæ, ſpecialiter eam quæ eſt Pauli V. Conſtit. 63. & Urbani VIII. 62. in Bullario Rom. Laërtii & Angeli Cherubini.

Particulæ concluſionis explicari debent juxta ea quæ ſuperiori quæſtione à nobis declarata ſunt: maximè de levitate materiæ & peccato veniali. Cùm enim ſententia excommunicationis non incurratur niſi ob peccatum mortale, ſi lectio aut retentio illorum librorum ex aliqua circumſtantia à peccato mortali excuſetur, conſequenter legens vel retinens ab incurſu excommunicationis excuſatus

erit,

erit. Aliqua tamen verba ex Bullis allegatis interpretanda veniunt, quæ ſcrupulum movere poſſunt, prohiberur namque omnibus hujuſmodi libros abſque facultate S. Sedis *legere, retinere quâvis causâ, quovis ingenio, vel colore*. Ex quibus verbis infirmari videntur, quæ de juſta cauſa Theologorum, confeſſariorum, & concionatorum interdum aliqua legendi in libris hæreticorum ſuprà diximus: ſi enim nulla cauſa, nullum ingenium vel color unquam lectioni dictorum librorum poſſit favere, nunquam licebit in illis vel modicum legere abſque facultate.

Explicatio Bullarum Pauli V. & Urbani VIII.

Reſpondes nihilominùs ea quæ ſuprà docuimus, non obſtantibus his verbis Bullæ, ſubſiſtere: cauſæ enim ibi allatæ, non ſunt nec poſſunt dici coloratæ, vel ingenio adinventæ, ſed verè ex natura exemplorum allatorum ſubſiſtunt & urgent, ut quis facultatem legendi juſtâ Epikeia ſibi factam præſumere poſſit & illâ uti. *Addo*, illa verba, *quâvis causâ, quovis ingenio, vel colore*, referri ad defendentes, non ad legentes. Alia ſunt quæ particularibus dubiis ſunt examinanda.

Dubium I.

An Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, ubi nulli ſunt inquiſitores, libros hæreticorum legere poſſint?

RAtio dubitandi eſt: quia Bulla Cœnæ & alia decreta ſummorum pontificum neminem eximunt. Quinimò ſub ſuis prohibitionibus omnes cujuſcumque dignitatis exiſtant, comprehendunt.

Archi-Epiſcopi & Epiſcopi poſſunt legere libros hæreticorum ex officio.

Reſpondes nihilominùs *primò*: Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ex officio poſſe libros hæreticorum legere ad effectum & finem eos examinandi & corrigendi, confutandi ac condemnandi, &c. Niſi à S. Sede expreſsè eis prohibeatur, vel aliter ab illa de lectione, correctione & examine dictorum librorum provideatur. *Ratio eſt*: quia ab Apoſtolo inter conditiones Epiſcopi requiritur *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*. Quomodò verò arguet eos qui contradicunt, ſi non licet eorum doctrinas falſas legere? cùm enim unum ex præcipuis officiis Epiſcoporum ſit lupos arcere, & hæreticam pravitatem à populo ſibi commiſſo propulſare: id congruè fieri nequit, niſi de libris qui imprimuntur, ſparguntur, & manibus teruntur, dijudicare poſſint: dijudicare autem nequeunt, niſi legere poſſint aut niſi S. Sedes aliunde provideat.

Ad Tit. 1. verſ. 9.

Archi-Epiſcopi & Epiſcopi in Belgio ſunt inquiſitores.

Reſpondes ſecundo: Ubi S. Sedes aliter non providet (*Ex g.* in Belgio ubi non eſt officium S. Inquiſitionis inſtitutum aut alius modus proviſus) Epiſcopos tanquam inquiſitores ex vi & natura officii Epiſcopalis poſſe libros hæreticorum legere ad effectum illos corrigendi, confutandi, condemnandi, &c. Et hæc fuit praxis antiqua Eccleſiæ. *Ratio eſt*: quia ubi officium S. Inquiſitionis non eſt inſtitutum, Epiſcopi ex natura officii ſunt inquiſitores hæreticæ pravitatis; ad inquiſitores autem ſupradicta ſpectare dignoſcitur.

Dixi (*aut alius modus proviſus*) ſolent enim interdum à S. Sede vel Cardinalium congregatione univerſitates & perſonæ graves ac doctæ in regionibus illis conſtitutæ aſſumi ad cognoſcendum de hujuſmodi librorum lectione, condemnatione, confutatione, expurgatione, prout Sixtus V. Conſtit. 74. demandaverat. Quod ubi executioni mandatum non eſt, cenſentur Epiſcopi in ſuo jure permanere, ne debito regimine & protectione diœceſes careant in caſibus neceſſariis ubi de librorum doctrina & qualitate, vel eorum condemnatione, approbatione aut confutatione eſt agendum. Et hanc puto eſſe Eccleſiæ mentem: ſic enim & Epiſcopi in ſua diœceſi libros approbant vel reprobant, & cenſores librorum inſtituunt: in indicibus etiam librorum prohibitorum conſtituuntur judices & executores ad pœnas infligendas contra eos, qui libros hæreticos vel prohibitos legunt, imprimunt, divulgant, quæ vix fieri poſſunt niſi illos viſitare & legere valeant, ubi cauſa occurrit. Nec refert quòd generaliter in Bullis Pontificum prohibeatur Eccleſiaſticis cujuſcumque dignitatis exiſtant, libros prohibitos legere: imò & Paulus IV. in Bulla quæ incipit *cùm pro munere*, revocat omnes facultates cùicumque ad hoc datas, etiamſi Epiſcopali, Archi-Epiſcopali aut alia majori Eccleſiaſtica ſivè ſæculari dignitate præfulgeat: quia Epiſcopis ex licentia id non competit; ſed ex officio: deinde, quia ordinariè inquiſitores & eorum commiſſarii excipiuntur; ubi autem officium inquiſitionis non eſt inſtitutum, aut aliter debite ſuper hoc proviſum, Epiſcopi cenſentur inquiſitores &, ut dictum eſt, lectio ac examen dictorum librorum pertinet ad officium Epiſcoporum, ſemperq; in Eccleſia pertinuit, ut ex antiquis canonibus & Conciliis conſtat. Unde eſt illud Concilii Carthaginenſis IV. Can. 16. allegato à Gratiano diſt. 37. *Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem perlegat pro neceſſitate aut tempore*. Quod in Belgio maximè neceſſarium eſt ob hæreticos libros ſuos vernaculo ſermone in vulgus ſpargentes, prout vidimus occupato Trajecto fieri in tota vicinia.

Conc. Carthag. 4 Can. 16.

Dubium II.

Quid per libros hæreticos intelligatur?

RAtio dubitandi eſt propter chartas, epiſtolas ſparſas, quaterniones, quæ librum non conſtituunt & quorum lectio non videtur ex vi verborum prohiberi.

Quid de chartis, Epiſtolis, quaternionibus, &c.

Reſpondes primò: peccare mortaliter qui quaterniones, chartas, epiſtolas, &c. Hæreſim continentes vel de fide ac religione tractantes ab hæreticis quibuſvis compoſitas, ſive ſint manuſcriptæ, ſive impreſſæ, legunt. *Ratio eſt*: quia eſt contra præceptum divinum naturale, adjuncta Eccleſiæ mente & declaratione, ob periculum cui legentes moraliter ſe exponunt; parum enim refert ſi hæreſes in chartis aut

aut ſparſis epiſtolis legant, an in voluminibus & libris; cùm ſit æquale periculum, nec aliquid addat volumen vel liber aut impreſſio ad rationem periculi, unde & in Concil. Trident. ſeſſ. 4. Qui ſcripto libros evulgant abſque approbatione, iiſdem pœnis ſubjiciuntur, quibus illi qui eos imprimunt, aut impreſſos evulgant.

Reſpondeo ſecundò. Eos qui chartas aut epiſtolas ſparſas (quæ libri partes non ſunt) hæreſim continentes legunt, quamvis mortaliter peccent, præcisè tamen vi Bullæ Cœnæ excommunicationem in legentes libros hæreticorum fulminatam, non incurrere; *Ratio eſt*: Quia ſimilia verè librorum appellatione non veniunt, cùm libri non ſint nec per ſe librorum partes. Leges autem pœnales in rigore verborum interpretandæ ſunt, non ampliandæ.

Dixi (*excommunicationem in legentes libros hæreticorum fulminatam*) poſſent enim incurrere excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra credentes hæreticis aut eorum fautores, receptores, aut defenſores: ſi nimirum chartas, epiſtolas, tractatus hæreſim continentes ab eis recipiant, vel ex iis inſtruantur, aut ea aliis communicent, aut in vulgus ſpargant: his enim modis convincuntur credere, aut favere hæreticis in cauſa hæreſeos.

Dixi (*quæ libri partes non ſunt*) ſi enim libri partes ſint, etſi per accidens à libro ſint diviſæ aut reſciſſæ, illas legentes excommunicationem incurrunt: quia pars libri ad librum refertur.

Dubium 3.

An ſub legentibus libros hæreſim continentes, comprehendantur qui ſcienter & à propoſito legentes audiunt, etſi ipſi non legant?

Quid de audiente legentem librum hæreticum.

RESpondeo, præcisè non contineri: quia reverà non legunt; peccare tamen mortaliter, quia eodem periculo cum legentibus ſe exponunt.

Dixi iterùm (*præcisè*) nimirum ex vi verborum legis, quia pœnæ non ſunt ampliandæ: cavendum tamen eſt iterum ne ſub credentibus aut fautoribus hæreticorum alia ratione comprehendantur (ut dubio præcedenti monui) ad lectionem verò libri hæretici, ad hoc ut excommunicatio incurratur, ſufficit illum viſu percurrere, modò id quod in libro ſcriptum eſt, intelligatur, etſi verba non efformentur aut pronuntientur. Illa enim eſt formalis lectio quæ ſola requiritur ad hauriendam doctrinam hæreticam.

Dixi (*modò id quod ſcriptum eſt, intelligatur*) qui enim legeret librum hæreticum idiomate ignoto conſcriptum, ſicut (ut alias docui) non peccaret mortaliter, ſic multò minùs cenſetur excommunicationem incurrere.

Dubium 4.

Qui dicantur libros hæreticorum retinere, ad hoc ut excommunicationem incurrant?

Duplex librorum retentio.

ADvertendum eſt: aliquem poſſe dici dupliciter librum hæreticorum penes ſe retinere, Primò *materialiter*, utpotè, ad ornatum, antiquitatem, mercaturam, ob materiam, artem, characterem, picturas, elegantiam, &c. Secundò *formaliter*; ad lectionem vel conſervationem in ſui vel alterius gratiam, His ſic prænotatis.

Libri hæretici non retinendi etiam ad ornatum.

Reſpondeo, nullatenus licere alicui perſonæ ſingulari abſque facultate ſedis Apoſtolicæ, aut eorum ad quos ſpectat, retinere penes ſe libros hæreticorum hæreſim continentes aut de religione tractantes, ne quidem materialiter & ad ornatum vel aliam quamcumque cauſam, etiam eos confutandi; adeoque quiſquis hujuſmodi libros penes ſe quovis modo retinuerit, excommunicationem tum in decretis pontificum, tum in Bulla Cœnæ Domini contentam incurrit. Ita Julius III. in Bulla quæ incipit: *cum meditatis*, quàm confirmavit, innovavit ac ampliavit Pius IV. in Bulla quæ incipit: *cùm pro munere*; quæ eſt 76. in Bullario Romano. *Ratio verò eſt*: quia eorum librorum aſſervatio eſt ſemen quoddam perfidiæ & hæreſeos, ac occaſio continua ſivè præſentibus ſivè poſteris illos legendi, & virtualis quædam aſſervatio perfidæ doctrinæ, quæ omnibus modis ab Eccleſia tolli debet. Unde exemplo Apoſtolorum ſemper in Eccleſia obſervatum fuit, & pontificum ac imperatorum decretis firmatum, etiam aliquando ſub pœna mortis: ut libri hæreticorum igni traderentur, ut de Conſtantino Magno teſtatur Nicephorus lib. 8. cap. 25. Qui Arii libros ſub pœna mortis ubicumque reperti fuiſſent, comburi præcepit. Similia edicta ediderunt Theodoſius 1. & Valentinianus: quæ referuntur in 5. Synodo Conſtantinopolitano. Et in Calcedonenſi Concilio Generali IV. act. 3. inſerta eſt Epiſtola Valentiniani & Martiani Imperatorum ad Palladium præfectum Orientis, quâ mandant hæreticorum quorumcumque ſcripta, ubicumque reperta fuerint, ignibus concremari: eos verò, qui vel ſcripſerint vel aliis legenda tradiderint docendi ſtudio vel diſcendi, deportatione puniri: Ratio vero harum prohibitionum & tanti rigoris in prætatis edictis, additur, *ut improba doctrina abrogetur, nec monumentum quidem aliquod ejus relinquatur*: ita in edicto Conſtantini. In altero verò Theodoſii: *ut per hoc radix impietatis amputetur, ne in poſterum erroris ſemina generentur ad errorem ſimplicium, quæ facilè ad illius laqueos collabuntur*. In edicto autem Valentiniani & Martiani: *ut materia ſubtrahatur erroris*. Conſtat porrò retentionem etiam materialem ad ornatum, mercaturam, theſaurationem, ratione

aliis,

artis picturarum,&c.ſemper in ſe continere ſemen erroris,in quorumcumque manus tandem perveniant.

Dixi (*Nullatenus licere alicui perſonæ ſingulari*) licebit enim interdùm Univerſitati, Collegio, Conventui,aut Monaſterio, ubi Theologica exercitatio vigere, ac ubi Doctores & Theologi graves reperiri ſolent,qui facultatibus à S. Sede obtentis,libris hæreticorum legendis & confutandis præfici, & inſudare ſolent: ea enim de cauſa conſueverunt libri hæreticorum ſub publica cuſtodia ſervari, ne in manus incautorum deveniant.

Dixi (*abſque facultate S. Sedis apoſtolica*) qui enim facultatem habent libros legendi, etiam durante dictâ facultate, poteſtatem retinendi libros præfatos habere cenſentur, prout & in Facultatibus Pontificiis continetur, in quibus ordinariè dicitur: ut Catalogus librorum Ordinario loci conſignetur,& facultate finita,vel eo qui facultate gaudet moriente, libri eidem Ordinario conſignentur ne in aliorum manus deveniant,ſed opportonè igni tradi poſſint.

Nota. Ex quo etiam *colligo*: eum qui libros hæreticos habet apud ſe,ut eos opportunè Ordinario loci,aut Inquiſitoribus, aut habenti facultatem illos legendi tradat,nec peccare, nec excommunicationem incurrere,quia verè libros illos non cenſetur moraliter retinere, cùm ſupponatur in voluntate efficaci eſſe eos opportunè perſonis legitimis conſignandi: caveudum tamen eſt ſemper ne ex nimia tergiverſatione & mora in incautas manus deveniant.

Dubium V.

Quid de librorum indice Romano prohibitorum lectione vel retentione?

Triplices libri prohibiti. TRiplices libri in indice Romano continentur: aut enim ſunt hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, aut contra bonos mores materias inſolentes, temerarias, aut inutiles complectuntur;libri autem illi aut abſolutè prohibentur, aut ſub conditione aliqua, utpote, donec expurgentur aut revideantur, & publica cenſura approbentur.his ſuppoſitis,

Reſpondeo primò legentes aut retinentes libros prohibitos propter hæreſim, præter peccatum mortale excommunicationem incurrere,ſi abſolutè prohibiti ſint: patet tum in Bulla cœnæ Domini,tum in indice Romano. Prior tamen excommunicatio Bullæ eſt reſervata, non poſterior indicis.

Dixi(*ſi abſolutè prohibiti ſint*) ſi enim non ſint abſolutè prohibiti, ſed cum clauſula,*donec expurgentur*, retineri poterunt, modò non legantur,donec à perſonis ad hoc conſtitutis correcti ſint & legitima cenſura emendati.

Libri ſuſpecti prohibiti. *Reſpondeo ſecundò*, libros ſimiliter de hæreſi ſuſpectos, ſive propter ſuſpicionem hæreſeos prohibitos,niſi ſuſpicionem eluerint, non licere legere ſub peccato mortali, nullam tamen lego excommunicationem latam ubi ſola eſt de hæreſi ſuſpicio. Suſpicionem autem hæreſeos incurrunt illi libri,qui continent propoſitiones hæreſin ſapientes;malè ſonantes,temerarias vel ſcandaloſas, ex quibus error naſci aut inferri poteſt; qui termini ut intelligantur, *advertendum eſt*; illam *propoſitionem* dici *hæreſim ſapere*,ex qua, etſi per evidentem conſequentiam hæreſis inferri nequeat, per conſequentias tamen probabiles & moraliter certas deduci poteſt. *Propoſitio hæreſim ſapiens quæ?* illa autem *propoſitio* dicitur *male ſonans*, quæ etſi ſenſum duplicem patiatur,Catholicum nimirum & hæreticum, frequentius tamen in ſenſu hæretico accipi conſuevit: *Quæ malè ſonans.* *Propoſitio temeraria* nuncupatur, quæ in rebus fidei & morum apertè terminos rationis & auctoritatis legitimæ excedit. *Quæ temeraria.* Tandem: illa *propoſitio* dicitur *ſcandaloſa*: quæ alicui poteſt eſſe cauſa errandi vel de fide malè ſentiendi, ſive quæ ex ſui ratione alicui offendiculum erroris in rebus fidei vel morum ſubminiſtrat. *Quæ ſcandaloſa?*

Reſpondeo tertiò,ad hæreticorum libros reduci libros Aſtrologiæ judiciariæ Tamuldicos, Cabaliſticos & alios nefarios hæreticorum libros,quos ſimiliter legere aut penes ſe retinere nemini licet ſub peccato mortali & aliis pœnis de quibus Clemens VIII. Conſtit. 20. & noviſſimè SS.D N.Urbanus VIII.conſtit. 13.& 14.in Bullario Romano.

Libri prohibiti. *Reſpondeo quartò*; libros in indice Romano abſolutè prohibitos legentes & retinentes etiam peccare mortaliter, etiamſi propter hæreſim vel ejus ſuſpicionem non ſint prohibiti,ſivè ſint hæreſiarcharum libri de materia planè indifferenti aut moraliter bona tractantes, qui ob perſonarum abominationem prohibentur, ſive ſint libri materias inhoneſtas, perniciosas, ſcandaloſas, aut malè ſonantes in materia morum & virtutis continentes: conſule regulas indicis.

Dixi iterum(*abſolute prohibitos*)quia ut ſuprà ſi eorum correctio aut expunctio aut emendatio ſit indulta,poſſunt retineri donec opportunè emendentur. Qualiter verò & à quibus ſint corrigendi,regulæ indicis præſcripſerunt: non enim particulari auctoritate corrigi poſſunt, ſed publica ſecundùm formam à ſummis Pontificibus ordinatam.

Dubium VI.

Quid dicendum ſit de lectione Bibliorum lingua vulgari, controverſiarum fidei, ac diſputatione cum hæreticis?

Prohibitiones diverſæ. HOc dubium addo ob nonnullas prohibitiones in indice Romano & aliis de[illegible]is Pontificum ac Conciliorum contentas.

Prima. *Prima*, ne quis ſub peccato mortali legat Biblia lingua vernacula conſcripta ſive tranſlata, abſque facultate eorum ad quos ſpectat illam elargiri:ut ſunt Epiſcopi, Inquiſitores, Parochi,Confeſſarii, ſuperiores Regulares reſpectu ſubditorum:quæ licentia in ſcriptis obtineri debet. Ita habetur in regulis indicis.

Secunda. *Secunda.* Ne quis laicus ſub peccato mortali legat controverſias contra hæreticos ſcriptas linguâ volgari editas, niſi ſub iiſdem facultatibus & modis quibus permiſſum eſt Biblia vernacula legere: vide *ibidem*.

Tertia. *Tertia* prohibitio eſt: ne quis laicus de fide cum hæreticis præſumat publicè vel privatim diſputare ſub pœna excommunicationis, ut habetur *c. Quicumque. tit. de hæreticis in 6.*

Reſpondeo itaque primò, has tres prohibitiones fundatas eſſe in periculis errorum, quæ ex contrariis actibus naſci ſolent.

Et quidem *primò* de Bibliis vernaculis non legendis à laicis abſque licentia: fundamentum illius prohibitionis ſumitur. Primò, ex ipſa Bibliorum in vulgarem linguam translatione, quæ cùm ſit difficilis, & à primariis linguis hebraica, græca, & latina in proprietate verborum multùm differat, pluribus erroribus ſubjacet, & hæreticis ſuos inſinuandi errores occaſionem præbuit: ita ut admittenda non ſit, niſi benè examinata à Catholicis & orthodoxis univerſitatibus, adeoque non permittenda, niſi debito examine Epiſcoporum & eorum, qui ad hoc ſunt ab Epiſcopis commiſſi: præterquàm enim quod hæretici paſſim antiquas verſiones vulgari lingua editas corruperint, etiam nonnulli Catholici translatores periculoſiſſimè in verſionibus ſuis declinaverunt, ut Renatus Benedicti in ſua gallica translatione & alii. Nec mirum, cùm & ſanctus Petrus epiſtola 2. capite 3. dicat in epiſtolis ſancti
2. Pet. 3. 16 Pauli: *Quædam eſſe difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Scitum eſt illud: Eſdram legem reſtauraſſe ex antiquiſſimis codicibus, eo quod Samaritæ & alii Hebræorum hæretici illas depravaſſent in translationibus linguâ Syriacâ & peregrinâ factis: ita ut dum lex ex antiquo codice publicè legeretur, interpretibus opus eſſet & populus ad fletum commoveretur, ut habetur 2. *Eſdræ* 8. Et de invento originali libro legis vide præclara 4. Regum 22. Quinimò traditum eſt Eſdram characteres antiquos hebræos mutaſſe in reſtitutio-
Nota. ne libri legis, ne in corruptis antiquorum characterum bibliis deinceps populus legere poſſet; ſed ad genuinam litteram rediret. Et vulgare eſt illud: apud Judæos prohibitum fuiſſe omnibus ante annum ætatis 30. legere libros Regum: Geneſis, Cantica Canticorum, & caput primum Ezechielis, ob difficultates non niſi ſolidis ingeniis penetrabiles. Quæ omnia refero ut ſciant omnes: non ſine cauſa prohiberi laicis & ſimplicibus lectionem bibliorum vulgari linguâ. Nec deeſt ratio ex parte legen-
Cur Biblia vernacula prohibita. tium, qui cùm abſque ſtudio ſcripturas intelligere nequeant, rationabiliter ipſis prohibetur vernacula lectio abſque interprete; ne facilitate verborum deluſi, ſuas imaginationes præponant veritati, & ad voluntatem ſuam (ait ſanctus Hieronymus) Scripturam trahant repugnantem, dum quâdam facilitate verborum imò audaciâ ediſſerunt aliis quod ipſi non intelligunt. Sanè non immeritò conqueritur S. Hieronymus in prologo bibliorum ad Paulinum: quod ſola ſcripturarum ars ſit quam omnes ſibi vendicant. *Hanc* (inquit) *garrula anus,* S. Hieron. in Prol. Bib. ad Paulin. ante med.
hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant, &c. Prohibet igitur Eccleſia lectionem bibliorum vernaculorum, non quia non ſit bona & ſancta in ſe; ſed quia infirmitas ingenii humani interpretatione Doctorum prævenienda eſt: *Nunquid enim* (ait Apoſtolus) *omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* &c. *Alii*, utique, *datur* 1. Cor. 12. v. 29. 30.
ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii interpretatio ſermonum.

Quid de controverſiarum libris vernaculis. *Secundò*, quod ſpectat ad controverſias vernaculo ſermone conſcriptas, non eſt idiotarum & ſimplicium illas legere: ne dum argumenta & rationes hæreticorum legunt, eorum ſpiritum imbibant: contingit enim quibuſdam ut *quæcumque quidem ignorant, blaſphement: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia* Judæ epiſtol. v. 10.
norunt, in his corrumpantur, ac illecebris verborum & rationum naturalium, quæ ab hæreticis proferuntur allecti, credant mortiferis ſermonibus: quia *animalis homo non percipit ea quæ ſunt* 1. Cor. 2. v. 14.
ſpiritus Dei.

Quid de diſputationibus cum hæreticis. *Tertiò*, diſputationes cum hæreticis etiam meritò laicis & indoctis prohibentur, quæ vix doctis aliquando permiſſæ ſunt. Quibus enim armis hæreſes oppugnabunt, qui in ſcripturarum, Conciliorum & Patrum lectione inexercitati ſunt? qui vix ea penetrant quæ ſcire tenentur? præterquam quod (teſte S. Auguſtino epiſt. 174. ad Paſcentium Comitem) *Hæretici ſoleant latebras ſuæ malæ defenſionis inquirere, qui* S. Auguſt. epiſt. 174. ad Paſcent. Com. in initio.
contentionis ſunt cupidiores, quam veritatis, &c. & infrà ante med. *Qui cum arripiunt defenſionem cuiuſque opinionis, & ab ea vel nunquam, vel difficilè deflectuntur, dum docti atque ſapientes magis putari, quàm eſſe concupiſcunt,* &c. Præclara vero eſt doctrina Tertulliani lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos, ubi oſtendit quàm ſit periculoſa & inutilis collatio de rebus fidei noſtræ cum hæreticis. *Hæc* (inquit) *regula* (*utique fidei*) *à* Tertul. lib. de præſcrip. poſt initium.
Chriſto ut probabitur inſtituta nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt, &c. Infrà: *Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari: eſt utique frater aliquis Doctor, ſcientiæ gratia donatus: eſt aliquis inter exercitatos converſatus: aliquid curioſius tecum tamen quærens noviſſimè ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris, quia quod debeas noſti,* &c. Et alia eruditè proſequitur & oſtendit hæreticos, eo ipſo quo quærunt, dubios eſſe & Catholicum cum hæreticis diſputantem, cum dubitantibus cenſeri debere: *Itaque tu* (inquit) Idem.
qui proinde quæris, ſpectas ad eos qui & ipſi quærunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus à cæcis deducaris neceſſe eſt, &c.

Refertur etiam edictum Valentiniani & Martiani Imperatorum L. Nemo C. de ſumma Trinitate & fide Catholica, & actione 3. Concilii Calcedonenſis, ubi prohibetur omni ſtatui publica diſputatio de fide, impoſitis gravibus pœnis:

Concil. Calcedo. Act. 3. pœnis. *Quiſquis* (inquit) *poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaq; Clericus vel militaris vel alterius cujuslibet conditionis de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis & audientibus tractare conetur inpoſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens*, &c.

Reſpondeo ſecundò, etſi aſſignatæ prohibitiones juſtiſſimæ ſint & utiliter obſervandæ: non tamen ubiq; in tanto rigore peccati mortalis modò obſervantur; ſed attendenda eſt Regionum conſuetudo, quæ ob cauſas rationabiles aut prohibitiones illas non urſit, aut utiliter aliquid de earum rigore remiſit.

Sic in multis locis Belgii conſuetudo invaluit ut honeſtis quibuſdam laicis biblia vernacula legere permittatur diſſimulatione potiùs piæ tolerantiæ, quàm facultate & licentia expreſſa. (Nota.) Arbitror tamen Paſtores teneri ſub peccato mortali invigilare, & ſuper Bibliorũ quæ manibus teruntur editione, ne corrupta ſint, & ſuper qualitate legentium, ne curioſitate, imprudentia aut præſumptione venenũ inde hauriant, unde ſalutem haurire debebant. Undè Tertul. ſuprà (Tertul. ſup.): *Fides* (inquit) *tua te ſalvum faciet, non exercitatio Scripturarum. Fides in Regula poſita eſt, habet legem, & ſalutem de obſervatione legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio: cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.* Similiter: ob hæreticorum viciniam & permixtionem in Belgio ſicut permittuntur ab Epiſcopis controverſiæ nonnullæ idiomate vulgari imprimi, ſic permittuntur utiliter legi, ut in converſationibus civilibus Catholici cum hæreticis aliquando convenientes eorum verbis venenoſis non decipiantur, cùm ſciunt & legunt ipſos in controverſiis illis ab exercitatis convictos. Arbitror tamen in hoc etiam neceſſariam eſſe Paſtorum vigilantiam, nè inutiles aut pernicioſæ aliquæ controverſiæ vernaculo idiomate manibus ſimplicium terantur, qui curioſitate ducti magis attendunt quid hæreticus proponat, quàm quid Doctor Catholicus reſolvat & reſpondeat. In quo genere cavẽdæ ſunt controverſiæ, quæ nimis moroſè argumenta hæreticorum referunt, ita ut infirmus earum lector occaſionem lapſus accipiat, ſive ut illis malè utatur, ſive ut frequenter ob infirmitatem animi & cerebri, occaſione illorum in fide titubet. Melius ſanè foret aut cõtroverſiarum impreſſionem idiomate vulgari omninò prohibere; aut non niſi multo diſcretionis ſale conditas imprimere: quoad diſputationes verò, etſi in ſimilibus Regionibus, ubi cum hæreſi infectis agendum eſt, liceat interdum, imò teneantur Catholici ad reprimendam protervium hæreticorum quod de ſua fide ſciunt & ſentiunt aperto pectore edicere; omnis tamen altercatio per modum diſputationis & contentionis periculoſa eſt laicis & idiotis: & niſi doctrina ſpecialis perſonæ & exercitatio in dogmatibus fidei excuſet, vitandæ ſunt diſputationes illæ quantumvis privatæ: ideoq; qui ſe illis ingerit, juxta periculum quod ſibi vel aliis ex illis imminet, aut mortaliter aut venialiter peccat. Et hæc de illis ſufficiant, nos ad alia pergamus.

SECTIO V.

De dubio in fide.

QUÆSTIO I.

Quis cenſendus ſit dubius in fide?

CONCLUSIO UNICA.

Ille cenſetur in fide dubius, qui propoſita ſibi ſufficienter fide vel aliquo fidei articulo, voluntariè & deliberatè ſuſpenſus hæret, & de veritate fidei in ſeipſo diſputans, nulli parti propoſitionis contrariæ vel contradictoriæ ipſi fidei aſſentitur.

Dixi (*qui propoſita ſibi ſufficienter fide vel fidei articulo*) (Nota de dubitatione fidei.) ſi enim articulus fidei aut fides non ſit ſufficienter propoſita, tunc non tam dicitur dubius de fide, quàm, de propoſitione quam non putat eſſe fidei: aliud eſt enim dubitare de aliqua propoſitione ſimpliciter, an ſit vera vel falſa? non determinando, an ſit fidei materia vel non? aliud eſt dubitare de propoſitione, quæ habetur tanquam vera de fide. Unde nullus cenſetur dubius in fide, niſi qui fidei jam nomen dedit, ſive cui fides ſub certitudine propoſita priùs fuit.

Dixi (*qui voluntariè & deliberatè ſuſpenſus hæret*) ad excludendas anxietates animi, turbationes, altercationes cogitationum variarum, ſive ſint in imaginatione ſive in intellectu: quæ homini in rebus fidei contra voluntatem accidunt vel à diabolo immittuntur: *Item*: quæ in primis & ſecundo primis motibus eveniunt ante ſufficientem deliberationem. Quod advertere debent tum confeſſarii, tum pœnitentes ſcrupuloſi & timidi, qui omnes motus imaginativæ & dubietates in illis apparentes variis propoſitionibus excitatas à dæmone vel proprio genio, dubia putant: ſunt autem merè tentationes, quæ tantùm abeſt ut ſint peccata, quin potiùs ſunt materia & ſeges magni meriti & patientiæ.

Dixi (*& de veritate fidei in ſeipſo diſputans*) nam ut ſuperiùs notavi, diſputatio ſive dubietas mentis debet verſari circa propoſitionem, ut eſt, vel ut proponitur eſſe de fide ſive pertinere ad veritatem & certitudinem fidei.

Dixi (*nulli propoſitionis contrariæ vel contradictoriæ parti aſſentitur*) ſi enim aſſentiretur alterutri, jam dubius non eſſet, ſed vel Catholicus eſſet ſi firmiter veritati fidei propoſitæ aſſentiretur, vel hæreticus ſi contrariæ parti: quod ſi alterutri aſſentiretur cum formidine aliqua oppoſiti, opinoſus eſſet contra fidei veritatem vel ejus infallibilitatem, quæ opinoſitas ad hæreſim declinat.

* * *

QUÆSTIO II.

An dubius in fide cenſendus ſit hæreticus, & hæreticorum pœnas incurrat?

Stephan. Papa Tit. de hæret. cap. Dub. Ratio dubitandi ſumitur ex *tit. de hæreticis ca. Dubius* ubi Stephanus Papa omnibus Epiſcopis ſic ſcribit; *Dubius in fide infidelis eſt, nec eis omninò credendum eſt, qui fidem veritatis ignorant.*

CONCLUSIO I.

Dubius de fide mortaliter peccat. *Dubius in fide peccat mortaliter contra fidem, ſive fidei præceptum.* Ratio clara eſt: quia fides eſt aſſenſus firmus alicujus veritatis revelatæ ob veritatem primam revelantem: conſtat autem dubium in fide firmitati & infallibilitati fidei culpabiliter reſiſtere & contradicere, quia ſuſpenſo animo titubat, & veritati revelatæ ſibi ſufficienter propoſitæ non aſſentitur, ut quæſtione præcedenti explicatum eſt.

CONCLUSIO II.

Dubius in fide, hæreticus non eſt: Ratio eſt: quia hæreſis eſt error pertinax contra veritatem aliquam revelatam, ita ut hæreticus pertinaciter veritati revelatæ contradicat, & ipſius contrario aut contradictorio aſſentiatur; qui verò eſt dubius in fide, non tam contradicit veritati revelatæ, quam revelationis infallibilitati & certitudini, cum contradictoriæ ſive contrariæ parti nō aſſentiatur; ſed ſuſpēſus maneat: Unde illa dubietas ab hæreſi ex duplici capite Dubietas in fide qualiter ab hæreſi differat? diſtinguitur. *Primò*, ex eo quod hæreſis ſit error contradictorius vel contrarius ipſimet veritati fidei: dubietas autem opponatur ſoli ejus infallibilitati & certitudini. *Secundò*, quia hæreſis neceſſariò pertinaciam adjunctam habet; dubietas nequaquam, ſed tantùm vacillationem ſive inconſtantiam mentis.

Ad rationem itaque dubitandi *dicendum eſt:* dubium in fide verè à Stephano Papa dici infidelem; quia contra fidei firmitatem & ſtabilitatem peccat, & conſequenter contra fidem: Undè benè infidelis & errans dicitur: hæreticus autem propriè dici non poteſt: quia deeſt illi electio partis contrariæ vel contradictoriæ ipſi fidei cum pertinacia.

Dices: qui dubius eſt, quantùm in ſe eſt, negat fidem ſeu fidei articulum: qui enim deſtruit infallibilitatem fidei, deſtruit fidem. *Reſpondeo*, fidem deſtruere, non tamen negare: negatio enim dicit electionem & aſſenſum partis contrariæ vel contradictoriæ ipſi fidei: dubius autem ſuſpenſus eſt, nec habet aſſenſum ad alterutrum: undè benè *infidelis* dicitur, quia deſtruit fidei firmitatem & conſequenter à fide errat, non errore poſitivo & determinato, ſed negativo & ſuſpenſo.

CONCLUSIO III.

Dubius in fide, etſi intrinſecus ſuam dubietatem aperiat, non incurrit pœnas hæreſeos ſive hæreticis decretas. Ratio eſt: quia (ut dixi) etſi contra fidem mortaliter peccet, non eſt tamen hæreticus. Unde ei applicari poteſt illud S. Auguſtini. *Errare poſſum, hæreticus non ero.* S. Auguſt.

Adnotatio.

Quomodo verò diſtinguantur dubia ſpeculativa à practicis dubiis, & dubia vera ab apparentibus; ſive: quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circa timidos, anxios, tentatos, ſcrupuloſos & afflictos in his dubiis, vide quæ diximus in *primo Tomo* de voluntario, conſcientia dubia, conſcientia ſcrupuloſa, &c. qualiter etiam Apoſtata à fide diſtinguatur ab hæretico, ſufficienter inſinuatum eſt, dum diffinitionem hæreſis & hæretici ſuprà explicavimus nec hic alicujus momenti occurrit repetendum. Cùm enim Apoſtata à fide dicatur homo baptizatus, qui ex toto vel ex parte fidem Catholicam deſeruit: quovis modo deſerat, & fidei orthodoxæ nuntium remittat, hæreticus eſt & pœnas hæretici incurrit, quia ſectæ fidei contrariæ cum pertinacia adhæret: ſi tamen ex toto deſerat, neceſſe eſt, ut ad Paganiſmum vel ad Judaiſmum, vel ad Atheiſmum declinet, & ita infidelium illorum pœnas & notas incurrit: ſiverò tantùm ex parte à fide aberret, eorum, qui ad aliorum diſtinctionem hæretici dicuntur, particeps eſt tum in peccatis, tum in pœnis. Plura igitur de his diſputare ſuperfluum arbitror, concurrit enim omnis doctrina de Apoſtatis cum iis, quæ de ſingulis infidelium membris aut de aliquo ſigillatim ex illis ſunt dicta. De Apoſtaſia à fide.

SECTIO VI.

De peccatis quæ committuntur contra Confeſſionem externam fidei.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Confeſſio externa fidei, & qualiter obliget?

CONCLUSIO I.

Confeſſio externa fidei nihil eſt aliud, quàm illius manifeſtatio ſigno aliquo externo ad hoc ſingulariter ordinato, comprobata.

Dixi (*manifeſtatio*) ut diſtinguatur contra internam fidei confeſſionem, & eam quæ fit in occulto.

Dixi (*ſigno aliquo externo ad hoc ſpecialiter ordinato, comprobata*) ſicut enim ſignum internum ad confeſſionem externam fidei impertinens & inutile eſt, ſic & ſignum aliquod externum & commune quod non eſt ſingulariter ad fidei confeſſionem ordinatum; multa enim ſunt ſigna communia religionis quæ hæreticis & fidelibus ſunt communia; ut ſunt genuflexiones, adorationes, orationes dominicæ ac Symboli Apoſtolorum recitatio, &c. quæ, niſi ſingulari ſigno determinentur ad Catholicæ & orthodoxæ fidei manifeſtationem, inutilia ſunt ad fides

Con-

confeſſionem inter hæreticos hujus temporis.
Signa itaque manifeſtativa fidei ſunt verba, a-
ctiones, opera, quæ ad fidei confeſſionem ſive
manifeſtationem externam ordinata ſunt, ſivè
quæ fidem ſigillatim & expreſſe illa videntibus
aut percipientibus ſolent manifeſtare, ac per-
ſonam his ſignis utentem Catholicam & Or-
thodoxam oſtendere, ex quacunque radice vel
inſtitutione ſignum illud procedat.

CONCLUSIO II.

Confeſſio fidei externa. T*Enetur omnis Catholicus ſub pœna peccati morta-
lis tempore debito fidem ſuam exterius confiteri.*
Rom. 10. v. 10. Concluſio patet ex Scripturis ad Rom. 10. *Corde
creditur ad juſtitiam, ore autē confeſſio fit ad ſalutē*;
ubi ſub oris confeſſione omnis externa confeſ-
ſio intelligitur, tamquā ſub principaliori ſigno
expreſſivo, quod eſt verbum oris. Luc. 12. *Omnis
Luc. 12. 8. quicunq; confeſſus fuerit me coram hominibus & filius
hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. qui aute
negaverit me coram hominibus, negabitur coram An-
gelis Dei.* Matt. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me
Matth. 10. v. 15. 33. coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre
meo qui in cœlis eſt; qui autem negaverit me coram ho-
minibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in
Luc. 9. verſ. 26. cœlis eſt:* & iterum Luc. 9. *qui me erubuerit & meos
ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet cùm venerit
in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.*

In quibus quidem Scripturis primò oſtendi-
tur poſitiva fidei & Chriſti profeſſio externa ad
ſalutem neceſſaria: *Ore* enim (ait Paulus) *fit con-
Rom. 10. v. 10. 9. feſſio ad ſalutem*. Et ibidem: *Si confitearis in ore tuo
Dominum Ieſum & in corde tuo credideris quod Deus
illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris*, q. d. ſi non
confiteatis nec credideris, ſalvus eſſe non po-
teris. Secundò declaratur duplex *Negatio* Chri-
Duplex fidei negatio. ſti & fidei; altera *poſitiva*, quâ per actum poſiti-
vum externum Chriſtus aut ſermones ejus, ſive
fidei aliqua veritas negatur: altera *negativa* ſivè
privativa, quâ, etſi quis Chriſtum aut ejus ſer-
mones non neget, illum tamen & veritatem fi-
dei confiteri non audet; quod declaratur per
verbum (*Erubuerit*) ille enim dicitur erubeſce-
re, non qui negat; ſed qui ex aliqua verecundia
tacet, cùm confiteri oportet. De quibus poſtea.

QUÆSTIO II.

*Quando quis teneatur fidem extrinſecus po-
ſitivè confiteri ſub peccato mortali?*

R*Eſpondendum eſt*: præceptum de fide exte-
riùs confitenda partim affirmativum eſſe,
partim negativum: affirmativum quidem, ex
eo quod poſitivam confeſſionem fidei mandet:
Negativum verò, ex eo quod negationem fidei
prohibeat. Igitur qua negativum eſt, ad ſemper
& pro ſemper, id eſt, pro omni tempore obli-
gat; nunquam enim licet fidem negare; qua ve-
ro affirmativum eſt, etſi ad ſemper obliget, non
tamen pro omni tempore. Quæritur igitur quo
tempore confeſſio fidei obliget?

CONCLUSIO I.

Fidei proteſtatio indirecta. T*Oties tenetur quis poſitivè confiteri fidem, quoties
tenetur ſignum externum fidei proteſtativum aut
edere, aut ſubire.* Hæc Concluſio clara eſt: cùm e-
nim Sacramenta, Sacrificium Miſſæ, Solemni-
tates, Feſta, & id genus alia ſint in ſuo uſu ſigna
proteſtativa fidei: quandocunque quis tenetur
Sacramenta conficere aut adminiſtrare, vel ſu-
ſcipere. *Idem*: quandocumq; quis tenetur cele-
brare ex præcepto, aut Miſſæ Sacrificio intereſ-
ſe; denique ſolemnitates a Deo vel Eccleſia in-
ſtitutas obſervare, tunc tenetur fidem extrinſe-
cè confiteri: proteſtatio enim fidei noſtræ ita ex
natura rei his ſignis ſacris eſt conjuncta, ut ſe-
parari nequeat ab his actibus prout ſunt actus
Religionis & divini cultus. Sed hæc eſt indire-
cta fidei proteſtatio, quæ tantùm ſecundario &
concomitanter intenditur, non autem primariò
& immediatè. Qui tamen ab hujuſmodi, dum
præceptum urget, ſepararet poſitivè intentio-
nem fidem confitendi, mortaliter peccaret: a-
ctum enim Religionis ad quem ex præcepto te-
netur, deſtrueret, ut dicemus infra cùm de vir-
tute Religionis agemus.

CONCLUSIO II.

Q*Vandocumque honor Deo debitus, fidei Catholicæ
confirmatio, aut propria ſivè etiam proximi ſa- *Fidei Confeſſio directa quando obligat*
lus urgent, tunc omnis Catholicus tenetur fidem ex-
trinſeco ſigno vel opere confiteri.* Hæc Concluſio in
ſe continet Regulam generalem: ſic verò de-
claratur.

Primò, Itaque honor Deo debitus & fidei Ca-
tholicæ confirmatio urgere cenſetur, cùm pro
loco & tempore dictus honor promovendus
eſt, aut ob præſentes circumſtantias pericli-
tatur, utpotè, ne blaſphemetur nomen Domini
& Chriſti ejus ac doctrina fidei. Pro quo *adver-
tendum eſt*: omnem hominem, qui nomen Chri-
ſto dedit in Baptiſmo, implicito juramento fi-
delitatis ſe obligaſſe Chriſto ad ejus fidem con-
ſervandam, tuendam, confitendam, & pro Chri-
ſto & ejus honore moriendum, de quo juramē-
to eleganter S. Hieron. Ep. ad Heliodorum de
laude vitæ ſolitariæ. *Recordare* (inquit) *Tyrocinij* S. Hier. Epiſt. ad Heliod. de laude vitæ ſolitariæ.
*tui diem, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus in
Sacramenti verba jurasti*, &c. cui conforme eſt il-
lud Apoſtoli 1. ad Timoth. 6. *Certa bonum certa-* 1. Tim. 6. verſ. 12.
*men fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus
es & confeſſus bonam Confeſſionem coram multis te-
ſtibus*. Et ibidem: Apoſtolus vocationem ad fi-
dem, vocat: *Mandatum ſine macula irreprehenſibi-
le* quod ſervari præcipit: Et iterùm ibidem: vo- Ibid. v. 14. 20. &c.
cat *Depoſitum*: *O Timothee* (ait) *depoſitum cuſto-
di devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones
falſi nominis ſcientiæ*. Et c. 4. de ſeipſo loquens: *Bo-* 2. Tim. 4. v. 7.
num (ait) *certamen certavi, curſum conſummavi, fi-
dem ſervavi*: Unde & à d. Heb. c. 3. Chriſtum nun- Hebr. 3. v. 1.
cupat *Apoſtolum & Pontificem noſtræ Confeſſionis*.
Ex quibus omnibus obligationem omnium
Chriſtianorum ad confitendum fidem Chriſti
(ubi honor Dei urget) ſic *deduco*: Qui jura-
mento fidelitatis ſe Regi in militia vel ali-
quo miniſterio obſtrinxit, teneatur illud ſer-
vare etiam ſub pœna mortis & capitis; at-

 qui

qui quilibet Chriſtianus ſe juramento fidelitatis in Baptiſmo obſtrinxit ad Chriſti fidem confitendam, conſervandam, & quolibet modo pro ſua quiſque capacitate & conditione tuendam; ergo ubi honor Chriſti & confirmatio fidei urget, tenetur fidem confiteri; etiamſi pœna mortis corporalis immineat. Unde eſt illud Luc. 9.

Luc. 9. 26

Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua & Patris & ſanctorum Angelorum. Ubi *primò* nomen (*erubuerit*) non modò negationem, ſed & taciturnitatem, diſſimulationem & quamvis occultationem, quæ ex aliquo humano reſpectu & timore fit, deſignat. *Secundò*, energicè addit (*me & ſermones meos*) ut duplicem denotet confeſſionis hujus obligationem, nimirum: ut quis confiteatur Chriſtum, ſive ſe Chriſtianum & Catholicum eſſe; deindè ut confiteatur omnem Chriſti doctrinam quæ de fide eſt, & ut talis in Eccleſia Chriſti recepta eſt: undè non minùs periculi & peccati eſt in caſu urgenti diſſimulare aut tacere ſive nolle confiteri propoſitionem Catholicam fidei orthodoxæ, quàm Chriſtum negare.

Quando urgeat Dei honor, &c.

Porrò urgere dicitur Dei honor & fidei confirmatio, *Primò*, reſpectu perſonarum & loci: quando quis à Judice, Magiſtratu, vel miniſtris juſtitiæ abſolutè ad fidem probandam, ſive ut ſciatur cujus fidei ſit, auctoritate publica interrogatur: an ſit Catholicus? vel, quid de aliqua propoſitione fidei ſentiat? ſive id fiat publicè ſive privatim: tenetur enim ſub peccato mortali fidem ſuam profiteri poſitivè abſque ambiguitate verborum & æquivocationibus: illo enim tempore de honore Dei & Chriſti tamquam capitis noſtræ fidei & confeſſionis agitur. Ita Petrus & Joannes fidem & virtutem nominis Chriſti confeſſi ſunt coram tribunali Judæorũ, Actor. 4. ubi de ſanatione claudi interrogati fuerunt: & cùm eis comminarentur, reſponderunt: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deum, judicate.* Et Paulus Actur. 14. coram Felice Præſide: *Confiteor hoc tibi, quod ſecundùm ſectam quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri & Deo meo credens omnibus, quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt.*

Act. 4. 19.
Act. 24. 14

Secundò: Honor Dei & fidei confirmatio urget, quando vel numen Dei vel doctrina fidei blaſphemiis & irriſionibus exponitur. *Explico:* In terris hæreticorum audio ſimplices aliquos idiotas Catholicos cum hæreticis de fide diſſerere, & ob incapacitatem ſuam, doctrinam fidei irriſioni & blaſphemiis exponere: teneor, ſi adſim & doctrinâ ſufficienti polleam, pro veritate fidei & doctrina illibata ſervanda, ſub peccato mortali, etiam cum periculo mortis decertare. Hoc enim fidelitas quâ obligor Chriſto & ejus ſermonibus à me poſtulat. *Ut* (ait Paulus ad Roman. 14.) *non blaſphemetur bonum noſtrum*, & ad Tit. cap. 2. *Ut non blaſphemetur verbum Dei.* Et 2. Pet. 2. *Ne via veritatis blaſphemetur.*

Ad Rom. 14 v 16.
Ad Tit 2. v. 5.
2. Pet. 2. 2.

Quod autem de honore Dei & fidei confirmatione dictum eſt, id etiam de Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ honore intelligendum eſt, ut ejus auctoritas & doctrina opportunè defendatur. Unde eleganter Dionyſius Alexandrinus Epiſtula ad Novatum. *Non eſt* (inquit) *inferior gloria ſuſtinere martyrium pro eo nè ſcindatur Eccleſia, quàm eſt illa ne idolis immoletur; imo ſecundùm meam ſententiam majus hoc puto martyrium: ibi namque unusquuque pro ſua tantùm anima, in hoc vero pro omni Eccleſia martyrium ſuſtinet.* Hæc ille: ſed concluſionem proſequamur.

Dionyſ. Alex. Ep. ad Novat.

Quando dicatur ſalus propria vel proximi urgere.

Principaliter: Tunc ſalus propria & proximi cenſetur urgere confeſſionem externam fidei in duobus caſibus. *Prior eſt*: quando defectu meæ confeſſionis ſalus mea aut ſalus proximi periclitaretur. *Ex. gr.* pro propria ſalute: ſi taceo & diſſimulo, cogar multa agere quæ ſunt contra conſcientiam, & ut plurimum graviſſima peccata mortalia. *Explico:* Joannes Catholicus ſervit domino hæretico: ſi ſe Catholicum eſſe diſſimuler, cogetur conventicula profana hæreticorum cum domino adire, conciones hæreticas audire, nefandæ eorum cœnæ intereſſe, denique in omnibus actibus hæreticis cum domino communicare. In hoc caſu tenetur ſe Catholicum profiteri, & ab omni miniſterio quod hæreſim ſapit, ſe ut Catholicum ſequeſtrare. Et ità in ſimilibus ubi aliquod periculum propriæ ſaluris ex obligatione confeſſionis fidei imminet, tenetur ſignu vel verbo fidem ſuam profiteri, ſi legitimum effugium aliundè non pateat, de quibus effugiis infra ſuo loco. *Exemplum aliud addo*: pro ſalute proximi: Petro viro alias docto & probo carnes in Feria 6. præſentantur in plurimorum ſive Catholicorum ſive Acatholicorum hæreticorum præſentia, qui ſciunt Petrum Catholicum eſſe: etſi comedere carnes in feria 6. non ſit ſignum infallibile hæreſeos (cùm ratione infirmitatis aut aliorum ciborum defectu interdùm legitimè comedi poſſint.) Quia tamen eſt obſervantia communis Catholicorum ut carnes in feria 6. non comedant, debet abſtinere & ſuâ illâ abſtinentiâ ſuam fidem profiteri (etiamſi aliàs cauſam haberet carnes comedendi.) ne aut ingerat ſcandalum præſentibus Catholicis, aut fidem ſuam inconſtantiæ & irriſioni exponat, dum hæretici præſentes cauſam cur comedat, non norunt aut noſſe nolunt. *Item:* Multa colloquia hæretica in conſortio præſente Petro Theologo miſcentur; ſi taceat aut corrideat, præſentes Catholicos ſcandalizabit & indè ſuæ fidei, & Catholicæ doctrinæ aut dubietatem aut inconſtantiam ſuſpicabuntur: hæretici autem defectum fidei Catholicæ & inſtabilitatem præſument ex ipſius taciturnitate aut diſſimulatione. Tenetur Petrus, etiam cum periculo vitæ, fidem ſuam confiteri & declarare. Doctrina hæc ſumitur ex ipſis rei fundamentis & Scripturis ſacris. In huc enim fundabatur confeſſio illa hæroica fidei & obſervationis Judaicæ Eleazari 2. Machab. 6. Qui non tantùm carnes porcinas quæ Judæis in lege prohibitæ erant, comedere reſpuit: ſed

etiam

etiam carnes quibus veſci licebat, ſibi per ſimulationem ex vana amicitia appoſitas ut videretur carnes porcinas comediſſe, recuſavit, cujus rationem dabat: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt* (inquit) *fingere, ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Obligationem verò hujus externæ Confeſſionis peccato mortali obnoxiam fuiſſe declarat, cùm ſubjungit: *Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar: ſed manum omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Fructum etiam hujus confeſſionis pro ſua & proximi ſalute exponit, dicens: *Quamobrem fortiter vitâ excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo, adoleſcentibus autem exemplum fortè relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro graviſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſtâ morte perfungar.* Exemplum ſanè ante Chriſti adventum pluſquam Chriſtiano pectore dignum. In hoc etiam fundabatur reprehenſio Petri facta a Paulo, de qua ad Galatas 2. Etſi enim legalia necdum eſſent quoad omnem uſum abrogata; ſed abroganda in proximo: reprehenditur tamen Petrus quod timens eos, qui ex circumciſione erant & à Jacobo ad eum venerant, ſeparaverat ſe à gentibus, cum quibus priùs communiter quæ apponebantur juxta Evangelium comedebat, & cùm huic ſimulationi multi conſentirent, fervore fidei Catholicæ accenſus Paulus reprehendit Petrum, non quia tunc peccaret, quandoquidem adhuc legalia cum Evangelio interdùm obſervarentur; ſed quia puritatem Evangelii etiam coram Judæis, ad ablegationem Legalium demonſtrandam actibus publicis non confiteretur; ſed illis timore humano contra publicam utilitatem nimis condeſcenderet. Undè fit

2. Mach. 6 v. 24. &c.

Ibidem.

Ibidem.

Regula generalis.

QVoties ex taciturnitate vel diſſimulatione alicujus oritur detrimentum ſivè etiam ſcandalum in cauſa Dei, Eccleſiæ vel ſalutis, quod per confeſſionem fidei tolli aut impediri poteſt, tenetur quis ad externam profeſſionem fidei, etiamſi ipſi mors aut detrimentum temporale immineat.

Dixi (*quod per confeſſionem fidei tolli poteſt*) ſi enim tolli non poſſit & confeſſio fidei ſit inutilis, ad illam pro tempore nemo tenetur. Regulæ hujus eadem eſt ratio quæ concluſionum, nimirum: Deo, Fidei orthodoxæ, & Eccleſiæ jurata in Baptiſmo fidelitas, quam violare crimen læſæ Majeſtatis divinæ eſſe laudatus Achemenides (apud Nicephorum lib. 14. cap. 20.) oſtendit.

CONCLUSIO III.

Le- ... quas perſonas

VAriis Eccleſiæ & politiæ præceptis diverſis perſonis impoſitum eſt præceptum proteſtandæ exterius fidei ſive profeſſionis fidei emittendæ: qui autem ſunt illi qui ex præcepto Eccleſiæ ad id tenentur, vide in Tridentino *ſeſſ. 24. c. 12. de Reformatione. & ſeſſ. 25. c. 2.* ac *Bullas Pii IV, & Pii V.* De præcepto verò civili, vide *codices* legum humanarum. Hanc autem profeſſionem ſub peccato mortali obligare eos quibus imponitur, ex eo conſtat, quod non imponatur niſi Prælatis, Canonicis Cathedralium Eccleſiarum & in eis dignitates obtinentibus, beneficiariis, curam animarum habentibus, Principibus, Magiſtratibus, &c. idque ex gravi cauſa, nimirum, ut populis & animabus commiſſis benè ſit proviſum ne earum regimen hæretico aut infideli committatur, quæ res cùm ſit graviſſima in materia legis & præcepti, abſque dubio peccatum mortale illam tranſgredientibus juſtiſſimè concludit. Alia præcepta confitendæ fidei, vide in legibus ſpecialibus de redeuntibus vel converſis ad fidem, de iis qui litteras in Gymnaſiis & Scholis publicis docent, &c.

gunt ad fidei confeſſionem.

QUÆSTIO III.

An in aliquo caſu liceat interdum fidem negare?

NOn defuerunt hæretici qui aſſeruerunt licere exteriùs fidem negare, modò quis in corde illam fixam firmamque retineat: ſic enim cenſuerunt Gnoſtici, Helceſaitæ ac Priſcillianiſtæ apud Tertullianum in *Scorpiaco.* Euſebium *lib. 6. hiſt. cap. 31* Auguſtinum *contra mendacium c. 2.* &c. de quibus etiam S. Bernardus ſerm. 65. in Cantica, eſtq; jam communis noſtrorum hæreticorum, Libertinorum, & aliorum de fide noſtra Catholica perversè ſentientium in Belgio per civitates & oppida diſperſorum: qui ne pœnas hæreticis impoſitas tum à poteſtate Eccleſiaſtica, tum à civili incurrant, & ut liberius graſſentur, imò & ad Magiſtratus evehantur, accedunt ad Confeſſarios, Communionem ſacram in Paſchate ſuſcipiunt, conciones Catholicas frequentant & alia Catholicorum exercitia faciunt, etſi in corde & abſcondito ſint peſſimi & periculoſiſſimi hæretici, hoc perfido axiomate freti: *quod liceat fidem ſuam negare, & alienæ Religionis quælibet exercitia facere, modo quis fidem ſuam in corde fixam firmamq; conſervet.* Hinc publicè ſuam perfidam fidem negant, imo, ſi juramento opus ſit, ſuam ſectam abjurant: periculoſiſſimum ſanè malum, quod quavis Epiſcoporum vigilantia vix tolli poteſt, quia ſuis actionibus apparentibus in foro externo ſe juſtificant. Antequam verò ad reſolutionem & erroris ac perfidiæ illius convictionem procedamus

Perfidia hæreticorum hujus temporis.

Advertendum eſt: dupliciter aliquem dici poſſe negare exteriori ſigno ſuam fidem. *Primò, poſitivè & explicitè,* ut cùm quis negat ſe Catholicum aut fidei Catholicæ in publico & privato renuntiat, aut alicui propoſitioni Catholicæ formaliter contradicit. *Secundò, negativè* ſive etiam *implicitè* aut *interpretativè,* ut quando quis taciturnitate ſua pro ratione temporis, loci, & aliarum circumſtantiarum ſe fidem ſuam negare de-

Duplex fidei negatio

demonſtrat. *Item*: quando quis ſigno proteſtativo adulterinæ fidei utitur, ut ſi Catholicus cœnam hæreticam frequentet, & eam cum cæteris ſumat: ſi exercitiis hæreticis ut hæreticus interſit, & alia faciat quæ ſolis hæreticis communiter competunt, ſivè quæ in externo foro ſolent hæreticos à Catholicis diſtinguere juxta modos regionum & ſectarum. Eò enim ipſo quo quis utitur ſigno hæreſis manifeſtativo, fidem Catholicã negaſſe ſaltem implicitè & interpretativè cenſetur, cùm hæreſis & fides orthodoxa ſe invicẽ non compatiantur. His ſic prænotatis ſit

CONCLUSIO I.

Nunquam licet fidem negare.

Nullo unquam caſu aut periculo, etiam mortis, licet fidem explicitè vel implicitè negare externo aliquo ſigno, verbo vel opere, etiamſi quis intus fidem veram fixamq́; retineat. Concluſio manifeſta eſt ex Scripturis nuper allatis Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſua & Patris & ſanctorum Angelorum.* Et penè eiſdem verbis Marci 7. *Qui me confuſus fuerit & verba mea, in generationè iſta adultera & peccatrice, & Filius hominis confundetur eũ cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.*

Matth. 10 v. 33. Luc. 9. 26. Marc. 8. 38

CONCLUSIO II.

Nunquam licet ſigno hæreſis vel infidelitatis uti.

Nullo unquam caſu vel periculo, etiam mortis, licet uti aliquo ſigno hæreſim vel infidelitatem ſive per ſe ſive ex circumſtantiis inferente, abſq; mortali peccato, etiamſi quis fidem veram in corde illibatam retineat. Hæc concluſio infertur ex præcedenti, qui enim tali ſigno vel facto hæreſim ſignificante extrinſecùs utitur, interpretativè fidem negare intelligitur. Negare autem Chriſtum vel fidem, per ſe & ex natura ſua eſt peccatum mortale graviſſimum, & multò gravius quàm non confiteri ſeu negativè ſe habere. Et cùm præceptum de non negando Chriſtum vel fidem aut ſermones ejus ſit negativum, obligat non tantùm ad ſemper; ſed pro omni temporis momento & differentia: ut verò clariſſimè hæ concluſiones explicentur: *Notandum eſt*: duplicia eſſe ſigna manifeſtativa hæreſeos: alia quæ ſimpliciter & abſolutè hæreſim indicant. Alia quæ ſecundùm quid & reſpectivè ad circumſtantias loci, temporis & perſonarum, &c. Illa dicuntur ſimpliciter & abſolutè hæreſim indicare & manifeſtare, quæ ex natura ſua ſive ex inſtitutione ad hæreſim ſignificandam ſunt ordinata. Talia ſunt verba expreſſa, & cœremoniæ quæ abrenuntiationem fidei ſignificant, ut cœnæ profanæ communicare, exercitiis hæreticis cooperando aſſiſtere: matrimonia coram miniſtro hæretico contrahere: hæretico miniſtro puerum baptizandum ſolemniter exhibere: miniſterium aliquod in illorum Synagogis, quod ad hæreſim & exercitia hæretica pertinet ſubire (habent enim ſuos Diaconos & alios Pſeudo Eccleſiæ ſuæ miniſtros) conciones eorum communiter & ordinariè frequentare.

Duplex ſignum manifeſtativum hæreſis.

Dico (*communiter & ordinariè*) aliquoties enim ex curioſitate adeſſe, etſi aliquando peccatum mortale ſit ob periculum, non eſt tamen manifeſtativum hæreſeos. Si tamen communiter & ordinariè quis eas frequentet, habetur à videntibus ſicut unus ex illis & ex eorum numero, niſi aliud foris appareat: fuerunt etiam ſingularia aliqua ſigna Geuſiorum in Belgio à principio naſcentis hæreſis, ut catenulæ & ſcutellæ ligneæ, bacilli, caudæ animalculorum, &c. De quibus in hiſtoriis. Illa dicuntur hæreſis ſigna ſecundùm quid & reſpectivè ad circumſtantias loci, temporis, perſonæ, &c. Quæ etſi ex natura ſua & inſtitutione per ſe hæreſim non manifeſtent, ſed indifferentia eſſe poſſint; tamen juxta circumſtantias quibus aſſumuntur, hæreſim indicare ſolent, *ex. g.* comedere carnes in feria 6. ex ſe eſt actus indifferens, qui ab infirmo ratione infirmitatis, vel ab eo cui alius cibus in neceſſitate deeſt, non tantùm licitè ſed etiam meritoriè fieri poteſt: quia tamen abſtinere à carnibus in feria 6. eſt obſervantia communis & ſingularis Catholicæ Eccleſiæ, qui ſine manifeſta omnibus cauſâ ab hæreticis invitatus vel inter illos vivens, ſivè per diſſimulationem, ſive per inſolentem libertatem & audaciam carnes illâ die comederet, intelligeretur fidem Catholicam interpretativè negare & hæreſi conſentire, & non modò peccaret mortaliter; ſed etiam hæreticus exterior meritò haberetur. Imò, ſi inter Catholicos communiter aut frequenter abſque noto prætextu juſtæ cauſæ illas comederet, ad minùs haberetur pro ſuſpecto de hæreſi & præter mortale peccatum, pœnas eorum qui de hæreſi ſuſpecti habentur, incurreret, ſaltem in foro externo. Nota.

Dixi (*ſine manifeſta omnibus cauſa aut noto prætextu iuſtæ cauſa comederet*) ubi enim cauſam manifeſtam infirmitatis aut neceſſitatis haberet, vel ſaltem prætenderet, illa carnium comeſtio nullatenùs eſſet ſignũ hæreſis, minùs negationis propriæ fidei. Undè *dico*: non habenti alios cibos, aut infirmo cui piſces nocent, aut ad evitandum grave damnum, licere abſque peccato & periculo negationis fidei aut conſenſus externi ſive ſuſpicionis hæreſeos comedere carnes in feria 6. ſi modò tres cõditiones adſint, 1. Si non urgeat præceptum fidei confitendæ, de quo ſuprà. 2. Ut carnes in injuriam Religionis vel ad fidem explorandam non ſint oppoſitæ. 3. Ut nullum Religionis ſcandalum aut aliorum offenſio indè proveniat.

Similiter; Etſi orare, pſallere, conciones audire, ſint actus indifferentes, imò ex natura ſua benè fieri poſſint (Nam quis in templo hæretico purâ mente & intentione orare, pſallere, ad errores notandos & confutandos concionem hæreticam audire poteſt) quia tamen hæc in templo hæretico facta & in hæreticorum cœtu externum quendam conſenſum cum hæreticis foris enuntiant, quantumcunque bona fide fiat, ſine peccato mortali fieri nequeunt, quia ſigna illa ſunt manifeſtativa hæreſis & conſequenter deſer-

deſertionis veræ fidei. Et ita declaravit Paulus V. in epiſtola ad Catholicos Angliæ, quibus omninò prohibet intrare templa hæreticorum, ut ibi preces fundant, aut per modum orantiū ſe ibi habeant, aut eorum cæremoniis quovis modo ſe intromittant, &c permittit tamen eis ut cum Dominis ſuis templa intrare & eis ordinarium ſervitium & famulatum præſtare poſſint.

Similiter per Belgium non licet Pſalmos Davidicos vernaculâ linguâ etiam in privato cantare, etſi verſionis adulterinæ per verſus Clementis Maroti, aut Theodori Bezæ, aut aliorū non eſſent, ſed illibatæ verſionis: quia quamvis res in ſe mala non ſit, imò ex natura ſua bona & pia: quia tamen modus ille pſallendi uſurpatione factus eſt hæreticii ſingularis, abſque peccato mortali, aliis audientibus, id fieri non poteſt; quia eſt ſignum hæreticum. De aliis ſimilibus ſignis idem eſt colligendum & inferendum, neq; enim ſingula recitare poſſimus. Dubia verò nonnulla hîc proponenda veniunt.

Nota.

Dubium I.

An liceat Catholico inter Hæreticos Magiſtratum gerere, aut aliquod Officium Politicum ſubire?

Triplicia officia inter hæreticos.

ADvertendum, triplicia eſſe miniſteria ſivè officia apud hæreticos in politia ſua: alia ſunt quæ nullatenus Religionis cauſam contingunt, ut ſunt receptores publici ærarii, quæſtores, &c. Secretarii, Conſiliarii & Advocati in cauſis merè civilibus: alia ſunt, quæ cauſis Religionis neceſſariò permiſcentur, ut ſunt officia magiſtratus, Baillivorum, Prætorum, &c. à magiſtratibus enim eorumq; ordinationibus totū Pſeudo-Religionis regimen & diſpoſitio pendet: alia denique ſunt miniſteria quæ ad Pſeudo-Religionis immediatas functiones diriguntur. Ad Dubium itaque Reſpondeo per regulam generalem.

Regula generalis.

Quæ officia inter hæreticos Catholico ſint prohibita.

N*On licet Catholico abſq; peccato mortali & nota hæreſim contingente, Magiſtratum vel officium aliquod politicum adminiſtrare: cui annexa eſt aliqua ad hæreſim cooperatio, vel quævis in cauſa hæreſis aut hæreticis exercitiis communicatio vel concurſus ſingularis:* Regulam hanc ſic declaro: Magiſtratus hæretici eſt prædicantes quos vocant, inſtituere, templa interdum Catholicorum illis aſſignare, miniſteria alia ad hæreſim ſpectantia ordinare: conciliabulis ac exercitiis intereſſe & alia pleraq; facere, quæ ad hæreſim aliquo modo concurrunt: non licet Catholico ex illis officiis aliquod ſubire. *Ratio eſt*: quia non poteſt officium tale adminiſtrare abſque conſenſu externo implicito in hæreſim, vel abſque ſigno hæreſeos manifeſtativo extrinſecus: præterquàm quòd tales favere hæreticis ac illos etiam protegere, defendere, &c. ex vi officii teneantur & frequenter etiam nolentes ratione officii id agere cogantur; palam eſt autem eos, qui externum actum hæreſis manifeſtativum exercent & ſunt fautores, receptores ac defenſores hæreticorum in cauſa aut materia hæreſeos, præter peccatum mortale, in foro externo pœnas Juris incurrere: & conſequenter eos, qui ſe hujuſmodi dignitatibus, ordinibus, magiſtratibus, officiis mancipant, manifeſto, imò certo periculo ſe exponere prædictorum actuum qui hæreſi cooperantur, vel cum hæreticis in cauſis & exercitiis hæreſis communicant. Exempla vidimus in nuperrimis aliquarum civitatum & provinciarum occupationibus: ubi, qui prætextu etiam Catholicos juvandi officia publica à Batavis receperunt, vi officii coacti ſunt ad introducendos hæreticos in Eccleſias Catholicas ad fovendos miniſtros hæreticæ pravitatis, ad eorum deniq; exercitia indicenda cum lamento Catholicorum. Ex quo *infero* Catholicos, etſi potuerint obire Magiſtratus & officia merè civilia & politica, non potuiſſe tamen abſque peccato mortali & pœnis hæreticorum fautoribus decretis, illi cooperari quæ cauſam vel exercitia hæreſeos contingebant; ſed cedendum potiùs erat iſtis officiis quocumque temporali detrimento ſubſequente: *Qui* enim (ait Chriſtus) *non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit*: Quomodo autem cum illo eſt, aut quomodo cum illo congregat, qui lupis gregem diſpergentibus, mactantibus, & perdentibus cooperatur, & velut ovile aperit? Matth. 12. verſ. 30.

Dices: Cooperatio illa eſt tantùm materialis & indirecta, nec ex intentione operantis. *Reſpondes*, in re iſta morali juxta concurrentes circumſtantias, moraliter non poſſe ſeparari quod eſt materiale & indirectum, à formali & directo: eo enim ipſo quo te mancipas illi officio, cui actus ille demandatur, actibus illis te exponis, nec intentio tua quantumvis bona te excuſare poteſt: præterquam enim quòd intentio rem ex ſe aut circumſtantiis certò concomitantibus malam, non poſſit facere bonam (cùm tua actio intentionem principalis mandantis ſequi debeat, à qua mediatè quidem, primario tamen dirigitur) hoc ipſo quo te Principi vel magiſtratui hæretico in obeundis ejus mandatis in aliquo officio mancipas (ſi actus officii illius hæreſim in aliquo contingant) tu te & actiones tuas intentioni mandantis principalis ſubjicis, cujus intentionem teneris ſequi ex vi officii, & conſequenter (ſi tibi actionem hæreſim contingentem demandet) tuâ culpâ te illi expoſuiſti. Nota.

Dicant quidquid volunt in hac re politici hujus temporis, qui materiam Status, à materia fidei ſeparare tentant. Ubi enim actiones ex circumſtantiis certò concomitantibus hæreſi conjunguntur, ſpeculationes ſuas mihi ſuppeditabunt, ſed praxis illos coram Deo & Chriſto Jeſu condemnat: Deus enim non irridetur. *Explico exemplo* quod ipſo experimento vidimus: Præſtamus (inquiunt) auxilium & arma hæreticis in mate- Nota.

materia civili & ſtatus ſeu politiæ, hæreſi non favemus; hæreſis enim à materia ſtatus ſecernitur, … ontio ſpeculativè concludit ſi cum univerſalibus & Idæis Platonicis in cornu Lunæ remaneat: dic agedùm mihi: hæretico contra Catholicum auxilium præbes in materia ſtatus & politiæ, quem ſcis & experitis quocumque ſuis armis & tuis auxiliaribus copiis pertingit, Chriſtum, Eccleſiam, fidem Catholicam aut expellere aut perdere, Synagogam Satanæ introducere, templa ſacra profanare, Sacerdotes fugare aut opprimere: quinimò in tuis propriis copiis auxiliaribus Sacerdores & exercitium Catholicæ Religionis non permittere: ſepara mihi iſta in praxi, & cùm illa ſic certò & infallibiliter contingāt, unum ab alio actu remove & intentionem tuam ſalva ſi potes coram Deo & hominibus. Quod ſi philoſophari velis, agnoſce: quod, qui ſcienter & deliberatè ignem in domum injicit, quo ſcit infallibiliter arſuram, incendiarii culpam etiam coram judice quolibet non evadet, etſi allegaret millies ſe non intendiſſe domum comburere: agnoſce: quod, qui ſcienter applicat cauſam ex qua infallibiliter & certò, etſi non neceſſariò effectus ſequitur, effectus illi imputandus ſit: aut permitte, ut ardentem facem tuæ barbæ applicem cum intentione non comburendi. Si Theologos conſulas qui aliter fortè reſpondeant, Arioli ſunt & Pythones è ventre loquentes, non Theologi.

Dubium 2.

An liceat Catholico interdum occultare vel diſſimulare fidem ſuam, & quibus modis?

Quando Catholico non liceat fidem occultare. RESpondeo primò, non licere Catholico unquàm occultare vel diſſimulare fidem ſuā, quâcumque æquivocatione vel ſigno, quandò urget præceptum fidem confitendi. Reſponſio clara eſt ex ſuperioribus *tota quæſt. 2.*

Dixi (*quâcumque æquivocatione vel ſigno*) non enim mihi ſapit, quod quidam verborum æquivocationes aliquas in nomine *Chriſtianus* adinvenientes, dicunt: quod, quando Catholicus à publica poteſtate pro fide exploranda interrogatur: an ſit Chriſtianus? poſſit reſpondere æquivocè, quòd non, fundando æquivocationem ſuam in eo quod *Chriſtianus* aliquandò ſignificat nomen eorum, qui in exercitu Chriſtiano ſolebant militare ex quacunque ſecta eſſent & ſolùm diſtinguebantur à milite Turca; non autem ſemper eum qui Chriſto nomen dedit. Non (inquam) mihi iſta æquivocatio ſapere poteſt; ſi enim conſtat de mente interrogantis, & ad Religionis explorationem interrogatio fiat, in materia fidei *Chriſtianus* antonomaſticos ſupponit pro nomine religionis, & pro eo qui Chriſto & religioni Chriſtianæ nomen dedit; &, ut ſupponitur, urget ratio fidem confitendi; alias ſi non urget ratio confitendi fidem, tunc quæſtio ceſſat: poteſt enim quis tunc omni licito modo dictam confeſſionem ſubter-fugere diſſimulando.

Reſpondeo ſecundò, nunquam licet occultare fidem ſuam aliquo ſigno quod eſt directè vel indirectè manifeſtativum vel proteſtativum hæreſeos aut infidelitatis, etiamſi præceptum confeſſionis fidei non urgeat. *Ratio eſt:* quia uti ſigno manifeſtativo & proteſtativo hæreſeos vel infidelitatis, hoc ipſo eſt externo actu conſentire in hæreſim vel infidelitatem per ſignum ſignificatam. Pro clariori verò hujus concluſionis intelligentia,

Advertendum eſt: duplicia iterum hic ſigna notari poſſe: alia enim ſunt ſigna quæ infidelem à fideli, vel ſectam à ſecta diſtinguunt ad Reipublicæ bonum, ſive ex conſuetudine ſive ex lege id ſit conſtitutum: alia ſunt, quæ non tantùm fidelem ab infideli, vel ſectam à ſecta ſecernunt; ſed etiam ſunt proteſtativa & manifeſtativa religionis falſæ, ſive ſecum ex inſtitutione proteſtationem infidelitatis vel ſectæ demonſtrant: *Prioris generis* ſunt, flavus pileus quem ad diſtinctionem Judæi ferunt, album linteum per modum faſciæ in pileo Mahumetanorum: *poſterioris generis* ſunt, veſtis habens effigiem Mahumeti depictam, ſigna Geuſiorum de quibus nuper & id genus alia, quibus non tantùm ſignificatur diſtinctio ſectæ vel religionis; ſed etiam tacita vel expreſſa illius proteſtatio & velut profeſſio. *Duplicia ſigna infidelitatis.*

Dico itaque: nunquam licere uti ſigno, quod ex conſuetudine, lege, vel inſtitutione proteſtationem aut manifeſtationem hæreſeos complectitur, nec ſub ſimilibus ſignis ſuam religionem aut fidem occultare. Unde non licet ullo tempore uti veſte ſuper qua Mahumeti effigies eſt depicta: & in Belgio non licebat, graſſantibus Geuſiis, geſtare catenulas ligneas vel animalculorum caudas vel bacillos, aut certo modo pileos perforare; quia hæc ſigna erant proteſtativa hæreſis. *De ſignis manifeſtativis.*

Quod autem dicitur de veſtibus, eodem modo intelligendum eſt de verbis, actibus, ſyngraphis quibuslibet aliis ſignis hæreſim indicantibus: unde conſulant ſibi qui in Hollandia, Anglia, & aliis Regionibus hæreſi infectis, ad diſſimulandam vel occultandam ſuam religionem in conſortiis, conviviis, &c. utuntur moribus & verbis hæreſim ſignificantibus.

Abominabile etiam genus eſt aliquorum Catholicorum: qui teſtimonia, ſalvos-conductus, privilegia immunitatum & alia civilia à Magiſtratibus hæreticis recipiunt, quibus exprimitur illos ejuſdem religionis eſſe, vel juramentum quod religionis profeſſionem continet, emiſiſſe, ſimiles illis qui circa tempora Cypriani *libellatici* dicebantur, qui quidem Chriſtum non negabant, ſed ab Imperatoribus vel Magiſtratibus data pecunia vel aliqua induſtria libellos accipiebant, quibus fides fiebat quaſi Imperatori paruiſſent & idolis ſacrificaſſent, quorum virtute liberi & immunes in ſua religione Chriſtiana permittebantur abſque perſecutione in privato permanere; ex quo tam- *Nota.* *Baron. an. 253 fol. 414.*

Digitized by Google

tamquam infames, à fidelibus *libello maculati* dicebantur, videant ne de ſimilibus immunitatibus per libellos, & ſalvasguardias aliqui ſibi abblandiantur: ſigna enim ſunt hæreſeos, quamvis mendacia & ficta.

De ſignis politicis.

Reſpondeo tertio: ubi non urget præceptum fidei, licere ſuam fidem occultare ſigno politico quod tantum ſectæ diſtinctivum eſt nullamque implicitam, vel explicitam, directam vel indirectam manifeſtationem hæreſeos indicat, modò ſcandalum abſit. *Ratio eſt:* quia (ut ſupponitur) ſignum illud, etſi à ſectariis uſurparetur ad diſtinguendam ſectam ſuam, non eſt tamen proteſtativum ſectæ ſive religionis quæ in ſecta obſervatur. *Explico:* licet ambulanti per Turcarum terras, ut mortem vel gravia pericula eviter, aſſumere faſciam albam in Turcico pileo quo credatur non Mahumeticus; ſed incola illius regionis ſive Turca; Turca enim ſupponit pro incola Turciæ, & quamvis communiter incolæ illi ſint Mahumetiſmo infecti, id per accidens eſt & faſcia illa nationem per ſe diſtinguit, non religionem: in hac enim faſcia diſtinguuntur ab Hungaris, Polonis, & finitimis populis, qui ſimilem pileum geſtant, exceptâ faſciâ albâ quæ illum circumcingit. *Similiter:* liceret eadem ratione Catholico periclitanti, ſe occultare & fugere utendo pileo flavo quo Judæi uti ſolent ad diſtinctionem. *Item.* liceret Catholico ſe occultare ſub habitu miniſtri hæretici ad mortem vel grave periculum evadendum: etſi enim habitus ille miniſtrum à populo diſtinguat & ex accidenti hæreticum indicet; non eſt tamen per ſe manifeſtativum hæreſeos: ſicut hæreticus occultans ſe & fugiens ſub habitu monachi, non cenſetur monachatui aut Catholicæ fidei conſentire: habitus enim monachi eſt ſignum diſtinctivum, non autem ex ſe proteſtativum Monachatus.

Dices: Naaman Syrus ab Elizæo ſanatus & ad veri Dei fidem converſus, petiit ab Elizæo: ut quando Rex Syriæ Dominus ejus ingrederetur templum Remmon ut adoraret: *Et illo innitente ſuper manum meam* (inquit Naaman) *ſi adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re: qui dixit ei, vade in pace:* ex quo argumentor: licuit Naaman poſt converſionem ſuam ad fidem veri Dei, ut fidem ſuam occultaret adorante Rege Domino ſuo adorare ſimul in templo Remmon coram ipſo idolo juxta reſolutionem Elizæi: atqui adorare in templo Remmon coram ipſo idolo Rege adorante & ſacrificante ac thura adolente, eſt ſignum manifeſtativum & proteſtativum infidelitatis; ergò licet Catholico ad exemplum Naaman interdum ex cauſa uti ſimili ſigno aliquo hæreſeos manifeſtativo ad occultandam ſuam fidem. *Reſp. Neg. minorem & conſeq.* Actus enim ille non fuit proteſtativus Idololatriæ; ſed tantùm actus politicus & civilis, ſivè famulatus & cœremonia aulica, quæ exhibebatur Regi Syriæ: Rex enim, ut commodè flecteret, ſuſtentabatur manu primi Principis Aulæ regiæ ſuper quam innitebatur: Unde

4. Reg. 5. v. 18. 19.

& Princeps Regem ſuſtentare & cum Rege flectere cogebatur: genuflexio itaque illa famulatus ceremonia fuit, non religionis proteſtatio; per accidens enim erat quòd coram Idolo fieret, & Naaman ſuum famulatum impendebat, ut inniteretur Rex dum flectebat ſuper manum ejus, nullatenus autem adorabat.

Petes: an Sacerdos vel Monachus à poteſtate publica interrogatus poſſit ad occultandam fidem, negare ſe eſſe ſacerdotem aut monachū? *Reſpondeo,* poſſe: neque enim ſacerdotium aut monachatus proteſtationem fidei præcisè indicant, cùm detur Catholicus qui non ſit ſacerdos vel monachus, quinimò poteſt dari ſacerdos vel monachus qui ſit hæreticus, ut ſunt aliqui ſacerdotes & monachi in oriente.

Dubium III.

An abſque detrimento Confeſſionis Fidei liceat Catholico fugere, ne cogatur fidem confiteri?

RESPONDEO; per ſe & ex ratione fugæ licere Catholico tempore perſecutionis fugere ne cogatur fidem confiteri. *Ratio eſt:* quia fuga non includat fidei negationem vel diſſimulationem, ſed tantùm pœnarum & periculorum timorem, & quandam animi infirmitatem aut puſillanimitatem in perferendis perſecutionibus vel perſecutorum tormentis: quinimò hoc ipſo quo quis fugit, ſe Catholicum fatetur & agnoſcit, quippe qui ad conſervandam illibatam fidem ſuam fugiat non vacillans in fide; ſed diffidens de ſua fortitudine & jure ſuo utens, quo licet modo licito tueri vitam ſuam. Unde eſt illud præceptum Domini Matthæi 10. *Cùm perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam,* quod & Chriſtus Dominus noſter infirmorum imbecillitates in ſe aſſumens exemplo ſuo firmavit, dum ſæpiùs fuga & occultatione ſibi conſuluit & Sancti factis ſuis oſtenderunt. De qua re præclara habetur homilia S. Athanaſii apologia de fuga ſua, cujus pars legitur in Breviario Romano 2. Maii. *Matth. 10. v. 23.*

Dixi (*per ſe & ex ratione fugæ*) ex ratione enim perſonæ & officii vel ex accidenti interdum fugere non licet. Sic tempore perſecutionis non poteſt epiſcopus vel paſtor fugere, ſi ex ejus fuga periculum fidei immineat ovibus & gregi ſibi commiſſo: Epiſcoporum enim & paſtorum eſt animam ponere pro ovibus ſuis, & non tantum in pace, ſed etiam (teſte S. Cypriano epiſt. 54.) *in acie oves tueri* ex obligatione juſtitiæ & charitatis, ita ut, ſi opus fuerit, teneatur fidem ſuam pro ovium confirmatione ſanguine & profuſione vitæ firmare. Et hæc de fidei confeſſione ſufficiant.

S. Cyp. ep. 54. vide eundem ep 25. lib. in init.

Corollarium.

EX dictis *collige* 1: quàm pretioſum donum ſit fides. 2. Quanta neceſſitate fidei articuli ſint

ſint addiſcendi. 3. Quanta firmitate fides tenenda. 4 Quanta puritate conſervanda. 5. Quàm ſincerè confitenda. 6. Qualiter totius cultus divini & omnium bonorum ſit fundamentum, &
Hebr. 11. verſ. 1. (ut docet Apoſtolus) totius ſpei noſtræ ſive *ſperandarum rerum ſubſtantia*, hypoſtaſis & fundamentum.

TITVLVS III.

De Spe Theologica, & præceptis ad ſpem pertinentibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit ſpes aut eſt virtus Theologica?

Varia acceptiones ſpei. PRo reſolutione *advertendum eſt: Primò*, nomen ſpei dupliciter ſumi: uno modo, ut eſt paſſio vel actus concupiſcibilis, quo quis fertur in bonum abſens quatenùs obtineri poteſt: ſive etiam paſſio vel actus iraſcibilis, quatenus difficultates boni abſentis obtinendi ſuperabiles homo apprehendit: altero modo, ut eſt virtus ſupernaturalis in voluntate illam inclinans reſpectu boni ſupernaturalis abſentis ſupernaturaliter obtinendi. Et de hac ſola modo quæſtio eſt.

Advertendum ſecundò, nomen ſpei in ſcriptu-
Rom. 8. v. 24. ris diverſimodè ſumi. Primò, pro *objecto ſpei*: ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes*, id eſt, objectum quod videtur, non eſt objectum ſpei. Cùm
Hebr. 11. v. 1. enim fides ab Apoſtolo ad Hebr. 11. definiatur: *Sperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*; conſtat quod objectum ſpei ſint res non apparentes. Secundò ſumitur pro Deo,
Pſ. 21. 10. cujus *auxilio* innititur ſpes noſtra Pſ. 21. *Spes mea ab uberibus matris meæ*. Tertiò pro *actu ſpe-*
Rom 8. verſ 24. *randi* ad Rom. 8. *Spe enim ſalvi facti ſumus*. Quartò pro *habitu ipſo ſpei*. 1. Corinth. 13. *Nunc autem*
1. Corint. 13. v. 13. *manent Fides, Spes, Charitas tria hæc, maior autem horum eſt Charitas*.

CONCLUSIO UNICA.

Di,ſiitio ſpei. *SPes eſt virtus ſupernaturalis Theologica, qua voluntas fertur in Deum quatenus eſt beatitudo noſtra, ex promiſſionibus divinis per auxilia & media ordinata obtinenda.*

Dixi (*virtus ſupernaturalis*) eſt enim puriſſimum donum Dei à Deo infuſum, omnem naturalem ordinem excedens; juxta illud 1. Pet.
1. Pet. 1. v. 3. 4. 1. *Qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem conſervatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimi-*
Verſ. 5. *ni per fidem in ſalutem paratam revelari in tempore noviſſimo*. In quibus verbis manifeſtè docet Apoſtolus. Primò, ſpem eſſe donum puriſſimum miſericordiæ Dei, & unum ex ſalutaribus donis per Jeſum Chriſtum quæ omnia ſupernaturalia ſunt. Secundò, objectum ejus eſſe ſupernaturale; quod eſt: *Hæreditas incorruptibilis*, &c. *conſervata in cœlis*. Tertiò, virtuti divinæ ſpeciali inniti, & illa conſervari *in nobis*. *Qui* (inquit) *in virtute Dei cuſtodimini per fidem*, &c. & ita diffinitum fuit in Conc. Triden. ſeſſ. 6. can. 3. ſub his Conc. Triden. ſeſſ. 6. can. 3.
verbis: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur: Anathema ſit.*

Dixi (*Theologica*) objectum enim hujus virtutis eſt Deus ipſe, quatenus eſt beatitudo noſtra & finis noſter, quod indicatur in præinſertis verbis Apoſtoli: *In ſalutem paratam revelari* 1. Pet. 1. 5.
in tempore noviſſimo: quæ non eſt aliud quàm Deus ipſe, prout per claram ſui viſionem & fruitionem ſe communicat juxta illud Pſ. 141. *Dixi*
tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. Undè Pſal 141. v. 6.
iterùm,

Dixi (*qua voluntas fertur in Deum quatenus eſt beatitudo noſtra*) ſpes enim in voluntate eſt ſicut fides in intellectu: & ex illuſtratione fidei velut ex fundamento ſequitur ſpes, quia fides objectum ſpei & ejus acquiſitionem poſſibilem demonſtrat.

Dixi (*ex promiſſionibus divinis per media ordina-* Duplex objectum ſpei.
ta obtinenda) duplex enim eſt objectum ſpei: alterum *primarium & ultimatum*, quod eſt Deus ut eſt beatitudo noſtra: alterum, *ſecundarium & mediatum*: nimirum promiſſiones divinæ & media à Deo ordinata ad beatitudinem conſequendã: non enim ſufficit ſperanti apprehendere beatitudinem ut poſſibilem, ſed etiam debet apprehendere media à Deo eſſe ordinata ad illam de facto obtinendam. Unde eſt illud ad Rom. 5. Rom 5. 2.
Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Et ad Tit. 1. *In*
ſpem vitæ æternæ quam promiſit, qui non mentitur Tit 1. 2.
Deus. Promiſſiones enim divinæ ſunt firmamentum mediorum & auxiliorum. Quapropter paſſim in Pſalmis dicit Propheta *ſe ſperare in miſericordia Dei*, & Deum eſſe *adiutorium ſuæ ſpei*: nimirum, per media, promiſſiones & dona gratiarum adimplendæ. Et generaliter *ſperare in Deo*, & *ſperare in Deum* nil aliud ſignificat, quàm confidere in Dei promiſſionibus & virtute, quibus ad Deum ut finem noſtrum per ordinata ab ipſo media pervenimus. Et in hoc conſiſtit certa fiducia quæ eſt quidam effectus ſive reſultans proprietas ſpei Theologicæ.

Dixi (*obtinenda*) non enim ſufficit ferri in beatitudinem ut ſolùm poſſibilem, ſed etiam debet apprehendi ut, poſita executione mediorum ex promiſſione divina, certò obtinenda. Timor enim qui ſpem comitatur, nullatenus afficit Dei promiſſionem & mediorum efficaciam; ſed duntaxat noſtram fragilitatem & infirmitatem in mediorum executione quæ cooperationem noſtram requirunt.

* * *

QUÆSTIO II.

An ſit aliquod præceptum eliciendi actum Spei?

ADvertendum eſt: Virtutem Spei ſicut & fidei neceſſariam eſſe neceſſitate medij ad Hebr. 11. verſ. 6. ſalutem: Nam (ut ait Apoſtolus ad Hebr. 11.) *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quod tam de neceſſitate medij, quàm præcepti intelligen- Ibid. dum eſt: ſicut enim *ſine fide impoßibile eſt placere Deo*; ſic & ſine ſpe, charitate, quæ in juſtificatione peccatoris infunduntur, & quorum actus ad juſtificationem adultorum requiruntur ut definit & docet *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.*

CONCLUSIO I.

Præceptū Spei. DAtur *præceptum divinum naturale Spei, ſive præceptum eliciendi actum Spei.* Hoc indicant Rom. 8. verſ. 24. Scripturæ paſſim: Ad Rom. 8. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Et ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem* Hebr. 11. verſ. 6. *ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*: atqui præceptum Dei eſt, ut quis accedat ad eum ſi ſalvari velit; ergo etiam præceptum eſt ut credat & ſperet, quod indicant verba illa: *Credere oportet quia inquirentibus ſe remunerator ſit*, hoc eſt enim ſpei noſtræ fundamentum. Pſ. 4. v. 6 Unde Pſ. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ & ſperate in Domino*: Et Pſalm. 36. *Spera in Domino &* Idem 36. verſ. 3 5. *fac bonitatem, &c. Revela Domino viam tuam & ſpera in eo, &c.* Et Sap. 2. Cauſa excæcationis & damnationis impiorum aſſignatur: Quia *ne-* Sap. 2. v. 22. *ſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum.*

CONCLUSIO II.

PRæceptum *ſpei plura in ſe continet præcepta partialia ad peccatum mortale ex natura ſua obligantia.* Pro qua concluſione declaranda, *advertendum eſt*: præceptum ſpei partim *affirmativum*, partim *negativum* eſſe: *Affirmativum* quidem ex eo quòd actum ſpei & alios ad ſpem ſpectantes præcipit: *negativum* verò quatenus oppoſita ſpei prohibet.

Duo ſpei præcepta affirmativa. Duo autem ſunt præcepta affirmativa ſpei: *Primum*, quo præcipitur cuilibet adulto actum ſpei elicere: ſive certa cum fiducia beatitudinem à Deo promiſſam ordinatis mediis expectare. Quod præceptum exprimitur per *ſperare in Domino*: *Expectare beatam ſpem, & adventum Domini, &c. Secundum eſt*: Fugere poſitivè ea quæ beatitudini obtinendæ obſtaculum præbent aut beatitudini repugnant, eſtque fuga illa effectus *timoris*: Sicut enim ſpes dicit proſecutionem boni æterni & mediorum ad illud: ita timor dicit fugam eorum, quæ ab æterno bono nos impediunt, & ultimatè fugam damnationis æternæ ob ſpem quam habeo perveniendi ad æternam beatitudinem. Hoc ſecun- Eccl. 1. v. 28. dum præceptum exprimitur variè in Scriptura Eccl. 1. *Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtifica-* 1. Pet. 2. verſ. 17. *ri.* 1. Petri 2. *Deum timete, &c.* Matth. 10. *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in ge-* Matt. 10. verſ. 28. *hennam.* Luc. 12. *Ita dico vobis hunc timete,* Eccl. 2. Luc. 12. verſ. 6. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & ti-* Eccl. 2. v. 1. *more, & præpara animam tuam ad tentationem*: ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem* Ad Phil. 2. v. 12. *operamini.* 2. Cor. 7. *Has ergo habentes promiſſiones* 2. Cor. 7. verſ. 1. *chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Et *Concil. Trid. ſeſſ 6 cap. 6.* ad perfectam juſtificationem & pœnitentiam requirit actum ſpei & timoris

Duo etiam ſunt præcepta negativa ſpei: Alterum, prohibens deſperationem de ſalute æterna conſequenda, & mediis ad illam per Dei miſericordiam obtinendis: Alterum, prohibens præſumptionem ſive de beatitudine, ſive de mediis præter vel contra ordinationem Dei conſequendis.

QUÆSTIO III.

Quando obliget præceptum affirmativum de actu ſpei eliciendo?

CONCLUSIO I.

DIrectè *& per ſe præceptum affirmativum eliciendi actum ſpei, obligat ſub peccato mortali, quotieſcumque graviter homo tentatione deſperationis affligitur.* Ratio eſt: Quia tenetur tunc homo tentationi reſiſtere: non reſiſtit autem niſi formaliter aut virtualiter in ſe exerceat actum ſpei, aut aliâ viâ à tentatione declinet.

Dico (*formaliter vel virtualiter*) ſufficit enim actus virtualis ſpei, qui comprehendi ſolet in actu amoris Dei ſuper omnia, vel in actu fiduciæ & conſtantiæ, ſive etiam confidentis patientiæ, quo quis firmiter ſtat & motui vel tentationi ſe opponit.

CONCLUSIO II.

QUandocumque *homo tenetur per actum contritionis vel attritionis cum Sacramento juſtificari, tenetur etiam ſub peccato mortali formaliter vel virtualiter actum ſpei elicere.* Ratio eſt: Quia actus ſpei formaliter vel virtualiter in contritione vel attritione includitur: Debent enim illæ junctam habere ſpem veniæ & miſericordiæ Dei, quæ in æterna ſalute completur.

CONCLUSIO III.

QUotieſcumque *præceptum orandi obligat ſub peccato mortali, obligat concomitanter ac indirecte præceptum affirmativum ſpei* Ratio eſt: Quia vera oratio ſine actu ſpei formali vel virtuali, ut ſuprà explicatum eſt, non ſubſiſtit.

QUÆSTIO IV.

Quando obliget præceptum ſecundarium ſpei, ſive præceptum timoris Domini?

ANte reſolutionem *advertendum eſt*: *Primò*, Varij Timoris. Multiplicem hic timorem diſtingui poſſe, Timor mundan. *primus* eſt *timor mundanus*, quo à peccato quis

abſtinet ob reſpectus planè humanos incommodorum temporalium in bonis naturæ, fortunæ, voluptatis, commodi, amicitiæ, &c. Et hic ut plurimùm eſt vitioſus: quia interpretativè includit hanc conditionem: ſi incommoda illa non eſſent, à peccato non abſtinerem.

Servilis. *Secundus timor* dicitur *Servilis*, quo quis, ex mero metu ſervili refugiens pœnas, ſive æternas, ſive temporales à Deo comminatas, à peccato ſe continet. Et hic iterum inutilis, & frequenter vitioſus eſt ob rationes jam dictas, quem idcircò à fidelibus volens excludere Paulus ad

Rom. 8. Verſ. 15. Filialis. Roman. 8. dicit: *Non enim accepiſtis ſpiritū ſervitutis iterum in timore*, &c. *Tertius timor* eſt *filialis*, quo quis affectu filiali continet ſe ab omni malo & peccato: quia peccatum Deo diſplicet, & ut voluntati Dei tanquam patris obſequatur, ejuſque offenſam vitet. Et hic *timor eſt ſanctus*, vocaturque paſſim in Scripturis *filiorum & juſtorum timor*: *Timete Dominum* (ait Pſaltes Pſalm.

Pſal. 33. Verſ. 10. 33,) *omnes Sancti ejus*. Et Proverb. 8. *Timor*

Prov. 8. Verſ. 1. Initialis. *Domini odit malum*, *Quartus timor* dicitur *Initialis*, quo quis ita timet pœnam, ut etiam ſimul timeat Dei offenſam. Dico (*ſimul*) quia illum habens non timet offenſam propter pœnam, ita ut cauſa timoris offenſæ ſit ſola pœna (aliàs enim eſſet *timor ſervilis*) ſed quia ex apprehenſione pœnarum offenſæ gravitatem apprehendit, & Deum offendere timet, ita ut in complexo objectum hujus timoris ſit *pœna & offenſa* Dei. Dicitur autē *Initialis*, quia eſt initium converſionis, & quaſi principium quo ad Dei amorem ex offenſæ timore homo convertitur: & hic quidem timor etſi perfectus non ſit, ſalutaris tamen eſt, de quo Iſai. 26. *A facie tua Domine*

Iſai. 26. Verſ. 17. *concepimus, & quaſi parturivimus & peperimus Spiritum*, &c. Undè ad juſtificationem peccatoris ut plurimùm initiativè concurrit: de quo egimus Tom. 1.

Advertendum ſecundò: Timorem aliquandò eſſe *filium amoris proprij*, ut eſt timor mundanus & ſervilis: aliquandò *filium charitatis*, ut eſt timor filialis & initialis: aliquandò *filium ſpei*, quatenus qui ſperat, ea refugit, quæ æternæ beatitudini, quam proſequitur, ac medijs ad illam ordinatus ſunt contraria.

CONCLUSIO I.

Toties quis tenetur virtualiter, vel formaliter elicere actum timoris Domini ſub peccato mortali, quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter. Ratio eſt: quia quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter, toties tenetur homo cavere peccatum: non cavet autem quis à peccato, niſi aliquo timore virtuali vel formali ſit perculſus. Timor enim ex natura ſua eſt mali fuga: qui, ſi pro objecto habeat ſolam pœnam æternam, vel temporalem evitandam, eſt timor ſervilis, & filius amoris proprij: ſi verò pro objecto habeat offenſam Dei, eſt actus ſaltem virtualis ſpei, & charitatis: *ſpei* quidem, ſi ex eo quis offendere timeat, quia à conſecutione æternæ beatitudinis per offenſam impeditur, *charitatis* verò, ſi Deum offendere timeat propter ſuam bonitatem, & propter Deum in ſe. Quòd ſi timor ſimul cum Dei offenſa pœnas reſpiciat, eſt timor initialis, & charitatis imperfectæ filius.

CONCLUSIO II.

Non elicere actum timoris, cùm periculum proximum peccandi imminet, non conſtituit ſpeciale peccatum ab actu, qui ob defectum timoris committitur. Ratio eſt: quia utrumque præceptum de eliciendo actu timoris, & cavendo peccato, uno eodemque fine terminatur, & præceptum timoris Domini eſt nudum ac generale remedium à Domino impoſitum, ſive ut quis à peccato ſibi præcaveat, ſive ut, ubi peccavit, ab illo recedat. *Explico*: Præceptum timoris Domini mandatum quoddam generale continet, ut timore offenſæ ejus, vel timore pœnæ ab eo infligendæ: *Non occidas, non fornicaris, non fureris*, &c. Quòd ſi occidas, &c. peccaſti, non duplici peccato, ſed unico: quia præceptum timoris eſt quoddam generale motivum ad non peccandum, quod in omni alio præcepto includitur, ut medium ordinatum ad finem.

Ex quo *Infero*, quòd ſicut præceptum charitatis Dei & proximi eſt univerſale quoddam præceptum, quod virtute per univerſum Decalogum diffunditur, & à quo omnis lex pendet & Prophetæ: ita præceptum timoris Domini eſt generale quoddam mandatum, quo quis monetur, ut ab offenſa Dei abſtineat, ne à conſecutione æternæ beatitudinis, quam ſperat, impediatur.

QUÆSTIO V.

Quid ſit Deſperatio, & quibus modis ex deſperatione peccetur?

CONCLUSIO I.

Deſperatio eſt depoſitio ſive abjectio voluntaria & deliberata omnis ſpei conſequendi beatitudinem, vel media ſufficientia ad illam. Definitio deſperationis.

Dixi (*depoſitio ſive abjectio ſpei*) Deſperatio enim non dicit ſolam negationem, aut privationem ſpei: nam infidelis, qui de beatitudine æterna nihil unquam audivit, deſperationis ſpeciali peccato non peccat, etſi reverà ſpem non habet. *Item*, fidelis Chriſtianus, qui actualiter nullo ſpei motu movetur, deſperare non dicitur, & ſi ob defectum negativum ſpei damnetur, utpotè quia ſpei actum non elicuit, non dicetur ob peccatum deſperationis damnatus; ſed quia contra præceptum affirmativum ſpei peccavit.

Dixi (*voluntaria & deliberata*) ob tentationes violentas, afflictiones graves, mœſtitias inconſolabiles, quibus interdùm animæ cruciantur, ità ut omni ſpe deſtitutæ videantur: hæc enim ſunt timores potiùs & anguſtiæ excitatæ à Dæmone, vel ex turbatione, aut etiam complexione melancholica provenientes abſque ullo vero & deliberato voluntatis conſenſu, ſuper quibus prudenter invigilare debent Confeſſa- Nota

feſſarij, & animarum directores; ex defectu enim debitæ directionis graviſſimi & horribiles interdùm caſus eveniunt: plerumque autem peccata non ſunt, aut tantùm venialia, plerunque ex vacuitate cerebri pura deliria ſunt. Vide quæ diximus de voluntario & involuntario, de tentationibus & ſcrupulis Tom. 1.

Dixi (*omnis ſpei*) ob partiales quaſdam diffidentias & vacillationes, quæ omnem ſpem non tollunt, ut quando quis de ſua virtute & cooperatione, ſive pœnitentia ſufficienti ſic deſperat, ut tamen omnem ſpem non abijciat, quin Deus alio modo ipſi cognito illum ſalvare poſſit; nec omninò ſe non ſalvandum credit, ſed inter ſpem metumque fluctuat.

Dixi (*conſequendi beatitudinem*) ſicut enim beatitudo obtinenda eſt primarium & ultimatum objectum ſpei, ita deſperatio pro objecto habet eandem beatitudinem, quatenùs à deſperante apprehenditur non poſſe acquiri, vel omninò non acquirenda.

Dixi (*vel media ſufficientia ad illam*) Non enim minùs peccat qui deſperat de remiſſione peccatorum, juſtificatione, miſericordia Dei in medijs conſequendis, quibus ad æternam beatitudinem pervenitur, quàm qui de ipſa beatitudine conſequenda ſpem abijcit, & ſicut ſpes pro ſecundario objecto habet media à Deo ordinata ad beatitudinem conſequendam, ità & deſperatio eadem media habet, prout deſperans planè diffidit ea obtinere.

Cauſa deſperationis

Ex varijs porrò capitibus oritur deſperatio. *Primò*, ex eo, quòd deſperans putet Deum non poſſe ipſum ſalvare, aut nolle, vel poſitivè illum reprobaſſe, aut ſe de numero prædeſtinatorum non eſſe,

Secundò, Quia putat peccata ſua irremiſſibilia eſſe obdurationem ſuam & malitiam gratiâ Dei vinci non poſſe, aut cum Cain dicit: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* *Geneſ. 4. verſ. 13.*

Tertiò, Diffidendo de ſua virtute & cooperatione neceſſaria ad hoc, ut ſe emendare poſſit.

Quarto, Ex impatientia & apprehenſione vehementi difficultatum, quas credit ſe ſuperare non poſſe, aut difficultates & labores neceſſarios ad finem totaliter renuit: ut verò de qualitate peccati conſtet, pono Concluſiones ſequentes.

CONCLUSIO. II.

Deſperatio peccatum mortale.

DEſperatio ex ſe, & ex natura ſua eſt peccatum mortale graviſſimum, & ſi ſit ex diffidentia miſericordia Dei, eſt peccatum contra Spiritum ſanctum. Ratio prioris partis eſt: quia continet virtualiter falſam opinionem à Deo, & Dei promiſſionibus, quibus benè operantibus æternam ſalutem, & peccatoribus ad ſe revertentibus miſericordiam repromiſit. *Ratio verò ſecunda partis eſt*: quia contradicit bonitati ac miſericordiæ, quæ Spiritui ſancto ſpecialiter appropriantur.

CONCLUSIO III.

Hæreſis juncta deſperationi.

QVi deſperat ex eo, quòd arbitretur Deum illum ſalvare non poſſe, aut nolle, aut poſitivè illum abſque peccatorum præviſione reprobâſſe, aut peccata

irremiſſibilia eſſe, aut ſuam malitiam & obdurationem Dei gratiâ vinci non poſſe, præter peccatum mortale deſperationis, crimen hæreſeos incurrit. Concluſio clara eſt: quia omnes illæ propoſitiones ſunt hæreticæ, & contra fidem, ut ex textibus & exemplis S. Scripturæ, & definitionibus Eccleſiæ manifeſtum eſt: nullus eſt enim, quem Deus ſalvare non poſſit, aut abſolutè damnare velit ante peccatorum præviſionem; damnatio enim judicium Dei ſequitur: denique *miſericordia ejus ſuperexaltat judicium.* *Jacob. 2. verſ. 13.* Undè Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mea eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à vijs ſuis, & vivat?* Et Iſa. 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum,* &c. *Et venite & arguite me, dicit Dominus; ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur,* &c. *Ezech. 18. verſ. 23. Iſai. 1. verſ. 16., 18.*

CONCLUSIO IV.

Temeritas juncta deſperationi.

QVi deſperat ex eo, quòd de numero prædeſtinatorum ſe eſſe non credat, aut quia diffidit omninò ſe poſſe emendare vitam ſuam, eſt temerarius, & præter deſperationem peccatum temeritatis in materia fidei committit. Ratio eſt: quia teſte Sapiente Eccleſ. 9. *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* Et ad Philip. 2. *Cum metu & tremore ſalutem ſuam quis operari tenetur.* Hic autem in materia fidei de occultis Dei judicare præſumit, quod abſque revelatione certa facere, eſt temerarium. *Eccleſ. 9. verſ. 1. Ad Philip. 2. verſ. 12.*

CONCLUSIO V.

Simplex deſperatio ab hæreſi.

QVi abſque ullo errore vel temeritate in rebus fidei de miſericordia Dei diffidit, ex eo quòd putet Deum defacto ſui non miſerturum, aut ex puſillanimitate ob difficultatem, quam in operibus bonis, & tolerandis tentationibus ſentit, arbitratur ſe non perſeveraturum, *adeoque ſpem omnem beatitudinis conſequendæ abjicit, mortaliter peccat, abſque ullo tamen peccato hæreſeos admixto.* Ratio eſt: quia ejus deſperatio & diffidentia nullo errore nititur: neque enim quis tenetur credere Deum ſui miſerturum defacto, ſed tantùm poſſe miſereri, ſicut nec tenetur credere ſe defacto perſeveraturum; ſed tantùm poſſe cum divino auxilio perſeverare: totum itaque peccatum in hoc conſiſtit, quòd ex animi puſillanimitate, vel ex conſideratione ſuorum peccatorum & imbecillitatis propriæ diffidat & deſperet, cùm teneatur confidere & ſperare ex divino præcepto & mandato.

CONCLUSIO VI.

Deſperatio ex impatientia.

QVi ex gravi laborum & tribulationum impatientia ac deſperatione divini auxilij deliberatè mortem ſibi optat, aut infert, peccat deſperationis peccato mortali. Ratio eſt: quia in quibuſdam laboribus & tribulationibus tenetur omni tempore confidere de divino auxilio, quo vel eripiatur, vel in patientia firmetur. Undè Judith. cap. 8. reprehendit Sacerdotes: *Qui eſtis* (ait) *vos qui tentatis Dominum,* &c. *Poſuiſtis vos tempus miſerationum Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei?* Firmitatem autem ſpei commendat Job c. 13. *Etiamſi occiderit me* (inquit) *in ipſo ſperabo.* *Judith. 8. verſ. 11. 13. Job. 13. verſ. 15.*

Dixi (*ex impatientia ac deſperatione divini auxilij*) licet enim ſibi optare mortem tanquam finem calamitatum ſuarum & peccatorum, quæ committit, exemplo multorum Sanctorum, prour patet in Job. cap. 3. In Elia 3. Reg. 19. In Tobia cap. 3.

CONCLUSIO VII.

Deſperatio radix eſt multorum peccatorū.

Ad Epheſ. 4. verſ. 19.

Deſperatio voluntaria non tantùm eſt peccatum, ſed etiam multorum peccatorum radix & cauſa. Hæc concluſio varijs exemplis ex Scripturis oſtendi poteſt: ad Epheſ. 4. de Gentilibus, *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.* Fit enim, ut qui deſperat de miſericordia Dei & ſalute conſequenda, ſe tradat omnibus peccatis abſque ullo fræno & timore, dum abjectâ omni curâ ſalutis, ſibi omnia licere exiſtimat. Jerem. 18. de peccatoribus, qui dixerunt: *Deſperavimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.* Hinc ex deſperatione in furta, latrocinia, libidines horribiles, homicidia peccatores devolvuntur, & ut plurimùm ſibi laqueo, aut alijs modis vitam adimunt Hinc Cain ex deſperatione *vagus & profugus ſuper terram fuit*, & miſerabiliori morte vitam miſerandam concluſit. Hinc Judas *abiens laqueo ſe ſuſpendit.*

Jerem. 18. verſ. 12.

Gen. 4. verſ. 15.

Matth. 27. verſ. 5.

CONCLUSIO VIII.

Deſperatio meritoria.

Deſperatio de propria virtute ex conſideratione ſuæ infirmitatis, peccatorum, frequentis lapſus, ſi divina miſericordia ſpem non excludat, peccatum non eſt, imò frequenter melioris vitæ incentivum. Pro quo:

Triplex effectum conſiderationis propriæ infirmitatis.

Advertendum eſt: Conſiderationem infirmitatis propriæ & peccatorum diverſa in corde hominis operari: Aliquando enim conſideratio illa melancholiâ ac triſtitiâ hominem conſumit, & hæc non tantùm inutilis eſt; ſed etiam pernicioſa, quia hominem meliori bono privat, dum deſidioſum & torpentem animum reddit & impedit, nè ad meljora adſpiret: aliquando conſideratio illa non modò triſtitiâ hominem conficit; ſed etiam in puſillanimitatem cordis, & diſſidentiam de Dei miſericordia dejjcit, & hic eſt proximus gradus ad deſperationem, ſive ex quo homo præcipitatur ad barathrum deſperationis: aliquando conſideratio peccatorum & diſſidentia de propria virtute hominem ad Deum reducit; fit enim, ut homo abſolute de ſe ipſo, & omnibus viribus ſuis deſperans, & ſentiens ob peccatorum gravitatem & multitudinem ſe omni ex ſe virtute deſtitui, in ſolam Dei miſericordiam animum convertat cum ſpe pleniſſima in unum Deum, qui illum ſalvare poteſt. Et hæc eſt vera hominis Chriſtiani ſpes: hæc ſanctiſſima virtus, quæ hominem ſalvat, & in perfectum Dei amorem transfert, juxta illud Pſalm. 31. *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit.* Et Iſai. 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Pſalm. 25. *In Domino ſperans non infirmabor.* Et Pſalm. 30. ubi Pſalmiſta enarravit omnes ſuas infirmitates & imbecillitates, ac velut proximam perditionem inter manus inimici: *Ego autem* (ait) *ſperavi in te Domine: Dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.*

Pſalm. 31. verſ. 10.

Iſai. 40. verſ. 31.

Pſalm. 25. verſ. 1.

Pſal. 30. Verſ. 15. 16

Eleganter Jerem. Thren. 3. *Et dixi: perijt finis meus, & ſpes mea à Domino: Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ abſinthij & fellis: memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea: hæc recolens in corde meo, ideò ſperabo. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus.* In quibus verbis ex diſſidentia, & deſperatione ſui aſcendit Propheta ad ſpem in ſolo Deo collocandam.

Thren. 3. Verſ 18. 19 & ſeqq.

Singulare remedium contra tentationem

Et in his conſtituitur ſpecialiſſimum & ferè unicum remedium contra deſperationem in homine: nimirùm non obſtante omni argumento contrario, de ſua virtute, operatione, viribus, operibus, diſſidere, & omnem in ſe imbecillitatem, infirmitatem, indignitatem, demeritum agnoſcere: & demùm in ſolius Dei bonitatem & miſericordiam ſe totum projjcere. Tunc enim inimicus non habet, quod urgeat: *Explico*: Proponit tibi Dæmon infinita peccata, peſſimos habitus & inclinationes tuas, recidivas continuas, certam ex tuis peccatis damnationem tuam: prudenter facis, ſi omnia concedis, ſi propoſitionibus omnibus cedis tanquam ex imbecillitatis tuæ conſideratione veriſſima: verùm admiſſa in omnibus imbecillitate tuâ, projjce te in eum, qui ſolus te ſalvare poteſt: & qui infinitos peccatores, quorum deſperata erat ſalus, ſalvavit. Illud ſanè eſt conſilium Sapientis Eccleſ. 2. quod omnibus tentatis familiare eſſe deberet: ubi enim præmonuit, ut homo accedens ad ſervitutem Dei, præparet ſe ad tentationem: qualiter tempore tentationis gerere ſe debeat, ſequentibus articulis illum inſtruit: *Deprime* (inquit) *cor tuum, & ſuſtine, inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus, & ne feſtines in tempore obductionis.* Hoc eſt primum conſilium pro eo, qui eſt in tentatione gravi, etiam deſperationis: *Deprimere cor ſuum, & ſuſtinere*: hoc eſt: nunquam argumentum ſpei ſuæ ſumere ex operibus ſuis, quantumvis bonis, aut ex virtute & actione ſua; ſed deprimendo cor, ſupponere nos nihil poſſe, & merita noſtra nihil eſſe, & cum patientia & ſuſtinentia humiliari, & non feſtinare. Undè ſubdens: *Suſtine* (inquit) *ſuſtentationes Dei, conjungere Deo, & ſuſtine ut creſcat in noviſſimo vita tua*: quibus verbis ad conſolationem eorum, qui tentantur, ipſæ tentationes & afflictiones vocantur *ſuſtentationes Dei*, quia ſingulari Dei providentiâ ad probationem dantur, ut in ſequentibus dicitur. Additur autem pro conſilio: *Conjungere Deo, & ſuſtine*, id eſt, ita in tuis deficias, ut tamen Deo conjungaris & adhæreas, & in ſpe, quam in Deum habes, ſit ſuſtinentia tua, cujus effectus & finis eſt, *ut creſcat in noviſſimo vita tua*: & ne quis vel ex contingentibus, vel ex imaginatis cauſis, aut ex ijs, quæ à tentatione ingeruntur, turbetur, ſubjungitur: *Omne, quod*

Remedium pro tentatione late ex Scriptura deducitur.

Eccleſ. 2. Verſ. 2.

Ibid. v. 3.

tibi

Eccleſ. 2. verſ. 4 &c. *tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* In quibus verbis iterum reſolvuntur, quæ à tentatis & tribulatis proponuntur. Quidquid enim eveniat, ſi foris applicitum eſt, & non noſtrâ culpâ & malitiâ conquiſitum, ſed purè nobis non concurrentibus evenit, accipiendum eſt in probationem noſtram evenire: & quamvis dolores & afflictiones graviſſimas indè patiamur, nihilominùs: *In dolore* (inquit) *ſuſtinendum eſt.* Et demùm, quantumvis ratione delicti videantur inferri: *In humilitate patiendum eſt.* Rationem

Ibidem addit ſacer Textus: *Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Nota tentationes vocari *caminum humiliationis*, quia ad hoc illa tentatio tendit, ut homo de ſeipſo diffidat, cognoſcat, quòd omnis ejus juſtitia aut virtus nihilum ſit ante Deum, & in ſolo Deo ſit ſpes & fiducia noſtra. Quia autem aliquando contingit, hominem ad extremum tentationis gradum devenire, ut ſe perditum arbitretur, ſub-

Verſ. 6. dit ſupremum remedium: *Crede Deo, & recuperabit te* (utique quaſi perditus eſſes) *& dirige viam tuam, & ſpera in illum.* Hæc eſt unica tentati firmitas & certitudo: operari & vivere ordinario timoratorum modo, & ſperare in Deo. Quòd ſi verò ita turbetur, ut in ſe bonum aliquod non videat, aut boni operis directionem, additur ultimum conſilium: *Serva timorem illius, & in illo veteraſce:* hoc eſt: quamdiu in afflictione tua remanet in te amor Dei; & anxietas, ne illum offendas, tamdiu certum eſt, etiamſi omnes Dæmones inſurgerent adversùm te, quòd in iſta afflictione non pecces: quia, ut *Tomo* 1. deduximus, anxietas illa & timor ſunt ſigna involuntarij & noleitatis; ſive diſſenſus voluntatis: iſta enim afflictio, triſtitia, anxietas mentis naſcitur ex eis, quæ nolumus accidere.

Nota diſtinctionem inter tentationem & triſtitias, &c. Hæc deduxi latiùs, ut Lector intelligat: quòd remedia, quæ paſſim tentatis dantur, in Scriptura fundentur, & ut animæ afflictæ in verbo Dei firmentur, non in conſolationibus adventitijs. Si quis ampliora deſideret, recurrat ad eos, qui de vita & directione ſpirituali animarum ex profeſſo tractant, noſtro huic inſtituto hæc ſufficiant.

Hic autem *advertendum eſt:* Confeſſarijs, animarum directoribus, & judicibus, magnam diſtinctionem eſſe inter tentationes Dæmonis, & tædia vitæ, triſtitias, deſolationes graves & extremas, quæ nonnullis accidunt ex atra bili, & humore melancholico prædominante; undè cauſantur funeſtæ imaginationes, quibus ſibi mortem inferre proponunt, & aliquando inferunt: tædia enim illa ſunt quædam maniæ & ſpecies amentiæ, & effectus illi tetri ex perturbatione judicij & rationis procedunt. Undè tales juvandi ſunt arte medicâ, induſtriâ, & præventione. Et ſi quandoque mortem ſibi inferant, non deſperationi; ſed maniæ actus ille imputandus eſt, niſi aliud aliundè conſtet.

Nota. Unde neque pœnis deſperatorum plectendi ſunt, ut cadaverum in publica furca expoſitione, &c. niſi fortè ad exemplum in horrorem facti expedire judicaretur.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit Præſumptio, & qualiter ex præſumptione peccari ſoleat.

CONCLUSIO I.

Præſumptionis definitio. P*Ræſumptio eſt actus voluntatis deliberatæ proponentis ad beatitudinem, peccatorum remiſſionem, aut alia dona ſupernaturalia ad beatitudinem ordinata pervenire, abſque medijs à Deo ad illa obtinenda conſtitutis.*

Dixi (*actus voluntatis deliberatæ*) ad excludendas quaſdam audacias naturales, & motus voluntatis deliberationem prævenientes.

Dixi (*proponentis*) in ordine ſcilicet ad actionem: ſi enim abſque ordine ad actionem præſumptuoſum illud judicium in intellectu permaneat, aut hæreſis erit, aut judicij temeritas, quæ eſt filia ſuperbiæ, aut ſtultitia & delirium.

Dixi (*ad beatitudinem, peccatorum remiſſionem, aut alia dona ſupernaturalia ad beatitudinem ordinata pervenire*) Ex his enim capitibus objectivè ſolet præſumptio, ut ſpei Theologicæ opponitur, generari. Quemadmodum enim ſpes pro objecto habet beatitudinem, & media a Deo ordinata ad illam: ita præſumptio ex his menſuranda eſt, ſi nimirùm voluntas in proſequendo beatitudinem excedat, ſperando illam obtinere abſque medijs lege ordinariâ à Deo conſtitutis. *Ex. g.* Primò, ſi quis ex proprijs viribus beatitudinem, remiſſionem peccatorum, & merita conſequi credat. Secundò, ſi abſque operibus ex ſola fide juſtificari & beatificari prætendat. Tertiò, ſi quantumcunque ſit vitæ pravæ, ſperet tamen Deum ſibi propitium fore abſque ullo animi bono motu, & propriæ ſalutis curâ. Quartò, ſi contra Dei ordinationem, contemptis medijs ordinarijs, inordinatè à Deo expectet, quod aut à Deo impetrari non poteſt (utpotè quia per ſe malum eſt) aut non niſi miraculo, & extraordinariâ potentiâ fieri poteſt. Hæc eſt enim tentatio Dei, & præſumptio vana: ſuper quibus omnibus pono regulas ſequentes.

Regulæ,

Ad intelligenda peccata Præſumptionis, prout ſpei opponitur:

Regula 1.

Q*Uicunque adultus præſumit ſe abſque ullo merito & propria cooperatione ad beatitudinem pervenire poſſe, præſumptionis peccato mortaliter peccat, & hæreticus eſt.* Regula clara eſt: hæreticum enim eſt dicere hominem adultum abſque meritis, & propria cooperatione ſalvari poſſe juxta varios Canones S. Concilij Tridentini ſeſſ. 6. de Juſtificatione, ſpecialiter Can. 9.

S. Aug. & 20. Undè & illud circumfertur ex S. Auguſtino: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.*

Regula 2.

Q*Vicunque credit tantam eſſe Dei miſericordiam, ut quantumcunque peccet, aut in peccato perſeveret, modo fidem Catholicam retineat, tamdiu ſe remiſſionem peccatorum virtute ſuæ fidei recepturum, & infallibiliter ſalvandum, præſumptionis divinæ miſericordiæ, & hæreſis crimen ſimul incurrit.* Et hæc iterum regula ex Scripturis clara eſt: Jacob. 2. verſ. 20. *Fides* enim *ſine operibus mortua eſt.* Et ſola illa fides eſt juſtificans, quæ per charitatem operatur. Luc. 13. verſ. 3. Denique affirmat CHRISTUS: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Regula 3.

Tentatio Dei. Q*Vicunque auxilium, miſericordiam, gratiam, vel effectum quemcunque à Deo certò expectat medijs inordinatis, excluſis & contemptis medijs ordinatis, præſumptionis peccato mortali offendit & Deum tentare cognoſcitur.* Hoc modo peccant, qui Confeſſionem, & alia media ad ſalutem neceſſaria negligunt ſibi proponentes, quòd Deus in articulo mortis illos non derelinquet. *Item*: Qui mortis apparentis periculo voluntariè & abſque neceſſitate, vel gravi utilitate ſe exponit, credens quòd Deus miraculosè illum eripiet, &c.

Dixi (*abſque neceſſitate, vel gravi utilitate*) *Neceſſitas* enim quandoque urgere poteſt hominem, ut ſe periculo mortis exponat, quando ſcilicet non poteſt evadere abſque Dei offenſa: *Utilitas* autem gravis cenſetur, quando in magnum proximi bonum cedit. Abominanda verò & blaſphema eſt eorum præſumptio: Nota. qui ſperant à Deo precibus, Sacrificijs, & alijs bonis operibus obtinere, quæ per ſe mala ſunt: ut injuſtam bonorum poſſeſſionem, cauſæ quam perverſam ſciunt, victoriam, de inimicis injuſtam vindictam, &c. quæ (proh dolor!) in excœcatis quibuſdam propriâ malitiâ animabus ſubrepunt, quæ quamvis injuſtitiam rei illius, quam petunt, perſpectam habeant, eò tamen dementiæ perveniunt, ut precibus effectum commendent, & Sacrificijs ac peregrinationibus tem quantumvis malam à Deo expoſtulent.

Regula 4.

P*Ræſumptionis etiam peccatum mortale incurrunt, qui quovis modo ſpem ſuam in creatura inordinatè collocant, niſi levitas materiæ excuſet.* De Ierem. 17. verſ. 5. quibus dicitur Ieremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum:* Cap. 7. verſ. 4. *qui confidunt in verbis mendacij: qui ſperant in in-* 1 ad Timoth 6. verſ. 17. *certo divitiarum ſuarum.*

Dixi (*inordinatè*) ponere enim ſpem in creatura, quatenùs ad effectum ſperatum in auxilium à Deo ordinatur, vel ex vi ſua aliquid ordinatè conferre poteſt, res eſt licita, & veluti quoddam ſpei noſtræ adminiculum. Hinc orationes Sanctorum & juſtorum ſpei noſtræ adminicula, & velut adjutoria à Deo ordinata ſunt, & in tantum in Sanctos ſperare poſſumus, in quantum ordinatio divina permittit, & non amplius. Sed ad Concluſiones redeamus

CONCLUSIO II.

Præſumptio qualiter ſit peccatum in Spiritum ſanctum. P*Ræſumptio de divina miſericordia, quatenùs auffert rigorem divinæ juſtitiæ, vel claudit viam ad gratiam, vel peccato habenas laxat, eſt peccatum in Spiritum ſanctum.* Ità peccare cenſentur, qui ex ſpe miſericordiæ Dei peccata peccatis accumulant, & pœnitentiam uſque ad mortem differunt: ſi nimirum ſpes Confeſſionis tunc faciendæ, & largitatis miſericordiæ Dei ſit ipſis ratio peccandi. Quod addo: ſi enim ſpes Confeſſionis & miſericordiæ Dei in hora mortis conſequendæ tantùm concomitanter ſe habeant, nec præſumptio de miſericordia dici debet, nec peccatum in Spiritum ſanctum; ſed eſt actus ſpei Theologicæ, quâ quovis tempore uſque ad mortem homo miſericordiam Dei ſperare tenetur. Tunc verò cenſetur præſumptio eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, & cauſa peccati, quando hæc conditionalis in illa includitur: *Quia ſcio Deum propitium eſſe peccatoribus uſque ad mortem, ideò omni licentioſa vitæ habenas laxabo, & peccabo liberiùs*: tales enim juſtitiam Dei virtualiter negant, & miſericordiam ac bonitatem ejus peccatis ſuis oppugnãt. Denique quantum eſt ex ſe, Dei iram contra ſe provocant.

CONCLUSIO III.

Deſcriptiones peccati ex Scriptura. P*Ræſumptionis peccatum variè in Scripturis deſcribitur & condemnatur.* Et quidem ſub peſſimo effectu ſecuritatis. Eccl. 8. *Sunt impij,* Eccl. 8. verſ. 14. *qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant.* Iſai. 28. *Dixiſtis enim: percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Iſai. 28. verſ. 15. (Nota præſumptionem inniti falſitati & mendacio contra Dei juſtitiam & bonitatis ejus regulas certas) ſed & totius præſumptionis ſubverſio deſcribitur ibidem: *Ponam* Ibidem, Verſ. 17. (ait Dominus) *in pondere judicium, & juſtitiam in menſura, & ſubvertet grando ſpem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt.* Iterum Eccli. 35. *Fortiſſimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorſum ipſorum,* &c. *donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos, & ſecundùm opera Adæ, &* Eccli. 35. v. 22.24. *ſecundum præſumptionem illius.* Eccli. 18. *Vidit præſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt, &* Eccli. 18. verſ. 10. *cognovit ſubverſionem illorum, quoniam nequam eſt.* Et alia vide Sap. 5. de ſpe impij; illa enim non eſt niſi præſumptio de divina miſericordia ultrà juſtum & debitum, aut de viribus proprijs, aut in incertò divitiarum & poteſtatis hujus ſæculi, aut in vana ſpe vitæ longioris & pœnitentiæ in fine vitæ ſuæ.

Cotol-

Corollarium.

Pro reductione peccatorum quæ in præſumptione contra Spei præceptum includuntur, ad ſua fundamenta.

EX dictis deduci poſſunt omnia peccata; quæ vel præſumptione committuntur, vel ex præſumptione originem ducunt.

Aut enim quis præſumit contra regulas divinæ juſtitiæ, credens abſque meritis & operibus ſolâ fide ſalvari, quod (ut dixi) non modò falſum; ſed etiam hæreticum eſt: aut credit propriâ virtute & ſuâ induſtriâ & diligentiâ ſupernaturalia dona obtinere, & iterùm hæreſim ſimul cum præſumptione incurrit, quia, ut dicitur apud Prophetam: *Confidit in verbis mendacij, & ſuper baculum arundineum*: aut ejus præſumptio oritur & propriis factis & meritis etiam ſupernaturalibus quæ habere ſe credit, vel quia ſe de numero prædeſtinatorum eſſe fingit, & Luciferiana ſuperbia eſt hujus præſumptionis mater: aut miſericordiam Dei ultra omnis rectitudinis modos ſibi proponit, ſtatuens quòd quantumvis malè operanti Deus infallibiliter parcet vel miraculosè illi ſubveniet, & hæc impia ſecuritas eſt præſumptionis peſſimæ filia: aut denique perfida tentatio Dei eſt, dum expectat mediis inordinatis à Deo accipere, quod Deus aut dare non conſuevit, aut non niſi mediis ordinatis dare diſpoſuit.

Deductio omnium … præſumptionis. Iſa. 36. v. 6

Advertendum porrò *eſt primò*, quòd cùm omnis præſumptio oppoſita ſpei alicui falſitati ſuprà vel contra divinas ordinationes innitatur, quoties falſitas articulo alicui vel propoſitioni fidei contradicit, toties ipſa præſumptio hæreſim conjunctam habet, & præſumptuoſus hæreſim ſaltem internam incurrit. Quando verò falſitas opponitur ſimpliciter veritati quæ de fide non eſt, tunc præſumptio eſt ſimpliciter erronea, & quamvis contra divinam ordinationem militet & falſitatem contineat. Hæreſim tamen involvere non cenſetur, quia propoſitionem, vel articulum fidei non contingit. *Explico.* Aliquis fatuè opinatur ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, ideoque ſibi perſuadet quòd, quidquid egerit, opportuno tamen tempore potenti Dei gratiâ convertetur & ſalvabitur: Cùm non ſit fidei ipſum eſſe prædeſtinatum, vel non prædeſtinatum præſumptio illa non reputabitur hæreſim complecti: ſed ſuperbia vel fatuitas, aut falſitas adinventa erit.

Quando præſumptio hæreſim conjunctã habeat.

Advertendum ſecundò, indeliberationem & levitatem materiæ etiam in præſumptionis præcepto inveniri: audaculæ enim levitati & inconſiderationi præſumptio aliquando imputanda eſt, & ſi ſit in levi aliqua materia, quæ non videatur graviter contra Dei bonitatem & juſtitiam impingere, veniali culpæ ſive ob indeliberationem, ſive ob materiam & circumſtantias deputari debebit, non mortali peccato.

Præſumptio venialis.

TITVLVS IV.

De charitatis præceptis & obligationibus.

QUÆSTIO I.

Quid eſt Charitas?

CONCLUSIO UNICA.

CHaritas eſt virtus Theologica & ſupernaturalis, quâ Deus diligitur propter ſeipſum, & proximus propter Deum. *Definitio Charitatis.*

Dixi (*virtus Theologica*) pro objecto enim Deum habet primariò ut in ſe bonum, ſecundariò ut ſuam bonitatem manifeſtat in creatura rationali.

Dixi (*ſupernaturalis*) amor enim Dei naturalis charitas non eſt, etſi ſimilitudine quâdam rationis charitati ſimilis ſit, & quandoque hoc nomine abuſive vocetur: charitas verò, ut eſt theologica virtus, eſt donum Dei per ſe infuſum juxta illud ad Rom. 5 *Charitas Dei diffuſa eſt in in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* *Ad Rom. 5 verſ. 5.*

Dixi (*quâ Deus diligitur propter ſeipſum*) id eſt, propter ſupremam & irreferibilem bonitatem quæ eſt in Deo, ut ſignificetur amor amicitiæ; excludatur autem amor concupiſcentiæ, qui eſt imperfectus & à perfecta charitate non procedit.

Dixi (*& proximus propter Deum*) id eſt, propter bonum divinum quod in proximo eſt, vel ad quod proximus creatus eſt. Ex qua concluſione

Infero primò, Deum ut in ſe bonum, ſive infinitam Dei bonitatem eſſe objectum formale charitatis: ita tamen, ut bonitas illa non dicat ſpeciale attributum Dei, ut ab aliis diſtinguitur; ſed exprimat abſolutam Dei excellentiam in omni genere perfectionis, quatenus amabilis & diligibilis eſt: amabilis autem & diligibilis eſt Deus in ſapientia, juſtitia, omnipotentia, miſericordia ſua, &c. ſive quia ſapiens, juſtus, omnipotens & miſericors eſt.

Infero ſecundò, proximum quâ proximus eſt, ſive ob aliquam rationem honeſtatis & intrinſecam ſuam bonitatem non eſſe objectum charitatis Theologicæ; ſed tantùm quatenus bonitas divina donis ſuis in eo relucet, ut gratia, ſanctitate, juſtitiâ, &c. vel quatenùs proximus ad Deum ordinatur, id eſt, quatenùs ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, eſt æternæ beatitudinis nobiſcum capax; unde amor proximi ob innatam proximo honeſtatem vel aliquod naturale donum in ſe non eſt effectus charitatis theologicæ; ſed effectus quidam virtutis aut habitus moralis naturalis vel acquiſiti, & à charitate theologica diſtincti. *Nota.*

Dico (*in ſe*) prout enim donum aliquod naturale proximo inexiſtens in Deum refertur,

& à Deo eſt, motivum etiam charitatis eſſe poteſt, non *in ſe*, ſed in Deo, & propter Deum ad quem refertur.

Infero tertio, omnem amorem, qui ſingulariter in Deo & propter Deum non exercetur, non pertinere ad charitatem: ſed amicitiæ aut amori naturali vel acquiſito adſcribendum.

Dico (*in Deo*) id eſt, ut motivum illius ſit Deus ſive divina bonitas: amor itaque qui charitatis eſt, duo illa neceſſariò requirit, nimirùm *ut in Deo fiat*. Id eſt, ut ſit amor rectus. *Secundò, ut propter Deum fiat*, id eſt, ut ad Deum referatur.

Conditiones amoris ut ſit charitatis effectus.

QUÆSTIO II.

An detur præceptum charitatis & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Præceptum charitatis.

D*Atur præceptum charitatis obligans hominem ſub peccato mortali ad amandum Deum.* Concluſio in Scripturis trivialis eſt & omnibus obvia. Deut. 6. *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod repetens Chriſtus Matth. 22. addit: *Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Iterùm Marci 12. & Luc. 10. idem repetitur. Quòd autem illud præceptum obliget ſub peccato mortali, conſtat ex illo 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt.*

Deut. 6. verſ. 4.
Matth. 22. verſ. 38.
1. Joann. 3 v. 15.
Ibid cap. 4 verſ. 7.

CONCLUSIO II.

Charitatis præceptum duplex.

D*Atur duplex charitatis præceptum*: primum quidem *abſolutum* de dilectione Dei propter ſeipſum: Secundùm *reſpectivum* de dilectione proximi propter Deum Matth. 22. *Secundum* (inquit) *ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut teipſum: In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ.* Quod repetitur Marci 12. ampliori diſcurſu.

Matth 22. v. 39 &c.

Dixi (*ſecundum mandatum eſſe reſpectivum*) Non enim mandatur diligi proximus propter ſe & in ſe; ſed in ordine ad Deum, prout ſuperiùs explicatum eſt. Quod quidem colligitur ex primo & maximo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Si enim proximus propter ſe diligendus eſt: jam ex toto corde Deus non debet diligi, quandoquidem cum illo alius irreferibiliter diligi poſſit. Quod etiam ex fine dilectionis ſive charitatis oſtendi poteſt: cùm enim plenitudo legis ſit dilectio, & (ut ait alibi Apoſtolus) *finis legis ſit charitas*; charitas autem pro primario objecto Deum habeat, quidquid propter Deum non diligitur, ex charitate non diligitur; vera enim charitas eſt, quâ alicui verum bonum volumus; nullum autem verum bonum dari poteſt, niſi ſolus Deus, & ideò non niſi propter Deum alia diligi poſſunt ex vera charitate: Hunc ſanè ſenſum dilectionis proximi propter Deum clariſſimè explicavit Chriſtus Joann. 13. *Mandatum* (inquit) *novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* In quem locum S. Auguſt. tract. 65. in Joann. *Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus ſicut dilexi vos. Quid enim niſi Deum dilexit in nobis? non quod habebamus, ſed ut haberemus: ut perducat nos ſicut paulo antè dixi, ubi ſit Deus omnia in omnibus. Sic etiam medicus rectè dicitur ægros diligere. Et quid in eis niſi ſalutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere; ſic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum poſſumus, invicem ad habendum in nobis Deum curâ dilectionis attrahamur.* Hæc Auguſt. Rurſus hoc idem innuit *comparativum* additum in mandato de dilexione proximi: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ubi S. Auguſt. lib. 1. de doctrina chriſtiana cap 22. *Hæc* (ait) *regula dilectionis divinitùs conſtituta eſt: ut Deum propter ſe ex toto corde, & proximum diligas ſicut teipſum.* Id eſt: ſubdit magiſt. ſent. in 3. diſtinct. 27. *ad quod & propter quod teipſum diligere debes: in bono enim & propter Deum te diligere debes*, &c. *Qui ergo amat homines, vel quia juſti ſunt, vel ut juſti ſint, amare debet* (hoc eſt, in Deo vel propter Deum) *ſic enim & ſeipſum amare debet* (ſcilicet in Deo, vel propter Deum, id eſt) *quia juſtus eſt, vel ut ſit juſtus*, inquit Auguſt. Reliqua de charitate vide in textu magiſtri ſuprà: ubi etiam ex ſancto Auguſtino libro 8. de Trinit. cap. 7. rationem reddit: cur, cùm duo ſint præcepta charitatis, pro utroque ſæpè unum ponatur? ut ad Roman. 13. ubi omne mandatum dicitur inſtaurari in hoc verbo: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: *Quia* (inquit) *nec Deus ſine proximo, nec proximus ſine Deo diligi poteſt.*

Joan 15. v. 14.
S. Auguſt. Tract. 65. in Ioann. poſt med.
Idem lib 1 de doctr. Chriſt. cap. 22.
Idem lib. 8 de Trin. c. 6. in fine.
Rom. 13. verſ. 9.

Petes: Cur non detur tertium præceptum charitatis de dilectione ſui? Quæſtionem reſolvit ſanctus Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 23. & cap. 26. apud magiſtrum ſuprà diſt 28. dum ait: *Quatuor diligenda ſunt: unum quod ſupra nos eſt*, ſcilicet Deus: *alterum quod nos ſumus: tertiũ quod juxta nos eſt*, ſcilicet proximus: *quartum quod infra nos eſt*, ſcilicet corpus: *De 2. & 4. Nulla præcepta danda erant: quantumlibet enim homo excidat à veritate, manet illi dilectio ſui & dilectio corporis ſui, quia nemo unquam carnem ſuam odio habuit: nam viri juſti qui corpus ſuum cruciant, non corpus; ſed corruptiones ejus & pondus oderunt.*

Magiſt. in 3. d. 27.
Nota.
S. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 23 & 26.

Deinde præceptum dilectionis ſui in præcepto dilectionis proximi includitur: *Cùm enim dictum eſt* (inquit S. Auguſtinus) *diliges proximum tuum ſicut teipſum, ſimul & tui abs te dilectio prætermiſſa non eſt.* Utique quia particula *ſicut teipſum*, demonſtrat & ſupponit quòd quis ſeipſum primò diligere debeat, & modus dilectionis ſui proponitur tamquam regula dilectionis proximi, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, & ampliùs dicemus agentes de ordine charitatis.

Idem ſup. cap. 26.

CON-

CONCLUSIO III.

U*Trumque præceptum affirmativum dilectionis Dei & proximi duo alia negativa includit*, nimirùm: præceptum *de non odiendo Deum*, & præceptum *de non odiendo proximum*. Qui enim præcipit Deum diligere, conſequenter odium Dei prohibet: & qui mandat diligere proximum ſicut ſeipſum, odium ſui & proximi intelligitur prohibere. Ut verò hæc præcepta tam in ratione affirmativi, quàm in ratione negativi, & peccata contra illa commiſſa clariùs intelligantur, pono aliquas ſectiones.

SECTIO I.

De peccatis contra Dei dilectionem.

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat ſubſtantia mandati dilectionis Dei?

CONCLUSIO UNICA.

S*Ubſtantia totius mandati dilectionis Dei eſt: ut actus dilectionis Dei excludat omnem actum contrarium vel contradictorium vero Dei amori*, id eſt, ut nihil ſupra Deum, nihil æqualiter Deo diligatur, ut inter alios benè expreſſit Doctor Seraphicus S. Bonaventura in 3. D. 27. art. 2. quæſt. 6. (ubi explicans dilectionis divinum

Matth. 22. verſ. 37.

mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* (ut habetur Matth. 22.) ſive ut additur

Marc. 12. verſ. 30. Luc. 10. verſ. 27. Deut. 6. verſ. 5.

(Marc. 12.) *Ex tota virtute tua.* & (Luc. 10.) *Ex omnibus viribus tuis.* Et (Deut. 6.) *Ex tota fortitudine tua*) docet dupliciter poſſe amorem Dei cor totum poſſidere. Primò univerſaliter, ut excludit omnem affectum extraneum, & tunc dominatur amor plenè & perfectè cordi, utpotè, ut (ex S. Auguſt lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 22. explicat Magiſter) *Ut omnes cogitationes & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea quæ confers. Hæc dicens nullam partem vitæ noſtræ reliquit quæ vacare debeat, ſed quidquid venerit in animum, illuc rapiatur, quo dilectionis impetus currit.* Et hic modus ſummæ perfectionis eſt, nec poteſt haberi ante adeptionem gloriæ: *Ubi* (inquit S. Bonaventura) *ad ipſum Deum aſpicientes, & in ipſum feremur continuè.* Secundo modo dicitur amor Dei totum cor poſſidere, quando excludit omnem affectum amori Dei contrarium, hoc eſt, quòd nihil diligatur ſupra Deum, vel æqualiter ipſi Deo, *& ſic* (ait dictus Sanctus) *diligit Deum ex toto corde, qui diligit Deum propter ſe, & ſuper omnia.* Addit reſolutoriè: *Nos in via non teneri ad impletionem præcepti ſecundùm primum modum: ſed exprimitur* (ait) *in præcepto, ut ſciamus quò per amorem debeamus tendere, & ut nemo ſe perfectum arbitretur, quouſque illam perfectionem fuerit aſſecutus*: Secundo autem modo nos teneri præceptum dilectionis Dei adimplere: quia ita tenemur diligere, ut actus amoris ſic feratur in Deum, ut nil æquale, nil ſupra Deum

S. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 22.

S. Bonav.

Idem.

admittat. Videatur etiam S. Auguſtinus in litt. magiſtri ſententiarum. Ex qua reſolutione conſtat ſubſtantiam mandati dilectionis Dei, duo requirere.

Duo ad ſubſtantiã præcepti amoris Dei requiſita.

Primum eſt: ut actus quilibet dilectionis in Deum referatur actualiter & immediatè, aut ſaltem virtualiter referri poſſit: id eſt, ut nihil contrarium Dei dilectioni contineat quò minùs ad Deum referri poſſit: *Explico*: Cùm ſint duo termini *Deus* & *creatura*, verus amor Dei id requirit, ut homo nullam *creaturam* amet irreferibiliter ad Deum; ſed ſi quis amor creaturæ homini permittatur ratione honeſti, vel boni creati (ut eſt amor conſanguineorum, amicorum, vel quicumque amor naturalis creaturæ cujuſcumque) ita permittitur, ut non excludat ullatenus Deum, neque in creatura ſiſtat: ſed ut virtute ad Deum referatur: Quemadmodum enim ordinatum eſt à Deo ut pars inferior ſubjiciatur rationi, ita ordinatum eſt ut pars rationalis ſubjiciatur Deo, & conſequenter nulla actio ordinata eſſe cenſetur, niſi prout rectæ rationi & divinæ regulæ eſt conformis & ad Deum referibilis. Amor itaque creaturæ qui hunc finem excludit, perverſus eſt, & peccatum includit. Unde eſt illud Tobiæ 6. *Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Hoc igitur eſt Deum diligere: In omni amore Deum non excludere, ſive actum honeſtum & licitum exercere conformiter ad regulas æternas à Deo conſtitutas, quibus actus in creatura non ſiſtit, ſed virtute ad Deum revertitur, ſive referibilis eſt.

Tob. 6. v. 7.

Secundum, quod ad ſubſtantiam mandati dilectionis Dei requiritur, eſt, ut appretiativè Deus ſuper omnia diligatur, id eſt, ut nihil Deo æqualiter aut ſupra Deum ametur: ſive ut Deũ æſtimativè plùs ames quàm animam, corpus, vitam, bona fortunæ & quæcumque creata.

Dixi (*appretiative*) neque enim intenſio vel vehementia actûs requiritur; ſed ſufficit ut virtualiter nihil ſupra Deum, nihil æqualiter Deo diligatur, & ut appretiativâ æſtimatione Deus in quem amor fertur, omnibus creatis præferatur. Et hoc eſt quod indicant tot vocabula in hoc præcepto à Scriptura & Chriſto Domino poſita: Cùm enim *cor* omnium motuum corporalium ſit principium, per *cor* intelligitur *voluntas*, quæ omnium motuum ſpiritualium & humanarum eſt radix, utpotè, qua formaliter in Deum ut ultimum finem tenditur: Diligere itaque Deum *ex toto corde*, eſt diligere Deum ex tota voluntate & affectu, ita ut actui dilectionis nil Deo contrariũ vel æquale in dilectione immiſceatur, aut à voluntate diſſimuletur. Per *mentẽ* intelligitur intellectus, *menti* enim maximè cõgruit *contemplatio* ſive *intelligentia*: unde dicitur homo *tota mente* diligere Deũ, quando actui amoris nullus præſupponitur error, aut falſitas: quâ ratione qui intellectum infidelitate infectum habet, Deum ex tota mente diligere non

Explicationes particularum in præcepto amoris Dei.

non poteſt, quia error infidelitatis in intellectu Deum, ut eſt, non repræſentat. Per *animam* intelligitur virtus appetitiva & ſenſualis: Unde dicitur *totâ animâ* diligere, qui nihil in appetitiva & ſenſuali admittit vel permittit quod puro Dei amori contrarium exiſtimat. Per *fortitudinem* & *virtutem* intelligitur robur corporale: Et ſic Deus dicitur *ex tota fortitudine* diligi, quando nihil in viribus corporis voluntate conſentiente diſſonat, quò minùs voluntas in Deum feratur. Et univerſaliter, ille dicitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine diligere, qui quidquid ex potentiis tum ſpiritualibus, tum corporalibus provenit, aut in Deum formaliter ordinat, aut ſaltèm voluntariè à Deo declinare

Rom. 14. verſ. 6. non permittit; Unde eſt illud S. Pauli ad Rom. 14. *Qui ſapit diem, Domino ſapit, & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* verſ. 7.8. *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur: ſive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Coloſſ. 3. verſ. 17. Et ad Coloſſenſes 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESV CHRISTI, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.*

Quadrupliciter diligitur Deus. Ex quibus omnibus *colligo* quadrupliciter hominem dici diligere Deum ſuper omnia, primò *formaliter*, cùm actum formalem dilectionis Dei ſuper omnia elicit. Secundò *virtualiter*, quando actus & opera ſua in Deum ut in finem ultimum dirigit. Tertiò *interpretativè*, quando mandata Dei & opera mandatis correſpondentia exercet juxta illud Joann. 14. Joann. 14. v. 23.24. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: Et è contra: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Quartò *negativè* quis dicitur Deum diligere, quia nihil facit quod Deum offendere poſſit.

QUÆSTIO II.

Quo tempore quis teneatur actum dilectionis Dei elicere ſub peccato mortali?

CONCLUSIO UNICA.

Tribus ferè temporibus homo tenetur actum dilectionis Dei ſuper omnia elicere ſub peccato mortali.

Primò, in initio morali uſus rationis: Initium verò morale uſus rationis intelligo, quando homo ad adultam ætatem perveniens, & ſufficienter inſtructus de Deo & Dei bonitate, ſive lumine naturali, ſive lumine ſupernaturali fidei acquiſito, reflectitur & apprehendit Deum ſuper omnia debere diligi: quando verò id ſit, unusquiſque apud ſeipſum perpendere poteſt, neque enim omnium eadem eſt ratio aut capacitas: ego verò credo tunc eſſe, quando ſuppoſitis ſupradictis, immediatè homo incipit eſſe capax offendendi Deum mortaliter: & initium illud interpretor non mathematicè pro aliquo inſtanti temporis: ſed moraliter, nimirùm pro morali conditione & conſtitutione hominis. *Ratio mea eſt*: quia nemo eſt capax præcepti, niſi ſit capax deliberationis & voluntariæ obſervationis illius; non eſt verò capax deliberationis, niſi cùm jam peccare poteſt, & de obligatione præcepti dijudicare.

Secundò, in articulo vel periculo mortis. Cùm enim tunc ſpiritus revertatur ad Deum qui dedit & creavit illum, & diabolus inſidietur calcaneo hominis, graviſſimæ in præcepto tanti momenti negligentiæ arguetur, ſi toto corde non revertatur ad illum, cui æterno amore debet in beatitudine conjungi: unde morientem, vel in periculo mortis conſtitutum duo præcepta conſtringunt.

Primum, contritionis ſi in peccato eſt, juxta illud Eccl. 5. Eccl. 5. verſ. 8.9. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

Secundum, Etſi in peccato non ſit: *præceptum dilectionis Dei ſuper omnia.* Hoc inſinuatur in parabolis evangelicis nomine *vigiliæ ſervi fidelis*; vigilia enim ſervi fidelis in amore Domini conſiſtit, ut venienti confeſtim aperiat: Amor enim Dei ſuper omnia, lumborum ſuccinctione & lucernarum ardentium geſtatione, ac vigilanti expectatione exprimitur cùm dicitur: Luc. 12. v. 35.36. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei*: Effectus enim amoris eſt apertio cordis. Unde & excluduntur virgines fatuæ, quia cùm Matth. 25. verſ. 6. *clamor factus eſt* ſponſi venientis, oleum gratiæ, & lampades amore ardentes non habuerunt. Et Eccleſiaſtici 14. Eccl. 14. v. 11. 12. dicitur: *Fili ſi habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer: memor eſto, quoniam mors non tardat.* Deo digna oblatio, eſt amoris Dei excitatio, quæ morte inſtante offerenda eſt. Unde & infrà dicitur: Verſ. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Dies bonus* ille eſt, qui nos æternitati aſſignat: *particula boni doni*, eſt actus amoris Dei ſuper omnia, qui perſeverantiam boni in extremo vitæ concludit. quâ ratione jubetur Timotheus 1. epiſt. c. 6. 1. Timot. 6. v. 14. ſervare *mandatum ſine macula, irreprehenſibile, uſque in adventum Domini noſtri IESV Chriſti.* Hoc enim eſt primum & maximum mandatum quod in adventu Domini noſtri exhibendum eſt.

Tertiò, Obligatur quilibet fidelis elicere actum amoris Dei ſuper omnia, quoties tenetur conteri, aut vincere gravem tentationem, quæ abſque tali actu non poteſt ſuperari, aut quando opus aliquod exercendum eſt, quod actum amoris Dei ſuper omnia, requirit. De contritione res clara eſt; actus enim amoris Dei ſuper omnia, eſſentialiter in contritione vera includitur. De tentationibus exemplificare poteſt *v.g.* in tentatione odij Dei, in tentationibus quando vel ſcortandum eſſet, vel moriendum: quando paupertas, exilium, carcer perpetuus ſubeundus, aut negandus Chriſtus: In his enim & ſimilibus ad tentationem ſuperandam neceſſe eſt actum amoris Dei elicere.

Idem

Idem dicendum quando martyrium ſubeundum, quando res aliqua heroica, & quæ vires humanas ſuperat, proprer Deum aggtedienda.

QUÆSTIO III.

Quæ ſunt peccata præcepto affirmativo dilectionis Dei ſuper omnia oppoſita.

ADvertendum primò. Præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, aliquando ſumi pro univerſali quodam præcepto, quod per ſingula præçepta Decalogi virtute diſtribuirur: Ptæcepta enim Decalogi ſunt quædam ſpecies ab hoc generaliſſimo præcepto deductæ: Quisquis namque mandarum aliquod transgreditur, Deum ſuper omnia non diligere convincitur: omne enim peccarum aliquam averſionem à Deo in ſe continet, & omnis mandati transgteſſio aliquam averſionem à mandante indicat. Unde à mandatis generalibus chatitatis Dei & proximi, univerſa lex & Prophetæ dependere perhibentur *Matth.* 22.

Advertendum ſecundò, præceptum dilectionis Dei ſuper omnia hîc ſumi pro quodam ſpeciali ptæcepro, & peccata illi oppoſita pto peccatis ſpecialibus quæ in ſpecie dicto ptæcepto opponuntur: darur enim ſpecialis Dei cultus per chatitatem ſicut & per fidem, & virtus illa Theologica, cùm ſit virtus ſpecialis, ſpeciali etiam mandato ptæcipi cenſetur.

Avertendum tertiò, Tria potiſſimùm in actu amotis Dei ſuper omnia contineti ut Quæſt. 1. dictum eſt. 1. Ut excludatur omnis actus contrarius amori Dei. 2. Ut nihil Deo præferatur. 3. Ut nihil Deo æquetur; ſed voluntas fetatur in Deum ut ſupremum bonum, cui nullum æquale eſt. His ſic ptænotatis, pono infallibiles concluſiones ſequentes.

CONCLUSIO I.

Odium Dei peccatum mortale.

OMnis actus odij vel pravæ affectionis in Deum & Christum, ſive in corde interiùs, ſive verbis vel ſignis manifeſtetur exterius, eſt peccatum mortale ex ſuo genere graviſſimum contra affirmativum præceptum ſpeciale dilectionis Dei. Ratio eſt clara. Amori enim Dei è diametro opponitur odium Dei, quod eſt quædam averſio à Deo tanquam ab inimico, ſub apprehenſione mali & diſconvenieotis, & quamvis, juxta *Doctorem ſubtilem Scotum 2.d.43.q. unicá*, Deus proptiè in ſe odio haberi non poteſt, utpotè, de quo vel in quò nullum malum verum vel apparens excogitari valeat: nihilominus ex præſuppoſito ſæpè in Scriptutis impij dicuntur odite Deum, ptimo, *in ſe*: Quia ſi poſſibile eſſet, vellent Deum non eſſe, vellent mali capacem eſſe, & quantùm eſt ex ſe, vellent ſe poſſe Deo nocete. Secundò *in effectibus ſuis*, ut juſtitiæ, vindictæ, &c. inquantùm vellent Deum non punite, vel punite non poſſe. De hoc odio Pſalm. 73. *Gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ.* Ibid. *Ne obliviſcaris voces inimicorum tuorum, ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Pſalm. 82. *Quoniam ecce inimici tui ſonnerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput*, &c. Pſalm 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Etſi verò hæc intelligi poſſent de impietate peccatorum in Sanctos & Sancta: certum eſt tamen multos ad hanc ſummam impietatem devenire; ut in ipſum Deum inſurgant & vix nomen Dei patienres, velut quâdam tabie acti, Deum & quidquid Dei eſt, blaſphement: Unde de odio Chriſti & Dei multa expreſsè Joannis 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Iterùm: *Qui me odit, & Patrem meum odit.* Iretum: *Oderunt & me, & Patrem meum.* Iterùm: *Sed ut adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia, odio habuerunt me gratis.*

An poſſit Deus odio haberi.

Pſalm. 73 v. 4. 23.
Pſ. 82. v. 3.
Pſ. 138. v. 21.

Joan 15. v. 18.
verſ. 23.
verſ. 25.

Dixi (*Actus odij vel pravæ affectionis in Deum & Chriſtum*) etſi enim non ſemper formale odium in iſtis actibus includatur, eminet tamen ſemper in Deum prava affectio, quæ virtualiter & interpretativè odij filia eſt, & variis execrationibus, maledictis, & blaſphemiis ſe foris demonſtrat. Qualis fuit illa Juliani Apoſtatæ, qui lanceâ S. Mercutij martyris divinâ virtute miraculosè percuſſus, versùs cœlum extento brachio odio CHRISTI has voces ingeminabat: *Viciſti Galilæe, viciſti.* Tali ptavo odij affectu commotus erat ille apud *Thomam Cantipratenſem lib. 2. Apum cap.* 49. qui in luſu chartarum ſuis pecuniis & veſtimentis ſpoliatus, tantâ in Deum irâ commotus fuit, ut ſagittam in cœlum emittetet quaſi Deum confoſſurus, quæ ſagitta in hotrotem criminis ſanguine tincta, in ipſum recidit ſagittarium, & impium extinxit.

Baron. ann. 363.

Exemplum.

CONCLUSIO II.

Blaſphemia.

OMnis blaſphemia, execratio, maledictio, &c. prout ex affectu pravo in Deum procedunt, ſunt peccata mortalia contra præceptum dilectionis Dei: Ratio eſt: Quia qualis radix, talis & rami; cùm igitur ptavus in Deum affectus cauſa ſit & origo hujuſmodi blaſphemiæ, execrarionis, maledicentiæ, &c. Sicut ille affectus eſt peccatum mortale, ſic eâdem rarione illa ſunt peccata mortalia. Pro quo,

Advertendum eſt: ptædictas blaſphemias & execrationes etſi hæreſim & irreligioſitatem contra fidem vel virrutem religionis frequenter contineant, & ſub eadem ratione actus hæreſis vel irreligioſitatis dici poſſint: Quia tamen ordinariè ptavum in Deum affectum important, & ex illo proficiſcuntur, ideo è diametro contra præceprum charitatis ſive dilectionis Dei eſſe cenſentur. Unde

Dixi (*prout ex affectu pravo in Deum procedunt*, &c.) procedere autem ex eo ordinariè cenſentur, quia contumeliæ, convitij aut maledictionis in Deum rationem habent; qui ſunt malè affecti animi actus effectusque. Quod ut univerſaliter intelligatur, & ne cogamur ſæpiùs idem repetere, pono hîc Appendicem Generalem.

Appen-

Appendix.

De Blaſphemia, Execrationibus, Maledictionibus Dei & divini nominis, ac ſacrorum attributorum.

QUamvis Blaſphemiæ peccatum nonnulli referre ſoleant ad præceptum de vitandis juramentis & aſſumptione nominis Dei in vanum: Quia tamen ut plurimùm juramenta non ſunt; ſed potiùs divini nominis contumelioſa uſurpatio, quæ nihil aliud quàm Dei contemptum & vituperium ſonat: Ideò, ne cogamur materiam dividere, hic volui execrationes illas & divini nominis blaſphemias paucis perſtringere: Quia reverà præceptum de dilectione Dei maximè concernit.

Radix Blaſphemiarum.

Dico itaque *primò*, Si Blaſphemiarum radicem & cauſas inveſtigemus, illas paſſim ex pravo affectu, contemptu, impatientia, vel etiam ex conſuetudine prava pravoque conſortio originem ducere reperiemus; ſolent enim homines talibus paſſionibus corruptisque conſuetudinibus adducti, in horribiles execrationes hujusmodi ebullire, ſive cogitent quæ dicunt, ſive non, ſive etiam rabie quâdam & phreneſi abſorbeantur. Si verò modum attendamus, reperiemus eas quæ contra Deum divinaque proferuntur his ferè modis proferri, nimirùm: Aut per verba Indicativi modi: Aut per verba Optativi: Aut per verba fracta abſq; ulla affirmatione, negatione, vel imprecatione. Primò. Itaque cùm per indicativum verbum procedit, ordinariè derogat naturæ excellentiæ aut potentiæ divinæ ſive affirmando de Deo aliquid quod ei non convenit; ſive negando quod convenit, aut con-temptibiliter & per modum vilipenſionis pronuntiando id, quod ei convenit. Secundò, Si blaſphemia per verba optativi modi efferatur Deo aliquod mali vel carentiam alicujus boni, imprecatur. Tertio, ſi abſq; affirmatione, negatione, vel imprecatione blaſphemia procedat, nō aliter niſi attributa Dei, & mēbra Chriſti modo quodā irriſorio & deſpicabili pronuntiādo effertur. *Exempla* primi modi ſunt, ut ſi quis dicat: *Deus non eſt juſtus: nulla eſt in Deo providentia: non eſt bonus, nō eſt miſericors:* Itē: *Deus eſt injuſtus, iniquus, mendax, deceptor, diabolus*, & infinita quæ humana rabies comminiſcitur. *Exempla* ſecundi modi ſunt, ut ſi quis imprecando dicat: *Maledictus ſit Deus, hoc vel illud illi eveniat: In deſpectum Dei hoc vel illud faciam:* & illud Judæorum: *Vah qui deſtruis templum Dei*, &c. Exempla tertij modi ſunt verba fracta, ut cum per deſpectum *Caput Dei, Sanguis Chriſti, Sacramenta* nominantur, & infinita alia quæ cum contemptu & vilipenſione proferuntur.

Blaſphemiarum tres modi

Blaſphemia hæreſi conjuncta.

Dico ſecundò, blaſphemias illas ſæpè cum hæreſi & infidelitate ſaltem externa, eſſe conjunctas: ut conſtat ex blaſphemiis primi modi, in quibus Deo attribuitur quod ei non convenit, aut de illo negatur quod ei attribuendum eſt. Dixi (*ſaltem externa*) contingit enim eos qui talia proferunt, nil minùs in corde ſentire.

Dico tertiò, Quando blaſphemiæ dicuntur ex pravo affectu contra Deum, ad odium Dei vel per ſe, vel tanquam ex radice pertinent, ſuntq; peccatum graviſſimum ex iis quæ in vita homo committere poteſt.

Blaſphemia Odij Dei filia.

Dico quartò, Quando aliqua hæreſis eſt blaſphemiæ adjuncta & exteriùs verba proferuntur, blaſphemus hæreſis crimen incurrit, & hæreticorum pœnis ſubjacet ac illis in externo foro puniri debet.

Blaſphemia hæreſi conjuncta hæreticorum pœnis plectenda.

Dico quintò, Etſi blaſphemia excluderet omnem pravum affectum contra Deum, tamen ob irreverentiam & contemptum ac deſpicientiam Dei, & eorum quæ ad Deum ſpectant, peccatum mortale eſt. *Ratio* petenda eſt ex natura actûs & irreligioſitatis poſitivæ quæ tali blaſphemiæ includitur.

Non datur parvitas materiæ in blaſphemia.

Dico ſextò. In blaſphemijs & execrationibus in Deum & divina, vix datur materiæ parvitas aut indeliberatio quæ à peccato mortali Chriſtianum excuſet: *Ratio* iterùm petenda eſt ex naturali horrore blaſphemiæ. Horrenda enim eſt auribus & omni Chriſtiano ſenſui, adeoque nec conſuetudo nec indeliberatio excuſare poteſt, cùm vix poſſint abſque advertentia dici niſi amentiam pronuntiantis, aut poſſeſſionem Dæmonis quis alleget, ita ut blaſphemus non moveat linguam; ſed à Dæmone moveatur. Unde excuſationes ſpeculativæ quæ à nonnullis Doctoribus congeruntur ad excuſandum blaſphemos illos, utpotè, quòd verba illa ſint velut interjectiones animi commoti, quòd ex præcipitantia & prava conſuetudine proferantur, à judicio practico & Chriſtiano rejiciendæ ſunt: Cùm enim verba illa, prout hic & nunc proferuntur & audiuntur, nil aliud præter blaſphemiam formalem inſinuent, gravem irreverentiam ingerunt, Deus utique non irridetur, & os blaſphemi illum condemnat, quidquid ſit de intentione ejus.

Dico itaque: Ea quæ Deum vel Chriſtum ejus tangunt & falſitatem, vituperium, irriſionem, contemptum Dei ſonant (etſi affectus omnis pravus deeſſet) de genere illorum eſſe cenſenda, quæ non tantùm malè ſonant; ſed ex natura ſua horrenda ſunt in ore Chriſtiani, adeoque excuſationem non admittunt (Lege quæ de puero quinquenni à Dæmonibus in infernum abrepto, communiter feruntur ex S. Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 18.) Præceptum ſanè Dei eſt: Non inhonorare Deum, quod ubique, ſemper, & quibuſvis circumſtantiis obligat ſub mortali, maximè cùm fit per execrationes, irriſiones & contemptus, nec levitas materiæ prætendi poteſt, ubi eſt objectum illud infinitæ bonitatis & ſupremæ ſanctitatis, nec indeliberatio favet ei, qui quidquid eſt, Dei eſt, & in illo vivit, movetur & eſt, à quo accipit vitam & inſpirationem & omnia. Judæis ſanè commune fuit, ut ad quamlibet ſuſpicionem blaſphemiæ Dei vel nominis ejus, veſtimenta ſcinderent Iſaiæ 37. Matth. 26. Actor. 14. Nec barbaro Regi Daniel. 3. viſa eſt res parva, qui blaſphematores Dei Iſraelis quē vix a limine norat, morte mulctandos & to-

tam

Digitized by Google

tum eorum domum vaſtandam decrevit. *Item* Levit. 24. decretum eſt: *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Demùm blaſphemiam omnem tollendam, monet Paulus ad Epheſ. 4. & ad Col. 3. cujus horrorem oſtendens 1. ad Tim. 1. Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, *ut* (inquit) *diſcant non blaſphemare.* Quid igitur excuſationis prætendet Chriſtianus? Gravitatem porrò blaſphemiæ expendit S. Aug. lib. contra Mendacium adversùs Priſcilianiſtas cap. 19. dum ait: *Pejus eſt blaſphemare, quàm pejerare: quoniam pejerando falſæ rei teſtis adhibetur Deus: blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur Deo: tantò eſt autem quiſquis inexcuſabilior, ſive perjurus, ſive blaſphemus, quantò magis ea, quæ peierando, vel blaſphemando aſſerunt, falſa noverunt eſſe, vel credunt.* In quibus verbis nota particulam: *Inexcuſabilior*, qua oſtendit neminem excuſabilem in blaſphemia. Eandem gravitatem expendunt leges Eccleſiaſticæ & Civiles, quæ graviſſimis pœnis blaſphemos ſemper mulctaverunt. Undè 22. Q. 1. c. *Si quis per capillum*, ſic habetur: *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blaſphemiâ contra Deum uſus fuerit, ſi in Ordine Eccleſiaſtico eſt, deponatur, ſi Laicus, anathematizetur.* Et in Auth. Tit. ut luxurientur contra naturam, Collatione 6. §. omnibus hominibus dicitur: *Nemo juret per membra Dei, aut capillos, aut alio modo Deum blaſphemet. His enim delictis & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt: præcipimus igitur tales comprehendi, atque ultimis ſubdi ſuppliciis.* Vide Conſt. Aurelian. ſub Regibus Franciæ, Franciſco II. & Carolo IX. a 23. quæ quamvis arctiſſimæ fuerint, neſcio tamen, quo pacto Regnum Galliæ illuc dementiæ pervenerit, ut nonniſi blaſphemiæ in eo audiantur, & Gallorum elegantiæ non niſi blaſphemijs ornentur cum honore nominis Chriſtiani? quod malum in Belgio ſerpit inter eos, qui Gallorum conſuetudine plùs æquo ſunt gaviſi.

Levit. 24. verſ. 16.

1. Tim. 1. verſ. 20.

Blaſphemia gravius expenditur.

22. Q. 1. c. Si quis per capillum.

Pœna blaſphemorū.

Legem ſanè graviſſimam pro univerſo orbe Chriſtiano tulit Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 6. ubi ſic ſtatuit: *Ad abolendum execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum divini nominis & Sanctorum contemptum ſuprà modum invaluit: ſtatuimus & ordinamus: ut, quicunque Deo palam ſeu publicè maledixerit, contumelioſiſque atque obſcœnis verbis Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *& glorioſam Virginem* MARIAM *ejus genitricem expreſsè blaſphemaverit: Si munus publicum juriſdictionemque geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro 1. & 2. vice, pro 3. eò ipsò officio privatus exiſtat*, &c. Idem de Clerico Sacerdote: *Ut pro prima vice privetur fructibus Beneficij per annum, pro ſecunda Beneficiò ipſo: pro tertia inhabilis & infamis ad omnia habeatur.* De Laico verò: *Si nobilis fuerit, pro 1. & 2. vice mulctetur pœnâ 25. Ducatorum, applicandorum Eccleſiæ: pro 3. nobilitatem perdat. Si plebeius aut ignobilis, ſi pluries in hoc peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes ad judicis arbitrium condemnetur.* Demùm ſtatuit, ut *in foro conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima pœnitentia ſeu Confeſſarij arbitrio injunctâ, abſolvi poſſit.* Iterum condemnat Judices, & blaſphemorum pœnis eos mulctari præcipit, ſi convictus de blaſphemia non punierint. Concedit autem indulgentias judicibus, qui diligenter has leges executi fuerint, & pro qualibet vice tertiam partem mulctæ pecuniariæ illis addicit.

Conc. Lat. ſub Leo. X. ſeſſ. 6.

Quæ omnia ad minus gravitatem illius peccati in omni foro oſtendunt, & blaſphemos nullâ tergiverſatione tolerandos, minùs in foro Dei excuſandos eſſe: ſi enim de quolibet verbo otioſo rationem reddere oportet in die judicij, quid de verbo in Deum contumelioſo? Quod autem dixi de blaſphemia in Deum, id proportionaliter dicendum eſt de blaſphemia in Sanctos, qui eá ratione aliquid Dei ſunt; nam idcircò Sancti dicuntur & coluntur, quòd divina bonitas & gratia in ijs ſpeciali titulo effulgeat.

Et hæc ſufficiant ad peccatum blaſphemiæ univerſaliter intelligendum in omni ſua ratione de blaſphemijs autem, quæ ſpecialiter contra virtutem Religionis, aut quæ in juramentis aſſumuntur, ubi ratio ſingularis poſtulaverit; aliquid ſuis locis inſerere poterimus, prout videbitur expedire. Nunc autem ad Concluſiones revertamur.

CONCLUSIO III.

De amore præpoſtero creaturarum.

QUi affectu formali, vel interpretativo creaturam præponit Deo, aut illi adæquat, peccato ſpeciali contra dilectionem Dei peccat; & quidem in materia gravi, mortaliter.* Ratio eſt: quia non diligit Deum ſuper omnia, qui aliquid Deo vel præponit, vel exæquat: nam (ut in ſuperioribus diximus) Deus ſuper omnia appretiativè diligendus eſt, ita ut appretiativè nihil illi vel præponatur, vel æquale æſtimetur.

Dixi (*qui affectu formali, vel interpretativo*) Ille enim dicitur affectu formali creaturam præponere, vel æquare Deo, qui formaliter alicui creaturæ adhæret, in ea ponens velut finem ſuum. Tales fuerunt, qui in divitijs, honoribus, voluptatibus corporis, ſapientia humana, &c. beatitudinem collocaverunt. Ille verò dicitur interpretativo affectu creaturam Deo præponere, aut æquare, qui omnem ſuam ſolicitudinem, curam ac laborem in aliquam creaturam transfert, ita ut Dei & ſalutis, ac finis ſui obliviſcatur, ut creaturâ aliquâ potiatur, aut eâ frui, ſive in ea delectari poſſit. Quod (eheu) non infrequens eſt hoc corruptiſſimo ſæculo, dum quidam totam ferè curam, ſolicitudinem, cogitationem impendunt proprio corpori ornando, curando, ſaginando, contemptâ ſalute, & Dei amore: quod condemnabat Dominus in Jeroboam 3. Reg. 14. dum dicebat: *me autem projeciſti poſt corpus tuum*, id eſt, plus ſolicitudinis habuiſti de corpore tuo, quam de honore & amore mihi debito. Et Apoſtolus energicè loquens ad Philippenſ. 3. de hominibus terrenis: *Quorum* (ait) *Deus venter*

Nota aliis ma ſequentia.

3. Reg. 14. verſ. 9.

Ad Philip. 3. verſ. 19. *eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Horum etiam affectus pravi cenſentur, qui parentum & filiorum amorem Deo præponunt, de quibus Matth. 10. Matth. 10. verſ. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Convincuntur autem amare patrem, matrem, filium & filiam, pluſquam Deum & CHRISTUM, qui ita illis complacere ſtudent, & toto affectu adhærent, ut ſuæ ſalutis, & eorum, quæ ad Deum pertinent, obliviſcantur. Undè idem Salvator monet Lucæ 14. Luc. 14. verſ. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, & uxorem, & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus,* ubi per *odium* excluſionem nimij affectûs intelligit S. Greg. Homil. 37. in Evangelia: S. Gregor. Homil. 37. in Evang. in init. *Ut* (inquit) *quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Rursùs: avaritia in Scripturis ſanctis non modò ut eſt injuſtitiæ incentivum; ſed etiam ut inordinatum amorem divitiarum dicit, quatenus affectus ille ſolicitus Dei & ſalutis amorem impedit & excludit (etſi ab omni injuſtitia libera eſſet) paſſim *idolorum ſervitus* nuncupatur: quia ſicut qui idola colit, à vero Deo recedit, & omnem ſuum affectum in idolum transfert, ita qui avaritiæ eſt deditus, Dei obliviſcitur, & omnem affectum & ſolicitudinem, ac curam in congregandas & conſervandas divitias dirigit: quomodo dixit CHRISTUS Luc. 16. Luc. 16. verſ. 13. *Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſervire, aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non poteſtis* (inquit) *Deo ſervire, & Mammonæ.* Et ut oſtendat Evangeliſta CHRISTUM locutum fuiſſe de avaritia, ſubdit: Ibid. v. 14. *Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant illum.* Quem ſermonem latiùs deductum refert Matthæus cap. 6. ubi CHRISTUS condemnat omnem ſolicitudinem temporalem, quæ Dei amori & obſequio impedimentum præſtat, & concludit: Matth 6. Verſ. 33. *Quærite ergò primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis:* oſtendens omnem curam, quæ Dei amori & operationi ſalutis propriæ opponitur, damnabilem eſſe ac vitioſam.

Dixi in Concluſione (*ſpeciali peccato peccare*) etſi enim, ut ſæpè notatum eſt, omne peccatum averrat à Deo & Dei dilectione ſuper omnia, ideoque in omni peccato ſit defectus dilectionis Dei, & in eo quidam virtualis affectus creaturarum, vel bonum creatum Deo, & bono increatu præponens, vel adæquans, reperiatur: ſunt tamen aliqua ſingularia vitia, quæ alio ſingulari præcepto non prohibentur, quàm primo Dei præcepto, quo tenemur ſolùm Deum diligere, ſeu appretiativè illum omni rei præponere, qualia ſunt, quæ jam diximus, ſi in illa formalitate conſiderentur.

Dixi (*in materia gravi peccare mortaliter*) Non enim quævis ſolicitudo contraria Dei amori & dilectioni, peccatum mortale cenſenda eſt; ſed gravis aliquis ad creaturam affectus, creaturam operibus ſalutis & Dei præponens, requiritur. Tunc verò cenſetur materia gravis, quando perſona ex inordinato illo affectu judicatur contemnere & negligere communiter ea, quæ ſunt ſalutis & Dei, ita ut prædominante illo affectu vix quidpiam relinquat curæ & ſolicitudini amoris Dei & ſalutis animæ ſuæ, ſuper quo pono Appendicem ſequentem.

Appendix.

De inordinato amore ſui & corporis proprij, acedia: parentum, conſanguineorum, uxorum, nimia dilectione: ſuperbia, avaritia, quatenùs dilectionis Dei præcepto ſpecialiter opponuntur.

EX dictis *colligitur*: in quantum periculum peccatorum, & damnationis æternæ ſe conjiciant, qui inordinato affectu & amore ità ſibi aut proprio corpori, vel parentum, propinquorum, aut etiam amicorum & uxoris complacentiæ adhærent; ut totam ſuam ſolicitudinem in affectum illum devolviſſe videantur. Similiter & avari, qui totam virtutem divitijs aggregandis impendunt: prætextu enim quòd communia opera præceptorum faciant, & ſe nulli injuſtitiam facere prætendant, ab omni peccato ſe immunes falsò credunt. Et ut pro ſerenitate conſcientiæ, & vera agnitione peccatorum ſingula examinemus, & parietem fodiamus, ut abominationes videantur, quæ iſti & iſtæ faciunt, pono ſequentes Paragraphos.

§. I.

De inordinato ſui & proprij corporis amore.

ADvertendum eſt: Amorem ſui & proprij corporis poſſe opponi varijs virtutibus & præceptis, juxta ea, quæ amorem illum conſequuntur: Ex. g. poteſt quis amore ſui & proprij corporis peccare contra temperantiam in cibo, potu, unguentis, delitijs, inordinato voluptatum ſenſualium uſu, ratione quorum contra ſobrietatem, caſtitatem, &c. quæ ſunt ſpecies temperantiæ, peccari contingit. *Item*: peccari poteſt contra juſtitiam: quia ſumptus graves fiant, quibus hæreditas diſſipatur, & ære alieno quis ità gravatur, ut creditoribus, aut ſibi, ſuiſque injurioſus eſſe debeat. *Iterùm*: peccatum incurri poteſt ob temporis gravem jacturam, quod in cultu proprij corporis conſumitur: Denique ob transgreſſionem alicujus ſpecialis mandati Dei, cui amor ſui cauſam immediatam dedit, &c. Hæc enim omnia ferè conſequuntur amorem proprium: Præter hæc verò ſpecialis titulus amoris Dei etiam in ſupradictis urgere ſolet, ratione cujus peccatum incurritur.

Reſolutio.

Dico itaque; Secluſis & circumſcriptis omnibus ſupradictis peccatis ex amore inordinato ſui & corporis proprij provenientibus, hominem peccare poſſe mortaliter contra præceptum ſpeciale dilectionis Dei ſuper omnia, præponendo formaliter, vel interpretativè amorem proprij corporis amori Dei, & curam corporis curæ ſalutis. *Declaro exemplo*: Juvencula totum ferè tempus, cogitationes & operam ſuam impendit in cultu ſui corporis, illud ornando, fovendo, ſenſuales ei delectationes procurando: præterquam quòd iſte corporis cultus in immoderatam voluptatem, impudicitiæ incentivum, bonorum prodigam profuſionem, proximi injuriam, &c. vergat, adeò mentem illius interdùm occupat, ut nunniſi frigidè de Deo & de ſalute cogitet, imò nonnunquam fit, ut amor iſte proprij corporis amorem Dei, & curam ſalutis è diametro expugnet, & impediat ac ſuffocet. Quamvis igitur talis prætendat ſolum aliquem corporis nitorem & commoditatem ſub colore honeſtatis & liciti, & ab omni voluptate mortali, aliiſque peccatis ſuprà narratis ſe credat alienam *Arbitror ego*, illam propter exceſſivam iſtam corporis ſui curam & affectum, quo prudenti judicio meritò æſtimatur ſe ſuumque corpus præferre amori Dei & curæ ſalutis, peccare mortaliter, & iſtâ curâ durante, in ſtatu peccati mortalis exiſtere. Fundatur hæc mea ſententia in verbis Scripturæ: tales enim convincuntur, ſeipſos & corpus ſuum præferre
1. Reg. 14. verſ. 9. Deo, ſive ut loquitur Scriptura: *Projicere Deum poſt corpus ſuum.* Et ab Apoſtolo 2. ad Timoth.
2. Tim. 3. verſ. 4. 3. vocantur *voluptatum amatores magis, quàm Dei.* Et ad Titum 3. dicuntur *ſervientes deſide-*
ad Tit. 3. Verſ. 3. *rijs, & voluptatibus varijs.* Et 2. Petr. 2. deſcri-
2. Petr. 2. verſ. 13. buntur: *Voluptatem exiſtimantes diei delitias, coinquinationes & maculæ delitijs affluentes, in convivijs ſuis luxuriantes*; &c. Et ibidem probantur
Verſ. 19. ſervi eſſe corruptionis: *à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Lucæ 8. reputantur
Luc. 8. verſ. 7. inter eos, quibus *ſemen verbi Dei inter ſpinas cadit, & ſimul exorta ſpina ſuffocaverunt illud*: qui ibidem declarantur eſſe illi, *Qui à ſolicitudinibus*
Verſ. 14. *& divitijs, & voluptatibus viræ euntes ſuffocantur; & non referunt fructum.* Imò tota Scriptura plena eſt maledictionibus, & graviſſimis comminationibus vindictæ æternæ in tales, de quibus vide cap. 3. Iſaiæ. Tandem paſſim: amor ille inordinatus ſignificatur per *fornicationem cum*
Jerem. 3. 4. 14. &c. *amatoribus*, per *fornicari à Deo.* Ierem 3. 4. 16. 23. Oſeæ 2. 8. 9. Quæ omnia gravitatem peccati illius indicant.

Dixi (*præponendo formaliter, vel interpretativè*) quæ interpretatio debet ex æſtimatione prudenti procedere, aliquoties enim vel occurrentibus nonnullis occaſionibus capi amore proprio corporis, etiam cum aliquo levi detrimento, vel negligentia ſalutis, non poteſt inferre interpretationem illam, quòd quis divinum amorem poſtponat amori proprij corporis; ſed requiritur conſuetudo & actio quædam communis, quæ verè ſalutis negligentiam & in amoris Dei gravem torporem inmuet, & contemptum, vel acediam notabilem in illis deſignet, ſuper quo pono ſequentem paragraphum.

§. II.

De Acedia.

Signum nimij amoris proprij & defectus charitatis ſeu dilectionis Dei eſt acedia, quæ à S. Thoma 2. 2. Quæſt. 35. art. 3. deſcribitur *Triſtitia de bono ſpirituali, ſeu divino*, nimirum, quatenùs ab homine diligendum, & proſequendum proponitur. Ab alis: *Quidam remiſſi animi languor ad bene operandum in rebus ſalutis.* S. Thom. 2. 2. Qu. 35. art. 3. Porrò juxta primam deſcriptionem acedia ex genere ſuo eſt peccatum mortale: quia charitati Dei per actum oppoſitum contrariatur: charitas enim Dei in ſe includit quoddam gaudium de bono divino, quatenùs divinum: acedia autem includit triſtitiam, ſive averſionem à bono ſpirituali, quatenùs divinum eſt: ſive quatenùs ad Deum refertur. Juxtà verò ſecundam deſcriptionem, acedia eſt tantùm peccatum veniale ex genere ſuo: quia per ſe non repugnat charitati, ſed tantùm ejus fervori & virtuti fortitudinis. Ne verò cogamur ſæpiùs ea repetere, & ut tota ratio acediæ, quatenùs eſt peccatum ſpeciale contra charitatem, vel ejus fervorem, meliùs cognoſcatur,

Advertendum eſt primò: Multis modis poſſe acediam conſiderari. Primò, ut eſt quidam motus & paſſio naturalis corporis ex complexione malè affecta originem ducens; quæ poteſt dici torpor & hebetudo quædam virium naturalium deficientium reſpectu laboris ſuſcipiendi. Quo ſenſu Caſſianus lib. 10. de In-
ſtitutis Monaſteriorum cap. 1. dicit: acedi- Caſſ. lib. 10. de Inſti. Monaſt. c. 1.
am maximè circa horam ſextam (hoc eſt, meridianam) monachum inquietare, *ut quædam febris ingruens tempore præſtituto ardentiſſimos æſtus accenſionum ſuarum ſolitis ac ſtatutis horis inferens animæ ægrotanti.* Solet enim torpor & hebetudo illa provenire ex æſtu ſolis, repletione ſtomachi, ex aliquo humore prægravante. Et hæc acedia nullum per ſe eſt peccatum, ſed defectus purè corporalis; qui in poteſtate noſtra non eſt; animæ tamen nocet, in quantum vires ejus ab exercitio retardat, niſi ſedulitate vincatur & compenſetur. Undè notat Cancellarius Gerſon in Regulis moralibus Tit. de acedia, Tædium boni proveniens ex malitia complexionis augere meritum & laudem, ſi quis illud ſuperare conetur, ita ut cæteris paribus majori merito operetur quis illo tædio impugnatus, quàm ſi liber eſſet ab eo. Secundò acedia conſiderari poteſt ut eſt paſſio appetitûs ſenſitivi laborem & difficultatem operis refugientis; quædam enim triſtitia naſcitur ex eo, quòd appetitus ſenſitivus laborem re-

Digitized by Google

fugiat & velut nolit: quia triſtitia ex nolitione & averſione animi naſcitur. Et hic etiam motus ex ſe non eſt peccatum, quamvis peccati incentivum ſit, ſi deliberatè ei voluntas conſentiat, & juxta rationem ubjecti ad veniale vel mortale inducit, de quo infrà. Tertiò, Acedia ſumi poteſt pro quodam tædio boni ſpiritualis & ſalutaris, quatenùs laborioſum & difficile eſt: ex quo tædio duo oriuntur: Prius: ut anima à bono illo ſpirituali & ſalutari ob laborem & difficultatem apprehenſam avertatur, illud vel omninò dimittendo, vel negligenter in illius exercitio ſe habendo: poſterius ex illo tædio originem ducens: Eſt converſio quædam ad quietem indebitam quam quis apprehendit ſe in creatura aliqua nanciſci poſſe: ita ut contempto bono ſpirituali, non tantùm ceſſet ab opere; ſed etiam ad quærendum ſolarium in aliqua creatura, ſe convertat. Quartò, Acedia ſumitur pro triſtitia ſpirituali ex tædio ſuprà deſcripto originaliter procedente: ex eo enim quòd quis bonum ſpirituale ſibi incommodum, laborioſum, & difficilè ac quodammodo impoſſibile apprehendat, triſtitiâ conficitur: unde naſcitur quædam amaritudo & acedo ac guſtus acidus, quo exercitia ſpiritualia deſipere ſolent. Similiter oritur quidam rancor contra inſtructores & concionatores ad pietatem excitantes, & averſio ab auditione Verbi Dei ad bona inſtigantis, ab operibus bonis, &c. Indè puſillanimitas, torpor circa obſervantiam præceptorum Dei & Eccleſiæ, evagatio mentis etiam circa illicita, otioſitas, ſomnolentia, curioſitas, verboſitas, inquietudo, corporis inſtabilitas: tandem malitia quædam, quâ quis in omnem iniquitatem, Deo diviniſque rebus contemptis, ſe præcipiat: undè deſperatio (quæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum) tantaque vitæ diſplicentia, ut etiam tales ſibi frequenter nefandas manus injiciant. De quibus vide ſanctum Gregorium lib. 31. Moral. cap. 31. & Iſidorum lib. 2. de ſummo bono cap. 37.

Greg. lib. 31. Moral. cap. 31. Iſid. lib. 2. de ſummo bono c. 37

Advertendum ſecundò: Tædium illud ſive triſtitiam, in qua conſiſtit Acedia, verſari poſſe. Primò, vel circa aliquod præceptum & exercitium alicujus virtutis in ſpeciali, quatenùs eſt moleſtum carni aut ſenſualitati & ejus delectationum impeditivum. Et hoc modo non eſt peccatum ſpeciale; ſed juxta præceptum aut virtutem cui opponitur, vel cui contradicit, rationem peccati ſumit. Secundò, verſari circa Deum & bonum divinum, quatenùs Deus diligendus eſt, & omnia ad bonum divinum, quod eſt ipſe Deus ut eſt finis noſter, beatitudo & ſalus noſtra ordinantur. Et hoc modo eſt ſpeciale peccatum charitati & dilectioni Dei oppoſitum; quia à dilectione Dei, & procuratione ſalutis ac boni divini hominem avertit, ad quæ ex præcepto ſpeciali charitatis homo tenetur.

Advertendum tertiò: In Acedia habendam eſſe rationem non tantùm ceſſationis ab opere bono, ſive à dilectione Dei; ſed magis ipſius converſionis ad creaturam & illicitam aliquam quietem: in hoc enim conſiſtit affectus amoris proprij, quo homo dilectionem ſui, præponit dilectioni Dei, & quo ſpeciali contemptu homo Deum contemnit, ut creaturæ affectu ſingulari adhæreat. His ſic prænotatis, pono ſequentes Regulas ad cognoſcendam omni ex parte Acediam.

Regula 1.

Acedia, quæ ex prava corporis complexione, aut ex ſola carnis & ſenſualitatis ad Spiritum repugnantia oritur (ſive ex cauſis naturalibus immediatè, ſive ex procuratione Dæmonis oriatur) per ſe peccatum non eſt; ſed virtutis & meriti ſeges & incentivum. *Ratio eſt*: quia motus illi per ſe in noſtra poteſtate non ſunt ut in nobis non excitentur; imò in viris perfectiſſimis reperiuntur, deputanturq; inter motus illos de quibus Apoſtolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*: ubi hujuſmodi motus à peccato excuſat, eò quòd illis non conſentiat, ſed etiam ipſo nolente & repugnante oriantur. *Non enim* (inquit) *quod volo bonum hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud; ſed quod habitat in me peccatum*, hoc eſt, concupiſcentia carnalis conſurgens adverſus Spiritum: unde

Ad Rom. 7 verſ. 23.

Ibid. verſ. 19. 20

Dixi (*per ſe*) ſi enim voluntas iſtis motibus Acediæ conſentiat, tunc pro ratione conſenſus deliberati, peccatum æſtimandum erit.

Ex qua Regula *colligitur*: viros ſpirituales non debere turbari, ſi interdùm aut ex malitia complexionis, aut aliundè torpor quidam excitetur, qui velut Acedia illos opprimat: ſufficit enim ut non conſentiant; ſed contranitantur prudenter & diſcretè, etſi ſæpiùs in ſomnolentiam & hebetudinem quandam virium naturalium ſimilem pigritiæ devolvantur: Eſt enim ſolitariis maximè communis & infeſtior hoſtis, teſte Caſſiano ſuprà. Illa autem Acedia actione magis excutienda eſt, quàm contemplatione, cùm ſpiritum obruere ſoleat: Prudentia tamen & diſcretio ſingularis eſt adhibenda, ne dum Acediæ naturali excutiendæ per violentas actiones ſtudemus, in aliud præcipitium infirmitatum corporalium procurante Dæmone devolvamur.

Regula 2.

Acedia, quæ verſatur circa obſervantiam alicujus præcepti vel exercitii virtutis ex apprehenſione laboris & difficultatis, non eſt peccatum, niſi ex ea ſequatur transgreſſio præcepti vel obligationis ad virtutem: ubi verò transgreſſio præcepti vel obligationis virtutis acediã cõſequitur, ex ratione trãſgreſſionis pecca-

peccatum menſurandum eſt; ita tamen, ut juxta rationem tranſgreſſionis individuæ, unicum ſit peccatum & non multiplex. Explico Regulam ex ſupradictis: Acedia quatenùs verſatur circa tranſgreſſionem præceptorum, vel obligationis alicujus virtutis, non eſt ſpeciale peccatum, ſed identificatur tranſgreſſioni præcepti, eſtque unicum tum ſpecie, tum individuo peccatum cum ipſa tranſgreſſione, nec aliam malitiam participat. *Ex. gr.* Joannes ex acedia proveniente ex ſola apprehenſione difficultatis, voluntariè reſolvit non jejunare in jejunio obligante ad mortale peccatum: Acedia illa non eſt peccatum ſpeciale, ſed identificatur peccato tranſgreſſionis jejunii, ſolaque tranſgreſſio eſt confitenda. Unde ſi Joannes apprehendat quidem difficultatem, & contriſtetur de jejunio ob laborem apprehenſum: nihilominus ſubſtantiam præcepti, etſi ſatis involuntariè adimpleat: non peccat peccato acediæ, quia revera præceptum jejunii implet: & acedia illa non imputatur peccato, niſi in quantum tranſgreſſioni dat cauſam: Ex quo ulteriùs infertur: quòd, ſi acedia cauſam det venialis tranſgreſſionis, ipſa cum tranſgreſſione veniale peccatum complebit: ſi mortalis, mortale.

Regula 3.

Acedia, quæ eſt remiſſi animi languor reſpectu boni divini, ſi tantùm negligentiam & quandam diminutionem fervoris charitatis importet, veniale peccatum tantùm erit. *Ratio eſt:* quia non militat contra charitatem, ſed tantùm contra modum charitatis ſive fervorem. Hoc modo negligentiæ quædam in opere ſalutis ſunt menſurandæ, quæ; etſi ſint cauſa imperfectionum multarum in opere bono ex diminutione fervoris charitatis; ex ſe tamen charitati non contradicunt, & conſequenter ad malitiam peccati mortalis non perveniunt.

Regula 4.

Omnis Acedia, quæ bono ſpirituali quatenùs divinum eſt, ſive quatenùs ad Deum refertur, in materia gravi adverſatur, eſt peccatum mortale. Tunc verò dicitur adverſari in materia gravi, quando ex illa oritur averſio à Deo & bono divino, negligentia gravis ſalutis, contemptus virtutis, converſio totalis ad creaturas, & quædam in illis immerſio: Hæc enim, circumſcripta omni tranſgreſſione alicujus præcepti alterius in particulari, charitati & dilectioni Dei opponitur, à qua cura ſalutis propriæ & ipſa ſalus immediatè dependet. Signa autem hujus Acediæ ſunt: ſi quis non niſi cum triſtitia audire poteſt conferri de Deo, de æterna beatitudine, de ſalute procuranda, de operibus ad ſalutem neceſſariis, de voluptatibus hujus ſæculi fugiendis: unde fugit & horret converſationem illorum qui de illis monent & ad illa exhortantur, quærit ſolatium in creaturis, voluptatibus, converſationibus, cibo, ſomno, inertia, &c. Etſi enim, qui talis eſt, ab aliorum præceptorum litterali tranſgreſſione quoad ſubſtantiam & externum hominem abſtineat, utpote, in Dominica Miſſam audiat, non occidat, non furetur, non adulteret, &c. quia tamen bonum divinum & opera ſalutis horret, de illis triſtatur, & creaturis ſe immergit, dilectionis Dei penitùs expers cenſetur, & bonum quod facit, ſervili timori aut frigidæ conſuetudini adſcribendum eſt.

Porro Acedia variis modis, ſimilitudinibus & exemplis in Scripturis explicatur. Apoc. 3. Apoc. 3. v. 15. 16.
Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Hoc ipſum ſingulari hiſtoriâ oſtendit Dominus Marci 10. in adoleſcente illo, cui genuflexo & roganti, quid faciendo vitam æternam poſſideret? cùm reſpondiſſet JESUS ut mandata ſervaret, adoleſcens intulit: *Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute mea.* Marc. 10. v. 20. 21.
Nihilominùs quaſi non ſufficeret mandata ſervaſſe, JESUS *autem* (ait Evangeliſta.) *intuitus eum, dilexit eum & dixit ei: Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Qualiter verò conſilium hoc acceperit, audi: *Qui contriſtatus in verbo abiit mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones.* Ibid. v. 22.
Super quo concludens Chriſtus: *Quàm difficile* (ait diſcipulis) *qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Iterùm: *Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire,* &c. Ex qua hiſtoria Ibid. v. 24.

Colligo primò, ſolam litteralem obſervantiam mandatorum non ſufficere ad vitam æternam, abſque amore Dei: Retulerat autem Chriſtus ibidem ſola mandata quæ ad proximum referuntur, ut *ne adulteres, ne occidas*, &c. nullâ factâ mentione dilectionis Dei.

Colligo ſecundò, condemnari triſtitiam hujus ſæculi, quæ oritur ex æſtimatione creaturarum & parva æſtimatione divini boni. Ille enim adoleſcens, etſi pro abnegatione eorum quæ poſſidebat, audiret ſibi reſervari cum aſſecuratione theſaurum in cœlis: *Contriſtatus in verbo, abiit mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones.* Ibid.
Ex quo patet triſtitiam & mœſtitiam in illo fuiſſe, quia ita terrenis adhærebat; ut nec pro amore Dei ſuſtineret illis privari, & ſola ſcogitatio cœleſtium illum cruciaret & affligeret: quia æſtimativè plùs divitias; quàm Dei regnum diligebat. Hæc eſt apud Apoſtolum 2. ad Corinth. 7. *Triſtitia ſæculi quæ mortem operatur:* 2 Cor. 7. v. 10.
Hæc erat Acedia perfecta: triſtitia de bono divino, comparatione factâ ad terrena divitiarum ſolatia, à quibus nec cogitatio cœleſtium bonorum illum avellere poterat: Rurſus in parabola talentorum Matth. 25. auſertur talentum ab eo, qui lucro non expoſuit illud, cum mandato ut *ejiciatur in tenebras exteriores:* Matth. 25. v. 30.
Quid autem peccaverat qui acceptum talentum reſtituebat? Acediæ & negligentiæ arguebā-

guebatur, quia talentum abſconderat, & in eo operatus non erat.

Ex quibus omnibus *infero & inferendo moneo*: multos, etſi gravioribus peccatis externis non graventur, ob peccatum tamen Accediæ, quod dilectioni Dei ſuper omnia opponitur, perire: quia nimirùm triſtitiâ hujus ſæculi abſorpti, à divino bono ob difficultatem abhorrent & ſalutem ſuam negligentes, puſillanimitate, torpore, ſomnolentiâ, excœcatione mentis ad terrena ſolatia abeunt, & terrenis immerſi vel inertiâ vel malitiâ abeuntes poſt carnem alteram, conſumuntur.

§. III.

De parentum, filiorum, uxoris nimia dilectione, quatenùs dilectioni Dei opponitur.

ETſi Concluſione tertiâ ſuperioris Quæſtionis ſufficienter oſtenderimus ex Scriptura, amorem nimium & exceſſivum parentum, filiorum, uxoris, fratrum, ſororum, &c. condemnari, ex eo quòd præponatur amori divino: Hic tamen iterùm aliqua repetenda fuerunt, ut peccatum illud nimij amoris, quatenùs opponitur charitati, cognoſcatur.

Advertendum igitur, dupliciter amorem parentum, uxoris, propinquorum dici poſſe præferri amori Dei. *Primò*, quando quis paratus eſt ob amorem parentum, uxoris, filiorum, fratrum peccare mortaliter aliquod præceptum divinum transgrediendo, & de facto interdùm transgreditur. *Ex.gr.* Parens furta, injuſtitias & id genus paratus eſt committere, ut filios ditet, ut eos honoribus augeat, &c. *Similiter*: filij ob parentes & uxores fidem deſerunt, illicita connubia ineunt, variis peccatis ſe intricant. *Item*: Maritus ut uxori, vel uxor ut marito placeat, præcepta Dei & Eccleſiæ multis modis transgrediuntur.

Secundò, quando quis ita de parentibus, uxore, propinquis ſolicitus eſt, ut neceſſaria ſalutis negligat, & curam animæ ſuæ illis poſtponat, etſi ſingularia aliqua præcepta non transgrediatur, præter præceptum dilectionis Dei ſuper omnia. Exemplum clarum eſt in nonnullis, qui, etſi ſingularibus peccatis implicari non videantur, ob intenſum tamen affectum in filios, tantâ negligentiâ ſalutis ſopiuntur, ut de Deo vel rebus ſalutis vix aut niſi perfunctoriè cogitent, ad hoc vel neceſſitate, vel reſpectu humano aut conſuetudine adacti. His ſic præſuppoſitis, pono duas Regulas.

Regula 1.

QUiſquis ita affectus eſt, ut ob amorem parentum, uxoris, filiorum, &c. paratus ſit aliquod præceptum Dei transgredi, peccat mortaliter; quamvis non niſi unico peccato quod vel internâ voluntate transgrediendi, vel in externa peccati commiſſione, aut præcepti omiſſione completur. *Ratio eſt*: quia nimius amor ille parentum, &c. eſt cauſa & motivum voluntatis transgrediendi, ſive etiam ipſius transgreſſionis: unde meritò talis cenſetur præferre amorem parentum, &c. amori Dei.

Dixi (*non eſſe niſi unum peccatum*) influxus enim cauſæ moventis identificatur effectui & malitiam ejus ſortitur, & proindè cùm effectus unicus ſit, unicum etiam peccatum committitur; Internum quidem, ſi in voluntate deliberata peccandi remaneat: externum autem, ſi ad transgreſſionem præcepti foris procedat.

Regula 2.

QUi parentum, uxoris, filiorum, conſanguineorum tantam ſolicitudinem gerit, ut curam ſalutis in re gravi negligat, etſi alio peccato ſingulari non offenderet, eo ipſo cenſetur mortaliter peccare contra præceptum ſpeciale charitatis. Vide *totam concluſionem tertiam quaſt. 3. ſuprà poſt appendicem de blaſphemia*: Ille enim verè dicitur amare conſanguineos plùs quàm Deum aut ſupra Deum, & ideò pronuntiatur Deo & Chriſto dignus non eſſe.

§ IV.

De ſuperbia quatenùs opponitur charitati.

QUia ſuperbia potiſſimùm ſui parte opponitur charitati Dei ſuper omnia, & ut plurimùm ex inordinato ſui amore procedit, hic pauca de illa dicenda ſunt, ne frequenter cogamur eadem repetere.

Definitio ſuperbiæ. *Advertendum* itaque *primò*, ſuperbiam, ut eſt ſpeciale peccatum, deſcribi, *appetitum ſive amorem inordinatum & perverſum propriæ excellentiæ*. Dicitur (*appetitus*) ſuperbia enim eſt voluntatis & in voluntate ſubjectatur, & his ferè gradibus ipſa progreditur: Primò ex conſideratione excellentiæ quam quis ſibi attribuit: Secundò ex amore illius & ſimplici complacentia: Tertiò ex æſtimatione inordinata ſui, per quam vult æſtimari & honorari inordinatè. Dicitur (*inordinatus & perverſus propriæ excellentiæ*) quia ſuperbus ſibi indebitè attribuit aut excellentiam quam non habet, aut alio modo & intentione quàm habet. Undè quatuor ſpecies ſuperbiæ referuntur. *Quadruplex ſuperbia.* Prima, quando quis bonum quod habet, aut habere ſe putat aut appetit, vult habere vel videri habere à ſeipſo & non ab alio, nequidem à Deo. Secunda, quando, etſi agnoſcat ſe à Deo vel ab alio bonum illud habere, vult tamen habere, vel videri habere ut ſibi ſuiſque meritis debitum, & non ex gratia. Tertia, quando vult ſingulariter

lariter & excellenter habere cum aliorum contemptu. Quinta, quando quis vult habere, vel videri habere, quod verè non habet. Uſus ſum nomine *Boni* pro nomine *Excellentiæ*: omnis enim excellentia, ſive vera, ſive falſa, ſive exiſtimata fundatur in aliquo bono vero, vel apparenter, vel præſuppoſito. Ex quibus

Adverto ſecundo, Superbiam charitati & dilectioni Dei opponi juxta illud Eccleſiaſtici 10. Eccl. 10. verſ. 14.15. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus*: cùm enim ſuperbia ſit amor, ſive appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, in hoc maximè inordinario appetitûs, ſive amoris illius perverſi conſiſtit, quòd ſuperbus contra ordinem charitatis, aut ſe Deo exæquet, dum bonum, quod ſe habere exiſtimat, à ſe irreferibiliter, & non à Deo ſe habere vult; aut Deum ſibi debitorem ex æquo faciat, quæ duo dilectioni Dei ſuper omnia formaliter opponuntur. Alij duo perverſi amores, quibus aut vult ità ſingulariter bonum poſſidere, ut ſolus poſſidere exiſtimetur, aut vult æſtimari habere quod non habet, ordinato amori ſui-ipſius & proximi contradicunt: ſicut enim tenetur quis amare proximum ſicut ſeipſum, ſic tenetur ex charitate velle proximo bonum, quod habet, ſicut & ſibi-ipſi vult: falſo etiam & ſtulto amore ſe complectitur, qui vult in ſeipſo amari, quod verè non habet. Super his autem pono ſequentes Regulas.

Regula I.

Q*Vicunque eò dementiæ venit, ut bona, quæ habet, vel ſe habere putat, à ſe, & non à Deo habere velit: vel ſi à Deo, ſuo tamen merito & ex debito adæquatæ juſtitiæ, ſuperbiæ graviſſimo peccato mortali obnoxius eſt, ſi deliberato & pleno actu voluntatis conſentiat.* Ratio fundamentalis eſt: quia hoc ipsò Dei bonitatem, ut eſt omnium bonorum principium & finis, & à qua omnia bona tàm in ſe, quàm in gratioſa & voluntaria ſui communicatione dependent, quantùm in ſe eſt, negat & reijcit. Imò à Dei bonitate ut eſt objectum primarium & ultimatum charitatis, omninò avertitur, & regulis Dei ſubijci detrectat.

Dixi (*eſſe peccatum graviſſimum*) non quia ſit gravius odio Dei; ſed quia pro objecto habet Deum ipſum cujus bonitatem & veritatem, quantùm in ſe eſt, abijcit, & ei ſubijci non vult, deſtruitque principium charitatis, quod eſt agnitio ſupremæ & puriſſimæ bonitatis Dei.

Dixi (*ſi deliberato & pleno actu voluntatis conſentiat*) vix enim credo ad hanc dementiam hominem pervenire, niſi atheiſmo, quo non credat Deum eſſe; aut hæreſi, qua ſolis proprijs operibus & virtute propriâ juſtificari, aut ſalvari credat, ſit infectus. Aut ſi intellectui aliquis infidelitatis error non inſit: illud, *Velle donum à ſe habere, & non à Deo, aut velle habere ex debito adæquato juſtitiæ*, aut conditionalem præſupponit *ſi ita fieri poſſet*, aut abſolutam, qua ſuperbus *ita fieri poſſe vult & appetit*. Quemadmodum explicant paſſim Patres Luciferianam ſuperbiam, qua æqualitatem Dei appetebat ſub poſſibilitate conditionata, quam poſſibilitatem, quantùm in ſe eſt, abſolutè volebat.

Advertendum tamen quòad bona naturæ & fortunæ, ſæpiùs ſuperbiam illam in membus hominum regnare etiam cum deliberato conſenſu ſaltem interpretativo: ut conſtat de illis, qui ex ſe ea ſe habere exiſtimant, & illa ſibi ità adſcribunt, ut nullatenùs in Deum referant: quomodo victores ſuæ fortitudini, ſapientes hujus mundi ſuo intellectui & ingenio, divites ſuæ induſtriæ, etiam Deo excluſo, interdùm victoriam, ſapientiam, divitias, &c. attribuunt, qui dicunt: *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut 32. verſ. 27.

Ex his porrò primarijs ſpeciebus ſuperbiæ naſcitur parentibus non abſimilis filia, inanis gloria, quæ in hoc differt à ſuperbia, De vana gloria. quòd ſuperbia ſit appetitus inordinatus excellentiæ: inanis autem gloria ſit potiùs appetitus inordinatus manifeſtationis excellentiæ, qua quis gloriam & laudem quærit. Ut autem vanæ, ſeu inanis gloriæ ratio pleniùs cognoſcatur; *Advertendum eſt*, inanem gloriam dici, aut ratione finis, ad quem manifeſtatio illa excellentiæ refertur, aut ratione rei, vel operis, ex quo laus quæritur. Quadruplici autem fine homo appetere poteſt laudem, ſive manifeſtationem alicujus excellentiæ.

Primus eſt, ad vitandam aliquam infamiam, vel reparandam minorem æſtimationem, Ex fine quadruplici excellentiæ alicujus manifeſtatio appeti ſolet. quam homines habent de ſe, fortè ex aliqua detractione, vel ingeſta malâ ſuſpicione. Et hic finis vanus non eſt: imo non ſolùm poteſt homo ob alium finem ſe laudare; ſed etiam quandoque tenetur ad redintegrandam, aut conſervandam neceſſariam famam ſuam. Hoc modo Samuel coram populo 1. Reg. 12. ſe laudabat, & Sancti frequenter hoc fecerunt.

Secundus, Propter gloriam Dei & utilitatem aliquam ſpiritualem ad ædificationem proximorum: ſic Paulus & Barnabas narrabant magnalia Dei, quæ per illorum manus Deus operari dignatus erat inter Gentes, Act. 15. Et hic iterum finis non vanus, ſed laudabilis eſt: quemadmodum enim licet meritoriè appetere aliquam excellentiam ad vitandam infamiam & redintegrandam famam neceſſariam, vel etiam ad Dei majorem gloriam & utilitatem ſpiritualem proximorum; ita ob prædictos fines licet appetere meritoriè alicujus excellentiæ vel laudis manifeſtationem.

Tertius finis appetendæ laudis & gloriæ, eſt lucrum quoddam vel commodum inordinatum, ſive aliud quidpiam, ex quo peccatum mortale redundat. Exemplificari poteſt de Phariſæis, qui comedebant domos viduarum, ſimulantes longas orationes, & alia per hypocriſim faciebant, de quibus Math. 23. Et hoc fine vanam gloriam appetere, peccatum mortale eſt.

Avaritia ut opponitur charitati Dei naturâ ſuâ eſt peccatū mortale.

Porrò avaritia, qua quis injuſtitiâ, rapinis, fraudibus divitias acquirit, aut retinet, juſtitiæ opponitur: quatenùs autem in erogando tenax eſt liberalitati, vel charitati proximi; quatenùs tandem eſt ſolicitudo nimia habendi, excludens amorem Dei & curam ſalutis, eo reſpectu charitati Dei opponitur, & ex natura ſua etiam ſolo illo reſpectu, eſt peccatum mortale. Undè non glorietur avarus, quòd nihil rapuerit, nullum injuſtè oppreſſerit: hòc ipsò enim, quod exceſſivo illo amore divitiarum tenetur, idololatris ab Apoſtolo comparatur; & à CHRISTO declaratur ſervire Mammonæ & non Deo. Hæc de avaritia prout opponitur charitati.

SECTIO II.

De dilectione Proximi.

QUÆSTIO I.

Quid importet præceptum de dilectione proximi?

Dilectionis proximi præceptum ſuprà retulimus initio Tituli hujus de charitate ſub verbis CHRISTI in Evangelio ſæpiùs repetitis; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: modò illud declarandum eſt.

Matth. 22. verſ. 39.

Finis charitatis eſt ſimpliciter Deus.

Pro cujus pleniori intellectu: *advertendum primò*: in omni dilectione meritoria ſervandum ſemper finem illum charitatis, ut homo Deum propter ſeipſum; ſe autem & proximum propter Deum diligat, ſive potiùs Deum, ad quem creatus eſt, & à quo bona cuncta procedunt, in ſeipſo, & in proximo diligat; hoc eſt enim ſeipſum, & proximum propter Deum diligere. Et hic eſt invariabilis & indiſpenſabilis finis veræ charitati eſſentialis, ſine quo etſi affectus dici poſſit amor prout eſt paſſio naturalis, nullatenùs tamen charitas dici poterit.

Dilectio ſuî menſura dilectionis proximi.

Advertendum ſecundò, Etſi nullum explicitum præceptum datum ſit homini de amore ſui-ipſius ob cauſas ſuprà allegatas *Titul. de Charitate* Q. 2. dilectionem tamen ſui-ipſius aſſignatam eſſe, ut menſuram dilectionis proximi: quam menſuram exponunt Axiomata illa naturæ à principio inſita: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et: *Omnia quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Matth. 7. verſ. 12.

Quid particula, ſicut teipſum, ſignificans.

Advertendum tertiò, Illas particulas (*ſicut teipſum*) in præcepto de dilectione proximi, non debere ſumi ſecundùm omnimodam æqualitatem, ſive adæquatè, quaſi homo debeat æqualiter diligere proximum, quantùm diligit ſeipſum (hoc enim falſum eſſe docebimus infrà, agentes de ordine charitatis) ſed proportionaliter & ſimilitudinariè, id eſt in ijs, quibus ſeipſum diligere tenetur, & in modo ſimili, ſive accomodo.

Advertendum quartò, Præceptum dilectionis proximi partim eſſe Negativum, partim Affirmativum: Negativum, quatenùs prohibet odium & omne nocumentum proximi: Affirmativum autem, quatenùs præcipit & mandat formalem & effectivam ejus dilectionem. His ſic prænotatis, ſit

CONCLUSIO UNICA.

Tria in præcepto dilectionis proximi obligant,

TRia potiſſimum ſub obligatione imponit præceptum dilectionis proximi. *Primum*, Nec malè velle, nec malum inferre proximo. *Secundùm*, Benè velle, & illi benefacere. *Tertiùm*, Quantùm in nobis eſt, omnem injuriam & nocumentum ab illo propulſare. Hæc Concluſio declaratur ex menſura amoris, ſive dilectionis noſtri-ipſius. In hoc enim cenſemur nos benè diligere: ſi nobis & animæ noſtræ ſicut malum nolumus, ſic non inferamus: ſi nobis & animæ noſtræ benè per omnia velimus & benefaciamus: ſi omne, quod nobis verè nocet, aut nocere poteſt, procul à nobis propulſemus. Quod etiam ex altera menſura, quam dedit nobis CHRISTUS Joan. 15. deducitur: *Hoc eſt* (inquit) *præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Quomodo autem dilexit nos? omnem iram & odium deponendo, benè volendo, benefaciendo, mala à nobis propulſando. Ex quibus pono ſequentes Paragraphos, & Regulas.

Joan. 15. verſ. 12.

§. I.

De odio & prava affectione in proximum contra obligationem primam.

Regula generalis.

Odium proximi in re gravi eſt peccatū mortale.

QVicunque odio, vel pravo affectu proximum ita proſequitur, ut ei malum velit, vel optando, vel gaudendo, quando evenit, aut directè inferendo in materia gravi, peccat mortaliter. Concluſio clara eſt ex Scripturis ſanctis 1. Jo. 3. *Qui odit fratrem, homicida eſt, & ſcitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Et cap. 2. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Infrà: *In tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et cap. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Nec quis excuſare ſe debet, etſi foris ſigna odij non oſtendat; nam ut benè ait Sapiens Prov. 26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.*

1. Joan. 3. verſ. 15.

Idem c. 2. verſ. 9

Verſ. 11.

Ibid. c. 4. Verſ. 20.

Prov. 26. Verſ. 26.

Dixi (*ut ei malum velit*) hic eſt enim primus effectus odij, malum velle ei: quem poſitivè odimus.

Dixi (*vel optando, vel gaudendo quandò evenit*) in his enim ordinariè demonſtratur voluntas prava, quæ cum odio conjuncta eſſe ſolet. Undè Job 31. *Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quòd inveniſſet eum malum, &c.*

Job 31. verſ. 29.

Dixi (*in materia gravi*) quæ autem ſit materia gravis juxta genus & ſpecies ſuas, latè dicemus in ſex præceptis ultimis, quæ ſunt determinativa omnis nocumenti, quod proximo inferri poteſt.

De odio bono Sanctorum

Dixi autem notanter (*Qui odio, vel pravo affectu, &c.*, ad excuſandos affectus juſtitiæ & pietatis, quibus interdum Sancti non hominem, aut proximum oderunt; ſed ejus vitia; &

mi-

Digitized by Google

Pſal. 118. iniquitates juxta illud Pſalm. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Et Pſalm. 138. *Nonne*
Pſ. 13.
Pſ. 138. *qui oderunt te Domine, oderam & ſuper inimicos*
verſ. 21. 22 *tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi,* eo ſcilicet ſenſu quo Sap. 14
Sap. 14. dicitur: *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus:*
v 9 hoc eſt, impius ratione impietatis ejus. Eodem ſenſu, affectu nimirùm juſtitiæ orabat Pſaltes
Pſ. 53 v 7. Pſalm. 53. *Averte mala inimicis meis, & in verita-*
Pſ. 54. 16. *te tua diſperde illos:* Item: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes: quoniam nequitia in habitaculis eorum.* Licet enim interdùm optare alicui malum, non affectu malo aut injuſto, neque ex odio, ſed affectu juſtitiæ in odium, non ipſius hominis, ſed peccati ejus: Et quemadmodum licet mihi ipſi optare mortem ut liberer à peccato vel grandi tribulatione; ita licet eodem affectu optare peccatori mortem, ut Deus ampliùs per illum non offendatur, aut ut juſti à peccatoribus liberentur:
Nota, ſed hæc quidem multâ cautelâ uſurpanda ſunt, ne ſub titulo pietatis vel juſtitiæ, animus malè affectus habenas impietati & injuſtitiæ laxet.

§. II.

De ſecunda obligatione benefaciendi proximo.

Regula Generalis.

Obligatio benefaciendi proximo. OMnis homo tenetur benefacere proximo, ubi neceſſitas & circumſtantiarum ratio id requirit: *Et in caſu hujuſmodi neceſſitatis debitè circumſtantionatæ non benefacere, ubi materia eſt gravis, peccatum mortale eſt.* Hæc concluſio infertur ex af-
Matth 22. firmativo verbo, *diliges proximum tuum ſicut te-*
verſ. 39. *ipſum* Etſi enim præceptum affirmativum non obliget pro ſemper, obligat tamen pro aliquo tempore, quod aſſignari certius non poteſt, quam tempus neceſſitatis debitè circumſtantionatæ: deinde: Verbum, *diliges,* non modò affectum, ſed cum affectu, effectum ſive opus requirit, ubi adhiberi poteſt: juxta illud 1. Joann. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi,*
1 Joann 3. v. 17. 18. 19 *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.* In quibus verbis perſtringuntur vehementer excuſationes peſſimæ eorum, qui probi & juſti haberi volunt, dum ab actibus veræ dilectionis ſe excuſant erga eos maximè, à quibus juſtam averſionem prætendunt. Dicere utique ſolent. Quòd malum
Nota. eis non optent, ſed eos ſibi relinquant; non attendentes quòd non tantùm obligentur non odiſſe; ſed primò: teneantur etiam diligere, & ſigna communia dilectionis proximo exhibere. Secundò: quòd obligentur opere, ubi ratio & neceſſitas circumſtantionata poſtulat, charitatem demonſtrare: *Probatio enim dilectionis* (teſte S. Gregorio) *eſt exhibitio operis.* Et hic eſt Lydius lapis, quem Joannes ad probandam dilectionem fraternam adſtruit: *In hoc* S. Gregor. Hom 10. in Evang. in princip.
enim (inquit) *cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.* 1. Joan. 3. verſ. 18.
In hoc (inquam) ſi non diligamus verbo neque linguâ tantùm, ſed opere & veritate, cognoſcemus quia ex veritate ſumus, id eſt, quod in veritate diligamus, & in hoc ſolo in conſpectu Dei ſuadebimus corda noſtra, id eſt, perſuadebimus nos verè proximum amare. Unde & Jacobi 2. *Si frater & ſoror nudi ſint, & indigeant* Jacobi 2. v. 15 16.
victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? ut verò hæc Regula enucleatius intelligatur, ponam reſolutiones aliquot dubiorum.

Dubium I.

Quæ ſit vera neceſſitas legitimè circumſtantionata, in qua teneatur quis proximo benefacere?

RE*ſpondeo*, illam dici veram neceſſitatem, quando homo aliquâ re vel ſubſidio alie- Cui benefaciendũ?
no indiget neceſſario ad vitam ſive ſpiritualem, ſive corporalem, ſive moralem & civilem conſervandam. Quam reſponſionem brevem quidem, omnia tamen in ſe complectentem ſic explico:

Dixi (*quando homo*) hîc enim neceſſitatibus humanis ago, omnes includens homines, amicos, inimicos, Judæos, paganos, Chriſtianos, Catholicos, &c. qui nomine proximi intelliguntur.

Dixi (*Re vel ſubſidio*) ſub quibus compre- Quo ſubſidio?
hendo omnes actiones, opitulationes, auxilia, miniſteria quòcumque nomine exprimantur.

Dixi (*alieno*) quamdiu enim homo ſibi ſuc- Quando?
currere aut ſatisfacere poteſt, non dicitur verâ neceſſitate laborare. Unde pauperes qui labore, induſtriâ, actione, & miniſterio aliquo ſibi-ipſis neceſſaria conquirere aut ſuæ neceſſitati ſubvenire poſſunt, non cenſentur in hac materia veram neceſſitatem pati, quâ nimirùm alieno ſubſidio verè indigeant: cùm, ſi indigeant, ſuâ culpâ indigeant & ſibi, ut ſuppo-
nitur, ſuccurrere poſſint. Fieri tamen poteſt, Nota.
ut, etſi ſuâ culpâ in iſtam extremam indigentiam ſe præcipitarint, hîc & nunc pro aliquo tempore in vera neceſſitate ſint, & ſuâ operâ pro illo tempore quo periclitantur, ſubſidium ſibi ferre non poſſint: ſed exemplum allatum loquitur de eorum communi & ordinario ſtatu.

Dixi (*neceſſariò ad vitam ſpiritualem ſive cor-* In tribus conſiſtit vera neceſſitas.
poralem, ſive moralem & civilem, &c.) in his enim ſolis tribus conſervandis, hominem neceſſitatem veram pati arbitror, & ſi quæ aliæ neceſſitates reperiantur, ad hanc triplicem vitam conſervandam ſpectant & reducuntur.

Vitam ſpiritualem, voco *vitam animæ*, quæ re- Quid vita ſpiritualis?
bus & ſubſidiis ad ſalutem æternam neceſſariis, neceſſariò conſervatur, ideoque veram neceſſi-

neceſſitatem in hac conſervanda homo frequenter patitur, ut in ſuſceptione Sacramentorum, auxiliis & adjutoriis ad ſalutem requiſitis.

Quid vita corporalis? *Vitam corporalem* voco, quâ homo in via vivit, & ad quam conſervandam requiruntur alimenta, veſtimenta, medicinæ & aliæ actiones & ſubſidia neceſſaria.

Quid vita moralis ſeu civilis. *Vitam moralem & civilem* conſtituo in honeſtate, probitate morali, integra fama, ad quæ etiam conſervanda, pluribus interdùm homo indiget, tantaque eſt illi neceſſitas illa ſibi conſervandi illibata, ut ſine illis moraliter & honeſte inter homines homo vivete non poſſit.

Explicatio neceſſitatis. Ubi igitur occurrit tanta neceſſitas, ut nullatenùs, aut non ſine gravi detrimento vita ſpiritualis aut corporalis, vel moralis ſeu civilis absque alieno ſubſidio conſervari poſſit: Qui poteſt tunc ſuccurrere, ſub peccato mortali ad id tenetur ex obligatione charitatis. *Explico exemplis*: Sacerdos ſimplex non approbatus homini ad mortem laboranti (ſi alius non adſit qui faciat & velit facere) ex charitate tenetur Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare: illum, ſi videat imparatum, meliori quo poteſt modo ad ſalutarem mortem diſponere, hæreticum reconciliare, non baptizatum, ſi Baptiſmum requirat, baptizare, &c. *Similiter*: homini gravi vel extremâ neceſſitate ex penuria alimentorum, veſtimenti, & medicinarum periclitanti debet, qui poteſt, ſub peccato mortali ſuccurrere. *Denique*: Eſt homo, qui absque meo teſtimonio vel alio licito miniſterio, non poteſt famam aut innocentiam ſuam illibatam adverſus maledicos conſervare, teneor ſub peccato mortali, ſi poſſum, teſtimonium ferre, & ei licitum quodcunque miniſterium impendere, ut innocentia ejus & famæ integritas quam juſtè poſſidet, conſervetur.

Dixi verò ſemper (*in gravi vel extrema neceſſitate.*) Triplex enim aſſignatur neceſſitas à Theologis: *Communis ſive levis, gravis & extrema*. Communis ſive levis dicitur, quæ in homine, juxta rationem ſuæ ſortis & conditionis, grave detrimentum non cauſat: unde & in tali neceſſitate non ſuccurrere, eſt peccatum tantùm veniale. *Ex. g.* Hominis ſolùm communi ægritudine laborantis confeſſionem nolle audire, ſi ex juſtitia audire non teneor: *ſimiliter*, communi pauperi, etſi juxta ſuam ſortem penuriâ communi laboranti, eleemoſynam negare: *Item*: Homini pro levi aliqua injuria teſtimonium recuſare, &c. tantùm ſunt peccata venialia.

Dubium 2.

Quis cenſeatur poſſe ſubſidium ferre in vera neceſſitate, ad hoc ut obligetur?

RESpondeo, tria potiſſimùm requiri ad hoc ut quis dicatur hîc & nunc neceſſitate laboranti poſſe ſuccurrere: nimirùm: *Facultas ſuccurrendi*: *Indemnitas in ſuccurrente*; & *ſpes effectus futuri*.

Facultas quidem *ſuccurrendi*: ut nimirùm, qui ſuccurrere debet, habeat unde neceſſitati ſuccurrere poſſit: tum ex parte rei, ut pecuniam, veſtimentum, panem aut alia quæ ad neceſſitatem tollendam requiruntur: tum ex parte operantis, ut remedium neceſſitati per ſe, vel per alium applicare poſſit: tum ex parte effectûs, qui in poteſtate operantis aliquo modo eſſe debet. Hujus facultatis defectu cenſetur non poſſe ſuccurrere, qui pecuniam, panem, veſtimentum non habet unde ſuccurrere poſſit: Sacerdos qui infirmitate detentus, aut ita viribus deſtitutus eſt, ut ad ægrotum extremè laborantem pervenire non poſſit, &c.

Indemnitas verò in ſuccurrente requiri dicitur, nimirum: ut ſine gravi & ferè æquali periculo aut damno poſſit ſuccurrere. Cujus indemnitatis defectu cenſetur non poſſe ſubſidium ferre, qui eadem gravi vel extremâ neceſſitate laborat, ita ut, ſi ſuccurrat, in eandem difficultatem & neceſſitatem ſe præcipitet; vel qui ſine gravi jactura, & ſine periculo vitæ aut gravis infirmitatis quam alias incurrere deberet, opem ferre non poteſt. *Item*: Sacerdos, qui ex juſtitia & officio non obligatur, cenſetur peſte infecto non poſſe ſuccurrere, ſi manifeſtum periculum ſit, quòd eodem morbo corripietur & in ſimilem Sacramentorum neceſſitatem deveniet. Quid tamen faciendum ſit juxta ordinem charitatis, infrà attingemus.

Spes effectûs futuri etiam ad poſſibilitatem ſuccurrendi, aliquo modo neceſſaria eſſe probatur: Quia ſi non affulgeat ſpes ſublevandi neceſſitate gravi vel extremâ laborantem, utpote, ob externum, vel etiam internum aliquod impedimentum, tunc is, cui tale impedimentum occurrit, ſuccurrere non poſſe cenſendus eſt. *Ex. g.* Si pauperi fame laboranti panem defero cùm jam animam agit, cùm ſcio à milite panem in itinere ſurripiendum: Si ægrotum ſcio abſolutionis poſitive incapacem, &c. in his caſibus cenſeor ſuccurrere non poſſe, & aliàs quotieſcumque effectûs futuri nulla ſpes apparet: generalem itaque Regulam pono.

Regula generalis.

De eo, qui non poteſt ſubſidium pauperi ferre.

QUotieſcumque quis ſine æquali ferè ſuo periculo, detrimento vel damno, gravi vel extremâ neceſſitate laboranti ſubſidium ferre non poteſt: vel ſi ferat, absque ſpe futuri effectûs ferre debeat: ſimpliciter dicendus eſt non poſſe hîc & nunc ſubſidium ferre. Huc collimant omnia pro hujus dubij reſolutione ſuperiùs adducta.

Dubium

Dubium III.

An qui ſuccurrere poteſt, ſemper ſuccurrere tenetur?

RESpondeo primò: Quando alius eſt qui poteſt & vult ſuccurrere, tunc alter ſuccurrere non tenetur, etſi poſſit. *Ratio eſt*: quia ſuppoſito quòd alius ſuccurrere velit & poſſit, tunc reſpectu alterius nulla concluditur eſſe neceſſitas ad ſuccurrendum, cùm aliundè ſit, qui juvare poſſit & velit.

Dixi (*ſi ſit alius qui poteſt & vult*) quia dato quòd poſſit quidem, nolit tamen ſuccurrere, ſemper ſupponitur neceſſitas perſeverare ſine aliquo ſolamine & ſubſidio, & ideo quilibet ſuccurrere tenetur.

Reſpondeo ſecundò: Quamdiu non eſt qui poſſit & velit ſuccurrere, tamdiu omnes quibus neceſſitas gravis vel extrema innoteſcit, obligari ſub peccato mortali ſuccurrere concurrentibus tribus conditionibus in ſuperiori dubio poſitis; nimirùm, *facultate* ſuccurrendi, *indemnitate* ab æquali vel ferè æquali ſeu proportionato detrimento, & ſpe effectûs futuri.

Appendix I.

De diverſitate perſonarum obligatarum ad ſuccurrendum.

PRo praxi ſuperiorum Reſolutionum: *advertendum eſt primò*, inter perſonas ad ſuccurrendum obligatas: alias obligari ex ſolo titulo charitatis: alias ex titulo mixto juſtitiæ & charitatis. Ruſſus: ex iis, quæ titulo ſolo charitatis obligantur ad ſuccurrendum, aliæ ex titulo ſpecialis charitatis, aliæ ex ſolo titulo communis dilectionis obligantur. *Illæ* dicuntur ex ſolo titulo charitatis communis obligari, quæ ex communi & innato naturæ affectu & humana communione tenentur: quomodo homo homini ſimpliciter tenetur ſuccurrere, ſit Barbarus aut Schyta. *Illæ* dicuntur ex ſpeciali titulo charitatis obligari, quos præter communis naturæ obligationem, ſingularis aliqua ratio ad ſuccurrendum obligat: Ita tenetur Pater filio, filius parenti, frater fratri, conſanguineus conſanguineo, affinis affini, imò Chriſtianus Chriſtiano, civis concivi: ſicut enim in his eſt conjunctio ſpecialis, ita & titulus charitatis ſpecialis ex conjunctione naſcitur, & ordinem quemdam in exercitio charitatis infert: Unde alij dicuntur ſanguine, alij amicitiâ ſingulari juncti. *Illæ perſonæ* dicuntur titulo mixto juſtitiæ & charitatis obligatæ, quæ ex officio, ſtatu, vel contractu quodam juſtitiæ ſubſidium laboranti ferre tenentur: ita populus Regi, Rex populo, magiſtratus civibus, Prælatus & paſtor animabus ſibi commiſſis tenentur ex duplici titulo juſtitiæ & charitatis ſuccurrere in neceſſitate: Illi in temporalibus; hi in ſpiritualibus. Præter titulum enim charitatis tam communis quam ſpecialis, eſt quidam contractus juſtitiæ, quo & populus Regi, & Rex populo obligatur ad mutuam conſervationem: Quemadmodum etiam in ſpiritualibus eſt inter Prælatum & paſtorem ac oves commiſſas, ut probat S. Paulus variis locis.

Perſonæ obligatæ ex titulo communi charitatis, quæ?

Quis dicatur titulus ſpecialis in charitate?

Qui titulo juſtitiæ obligentur.

Advertendum ſecundò, gravius peccare illum, qui titulo juſtitiæ tenetur, quàm qui ſolo titulo pietatis, illumque ut plurimùm inexcuſabilem eſſe, ſi non ſuccurrat quando poteſt, etiamſi grave periculum incurrere debeat. *Ratio eſt*: quia ex juſtitia ſe obligavit: unde paſtor tempore peſtis tenetur per ſe, vel per alium providere ut Sacramenta neceſſitatis adminiſtrentur peſte laborantibus: obligatur enim ex juſtitia pro ovibus animam ponere, quia ſuſcipiendo beneficium ex juſtitia obligavit ſe ad officium principale & neceſſarium ad ovium ſalutem. Quare ſecunda conditio ſuprà relata de indemnitate ab æquali vel proportionato periculo ad hoc ut quis dicatur ex ſola charitate, non de eo, qui obligatur ex juſtitia: qui enim ex ſola charitate obligatur proximo, ſibi primò ordine charitatis obligatus eſt, & ideo dicitur non poſſe ſuccurrere, ſi æquale aut proportionatum periculum incurrat; quia id non poteſt ſalvo debito ordinatæ charitatis, quo ſibi primùm & ante omnia ac magis conſulere tenetur, quàm proximo ſervatâ neceſſitatis proportione *Ex. g.* Qui eſt in neceſſitate communi tantùm, tenetur ei qui eſt in neceſſitate gravi, ſuccurrere: Et qui in gravi, ei qui extremâ neceſſitate laborat; modò tamen qui in communi neceſſitate eſt, ex ſubſidio præſtito, in gravem non incidat, & qui in gravi eſt, non incidat in extremam. Aliud eſt de eo qui ex juſtitia tenetur, ſive ex titulo mixto juſtitiæ & charitatis: eò enim ipſo, quò ex conventione expreſſa, vel virtuali ſe obligavit ſuccurrere circumſcripto quovis periculo, tenetur etiam cum periculo obligationi ſuæ ſatisfacere, ut de paſtore ſuperiùs exemplificatum eſt: quòd enim quidam dicunt, nec malè, paſtorem non teneri interdùm cum detrimento communis populi, uni aut alteri membro cum periculo vitæ ſubvenire tempore peſtis: id, ſi fortè in aliquo caſu excuſationem & exceptionem admittat, non evenit ex defectu obligationis; ſed ex ordine juſtitiæ & charitatis, quâ ubi utriſque ſubveniri non poteſt, prioribus ordine juſtitiæ & charitatis ſubveniendum eſt. Oportet tamen cavere, ne mentiatur iniquitas ſibi & ut, in vero caſu, quo quis omnibus ſatisfacere non poſſit, verus ordo juſtitiæ & charitatis ſervetur

De comparatione titulorum ad invicem.

Nota pro paſtoribus.

Advertendum quartò, ubi deſint, qui ex ſpeciali titulo charitatis, aut ex mixto juſtitiæ & pietatis ſuccurrant, ſervatis tribus conditionibus initio dubij ſecundi relatis, omnes qui poſſunt & ſciunt, teneri ſuccurrere quamdiu aliquis non eſt qui ſuccurrat. Quòd bene explicavit Chriſtus in parabola illius, qui deſcendit

ab

ab Ieruſalem in Hiericho, cui tanquam Judæo cùm Levita & Sacerdos tranſeuntes tenerentur mixto titulo juſtitiæ & charitatis opitulari in tanta neceſſitate : illis tamen obligationem ſuam non ſine gravi culpa negligentibus, & tranſeuntibus : ex obligatione communis charitatis tanquam proximo, Samaritanus

Luc. 10. verſ. 37.

quantumvis alienus opitulatus eſt. *Fac* (inquit CHRISTUS) *& tu ſimiliter*. Expendant Chriſtiani, qualiter culpas etiam mortales incurrant, dum pauperibus extremâ neceſſitate laborantibus, & ſæpiùs in medijs plateis expoſitis, nec de ſuperfluis tum ſtatûs, tum naturæ; quibus abundant, dignantur ſuccurrere, aut pedem manumve movere, ſibi excuſationes fabricantes & fingentes, quæ in judicio Dei non proderunt.

Hanc porrò obligationem ita eſt itam reliquit CHRISTUS, ut profanum ſit de ea diſputare; Matthæi enim 25. referens ſententiam ferendam in reprobos : *Diſcedite à me* (âit) *maledicti in ignem æternum : eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare : ſitivi, & non dediſtis mihi potum : hoſpes eram ; & non collegiſtis me*, &c. In quibus omnia ferè genera opitulationum recenſentur. Quid verò excuſationis poteſt prætendere, qui facultatem ſuccurrendi habet, indemnitatem à gravi detrimento habet; ſpem opitulationis ſeu effectûs habet. Certè hâc ſententia condemnati opponunt ibidem ſolam ſcientiam : *Domine* (inquiunt) *quando te vidimus eſurientem*, q. d. neſcivimus te eſurire : ſed ſtrictè reſpondetur : *Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*; quaſi dicat : vidiſtis minimos meos & pauperes meos, & non feciſtis : ſcientia itaque non defuit, ſed voluntas.

Matth. 25 verſ. 41. 42. & 43.

Ibid. verſ. 44.

Verſ. 45.

Appendix 2.

De Eleemoſyna.

HIc tractandum fuiſſet latiùs de Eleëmoſyna, ſed principijs generalibus ſuprà adductis facilè intelligitur, qua ratione & obligatione hominem afficiat : undè tantùm pono aliquot propoſitiones obligationum rememorativas.

Propoſitio 1.

Quando tenetur homo eleemoſynam facere.

OMnis homo facultates habens, ſi viderit proximum gravi vel extremâ neceſſitate laborantem, cui poteſt ſuccurrere, mortaliter peccat, ſi non juxta rationem facultatum & neceſſitatis ſuccurrat*, &c. Hæc Propoſitio ſumitur ex illo 1. Joan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* q. d. non manet : in quo autem charitas Dei non manet, neceſſarium eſt, ut privetur vitâ gratiæ, quod eſt effectus peccati mortalis.

1. Joan. 3. verſ. 17.

Propoſitio 2.

Quis dicatur facultates habere.

ILle habere cenſetur ſufficientes facultates ad eleemoſynam, cui ex earum elargitione alicujus momenti diſpendium ſive in ſe, ſive in familia ſua contingere non poteſt.

Pro cujus Propoſitionis explicatione *advertendum eſt* : facultates ad faciendam eleemoſynam ſufficientes, duplici menſura æſtimandas eſſe. *Primò, ſufficientiâ* vel *ſuperfluitate naturæ* : illæ autem facultates naturæ ſuperfluæ cenſentur, ſine quibus natura in eſſe commodo conſervari poteſt, ſive ſine quibus homo victum, veſtitum, & alia ad vitæ congruam ſuſtentationem & conſervationem neceſſaria ſibi habere poteſt juxtà illud 1. ad Timotheum 6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Ex quo, qui tantùm habet pro ſe & familia, quæ ad naturæ neceſſitatem congruè neceſſaria ſunt, facultates quidem habere cenſetur ſibi ſufficientes, non tamen ſufficientes ad eleëmoſynas faciendas : Quia ſibi & familiæ ſuæ ſunt neceſſariæ ad vitæ conſervationem, ut ſuppoſitum eſt. Si verò habeat facultates ampliores, quàm neceſſariæ ſint ad ſui & familiæ congruam ſuſtentationem; illæ inquantùm excedunt, dicuntur ſuperfluæ ſuperfluitate naturæ : quia ad conſervandam naturam neceſſariæ non ſunt ; & hæ ad eleëmoſynam dicuntur ſufficientes eſſe. *Secundò* ; facultates menſurandæ ſunt *ſufficientiâ* vel *ſuperfluitate ſtatûs*: illæ verò dicuntur ſufficientes ſufficientiâ ſtatûs, quæ ſufficiunt non tantùm ad vitam naturæ, ſed etiam ad ſtatum ſuum (quem quilibet gerit) & familiæ ſuæ conſervandum : ſuperfluæ autem ſuperfluitate ſtatûs cenſentur, quæ ad ſtatum cujuslibet juxta rationem ſui & familiæ conſervandum neceſſariæ non reputantur. Statum voco, dignitatem, nobilitatem, præeminentiam, qua quis gaudet in reputatione communi populi : unde plura requiruntur ad ſtatum ejus, qui eſt in dignitate ; ſive Eccleſiaſtica, ſive Sæculari, conſervandum, quàm ad ſtatum alicujus inferioris gradûs : plura Nobilis requirit, quàm Ignobilis ; plura qui in officio honorabili Reipublicæ ; quàm vulgaris homo de fece populi. Illa porrò omnia judicanda ſunt juxta uſum honeſtum proborum in Rebuſpublicis, non juxtà abuſum luxuriantium in divitijs & vanitatibus hujus corruptiſſimi Sæculi, ubi quidquid libet, licet & qui plus pecuniæ habet, in omnibus excellit; & pro ratione pecuniarum quilibet nobilis & dignus æſtimari appetit.

Duplicites facultates dicuntur ad eleemoſynam ſufficere.

1. Timoth. verſ. 6.

Quæ ſuperflua ſuperfluitate naturæ.

Quæ ſuperflua ſuperfluitate ſtatûs.

Regula hæc mea eſt: Illum dici conformiter ſtatui ſuo vivere, qui juxta morem eorum, qui in eodem ſtatu honeſti, & honorabiles in ratione domeſtica & œconomica proborum judicio habentur, vivit, id eſt, qui nec decedit, vel excedit in ijs, quæ ejuſdem ſortis homines judicio proborum facere ſolent. Qui igitur facultates habet pro ſuo ſtatu exceſſivas, cenſetur habere ſuperfluas. Ex quo addo ſequentem Propoſitionem, Nota.

Propoſitio 3.

QVi tantùm habet facultates naturæ conſervandæ congruas, non tenetur in ulla neceſſitate eleemoſynas facere : ſi verò habeat naturæ ſuperfluas, etſi ſtatui ſuo conſervando ſuperflua nõ eſſent, tenetur in extrema neceſſitate elargiri.* Ratio prioris partis eſt: quia charitas ordinata à ſeipſo incipit: & qui ſolùm habet ea, quæ ſuæ naturæ conſervandæ congruunt, cenſetur non habere, quod alteri eroget, cùm ex ordine charitatis illa retinere debeat : *Ex. g.* Si Joannes Petro extremâ neceſſitate laboranti eleemoſynam diſtribuens, in eandem penuriam & neceſſitatem ſe, aut familiam præcipitet, non tenetur dare ; ſed ordine charitatis jubetur primò ſibi retinere. Ratio verò poſterioris partis eſt: quia extrema neceſſitas naturæ conſervandæ præferenda eſt neceſſitati ſtatûs conſervandi : ſicut neceſſitas conſervandi ſtatûs præferri debet commodæ utilitati, & uſui commodo. Itaque ad conſervandam proximi vitam ordine charitatis oportet aliquod detrimentum & incommodum pati in ſtatu : ſicut & ad conſervandum ſtatum alicujus, tenetur aliquis ſuperflua ſtatûs impendere. *Explico exemplo* : Si Joannes habeat tantùm neceſſaria conſervandæ naturæ, non tenetur etiam extremâ penuriâ laboranti facere eleëmoſynam : & ſi tantùm habeat neceſſaria conſervationi ſtatûs & familiæ, non tenetur cum damno notabili etiam gravi neceſſitati ſuccurrere : ſi tamen habet ſuperflua conſervandæ naturæ, tenebitur extremæ neceſſitati ſubvenire, & ſi habeat ſuperflua conſervationi ſtatûs, tenetur gravi neceſſitate laboranti ſub peccato mortali adeſſe: ſi denique etiam commoditatis ſuperflua habeat, tenetur ſub peccato veniali pauperi etiam tantùm communi neceſſitate laboranti dare. Hæc eſt enim regula, qua obligatio eleëmoſynas conferendi menſurari debet : *extrema neceſſitas* ex parte indigentis, cui ſuperfluâ naturæ impendi debent : *gravis neceſſitas*, cui ſuperflua ſtatûs debent etiam ſubſidio eſſe: *ſuperflua commoditatis*, quæ etiam communibus neceſſitatibus ſublevandis debent deſervire. Quam menſuram proponebat Baptiſta turbis ad baptiſmum Pœnitentiæ venientibus Luc. 3. *Qui habet* (ait) *duas tunicas, det non habenti ; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Ubi indicat ex duabus tunicis neceſſitati naturæ unam ſuperfluere, quæ idcircò extremè indigenti tribui debet.

Gradatio notabilis in eleemoſyna largitione.

Luc. 3. v. 11

Propoſitio 4.

QVi ſtatûs, & familiæ conſervandæ neceſſaria tantùm habet, non tenetur proximo in gravi duntaxat neceſſitate exiſtenti eleemoſynam dare, ſi ex ea gravem incommoditatem ſuſtinere debeat.* Ratio eſt : quia ſuæ incommoditati proportionatè priùs providere debet, quàm incommoditati alterius ſubvenire, ut jam ſæpè petitum fuit.

Propoſitio 5.

QVantitas eleemoſynæ, ad quam elargiendam quis tenetur, debet æſtimari ex tribus :* Ex qualitate *facultatum*, ex neceſſitate *pauperum*, & ex eorum, qui in præſenti indigent, *numero & multitudine.*

Quantitas eleemoſynæ ex tribus menſuranda.

Ex qualitate facultatum : Ità Tob 4 *Quomodo potueris, ità eſto miſericors : ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Super quo S. Auguſtinus Serm. 231. de Tempore, exclamans : *O infelicitas* (inquit) *generis humani ! quàm multi inveniuntur, qui ebrioſos & luxurioſos ampliùs, quàm oportet, cogunt bibere, & ante oſtium pauperibus petentibus vel unum calicem diſſimulant dare, nec attendunt, quia illud quod luxurioſis videntur ingerere,* CHRISTUS *in pauperibus deberet accipere,* &c. *Sed qui tales ſunt, quando alios in nimio potu ſepeliunt, pauperi eleemoſynam petenti dicunt : vade, vade in ante, & dabit tibi Deus, & utique dum ambulaverit homo ei daturus eſt. Quid eſt ergò quod dicit: vade in antè, & dabit tibi Deus? niſi, vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus eſt Deus. Ac ſi ex ore ſuo ipſe confitetur apud ſe Deum non eſſe, quo inſpirante poſſit erogare pauperibus.* Hæc ibi. Qualiter verò juxtà rationem facultatum debeamus dare eleëmoſynam, indicat lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 20. ubi explicat illud Matth. 5. *Omni petenti te da, & qui voluerit mutuari à te, ne averſatus fueris. Omni petenti* (inquit) *non omnia petenti, ut id des, quod dare honeſtè & juſtè potes.*

Tob. 4. verſ. 19.

S. Auguſt. ſerm. 231. de Temp. circa med.

Matth. 5. verſ. 42. Idem lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 20.

Ex neceſſitate pauperum ſimiliter menſuranda eſt eleemoſyna, ut nimirum extremâ neceſſitate oppreſſum præferas gravi penuriâ laboranti, & gravi penuriâ laboranti priùs ſubvenias, quam ei, qui ſolâ communi neceſſitate affligitur. Demùm, ut, ubi facultas adeſt, eò plus conferas, quò major indigentia eſt ſupplenda.

Ex numero verò pauperum : ſi communis eſt neceſſitas, communiter modicum pluribus diſtribuendum: arbitror tamen, ſibi extrema, vel gravis neceſſitas plurium juvanda eſſet, nec modicum ſingulorum neceſſitates ſublevare poſſet, melius eſſe uni dare, quod prodeſt; quàm in plures diſpertiri, quod non proſit. Id tamen prudentiæ largitoris relinquendum eſt.

Nota.

Propoſitio 6.

ORdo charitatis etiam in diſtributione eſt ſervandus, ut propinquis, & nobis magis ſanguine, vel obligatione conjunctis, neceſſitate pari vel proportionatâ urgente, priùs eleemoſyna diſtribuatur.* Quid verò ſit ordinis charitatis, infrà meliùs explicabitur.

De ordine charitatis in eleemoſyna.

Corol-

Corollarium.

EX *his conſtat primò*: qualiter eleemoſyna non tantùm ſit opus ſupererogationis & meriti, cui varii fructus & ſanctiſſimi effectus paſſim in Scripturis attribuuntur, ſed etiam ſit opus obligationis & præcepti ex obligatione charitatis ad proximum obligantis, & grandis materia extremi univerſalis Judicij. Nota Dicat mundanus quidquid voluerit: ſtat Chriſti inconcuſſa ſententia: Matth. 25. v. 41. 42. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Et Luc. 16. dives Epulo non tam damnatur quia *induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*: Luc. 16. v. 19. 20. 21 quam quia *mendicus nomine Lazarus jacebat ad januam eius, ulcerimus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* En extrema neceſſitas famis, quia cibum non habebat, qui micas deſiderabat, & tamen deſiderio fruſtrabatur. Inhumanitatem verò & defectum omnis humanæ charitatis innuit Evangeliſta ſubdens: Ibid. *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius* q.d. Canes ei compatiebantur inſtinctu quodam naturali, & cane pejor dives: quod canibus ſuis non negaſſet, pauperi negabat, non modò panem, ſed panis micam.

Conſtat ſecundò, qualiter inexcuſabilis ſit homo Chriſtianus, qui ſciens & videns pauperes fame, ſiti, nuditate & aliis miſeriis confectos & extremè laborantes, ſub prætextu quòd alii dabunt, etſi facultatibus ſufficientibus gaudeat, & ſine gravi detrimento ſubvenire poſſit, nihilominus opem & operam ac eleemoſynam denegat: Nota. mea quippe ſententia eſt: quòd quamvis plures ſint qui ſciant & poſſint ſuccurrere: Si nullus ex illis faciat, exiſtente gravi vel extremâ neceſſitate, omnes peccare mortaliter, quia ſinguli præcepto charitatis in re gravi obligantur.

Conſtat tertiò, neminem excuſari à ſubſidio præcepti charitatis, quòd eleemoſynas ſuas alibi etiam templis & monaſteriis diſtribuat in genere pro ſuo beneplacito extra ſimilis neceſſitatis caſus: etſi enim hoc ipſum ſit opus bonum & meritorium; Occurrente tamen Nota. caſu in paupere neceſſitatis extremæ vel gravis, ſi facultates habeat & poſſit hic & nunc ſubvenire, nec ſit alius qui de facto ſuccurrat, tenetur ſic laboranti ſubvenire: quia hic & nunc præceptum charitatis in re gravi circa præſens objectum urget: Et opus præcepti charitatis urgens, præferri debet voluntario operi ſupererogationis & ſimplicis meriti: & hoc confirmat dictum Chriſti Phariſæos condemnantis Matth. 15. Matth. 15. verſ. 5. 6. *Quicumque dixerit patri vel matri munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit & non honorificabit patrem ſuum aut matrem.* S. Hieron. ſuper 15. Matth. l. 2. His enim verbis, teſte S. Hieronymo ſuper illud: *Honora patrem & matrem* lib. 2. in Matth. 15. condemnat Chriſtus Scribas & Phariſæos: Qui, *ut impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſſimos filios, ut ſi quis ea quæ parentibus*

offerenda ſunt, Deo voluerit vovere, qui verus eſt pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus: vel certè (inquit) *ipſi parentes quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egeſtate conficiebantur, atq; ita fiebat, ut oblatio liberorũ ſub occaſione templi & Dei in Sacerdotum lucra cederet.* Hæc Hieron. Concludit certè Chriſtus præferri debere ſubſidium inopiæ & egeſtatis parentum, voluntariis oblationibus Deo etiam in pias quaſcumque cauſas factis: quia obligantur filij ad ſubſidia parentum jure naturali divino, & præcepto charitatis: Ad voluntarias autem oblationes Deo & in pias cauſas faciendas non tenentur. Ex qua concluſione alteram generalem *infero*: Nota. Lege divinâ naturali ſeu præcepto charitatis, hominem teneri pauperi extremâ vel gravi neceſſitate laboranti ſubvenire, illamque obligationem præferre omnibus voluntariis eleemoſynarum elargitionibus extra hujuſmodi neceſſitatem, cuicumque tandem fiant. Porrò ad complementum hujus doctrinæ pauca Dubia ſunt reſolvenda.

Dubium I.

An homo ex vi præcepti charitatis teneatur de iis, qui neceſſitatem patiuntur, inquirere ut eis ſubveniat?

REſpondeo: Etſi ſit opus conſilij & meriti tales inquirere, ex vi tamen præcepti charitatis non teneri. *Ratio eſt*: quia nuſquam hoc præceptum reperitur; & aliàs Scripturæ ſupponunt ſcientiam, ad hoc ut præceptum obliget 1. Joann. 3. 1. Joan. 3. verſ. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, &c.* Unde S. Chryſoſtomus Hom. de divite Epulone Tom 2. S. Chryſ. tom. 2. hom. de divite Epul. in init. loquens de Lazaro: *Ideò* (inquit) *jacebat ad januam, ut crudelitatem divitis in ſuo corpore demonſtraret: ideo jacebat ad januam, ne dives diceret, non vidi, in angulo fuit, aſpicere non potui, nemo mihi nunciabat: jacebat ante januam, videbat illum, & exiens & revertens, &c.* q.d. Si non vidiſſet & ſciviſſet, excuſabilis foret; ſed perſonam videbat, & ejus extremam neceſſitatem agnoſcebat, & ideò inexcuſabilis erat.

Nota. Dixi (*ex vi præcepti charitatis non teneri*) poteſt enim fieri quòd alio titulo, *V. gr.* Juſtitiæ, ad id obligetur. Qualiter, qui à civitatibus habent officium pauperibus & miſeris providendi, ex pacto juſtitiæ tenentur inquirere de paupertate & neceſſitate miſerorum juxta officij ſui rationem.

Dubium 2.

An uxor & filii-familias obligentur hoc præcepto eleemoſynæ in gravi neceſſitate?

REſpondeo primò: Uxor, ubi in familia facultates ſuppetunt, tenetur ſub peccato

guebatur, quia talentum abſconderat, & in eo operatus non erat.

Ex quibus omnibus *infero & inferendo moneo*: multos, etſi gravioribus peccatis externis non graventur, ob peccatum tamen Acediæ, quod dilectioni Dei ſuper omnia opponitur, perire: quia nimirùm triſtitiâ hujus ſæculi abſorpti, a divino bono ob difficultatem abhorrent & ſalutem ſuam negligentes, puſillanimitate, torpore, ſomnolentiâ, excæcatione mentis ad terrena ſolatia abeunt, & terrenis immerſi vel inertiâ vel malitiâ abeuntes poſt carnem alteram, conſumuntur.

§. III.

De parentum, filiorum, uxoris nimia dilectione, quatenùs dilectioni Dei opponitur.

ETſi Concluſione tertiâ ſuperioris Quæſtionis ſufficienter oſtenderimus ex Scriptura, amorem nimium & exceſſivum parentum, filiorum, uxoris, fratrum, ſororum, &c. condemnari, ex eo quòd præponatur amori divino: Hic tamen iterùm aliqua repetenda fuerunt, ut peccatum illud nimij amoris, quatenùs opponitur charitati, cognoſcatur.

Advertendum igitur, dupliciter amorem parentum, uxoris, propinquorum dici poſſe præferri amori Dei. *Primò*, quando quis paratus eſt ob amorem parentum, uxoris, filiorum, fratrum peccare mortaliter aliquod præceptum divinum transgrediendo, & de facto interdùm transgreditur. *Ex. gr.* Parens furta, injuſtitias & id genus paratus eſt committere, ut filios ditet, ut eos honoribus augeat, &c. *Similiter*: filij ob parentes & uxores fidem deſerunt, illicita connubia ineunt, varijs peccatis ſe intricant. *Item*: Maritus ut uxori, vel uxor ut marito placeat, præcepta Dei & Eccleſiæ multis modis transgrediuntur.

Secundò, quando quis ita de parentibus, uxore, propinquis ſolicitus eſt, ut neceſſaria ſalutis negligat, & curam animæ ſuæ illis poſtponat, etſi ſingularia aliqua præcepta non transgrediatur, præter præceptum dilectionis Dei ſuper omnia. Exemplum clarum eſt in nonnullis, qui, etſi ſingularibus peccatis implicari non videantur, ob intenſum tamen affectum in filios, tantâ negligentiâ ſalutis ſopiuntur, ut de Deo vel rebus ſalutis vix aut niſi perfunctoriè cogitent, ad hoc vel neceſſitate, vel reſpectu humano aut conſuetudine adacti. His ſic præſuppoſitis, pono duas Regulas.

Regula I.

QUiſquis ita affectus eſt, ut ob amorem parentum, uxoris, filiorum, &c. paratus ſit aliquod præceptum Dei transgredi, peccat mortaliter; quamvis non niſi unico peccato quod vel internâ voluntate transgrediendi, vel in externa peccati commiſſione, aut præcepti omiſſione completur. *Ratio eſt*: quia nimius amor ille parentum, &c. eſt cauſa & motivum voluntatis transgrediendi, ſive etiam ipſius transgreſſionis; unde meritò talis cenſetur præferre amorem parentum, &c. amori Dei.

Dixi (*non eſſe niſi unum peccatum*) influxus enim cauſæ moventis identificatur effectui & malitiam ejus ſortitur, & proindè cùm effectus unicus ſit, unicum etiam peccatum committitur; Internum quidem, ſi in voluntate deliberata peccandi remaneat: externum autem, ſi ad transgreſſionem præcepti foris procedat.

Regula 2.

QUi parentum, uxoris, filiorum, conſanguineorum tantam ſolicitudinem gerit, ut curam ſalutis in re gravi negligat, etſi alio peccato ſingulari non offenderet, eo ipſo cenſetur mortaliter peccare contra præceptum ſpeciale charitatis. Vide *totam concluſionem tertiam quæſt. 3. ſuprà poſt appendicem de blaſphemia*: Ille enim verè dicitur amare conſanguineos plùs quàm Deum aut ſupra Deum, & ideo pronuntiatur Deo & Chriſto dignus non eſſe.

§ IV.

De ſuperbia quatenùs opponitur charitati.

QUia ſuperbia potiſſimùm ſui parte opponitur charitati Dei ſuper omnia, & ut plurimùm ex inordinato ſui amore procedit, hic pauca de illa dicenda ſunt, ne frequenter cogamur eadem repetere.

Advertendum itaque *primò*, ſuperbiam, ut eſt ſpeciale peccatum, deſcribi, *appetitum* ſive *amorem inordinatum & perverſum propriæ excellentiæ*. Dicitur (*appetitus*) ſuperbia enim eſt voluntatis & in voluntate ſubjectatur, & his ferè gradibus ipſa progreditur: Primò ex conſideratione excellentiæ quam quis ſibi attribuit: Secundò ex amore illius & ſimplici complacentia: Tertiò ex æſtimatione inordinata ſui, per quam vult æſtimari & honorari inordinatè. Dicitur (*inordinatus & perverſus propriæ excellentiæ*) quia ſuperbus ſibi indebitè attribuit aut excellentiam quam non habet, aut alio modo & intentione quàm habet. Undè quatuor ſpecies ſuperbiæ referuntur. Prima, quando quis bonum quod habet, aut habere ſe putat aut appetit, vult habere vel videri habere à ſeipſo & non ab alio, nequidem à Deo. Secunda, quando, etſi agnoſcat ſe à Deo vel ab alio bonum illud habere, vult tamen habere, vel videri habere ut ſibi ſuiſque meritis debitum, & non ex gratia. Tertia, quando vult ſingulariter

Definitio ſuperbiæ.

Quadruplex ſuperbia.

lariter & excellenter habere cum aliorum contemptu. Quarta, quando quis vult habere, vel videri habere, quod verè non habet. Ufus ſum nomine *Boni* pro nomine *Excellentiæ*: omnis enim excellentia, ſive vera, ſive falſa, ſive exiſtimata fundatur in aliquo bono vero, vel apparenter, vel præſuppoſito. Ex quibus

Adverto ſecundo, Superbiam charitati & dilectioni Dei opponi juxta illud Eccleſiaſtici 10. Eccl. 10. verſ. 14. 15. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus*: cùm enim ſuperbia ſit amor, ſive appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, in hoc maximè inordinatio appetitûs, ſive amoris illius perverſi conſiſtit, quòd ſuperbus contra ordinem charitatis, aut ſe Deo exæquet, dum bonum, quod ſe habere exiſtimat, à ſe irreferibiliter, & non à Deo ſe habere vult; aut Deum ſibi debitorem ex æquo faciat, quæ duo dilectioni Dei ſuper omnia formaliter opponuntur. Alij duo perverſi amores, quibus aut vult ità ſingulariter bonum poſſidere, ut ſolus poſſidere exiſtimetur, aut vult æſtimari habere quod non habet, ordinato amori ſui ipſius & proximi contradicunt; ſicut enim tenetur quis amare proximum ſicut ſeipſum, ſic tenetur ex charitate velle proximo bonum, quod habet, ſicut & ſibi-ipſi vult: falſo etiam & ſtulto amore ſe complectitur, qui vult in ſeipſo amari, quod verè non habet. Super his autem pono ſequentes Regulas.

Regula I.

Quicunque eò dementiæ venit, ut bona, quæ habet, vel ſe habere putat, à ſe, & non à Deo habere velit; vel ſi à Deo, ſua tamen merito & ex debito adæquata juſtitia, ſuperbia graviſſimo peccato mortali obnoxius eſt, ſi deliberato & pleno actu voluntatis conſentiat.* Ratio fundamentalis eſt: quia hoc ipsò Dei bonitatem, ut eſt omnium bonorum principium & finis, & à qua omnia bona tam in ſe, quàm in gratioſa & voluntaria ſui communicatione dependent, quantùm in ſe eſt, negat & reijcit. Imò à Dei bonitate ut eſt objectum primarium & ultimatum charitatis, omninò avertitur, & regulis Dei ſobijci detreſtat.

Dixi (*eſſe peccatum graviſſimum*) non quia ſit gravius odio Dei; ſed quia pro objecto habet Deum ipſum cujus bonitatem & veritatem, quantùm in ſe eſt, abijcit, & ei ſubijci non vult, deſtruitque principium charitatis, quod eſt agnitio ſupremæ & puriſſimæ bonitatis Dei.

Dixi (*ſi deliberato & pleno actu voluntatis conſentiat*) vix enim credo ad hanc dementiam hominem pervenire, niſi atheiſmo, quo non credat Deum eſſe; aut hæreſi, qua ſolis proprijs operibus & virtute propriâ juſtificari, aut ſalvari credat, ſit infectus. Aut ſi intellectui alicujus infidelitatis error non inſit: illud, *Velle donum à ſe habere, & non à Deo, aut velle habere ex debito adæquato juſtitia*, aut conditionalem præſupponit *ſi ita fieri poſſet*, aut abſolutam, qua ſuperbus *ita fieri poſſe vult & appetit*. Quemadmodum explicant paſſim Patres Luciferianam ſuperbiam, qua æqualitatem Dei appetebat ſub poſſibilitate conditionata, quam poſſibilitatem, quantùm in ſe eſt, abſolutè volebat.

Advertendum tamen quoad bona naturæ & fortunæ, ſæpiùs ſuperbiam illam in mentibus hominum regnare etiam cum deliberato conſenſu ſaltem interpretativo: ut conſtat de illis, qui ex ſe ea ſe habere exiſtimant, & illa ſibi ità adſcribunt, ut nullatenùs in Deum referant: quomodo victores ſuæ fortitudini, ſapientes hujus mundi ſuo intellectui & ingenio, divites ſuæ induſtriæ, etiam Deo excluſo, interdùm victoriam, ſapientiam, divitias, &c. attribuunt, qui dicunt: *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. verſ. 27.

Ex his porrò primarijs ſpeciebus ſuperbiæ naſcitur parentibus non abſimilis filia, inanis gloria, quæ in hoc differt à ſuperbia, quòd ſuperbia ſit appetitus inordinatus excellentiæ: inanis autem gloria ſit potiùs appetitus inordinatus manifeſtationis excellentiæ, qua quis gloriam & laudem quærit. Ut autem vanæ, ſeu inanis gloriæ ratio pleniùs cognoſcatur; *Advertendum eſt*, inanem gloriam dici, aut ratione finis, ad quem manifeſtatio illa excellentiæ refertur, aut ratione rei, vel operis, ex quo laus quæritur. Quadruplici autem fine homo appetere poteſt laudem, ſive manifeſtationem alicujus excellentiæ. De vana gloria.

Primus eſt, ad vitandam aliquam infamiam, vel reparandam minorem æſtimationem, quam homines habent de ſe, fortè ex aliqua detractione, vel ingeſta malâ ſuſpicione. Et hic finis vanus non eſt: imò non ſolùm poteſt homo ob alium finem ſe laudare; ſed etiam quandoque tenetur ad redintegrandam, aut conſervandam neceſſariam famam ſuam. Hoc modo Samuel coram populo 1. Reg. 12. ſe laudabat, & Sancti frequenter hoc fecerunt. Ex fine quadruplici excellentiæ alicujus manifeſtatio appeti ſolet.

Secundus, Propter gloriam Dei & utilitatem aliquam ſpiritualem ad ædificationem proximorum: ſic Paulus & Barnabas narrabant magnalia Dei, quæ per illorum manus Deus operari dignatus erat inter Gentes, Act. 15. Et hic iterum finis non vanus, ſed laudabilis eſt: quemadmodum enim licet meritoriè appetere aliquam excellentiam ad vitandam infamiam & redintegrandam famam neceſſariam, vel etiam ad Dei majorem gloriam & utilitatem ſpiritualem proximorum; ita ob prædictos fines licet appetere meritoriè alicujus excellentiæ vel laudis manifeſtationem.

Tertius finis appetendæ laudis & gloriæ, eſt lucrum quoddam vel commodum inordinatum, ſive aliud quidpiam, ex quo peccatum mortale redundat. Exemplificari poteſt de Phariſæis, qui comedebant domos viduarum, ſimulantes longas orationes, & alia per hypocriſim faciebant, de quibus Matth. 23. Et hoc fine vanam gloriam appetere, peccatum mortale eſt.

Porrò avaritia, qua quis injuſtitiâ, rapinis, fraudibus divitias acquirit, aut retinet, juſtitiæ opponitur: quatenùs autem in erogando tenax eſt liberalitati, vel charitati proximi; quatenùs tandem eſt ſolicitudo nimia habendi, excludens amorem Dei & curam ſalutis, eo reſpectu charitati Dei opponitur, & ex natura ſua etiam ſolo illo reſpectu, eſt peccatum mortale. Undè non glorietur avarus, quòd nihil rapuerit, nullum injuſtè oppreſſerit · hòc ipsò enim, quod exceſſivo illo amore divitiarum tenetur, idolnlatris ab Apoſtolo comparatur; & à CHRIRTO declaratur ſervire Mammonæ & non Deo. Hæc de avaritia prout opponitur charitati.

Avaritia ut oppo-nitur cha-ritati Dei na-turâ ſua eſt peccatū mortale.

SECTIO II.

De dilectione Proximi.

QUÆSTIO I.

Quid importet præceptum de dilectione proximi?

DIlectionis proximi præceptum ſuprà retulimus initio Tituli hujus de charitate ſub verbis CHRISTI in Evangelio ſæpiùs repetitis; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: modò illud declarandum eſt.

Pro cujus pleniori intellectu: *advertendum primò*: in omni dilectione meritoria ſervandum ſemper finem illum charitatis, ut homo Deum propter ſeipſum; ſe autem & proximum propter Deum diligat. ſive potiùs Deum, ad quem creatus eſt, & à quo bona cuncta procedunt, in ſeipſo, & in proximo diligat; hoc eſt enim ſeipſum, & proximum propter Deum diligere. Et hic eſt invariabilis & indiſpenſabilis finis veræ charitati eſſentialis, ſine quo etſi affectus dici poſſit amor prout eſt paſſio naturalis, nullatenùs tamen charitas dici poterit.

Matth. 22. verſ. 39.

Finis charitatis eſt ſinnalis Deus.

Advertendum ſecundò, Etſi nullum explicitum præceptum datum ſit homini de amore ſui-ipſius ob cauſas ſuprà allegatas *Titul. de Charitate* Q. a. dilectionem tamen ſui-ipſius aſſignatam eſſe, ut menſuram dilectionis proximi: quam menſuram exponunt Axiomata illa naturæ à principio inſita: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et: *Omnia quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Dilectio ſui menſura dilectionis proximi.

Advertendum tertiò, Illas particulas (*ſicut teipſum*) in præcepto de dilectione proximi, non debere ſumi ſecundùm omnimodam æqualitatem, ſivè adæquatè, quaſi homo debeat æqualiter diligere proximum, quantùm diligit ſeipſum (hoc enim falſum eſſe docebimus infrà, agentes de ordine charitatis) ſed proportionaliter & ſimilitudinariè, id eſt in ijs, quibus ſeipſum diligere tenetur, & in modo ſimili, ſive accomodo.

Matth. 7. verſ. 12.

Quid particula, ſicut teipſū, ſignificans.

Advertendum quartò, Præceptum dilectionis proximi partim eſſe Negativum, partim Affirmativum: Negativum, quatenùs prohibet odium & omne nocumentum proximi: Affirmativum autem, quatenùs præcipit & mandat formalem & effectivam ejus dilectionem. His ſic prænotatis, ſit

CONCLUSIO UNICA.

TRia potiſſimum ſub obligatione imponit præceptum dilectionis proximi. *Primùm*, Nec malè velle, nec malum inferre proximo. *Secundùm*, Benè velle, & illi benefacere. *Tertiùm*, Quantùm in nobis eſt, omnem injuriam & nocumentum ab illo propulſare. Hæc Concluſio declaratur ex menſura amoris, ſive dilectionis noſtri-ipſius. In hoc enim cenſemur nos benè diligere: ſi nobis & animæ noſtræ ſicut malum nolumus, ſic non inferamus: ſi nobis & animæ noſtræ benè per omnia velimus & benefaciamus: ſi omne, quod nobis vere nncet, aut nocere poteſt, procul à nobis propulſemus. Quod etiam ex altera menſura, quam dedit nobis CHRISTUS Joan. 15. deducitur: *Hoc eſt* (inquit) *præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos*. Quomodo autem dilexit nos? omnem iram & odium deponendo, benè volendo, benefaciendo, mala à nobis propulſando. Ex quibus pono ſequentes Paragraphos, & Regulas.

Tria in præcepto dilectionis proximo obligant,

Joan. 15. verſ. 12.

§. I.

De odio & prava affectione in proximum contra obligationem primam.

Regula generalis.

QVicunque odio, vel pravo affectu proximum ita proſequitur, ut ei malum velit, vel optando, vel gaudendo, quando evenit, aut directè inferendo in materia gravi, peccat mortaliter. Concluſio clara eſt ex Scripturis ſanctis 1. Jo. 3. *Qui odit fratrem, homicida eſt, & ſcitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Et cap. 2 *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Infrà: *In tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et cap. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Nec quis excuſare ſe debet, etſi foris ſigna odij non oſtendat; nam ut benè ait Sapiens Prov. 26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.*

Odium proximi in re gravi eſt peccatū mortale.

1. Joan. 3. verſ. 15.

Idem c. 2. verſ. 9

Verſ. 11.

Ibid. c. 4. Verſ. 20.

Prov. 26. Verſ. 26.

Dixi (*ut ei malum velit*) hic eſt enim primus effectus odij, malum velle ei: quem poſitive odimus.

Dixi (*vel optando, vel gaudendo quando evenit*) in his enim ordinariè demonſtratur voluntas prava, quæ cum odio conjuncta eſſe ſolet. Undè Job 31. *Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quòd inveniſſet eum malum*, &c.

Job 31. verſ. 29.

Dixi (*in materia gravi*) quæ autem ſit materia gravis juxta genus & ſpecies ſuas, latè dicemus in ſex præceptis ultimis, quæ ſunt determinativa omnis nocumenti, quod proximo inferri poteſt.

Dixi autem notanter (*Qui odio, vel pravo affectu*, &c, ad excuſandos affectus juſtitiæ & pietatis, quibus interdum Sancti non hominem, aut proximum oderunt; ſed ejus vitia; & mi-

De odio bono Sanctorum

Pſal. 118. iniquitates juxta illud Pſalm. 118. *Iniquos odio*
Pſ. 13. *habui, & legem tuam dilexi.* Et Pſalm. 138. *Nonne*
Pſ. 138. *qui oderunt te Domine, oderam & ſuper inimicos*
verſ. 21. 22 *tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos: & ini-*
mici facti ſunt mihi, eo ſcilicet ſenſu quo Sap. 14
Sap. 14. dicitur: *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus:*
v. 9. hoc eſt, impius ratione impietatis ejus. Eodem
ſenſu, affectu nimirùm juſtitiæ orabat Pſaltes
Pſ. 53 v. 7. Pſalm. 53. *Averte mala inimicis meis, & in verita-*
Pſ. 54. 16. *te tua diſperde illos*: Item: *Veniat mors ſuper illos,*
& deſcendant in infernum viventes: quoniam ne-
quitia in habitaculis eorum. Licet enim inter-
dùm optare alicui malum, non affectu malo
aut injuſto, neque ex odio, ſed affectu juſtitiæ
in odium, non ipſius hominis, ſed peccati ejus:
Et quemadmodum licet mihi ipſi optare mor-
tem ut liberer à peccato vel grandi tribulatio-
ne; ita licet eodem affectu optare peccatori
mortem, ut Deus ampliùs per illum non offen-
datur, aut ut juſti à peccatoribus liberentur:
Nota. ſed hæc quidem multâ cautelâ uſurpanda ſunt,
ne ſub titulo pietatis vel juſtitiæ, animus malè
affectus habenas impietati & injuſtitiæ laxet.

§. II.

De ſecunda obligatione benefaciendi proximo.

Regula Generalis.

Obligatio benefaciendi proximo.

OMnis homo tenetur benefacere proximo, ubi neceſſitas & circumſtantiarum ratio id requirit: Et in caſu hujuſmodi neceſſitatis debitè circumſtantionatæ non benefacere, ubi materia eſt gravis, peccatum mortale eſt.* Hæc concluſio infertur ex affirmativo verbo, *diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Matth. 22. verſ. 39.

Etſi enim præceptum affirmativum non obliget pro ſemper, obligat tamen pro aliquo tempore, quod aſſignari certius non poteſt, quam tempus neceſſitatis debitè circumſtantionatæ: deinde: Verbum, *diliges*, non modò affectum, ſed cum affectu, effectum ſive opus requirit, ubi adhiberi poteſt: juxta illud 1. Joann. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.*

1. Joann 3. v. 17. 18. 19

In quibus verbis perſtringuntur vehementer excuſationes peſſimæ eorum, qui probi & juſti haberi volunt, dum ab actibus veræ dilectionis ſe excuſant erga eos maximè, à quibus juſtam averſionem prætendunt. Dicere utique ſolent. Quòd malum eis non optent, ſed eos ſibi relinquant; non attendentes quòd non tantùm obligentur non odiſſe; ſed primò: teneantur etiam diligere, & ſigna communia dilectionis proximo exhibere. Secundò: quòd obligentur opere, ubi ratio & neceſſitas circumſtantionata poſtulat, charitatem demonſtrare: *Probatio enim dilectionis* (teſte S. Gregorio) *eſt exhibitio operis.* Et hic eſt Lydius lapis, quem Joannes ad probandam dilectionem fraternam adſtruit: *In hoc enim* (inquit) *cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.* In hoc (inquam) ſi non diligamus verbo neque linguâ tantùm, ſed opere & veritate, cognoſcemus quia ex veritate ſumus, id eſt, quod in veritate diligamus, & in hoc ſolo in conſpectu Dei ſuadebimus corda noſtra, id eſt, perſuadebimus nos verè proximum amare. Unde & Jacobi 2. *Si frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* ut verò hæc Regula enucleatius intelligatur, pono reſolutiones aliquot dubiorum.

Nota.

S. Gregor. Hom 30. in Evang. in princip. 1. Joan. 3. verſ. 18.

Jacobi 2. v. 15 16.

Dubium I.

Quæ ſit vera neceſſitas legitimè circumſtantionata, in qua teneatur quis proximo benefacere?

Cui benefaciendū?

REſpondeo, illam dici veram neceſſitatem, quando homo aliquâ re vel ſubſidio alieno indiget neceſſario ad vitam ſive ſpiritualem, ſive corporalem, ſive moralem & civilem conſervandam. Quam reſponſionem brevem quidem, omnia tamen in ſe complectentem ſic explico;

Dixi (*quando homo*) hîc enim neceſſitatibus humanis ago, omnes includens homines, amicos, inimicos, Judæos, paganos, Chriſtianos, Catholicos, &c. qui nomine proximi intelliguntur.

Quo ſubſidio?

Dixi (*Re vel ſubſidio*) ſub quibus comprehendo omnes actiones, opitulationes, auxilia, miniſteria quocumque nomine exprimantur.

Quando?

Dixi (*alieno*) quamdiu enim homo ſibi ſuccurrere aut ſatisfacere poteſt, non dicitur verâ neceſſitate laborare. Unde pauperes qui labore, induſtriâ, actione, & miniſterio aliquo ſibi-ipſis neceſſaria conquirere aut ſuæ neceſſitati ſubvenire poſſunt, non cenſentur in hac materia veram neceſſitatem pati, quâ nimirùm alieno ſubſidio verè indigeant: cùm, ſi indigeant, ſuâ culpâ indigeant & ſibi, ut ſupponitur, ſuccurrere poſſint. Fieri tamen poteſt, ùt, etſi ſuâ culpâ in iſtam extremam indigentiam ſe præcipitarint, hîc & nunc pro aliquo tempore in vera neceſſitate ſint, & ſuâ operâ pro illo tempore quo periclitantur, ſubſidium ſibi ferre non poſſint: ſed exemplum allatum loquitur de eorum communi & ordinario ſtatu.

Nota.

In tribus conſiſtit vera neceſſitas.

Dixi (*neceſſariò ad vitam ſpiritualem ſive corporalem, ſive moralem & civilem, &c.*) in his enim ſolis tribus conſervandis, hominem neceſſitatem veram pati arbitror, & ſi quæ aliæ neceſſitates reperiantur, ad hanc triplicem vitam conſervandam ſpectant & reducuntur.

Quid vita ſpiritualis?

Vitam ſpiritualem, voco *vitam animæ*, quæ rebus & ſubſidiis ad ſalutem æternam neceſſariis, neceſſariò conſervatur, ideoque veram neceſſi-

neceſſitatem in hac conſervanda homo frequenter patitur, ut in ſuſceptione Sacramentorum, auxiliis & adjutoriis ad ſalutem requiſitis.

Quid vita corporalis?

Vitam corporalem voco, quâ homo in via vivit, & ad quam conſervandam requiruntur alimenta, veſtimenta, medicinæ & aliæ actiones & ſubſidia neceſſaria.

Quid vita moralis ſeu civilis.

Vitam moralem & civilem conſtituo in honeſtate, probitate morali, integra fama, ad quæ etiam conſervanda, pluribus interdùm homo indiget, tantaque eſt illi neceſſitas illa ſibi conſervandi illibata, ut ſine illis moraliter & honeſte inter homines homo vivere non poſſit.

Explicatio neceſſitatis

Ubi igitur occurrit tanta neceſſitas, ut nullatenus, aut non ſine gravi detrimento vita ſpiritualis aut corporalis, vel moralis ſeu civilis absque alieno ſubſidio conſervari poſſit: Qui poteſt tunc ſuccurrere, ſub peccato mortali ad id tenetur ex obligatione charitatis. *Explico exemplis*: Sacerdos ſimplex non approbatus homini ad mortem laboranti (ſi alius non adſit qui faciat & velit facere) ex charitate tenetur Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare: illum, ſi videat imparatum, meliori quo poteſt modo ad ſalutarem mortem diſponere, hæreticum reconciliare, non baptizatum, ſi Baptiſmum requirat, baptizare, &c. *Similiter*: homini gravi vel extremâ neceſſitate ex penuria alimentorum, veſtimenti, & medicinarum periclitanti debet, qui poteſt, ſub peccato mortali ſuccurrere. *Denique*: Eſt homo, qui absque meo teſtimonio vel alio licito miniſterio, non poteſt famam aut innocentiam ſuam illibatam adverſus maledicos conſervare, teneor ſub peccato mortali, ſi poſſum, teſtimonium ferre, & ei licitum quodcunque miniſterium impendere, ut innocentia ejus & famæ integritas quam juſtè poſſidet, conſervetur.

Dixi verò ſemper (*in gravi vel extrema neceſſitate.*) Triplex enim aſſignatur neceſſitas à Theologis: *Communis ſive levis, gravis & extrema.* Communis ſive levis dicitur, quæ in homine, juxta rationem ſuæ ſortis & conditionis, grave detrimentum non cauſat: unde & in tali neceſſitate non ſuccurrere, eſt peccatum tantùm veniale. *Ex. g.* Hominis ſolum communi ægritudine laborantis confeſſionem nolle audire, ſi ex juſtitia audire non teneor: *ſimiliter*, communi pauperi, etſi juxta ſuam ſortem penuriâ communi laborant, eleemoſynam negare: *Item*: Homini pro levi aliqua injuria teſtimonium recuſare, &c, tantùm ſunt peccata venialia.

Dubium 2.

Quis cenſeatur poſſe ſubſidium ferre in vera neceſſitate, ad hoc ut obligetur?

RESPONDEO, tria potiſſimùm requiri ad hoc ut quis dicatur hic & nunc neceſſitate laboranti poſſe ſuccurrere: nimirùm: *Facultas ſuccurrendi*: *Indemnitas in ſuccurrente*, & *ſpes effectus futuri*.

Facultas quidem *ſuccurrendi*: ut nimirùm, qui ſuccurrere debet, habeat unde neceſſitati ſuccurrere poſſit: tum ex parte rei, ut pecuniam, veſtimentum, panem aut alia quæ ad neceſſitatem tollendam requiruntur; tum ex parte operantis, ut remediū neceſſitati per ſe, vel per alium applicare poſſit: tum ex parte effectûs, qui in poteſtate operantis aliquo modo eſſe debet. Hujus facultatis defectu cenſetur non poſſe ſuccurrere, qui pecuniam, panem, veſtimentum non habet unde ſuccurrere poſſit: Sacerdos qui infirmitate detentus, aut ita viribus deſtitutus eſt, ut ad ægrotum extremè laborantem pervenire non poſſit, &c.

Indemnitas verò in ſuccurrente requiri dicitur, nimirùm: ut ſine gravi & ferè æquali periculo aut damno poſſit ſuccurrere. Cujus indemnitatis defectu cenſetur non poſſe ſubſidium ferre, qui eadem gravi vel extremâ neceſſitate laborat, ita ut, ſi ſuccurrat, in eandem difficultatem & neceſſitatem ſe præcipitet; vel qui ſine gravi jactura, & ſine periculo vitæ aut gravis infirmitatis quam alias incurrere deberet, opem ferre non poteſt. *Item*: Sacerdos, qui ex juſtitia & officio non obligatur, cenſetur peſte infecto non poſſe ſuccurrere, ſi manifeſtum periculum ſit, quòd eodem morbo corripietur & in ſimilem Sacramentorum neceſſitatem deveniet. Quid tamen faciendum ſit juxta ordinem charitatis, infrà attingemus.

Spes effectus futuri etiam ad poſſibilitatem ſuccurrendi, aliquo modo neceſſaria eſſe probatur: Quia ſi non affulgeat ſpes ſublevandi neceſſitate gravi vel extremâ laborantem, utpote, ob externum, vel etiam internum aliquod impedimentum, tunc is, cui tale impedimentum occurrit, ſuccurrere non poſſe cenſendus eſt. *Ex. g.* Si pauperi fame laboranti panem defero cùm jam animam agit, cùm ſcio a milite panem in itinere ſurripiendum: Si ægrotum ſcio abſolutionis poſitivè incapacem, &c. in his caſibus cenſeor ſuccurrere non poſſe, & aliàs quotieſcumque effectûs futuri nulla ſpes apparet: generalem itaque Regulam pono.

Regula generalis.

De eo, qui non poteſt ſubſidium pauperi ferre.

QUotieſcumque quis ſine æquali ferè ſuo periculo, detrimento vel damno, gravi vel extremâ neceſſitate laboranti ſubſidium ferre non poteſt: vel ſi ferat, absque ſpe futuri effectûs ferre debeat: ſimpliciter dicendus eſt non poſſe hic & nunc ſubſidium ferre. Huc collimant omnia pro hujus dubij reſolutione ſuperiùs adducta.

Dubium

Dubium III.

An qui ſuccurrere poteſt, ſemper ſuccurrere tenetur?

RESpondes primò: Quando alius eſt qui poteſt & vult ſuccurrere, tunc alter ſuccurrere non tenetur, etſi poſſit. *Ratio eſt*: quia ſuppoſito quòd alius ſuccurrere velit & poſſit, tunc reſpectu alterius nulla concluditur eſſe neceſſitas ad ſuccurrendum, cùm aliundè ſit, qui juvare poſſit & velit.

Dixi (*ſi ſit alius qui poteſt & vult*) quia dato quòd poſſit quidem, nolit tamen ſuccurrere, ſemper ſupponitur neceſſitas perſeverare ſine aliquo ſolamine & ſubſidio, & ideo quilibet ſuccurrere tenetur.

Reſpondeo ſecundò: Quamdiu non eſt qui poſſit & velit ſuccurrere, tamdiu omnes quibus neceſſitas gravis vel extrema innoteſcit, obligari ſub peccato mortali ſuccurrere concurrentibus tribus conditionibus in ſuperiori dubio poſitis; nimirùm, *facultate* ſuccurrendi, *indemnitate* ab æquali vel ferè æquali ſeu proportionato detrimento, & ſpe effectûs futuri.

Appendix I.

De diverſitate perſonarum obligatarum ad ſuccurrendum.

PRo praxi ſuperiorum Reſolutionum: *advertendum eſt primò*, inter perſonas ad ſuccurrendum obligatas: alias obligati ex ſolo titulo charitatis: alias ex titulo mixto juſtitiæ & charitatis. Rurſus: ex iis, quæ titulo ſolo charitatis obligantur ad ſuccurrendum, aliæ ex titulo ſpecialis charitatis, aliæ ex ſolo titulo communis dilectionis obligantur. *Illæ* dicuntur ex ſolo titulo charitatis communis obligari, quæ ex communi & innato naturæ affectu & humana communione tenentur: quomodo homo homini ſimpliciter tenetur ſuccurrere, ſit Barbarus aut Schyta. *Illæ* dicuntur ex ſpeciali titulo charitatis obligari, quos præter communis naturæ obligationem, ſingularis aliqua ratio ad ſuccurrendum obligat: Ita tenetur Pater filio, filius parenti, frater fratri, conſanguineus conſanguineo, affinis affini, imò Chriſtianus Chriſtiano, civis concivi: ſicut enim in his eſt conjunctio ſpecialis, ita & titulus charitatis ſpecialis ex conjunctione naſcitur, & ordinem quemdam in exercitio charitatis infert: Unde alij dicuntur ſanguine, alij amicitiâ ſingulari juncti. *Illæ perſonæ* dicuntur titulo mixto juſtitiæ & charitatis obligatæ, quæ ex officio, ſtatu, vel contractu quodam juſtitiæ ſubſidium laboranti ferre tenentur: ita populus Regi, Rex populo, magiſtratus civibus, Prælatus & paſtor animabus ſibi commiſſis tenentur ex duplici titulo juſtitiæ & charitatis ſuccurrere in neceſſitate: Illi in temporalibus; hi in ſpiritualibus. Præter titulum enim charitatis tam communis quam ſpecialis, eſt quidam contractus juſtitiæ, quo & populus Regi, & Rex populo obligatur ad mutuam conſervationem: Quemadmodum etiam in ſpiritualibus eſt inter Prælatum & paſtorem ac oves commiſſas, ut probat S. Paulus variis locis.

Perſonæ obligatæ ex titulo communi charitatis, quæ?

Quis dicitur titulus ſpecialis in charitate?

Qui titulo juſtitiæ obligentur.

Advertendum ſecundò, graviùs peccare illum, qui titulo juſtitiæ tenetur, quàm qui ſolo titulo pietatis, illumque ut plurimùm inexcuſabilem eſſe, ſi non ſuccurrat quando poteſt, etiamſi grave periculum incurrere debeat. *Ratio eſt*: quia ex juſtitia ſe obligavit: unde paſtor tempore peſtis tenetur per ſe; vel per alium providere ut Sacramenta neceſſitatis adminiſtrentur peſte laborantibus: obligatur enim ex juſtitia pro ovibus animam ponere, quia ſuſcipiendo beneficium ex juſtitia obligavit ſe ad officium principale & neceſſarium ad ovium ſalutem. Quare ſecunda conditio ſuprà relata de indemnitate ab æquali vel proportionato periculo ad hoc ut quis dicatur ex ſola charitate, non de eo, qui obligatur ex juſtitia: qui enim ex ſola charitate obligatur proximo, ſibi primò ordine charitatis obligatus eſt, & ideo dicitur non poſſe ſuccurrere, ſi æquale aut proportionatum periculum incurrat; quia id non poteſt ſalvo debito ordinatæ charitatis, quo ſibi primùm & ante omnia ac magis conſulere tenetur, quàm proximo ſervatâ neceſſitatis proportione *Ex. g.* Qui eſt in neceſſitate communi tantùm, tenetur ei qui eſt in neceſſitate gravi, ſuccurrere: Et qui in gravi, ei qui extremâ neceſſitate laborat, modò tamen qui in communi neceſſitate eſt, ex ſubſidio præſtito, in gravem non incidat, & qui in gravi eſt, non incidat in extremam: Aliud eſt de eo qui ex juſtitia tenetur, ſive ex titulo mixto juſtitiæ & charitatis: eò enim ipſò, quò ex conventione expreſſa, vel virtuali ſe obligavit ſuccurrere circumſcripto quovis periculo, tenetur etiam cum periculo obligationi ſuæ ſatisfacere, ut de paſtore ſuperiùs exemplificatum eſt: quòd enim quidam dicunt, nec malè, paſtorem non teneri interdùm cum detrimento communis populi, uni aut alteri membro cum periculo vitæ ſubvenire tempore peſtis: id, ſi fortè in aliquo caſu excuſationem & exceptionem admittat, non evenit ex defectu obligationis; ſed ex ordine juſtitiæ & charitatis, quâ ubi utriſque ſubveniri non poteſt, prioribus ordine juſtitiæ & charitatis ſubveniendum eſt. Oportet tamen cavere, ne mentiatur iniquitas ſibi & ut, in vero caſu, quo quis omnibus ſatisfacere non poſſit, verus ordo juſtitiæ & charitatis ſervetur

De comparatione titulorum ad invicem.

Nota pro paſtoribus.

Advertendum quartò, ubi deſint, qui ex ſpeciali titulo charitatis, aut ex mixto juſtitiæ & pietatis ſuccurrant, ſervatis tribus conditionibus initio dubij ſecundi relatis, omnes qui poſſunt & ſciunt, teneri ſuccurrere quamdiu aliquis non eſt qui ſuccurrat. Quòd bene explicavit Chriſtus in parabola illius, qui deſcendit

ab

ab Ieruſalem in Hiericho, cui tanquam Judæo cùm Levita & Sacerdos tranſeuntes tenerentur mixto titulo juſtitiæ & charitatis opitulari in tanta neceſſitate : illis tamen obligationem ſuam non ſine gravi culpa negligentibus, & tranſeuntibus : ex obligatione communis charitatis tanquam proximo , Samaritanus
Luc. 10. verſ. 37. quantumvis alienus opitulatus eſt. *Fac* (inquit CHRISTUS) *& tu ſimiliter*. Expendant Chriſtiani , qualiter culpas etiam mortales incurrant, dum pauperibus extremâ neceſſitate laborantibus , & ſæpiùs in medijs plateis expoſitis , nec de ſuperfluis tum ſtatûs, tum naturæ ; quibus abundant, dignantur ſuccurrere, aut pedem manumve movere , ſibi excuſationes fabricantes & fingentes , quæ in judicio Dei non proderunt.

Hanc porò obligationem ita teſtatam reliquit CHRISTUS, ut profanum ſit de ea diſpu-
Matth. 25. verſ. 41. 42. & 43. tare ; Matthæi enim 25. referens ſententiam ferendam in reprobos : *Diſcedite à me* (ait) *maledicti in ignem æternum : eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare : ſitivi, & non dediſtis mihi potum : hoſpes eram ; & non collegiſtis me*, &c. In quibus omnia ferè genera opitulationum recenſentur. Quid verò excuſationis poteſt prætendere, qui facultatem ſuccurrendi habet, indemnitatem à gravi detrimento habet ; ſpem opitulationis ſeu effectûs habet. Certè hâc ſententia condemnati opponunt ibidem ſolam
Ibid. verſ. 44. ſcientiam : *Domine* (inquiunt) *quando te vidimus*
Verſ. 45. *eſurientem*, q. d. neſcivimus te eſurire : ſed ſtrictè reſpondetur : *Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*; quaſi dicat : vidiſtis minimos meos & pauperes meos. & non feciſtis : ſcientia itaque non defuit ; ſed voluntas.

Appendix 2.

De Eleemoſyna.

HIc tractandum fuiſſet latiùs de Eleëmoſyna, ſed principijs generalibus ſuprà adductis facilè intelligitur, qua ratione & obligatione hominem afficiat : undè tantùm pono aliquot propoſitiones obligationum rememorativas.

Propoſitio 1.

Quando teneatur homo eleemoſynam facere. *OMnis homo facultates habens , ſi viderit proximum gravi vel extremâ neceſſitate laborantem, cui poteſt ſuccurrere, mortaliter peccat, ſi non juxta rationem facultatum & neceſſitatis ſuccur-*
1. Joan. 3. verſ. 17. *rat*, &c. Hæc Propoſitio ſumitur ex illo 1. Joan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi , & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* q. d. non manet : in quo autem charitas Dei non manet , neceſſarium eſt, ut privetur vitâ gratiæ , quod eſt effectus peccati mortalis.

Propoſitio 2.

Quis dicatur facultates habere. *ILle habere cenſetur ſufficientes facultates ad eleemoſynam , cui ex earum elargitione alicujus momenti diſpendium ſive in ſe, ſive in familia ſua contingere non poteſt.*

Pro cujus Propoſitionis explicatione *advertendum eſt* : facultates ad faciendam eleëmoſynam ſufficientes , duplici menſura æſtimandas eſſe. *Primò, ſufficientiâ vel ſuperfluitate naturæ* : illæ autem facultates naturæ ſuperfluæ cenſentur, ſine quibus natura in eſſe commodo conſervari poteſt, ſive ſine quibus homo victum, veſtitum , & alia ad vitæ congruam ſuſtentationem & conſervationem neceſſaria ſibi habere poteſt juxtà illud 1. ad Timotheum 6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur , his contenti ſimus*. Ex quo, qui tantùm habet pro ſe & familia , quæ ad naturæ neceſſitatem congruè neceſſaria ſunt, facultates quidem habere cenſetur ſibi ſufficientes, non tamen ſufficientes ad eleëmoſynas faciendas : Quia ſibi & familiæ ſuæ ſunt neceſſariæ ad vitæ conſervationem, ut ſuppoſitum eſt. Si verò habeat facultates ampliores ; quàm neceſſariæ ſint ad ſui & familiæ congruam ſuſtentationem; illæ inquantùm excedunt , dicuntur ſuperfluæ ſuperfluitate naturæ : quia ad conſervandam naturam neceſſariæ non ſunt ; & hæ ad eleëmoſynam dicuntur ſufficientes eſſe. *Secundò* ; facultates menſurandæ ſunt *ſufficientiâ vel ſuperfluitate ſtatûs*: illæ verò dicuntur ſufficientes ſufficientiâ ſtatûs , quæ ſufficiunt non tantùm ad vitam naturæ , ſed etiam ad ſtatum ſuum (quem quilibet gerit) & familiæ ſuæ conſervandum : ſuperfluæ autem ſuperfluitate ſtatûs cenſentur, quæ ad ſtatum cujuslibet juxta rationem ſui & familiæ conſervandum neceſſariæ non reputantur. Statum voco, dignitatem, nobilitatem, præeminentiam , qua quis gaudet in reputatione communi populi : unde plura requiruntur ad ſtatum ejus, qui eſt in dignitate ; ſive Eccleſiaſtica , ſive Sæculari , conſervandum , quam ad ſtatum alicujus inferioris gradûs : plura Nobilis requirit, quàm Ignubilis : plura qui in officio honorabili Reipublicæ ; quàm vulgaris homo de fece populi. Illa porrò omnia judicanda ſunt juxta uſum honeſtum proborum in Rebuſpublicis, non juxta abuſum luxuriantium in divitijs & vanitatibus hujus corruptiſſimi Sæculi, ubi quidquid libet , licet & qui plus pecuniæ habet, in omnibus excellit; & pro ratione pecuniarum quilibet nobilis & dignus æſtimari appetit.

Duplicitèr facultates dicuntur ad eleemoſynam ſufficere.

1. Timoth. verſ. 6.

Quæ ſuperfluæ ſuperfluitate naturæ.

Quæ ſuperfluæ ſuperfluitate ſtatus.

Nota. *Regula hæc mea eſt*: Illum dici conformiter ſtatui ſuo vivere, qui juxta morem eorum, qui in eodem ſtatu honeſti ; & honorabiles in ratione domeſtica & œconomica proborum judicio habentur, vivit, id eſt, qui nec excedit, vel excedit in ijs , quæ ejuſdem ſortis homines judicio proborum facere ſolent. Qui igitur facultates habet pro ſuo ſtatu exceſſivas , cenſetur habere ſuperfluas. Ex quo addo ſequentem Propoſitionem,

Corollarium.

EX *his conſtat primò*: qualiter eleemoſyna non tantùm ſit opus ſupererogationis & meriti, cui varii fructus & ſanctiſſimi effectus paſſim in Scripturis attribuuntur, ſed etiam ſit opus obligationis & præcepti ex obligatione charitatis ad proximum obligantis, & grandis materia extremi univerſalis Judicij. Dicat
Nota mundanus quidquid voluerit: ſtat Chriſti in-
Matth. 25. concuſſa ſententia: *Diſcedite à me maledicti in*
v. 41. 42. *ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Et Luc. 16. dives Epulo non
Luc. 16. tam damnatur quia *induebatur purpurâ & byſſo,*
v. 19. 20. 21 *& epulabatur quotidie ſplendidè*: quàm quia *mendicus nomine Lazarus jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* En extrema neceſſitas famis, quia cibum non habebat, qui micas deſiderabat, & tamen deſiderio fruſtrabatur. Inhumanitatem verò & defectum omnis humanæ charitatis innuit Evangeliſta
Ibid. ſubdens: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus* q.d. Canes ei compatiebantur inſtinctu quodam naturali, & cane pejor dives: quod canibus ſuis non negaſſet, pauperi negabat, non modò panem, ſed panis micam.

Conſtat ſecundò, qualiter inexcuſabilis ſit homo Chriſtianus, qui ſciens & videns pauperes fame, ſiti, nuditate & aliis miſeriis confectos & extremè laborantes, ſub prætextu quòd alii dabunt, etſi facultatibus ſufficientibus gaudeat, & ſine gravi detrimento ſubvenire poſſit, nihilominus opem & operam ac eleemoſynam denegat: mea quippe ſententia eſt:
Nota. quòd quamvis plures ſint qui ſciant & poſſint ſuccurrere: Si nullus ex illis faciat, exiſtente gravi vel extremâ neceſſitate, omnes peccare mortaliter, quia ſinguli præcepto charitatis in re gravi obligantur.

Conſtat tertiò, neminem excuſari à ſubſidio præcepti charitatis, quòd eleemoſynas ſuas alibi etiam templis & monaſteriis diſtribuat in genere pro ſuo beneplacito extra ſimilis neceſſitatis caſus: etſi enim hoc ipſum ſit opus bonum & meritorium; Occurrente tamen
Nota. caſu in paupere neceſſitatis extremæ vel gravis, ſi facultates habeat & poſſit hìc & nunc ſubvenire, nec ſit alius qui de facto ſuccurrat, tenetur ſic laboranti ſubvenire: quia hìc & nunc præceptum charitatis in re gravi circa præſens objectum urget: Et opus præcepti charitatis urgens, præferri debet voluntario operi ſupererogationis & ſimplicis meriti: & hoc confirmat dictum Chriſti Phariſæos condemnantis Matth. 15. *Quicumque dixerit patri*
Matth. 15. verſ. 5. 6. *vel matri munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit & non honorificabit patrem ſuum aut matrem.*
S. Hieron. ſuper 15 Matth. l. 2 His enim verbis, teſte S. Hieronymo ſuper illud: *Honora patrem & matrem* lib. 2. in Matth. 15. condemnat Chriſtus Scribas & Phariſæos: Qui, *ut impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſſimos filios, ut ſi quis ea quæ parentibus offerenda ſunt, Deo voluerit vovere, qui verus eſt pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus: vel certè* (inquit) *ipſi parentes quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egeſtate conficiebantur, atq; ita fiebat, ut oblatio liberorũ ſub occaſione templi & Dei in Sacerdotum lucra cederet.* Hæc Hieron. Concludit certè Chriſtus præferri debere ſubſidium inopiæ & egeſtatis parentum, voluntariis oblationibus Deo etiam in pias quaſcumque cauſas factis: quia obligantur filij ad ſubſidia parentum jure naturali divino, & præcepto charitatis: Ad voluntarias autem oblationes Deo & in pias cauſas faciendas non tenentur.
Ex qua concluſione alteram generalem *infero*: Lege divinâ naturali ſeu præcepto charitatis, hominem teneri pauperi extremâ vel gravi neceſſitate laboranti ſubvenire, illamque obligationem præferre omnibus voluntariis eleemoſynarum elargitionibus extra hujuſmodi neceſſitatem, cuicumque tandem fiant. Porrò ad complementum hujus doctrinæ pauca Dubia ſunt reſolvenda. Nota.

Dubium I.

An homo ex vi præcepti charitatis teneatur de iis, qui neceſſitatem patiuntur, inquirere ut eis ſubveniat?

RE*ſpondeo*: Etſi ſit opus conſilij & meriti tales inquirere, ex vi tamen præcepti charitatis non teneri. *Ratio eſt*: quia nuſquam hoc præceptum reperitur; & alias Scripturæ ſupponunt ſcientiam, ad hoc ut præceptum obliget 1. Joann. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus* 1. Joan. 3.
mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, &c. Unde S. Chryſoſtomus Hom. de divite Epulone Tom 2. loquens de Lazaro: *Ideo* verſ. 17. S. Chryſ. tom: 2. hom. de divite Epul. in init.
(inquit) *jacebat ad januam, ut crudelitatem divitis in ſuo corpore demonſtraret: ideo jacebat ad januam, ne dives diceret, non vidi, in angulo fuit, aſpicere non potui, nemo mihi nunciabat: jacebat ante januam, videbat illum, & exiens & revertens*, &c: q.d. Si non vidiſſet & ſciviſſet, excuſabilis foret; ſed perſonam videbat, & ejus extremam neceſſitatem agnoſcebat, & ideò inexcuſabilis erat.

Dixi (*ex vi præcepti charitatis non teneri*) poteſt enim fieri quòd alio titulo, *V. gr.* Juſtitiæ, ad id obligetur. Qualiter, qui à civitatibus habent officium pauperibus & miſeris providendi, ex pacto juſtitiæ tenentur inquirere de paupertate & neceſſitate miſerorum juxta officij ſui rationem. Nota.

Dubium 2.

An uxor & filii-familias obligentur hoc præcepto eleemoſynæ in gravi neceſſitate?

RE*ſpondeo primò*: Uxor; ubi in familiâ facultates ſuppetunt; tenetur ſub peccato mortali

mortali ſuccurrere pauperi gravi vel extremâ neceſſitate laboranti etiam invito marito. Ra-
Nota. tio mea eſt: quia verè eſt Domina bonorum communium ſicut & maritus, & dependentia uxoris a marito in regimine & adminiſtratione bonorum in hoc caſu non obligat: quia illa ſubordinatio & dependentia a Deo ordinata eſt, nec generali præcepto & obligationi charitatis præjudicare poteſt, & in iſto caſu, prævalente charitatis præcepto, ceſſat dicta ſubordinatio & dependentia. Unde cenſetur maritus tunc non tantùm irrationabiliter invitus, ſed etiam peccaminose, cujus dictamen non tantùm non tenetur ſequi uxor, ſed etiam abſque peccato ſequi non poteſt.

Quinimò apud me certum eſt: Uxorem poſſe etiam invito marito, de ſuperfluis eleemoſynas facere juxta rationem moderatam ſuæ conditionis: hâc eâdem ratione: quia verè bonorum communium dominium habet, ſicut & vir, & ſubordinatio adminiſtrationis à Deo impoſita, non debet præjudicare divino præcepto & conſilio communis charitatis, ac maritus reputatur irrationabiliter & injuſtè
Nota. nolens: Non enim tenetur uxor in manifeſtè irrationabilibus & injuſtis marito obedire. Laudatur ſanè 1. Reg. 25. prudentia Abigail, quæ inſcio & invito Nabal avaro & iniquo marito ſuo, detulit neceſſaria Davidi & militibus ejus in deſerto.

Reſpondeo ſecundò, Filios familias præcisè hoc præceptu non obligari ſuccurrere ex bonis parentum. *Ratio mea eſt*: quia verè non cenſentur habere facultates, cùm nullum in eis
Nota. dominium verum habeant. Dico (*præcisè hoc præcepto non obligari*) generali enim ratione, quâ in tali extremitate bona ſunt communia, ſi faciant non peccant, imò & poſſunt facere: ſicut, qui extremam neceſſitatem patitur, poteſt ipſemet ubicumque repererit accipere, ut ſibi-ipſi ſubveniat: Diſtributio enim & dominium rerum in iſto caſu ceſſare cenſetur.

Dubium III.

An gravi vel extremâ neceſſitate laboranti teneatur quis gratis neceſſaria dare, an verò ſufficiat communicare contractu venditionis vel mutui?

RESPONDEO, Si omninò ſit pauper, & in omnimoda neceſſitate conſtitutus, teneri gratis dare. *Ratio eſt*: quia tenetur tali eleemoſynâ ſimpliciter ſuccurrere, eleemoſyna autem gratuita eſſe debet ex natura ſua. Dico (*ſi ſit pauper & in omnimoda neceſſitate*) poteſt enim eſſe pauper ſecundùm quid & juxta præſentes tantùm circumſtantias & neceſſitates. *Explico*: Dives aliquis in extera patria in extremam indigentiam incidit; habet autem in ſua regione unde poſſit ſibi ſubvenire: ille
Nota. ſimpliciter pauper non eſt; ſed tantùm juxta circumſtantias loci & temporis præſentis: Illi itaque non teneor purè gratis dare; ſed vel mutuo, vel per contractum venditionis, cum pacto vel ſpe recipiendi, ubi ad ſua regreſſus fuerit. *Similiter*: Incidit quis in latrones, qui eum ſpoliatum, nudum frigori extremo expoſuerunt, poſſum illi mutuare imò vendere veſtimentum cum pacto, quòd, ubi ad ſua redierit, vel mihi reddet, vel pretium dabit. Et ita de ſimilibus concludendum eſt.

Appendix 3.

De aliis operibus charitatis & miſericordiæ.

HIc agendum eſſet de cæteris operibus miſericordiæ; verùm cùm iiſdem principiis nitantur, quibus eleemoſyna, & quibusdam tantùm circumſtantiis differant, ſecundùm eadem principia de iis judicandum eſt, hoc excepto, quòd ex illis plurima vix neceſſitatem gravem vel extremam admittant, ratione cujus ad peccatum mortale obligare cenſeantur. Quod paucis declaro: ſunt enim ſeptem opera miſericordiæ corporalia, quæ hoc verſiculo exprimuntur.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Ex quibus tria ordinariè vitæ conſervandæ ita neceſſaria ſunt, ut ex eorum defectu vita periclitetur, nimirùm *poto, cibo, tego*, ſub cibo & potu neceſſarium alimentum intelligendum eſt. Undè eſt illud S. Ambroſ. lib. de officiis: apud Grat. diſt. 86 c, Paſce. *Paſce fame morientem, &c. ſi non paveris fame occidiſti.* Et frequenter non minùs neceſſarium eſt veſtimentum frigoris tempore, cujus defectu ſæpiùs emori homines videmus. In tribus aliis nimirùm: *Viſito, redimo, colligo*, non quidem ita frequenter conſervandæ vitæ neceſſitas extrema occurrit (ut in viſitatione infirmorum, redemptione captivorum, hoſpitio peregrinorum) nonnunquam tamen etiam in illis periculum extremum poteſt contingere, utpotè, ſi viſitatione medici, redemptione hominis de captivitate, hoſpitalitate vita ſit ſervanda; ſed & hæc omnia ſub eleemoſyna continentur. Spiritualia enim bene facta & quaſi eleemoſynæ ſpirituales his verbis continentur, —— *Doce*,

S. Ambr. lib. de officiis.

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora. Quæ, ubi animæ ſalus periclitatur, ac noſtro ſpirituali adjutorio per illa juvari poteſt abſque noſtro gravi incommodo ſpirituali ejuſdem qualitatis, etiam nos præcepto charitatis obligare cenſentur, prout datâ occaſione occurrentibus materiis oſtendetur.

§. III.

De altera parte ſecundæ obligationis, quæ eſt, proximo benè velle.

ETſi nullo unquam tempore poſſit quis proximo malè velle, ſive malum quatenùs malum, deſideret, ut de odio & pravo

affectu

Google

affectu §. 1. eſt dictum; nonrenetur tamen homo ſemper poſitive proximo benè velle. Cùm enim ſit præceptum affirmativum, non obligat pro ſemper, ſeu pro omni temporis inſtanti, pono igitur regulam ſequentem.

Regula generalis.

QVoties urget præceptum affirmativum charitatis proximi, toties tenetur homo poſitivè ad ei benè volendum, ſive ad benevolentiam erga proximum exhibendam. Ratio eſt: quia præceptum charitatis eſſentialiter includit internum actum virtutis, qui eſt *benè velle*. Triplicem verò poſſumus aſſignare caſum, in quo tenetur homo ad affirmativum charitatis præceptum erga proximum. *Primus* eſt: quando tenetur quis proximo reconciliari, *Secundus*: quando tenetur proximo ſubvenire aliquo miſericordiæ, vel juſtitiæ opere. *Tertius*: quando urget tentatio gravis odij vel pravi affectus, quam aliter, quàm poſitivo actu dilectionis quis ſuperare non poteſt. Tempus quidem, quo tenetur quis ſecundo modo per opera miſericordiæ vel juſtitiæ proximo ſubvenire, ſatis ſuperiùs declaratum fuit. Tertius etiam caſus de tempore tentationis gravis, quando nimirum aliter tentationi reſiſti non poteſt, prudenti judicio relinqui debet. De tempore verò, quo quis proximo reconciliari tenetur, lariùs hic diſſerendum eſt ob varias rationes & excuſationes, quæ à nonnullis prætenduntur. Ut igitur ſupradicta plenè intelligantur, & ſpecialiter quando & quomodo teneatur quis proximo reconciliari.

Triplex caſus, in quo quis tenetur proximo benè velle.

Advertendum eſt primò: Tres ſtatus nos poſſe conſiderare in homine, qui cum altero inimicitias habet: *Primus* eſt: *Formalis inimicitiæ*, quando per averſionem poſitivam, odium, rancorem illi formaliter vel virtualiter malè vult: *Secundus*: *Habitualis inimicitia*, quando nec actu formali, nec virtuali illi malè vult: animo tamen & quodam habitu ab illo averſus eſt, ità ut grave ſit ei ad videndum, & abſque aliqua cordis amaritudine de eo benè loquentes vix audire poſſit, nullum interim malum illi actu deſiderat. *Tertius* eſt: *Status quidam medius*, quando quis proximo nec malè, nec benè vult: ſigna tamen ſive particularis, ſive communis benevolentiæ ipſi negat.

Triplex ſtatus hominis inimici.

Advertendum ſecundò: Benè velle proximo nihil aliud eſſe, quàm verum bonum ei velle: illud autem dicitur *verum bonum proximi*, quod eſt ei ſalutare, & quod juſtè & utiliter ipſi deſiderari poteſt: ita ut tunc homo cenſeatur diligere proximum ſicut ſeipſum, quando ei vult omnia, quæ ſecundùm rectam rationem juſtè & utiliter ſibi velle deberet. Undè ille non dicitur malè velle proximo, quando ei non vult bonum, quod ſecundùm rectam rationem ei juſtè & utiliter non conveniret: aut etiam vult malum, quod ipſi aliàs ſalutare eſt, & ad ipſius bonum refertur: ſed tantùm dicitur illi malè velle, quando ei aut aliquid vult, quod ex omni circumſtantia ei verè malum eſt, aut illius boni privationem ei optat, quod tamen illi verè bonum erat. *Explico exemplo*: non vult Petrus Paulo divitias, ſcientiam, poteſtatem, imò eorum privationem poſitivè illi exoptat, quia prævidet Paulum in ſuam perniciem, vel grave nocumentum proximi illis abuſurum: non cenſetur Petrus Paulo malè, vel ad malum velle, ſed bonum: quia melior, & magis ſalutaris ac utilis eſt Paulo illorum privatio & carentia, quàm eorum poſſeſſio: quinimò ipſum ſibi homo velle deberet, ſi juxta rectam rationem ſibi benè vellet. *Similiter*: Licet alicui deſiderare morbum, vel jacturam ac tribulationem aliquam, quo ejus ſuperbia & inſolentia compeſcatur, & irà in ſimilibus. Bonum enim dupliciter conſideratur, idque aut in ſe, aut in ordine ad ſubjectum, cui communicatur, juxtà diverſas circumſtantias. Etſi igitur quod bonum reputatur in ſe ſimpliciter conſideratum ſit bonum, reſpectu tamen ejus, cui communicandum conſideratur, frequenter malum eſſe poteſt; imò & reſpectu tertiæ perſonæ nocivum.

Quid ſit proximo benè velle.

Advertendum tertiò: Inimicitiam dupliciter ſumi poſſe: aut pro ſimplici inimicitia interna, ſive rancore & averſione cum quadam malevolentia interiori cordis: aut prout in effectu aliqua læſio jam proximo illata eſt, ſive læſio illa ab inimicitia procedat, ſive fuerit inimicitiæ fundamentum. His ſic prænotatis pono ſequentes Propoſitiones.

Duplex inimicitia.

De Inimicitia & Reconciliatione.

Propoſitio 1.

QVamdiu quis in inimicitia gravi & rancore deliberatò perſeverat ante reconciliationem interiorem, ſemper cenſetur in peccato mortali permanere. Propoſitio clara eſt ex terminis ſuis.

Propoſitio 2.

QVandocunque homo tenetur ad contritionem, vel attritionem de peccatis ſuis, ut in ſuſceptione Sacramentorum, periculo mortis, &c. etiam tenetur ſub peccato mortali & ad reconciliationem internam cum proximo, & ei benè velle. Ratio clara eſt: quia non poteſt conteri, vel verè atteri de peccatis, niſi intùs reconcilietur proximo: non poteſt autem reconciliari proximo, niſi ipſi benè velit. Hanc Propoſitionem inferunt verba CHRISTI Matth. 6. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*, Quando autem teneatur homo ad contritionem, vide quæ diximus hoc tom. 1. tract. 2. tit. 4. ſect. 1: quæſt. 2.

Quando reconciliatio obligет. *Matth 6. verſ 14. 15.*

Propoſitio 3.

QVoties homo vult aliquod opus meritorium exercere, toties tenetur ad reconciliationem

Quando obliget ratione meritorum

cum proximo, ut opus ejus ſit meritorium. Explico: ſi vult ut pro ſe Sacrificium fructuosè offeratur, ſi vult eleëmoſynam utiliter facere, ſi orationem fundere, ut hæc opera ſint meritoria, tenetur quis proximo reconciliari. Eſt textus apertus Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quæ verba exponens S. Auguſt. l. 1. de Serm Domini in monte cap. 10. *Pergendum eſt ergo* (inquit) *non pedibus corporis, ſed motibus animi, ut te humili affectu proſternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conſpectu ejus, cui munus oblaturus es. Ita enim etiamſi præſens ſit, poteris eum non ſimulato animo lenire, atque in gratiam revocare, veniam poſtulando,* &c. In quibus verbis modum reconciliationis paucis verbis exprimit.

Matth. 5. verſ. 23. 24.

S. Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 10.

Propoſitio 4.

Quomodo ſimplex inimicitia tollatur.

Simplex inimicitia, aut rancor internus, non ſecutâ læſione proximi, tantùm requirit reconciliationem internam, qua homo ex corde omnem rancorem dimittit, & de ſua inimicitia pœnitet. Ratio clara eſt: quia reconciliatio nihil eſt aliud, quàm amicitiæ reparatio; ſi ergo tantùm in corde amicitia jacturam & diſſipationem paſſa eſt, ſolo corde reſtitui poteſt.

Propoſitio 5.

Quomodo ſe gerat qui læſus eſt?

S. Auguſt. ſuprà.

S. Aug. l. 1. de Serm.

Si quis à proximo læſus eſt: ſolâ verâ interiori cordis remiſſione reconciliatur. Hoc indicant S. Auguſtini verba ſuprà, *Si te læſit, dimittendo cordis rancorem,* &c. Et l. 1. de Serm. Domini in monte c. 20. Tom. 4. *Si* (inquit) *ille non læſerit, ubi non eſt opus pergere ad reconciliationem: non enim veniam poſtulabis ab eo, qui tibi fecit injuriam; ſed tantùm dimittis, ſicut tibi dimitti à Domino cupis quod ipſe commiſeris:* opus tamen heroicum ſeſe, petere reconciliationem ab eo, qui te læſit, oſtendit Auctor imperfecti operis ſuper Matth. Homil 11. *Si autem* (inquit) *ille te læſerit, & prior rogaveris, magnam habebis mercedem.*

Auctor imperfecti operis ſuper Matth. hom. 11. circa fin.

Propoſitio 6.

Quid de eo qui læſit?

Qui ex inimicitia proximum læſit, juxta rationem læſionis ad juſtam reconciliationem tenetur. Hanc Propoſitionem explicat Auctor imperfecti operis in Matthæum ſupra Homil. 11. *Qualis præceſſit offenſio, talis debet ſequi reconciliatio: ſi cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare: ſi verbis offendiſti, verbis reconciliare: omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo & pœnitetur.* Hæc ille.

Idem ſuprà.

Propoſitio 7.

Quid cum inimico perſeverante?

Inimico etiam in inimicitia & injuria perſeveranti, tenetur quis ex corde injuriam remittere, deponendo omnem rancorem & malevolentiam, ita ut nec liceat illi in bonis ſpiritualibus male velle, nec in temporalibus aliquod injuſtum detrimentum injuſtè optare. Senſus eſt: inimico, quantumvis incorrigibili, & in malitia ſua perſeveranti, non poſſum velle aliquid contra ſalutem ejus æternam, nec malum aliquod injuſtum temporale. Hoc ad minùs indicant verba CHRISTI, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt: ſi enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & Publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm,* &c. *nonnè & Ethnici hoc faciunt?*

Matth. 5. verſ. 44. 45 & ſeq.

Dixi (*ità ut nec liceat illi malè velle, nec in temporalibus aliquod injuſtum detrimentum injuſtè optare*) non teneor enim illi remittere actionem injuriarum, aut injuſtitiam in re temporali mihi factam, aut repetitionem alicujus juris, vel rei mihi debitæ. *Item*: Poſſum dimiſſo omni cordis rancore exigere juſtam vindictam & ſatisfactionem ſecundùm jura & juris modos. De quo exemplum habetur 3. Reg. 2. in David, qui juſtam vindictam demandavit Salomoni filio ſuo ſumendam de nonnullis, quos opportunè in vita ſua punire non potuerat. Quinimò poſſum optare inimico ea incommoda tum in anima, tum in corpore, quæ illum arceant ab injuſto damno mihi vel Reipublicæ inferendo. *Ratio eſt*: quia non teneor inimicum diligere extra terminos juſtitiæ & charitatis ad me ipſum: Ergò quidquid eſt juſtitiæ poſſum illi velle, & quod extra juſtitiæ terminos eſt, illi nolle: & ſicut omne injuſtum damnum poſſum à me propulſare, ſic poſſum ea optare proximo, quæ illum ab injuria, & omni nocumento mihi injuſtè inferendo impediant. Hoc ipſum eſt enim nolle ipſum peccare & velle ipſum ab injuſto nocumento arcere, nec non me intrà terminos juſtitiæ conſervare; quia omnia partim ſunt juſtitiæ, partim charitatis.

Non tenemur inimico remittere damnum illatum.

3. Reg. 2.

Propoſitio 8.

Obligatio ad ſigna charitatis communia.

Tenetur quilibet, quantumvis inimico, ſigna communia charitatis exhibere, niſi illa in grave nocumentum ſui ipſius, inimici, vel tertiæ perſonæ cederent.

Primam partem indicat CHRISTUS Matth. 5. *Si ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, &c. nonne & Ethnici hoc faciunt?* q. d. tenemini jure naturæ ad dilectionis ſigna communia eò magis, quàm Ethnici, qui exiſtimant ſe ad illa teneri fratribus ſuis. Signa verò communia dilectionis ſunt, quæ communiter omnibus exhibentur abſque delectu, ut ſalutantem ſalutare, loquenti reſpondere, vendere merces poſtulanti, communia officia, quæ omnibus paſſim exhibentur, non recuſare, quæ vocantur communia officia, quia communi naturæ debentur prout ſocialis eſt, & idcircò non eſt particularis hominis hanc obligationem communem infringere. Sunt & alia communia officia ſingularibus Societatibus, Ordinibus, Collegijs, Domibus, & quæ qui

Matth. 5. verſ. 47.

de

de tali ſocietate, &c. ſunt, tenentur, etſi aliàs ex communi jure naturæ non tenerentur.

Dixi (*communia*) ſigna enim particularia non ſemper tenemur exhibere, qualia ſunt quæ ex homini voluntate pendent, ut colloquium familiare, auxilium ſpeciale, munerum oblatio & id genus quæ pro voluntate & affectu exhibentur. Undè eſt illud: *Omnibus amicus, familiaris paucis.*

Dixi in propoſitione (*niſi illa in grave detrimentum &c. cederent*) ſi enim adverto ex communibus ſignis hominem ferociorem fieri, &
Nota. incitari ad mihi magis nocendum, ut contingit in melancholicis quibusdam & atræ bilis hominibus, qui ex beneficiis pejores fiunt, non teneor, imò nec rationabiliter poſſum ſigna communia charitatis oſtendere: poteſt etiam aliquando communis converſatio & congreſſus, eſſe occaſio litium, & commotionis majoris, & tunc etiam neganda eſt potius, quam concedenda communis converſatio. *Item*: Si in nocumentum ipſius inimici ſigna illa cedât; quia fortè in deſpectum ſuum me facere imaginatur, aut quia ob nimiam meam facilitatem in pejora ruit. Ex quo capite ſuperior interdùm averſionem teſtari poteſt negatione ſignorum communium, in punitionem & emendam peccati ſui inferioris & ſubditi.

Addidi (*vel tertiæ perſonæ*) eadem de cauſâ: ut ſi ſit neceſſarium omne ſignum commune dilectionis ſubtrahere ab aliquo, ut à gravi inimicitia contra tertium abſterreatur. In his verò caſibus obligationi communi ſignorum externorum dilectionis, præfertur alterum præceptum ſive obligatio de præcavendo damno ſuo, vel proximi.

Poſſunt etiam aliquando ex abominatione alicujus delicti, ſigna communia dilectionis denegari. Ita ſanctus Joannes in Epiſtola 2. docet
Joan. ep. 2. v. 10. 11. poſſe fieri hæretico, dum ait: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum: nec ave ei dixeritis: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.*

Propoſitio 9.

Tenetur quilibet quantumvis inimico ſigna etiam particularia dilectionis exhibere in caſu neceſſitatis gravis vel extremæ, nec tantùm perſonæ, ſed &
Rom. 12. v. 20. *rebus ipſius.* Patet ad Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit, potum da illi.* Exod.
Exod. 23. verſ. 5. verſ. 4. 23. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis ſed ſublevabis eum eo.* Item: *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino erranti, reduc ad eum.*

Corollarium generale.

In quo conſiſtat perfecta reconciliatio. *In omni vera reconciliatione cum inimicis tanta cordis ſinceritas requiritur: ut in corde nullus pravus affectus deliberatus retineatur; in externo verò homine nil reſervetur, niſi quod juſtitia aut Charitas, aut Prudentia manifeſtè ſuadere cenſetur.* In hac propoſitione comprehenduntur omnia, quæ ad veram reconciliationem & injuriarum remiſſionem requiruntur, eſtque omnium quæ ſuperiùs dicta ſunt, velut compendium.

Dixi (*in omni reconciliatione vera*) ad excludendas fucatas & apparentes reconciliationes, quæ etſi rancorem videantur foris excludere, intùs tamen cor relinquunt plenum dolo, malitiâ & iniquitate: De quibus aliud non poſſumus dicere, niſi: *Deus non irridetur.* Et: Gal. 6. v. 7. 8.
Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.

Dixi (*tanta cordis ſinceritas requiritur*) ad excludendas mille vanas & vacuas ratiocinationes, quibus quidam juſtum odium & inimicitiam probare volunt, & ſibi abblandiuntur prætendentes excuſationes in peccatis.

Dixi (*ut in corde nullus pravus affectus deliberatus retineatur*) Motus enim varij averſionum, amaritudinum, doloris, turbationis, impatientiæ, aſperitatis in natura ſæpè non deſunt & nobis nolentibus ſuboriuntur, quibus ad præ- NB. de motibus involuntariis.
ſentiam ejus, qui nos læſit & qui pro inimico ſe habuit, ſpiritus interdùm melancholici aut cholerici excitantur cum dolore etiam & triſtitia patientis. Undè & imaginationes variæ ex ſupradictis motibus & antipathiis conſurgunt, quæ hominem affligunt, & vel in triſtitiam & melancholiam devolvunt, vel cogitationibus iræ & vindictæ ita abſorbent, ut ſibi videantur in ſumma inimicitia degere; cùm tamen iſti motus planè naturales ſint, & in natura corrupta abſque deliberatione voluntatis concitati.

Dixi idcircò (*ut in corde nullus pravus affectus deliberatus retineatur*) ad motus illos excludendos, qui prævertunt vel perturbant omnem deliberationem. Frequenter enim contingit, ut homo etiam uſque ad verba inimicitiam ſonantia fervente aliquo motu ebulliat, cùm tamen omnis rancor & inimicitia abiit à corde.

Ex qua conſideratione prudenter hi motus attendendi ſunt: Aut enim ex naturali com- Nota iterum.
plexione & diſpoſitione procedunt, ut in melancholicis & ſenibus qui ex continua commotione naturæ juxta Philoſophum facilè turbantur: Et hi motus ordinariè peccata non ſunt; ſed motus merè naturales: Aut ex ſubito appetitu proveniunt, & perfectam deliberationem præveniunt, & venialia peccata tantùm ſunt: Aut ex affectu & voluntate deliberata cum conſenſu formali vel interpretativo naſcuntur: Et hi, ubi materia eſt gravis, ſunt peccata mortalia; &, ubi dominantur, cenſetur effectus pravus in corde retineri.

Dixi (*aut in externo homine nil reſervetur, niſi quod juſtitia, aut Charitas, aut Prudentia manifeſtè ſuadere videtur*) In his enim tota doctrina de externis ſignis dilectionis, vel adhibendis vel conſervandis continetur. *Suppono* enim *primò*, ut ſuprà dictum eſt, in Reconciliatione vera nil pravi affectûs in corde remanere. *Suppono ſecundò*, hominem teneri ad ſigna externa tum communia, tum particularia, ſine quibus vera dilectio non poteſt conſiſtere, ut in gravi & extrema neceſſitate.

in qua quilibet tenetur, quantumvis inimicis ad omnia opera externa, quibus poteſt neceſſitatem patienti congruè ſubvenire. His autem ſalvis, quæ ad dilectionem & dilectionis effectum requiruntur: Superſunt nonnulla ſigna externa, quæ directioni juſtitiæ, charitatis & prudentiæ ſubjiciuntur, poſſuntque vel retineri, vel exhiberi. *Juſtitia* quidem: ut ſi ſuperior in punitionem inferioris ſigna externa dilectionis ad aliquod tempus ſuſpendat: ſi etiam inter æquales ſigna ſubtrahantur ad coercendam alicujus proterviam & inſolentiam: *Charitatis* verò directioni ſubjiciuntur ſigna, ex quorum ſubtractione is, cui ſubtrahuntur, a peccato arcetur, ad meliorem frugem convertitur, & ad cognoſcendum ſuum ſtatum urgetur. *Prudentia* etiam eſt, ſigna dilectionis interdùm à proximo omninò ſubducere, quando his videtur abuti, aut quia, ſi adhiberentur illa ſigna, occaſio fortè contemptûs aut novæ commotionis eſſent. *Ex. gr.* Subtrahit ſe quis prudenter à conſortio, occurſu, colloquio, contubernio alicujus, ne fortè ad ejus præſentiam renoventur ſpecies prioris inimicitiæ, ne inde lites novæ excitentur, ne alter contemnat injuriam illatam. Quæ omnia tamen ita ſincerè æſtimanda & libranda ſunt, ut non ſint excuſationes & velamina ac fomenta remanentis rancoris. Nunquam enim licet ſigna communia ſubtrahere, ſi ex ſubtractione manifeſtus animi rancor & averſio colligatur: Aliud eſt enim ſignum juſtitiæ, charitatis & prudentiæ: aliud rancoris & indignationis, quæ facilè advertuntur.

§ IV.

De tertia obligatione charitatis, nimirùm, quantùm in nobis eſt injuriam & nocumentum à proximo propulſare.

Regula Generalis.

De defenſione obligatoria proximi. *QVicumque proximi, etiam inimici, injuſtum malum non impedit, quando abſque aliquo alicujus momenti detrimento effectivè impedire poteſt in re gravi, mortaliter peccat.* Ratio eſt: quia æquipollent benefacere, & malum impedire: atqui, qui poteſt in gravi vel extrema neceſſitate tenetur proximo benefacere, ergo & malum ejus impedire. Undè Eccleſiaſtici

Eccl. 17. verſ. 12. 17 dicitur: *Et mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Et Exod. 23 & Deut. 22. variæ feruntur Leges de conſervatione rerum proximi, etiam

Exod. 23. verſ. 4. 5. inimici, ne detrimentum patiantur, ut Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino erranti, reduc ad eum: Si videris aſinum odientis te, jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.*

Deut. 22. verſ. 3. Deut. 22. *Similiter facies de aſino & de veſtimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: ſi inveneris eam, ne negligas quaſi alienam.* Etſi verò hæc præcepta inter judicialia computentur; ſunt tamen in re & fundamento juris naturæ, & præcepti charitatis.

Dixi (*injuſtum malum*) quia ſi juſtè malum inferatur, nec teneor nec rationabiliter poſſum impedire: Quinimo & ego poſſum malum juſtum, juſtè proximo, ſi volo, abſque peccato inferre, ſi nimirùm, juſtitia ſit manifeſta & vel à jure, vel à judice declarata, & non aliter.

Dixi (*abſque aliquo alicujus momenti detrimento*) detrimentum autem judicio prudentiæ & charitatis librandum eſt: Quod enim parvum reputatur, quandoque conſideratâ causâ & circumſtantiis ac fine rei, grave detrimentum cenſetur. *Explico*: Vir gravis non tenetur opprobrium à ſcurris perferre, ad defendendam rem vel cauſam juſtam proximi, in re quæ aliàs illum non afficit: Nec quis alapæ ſe tenetur exponere, ad obviandum ne alter ſimiliter percutiatur. Aliud eſſet, ſi fieret ad impediendam mortem vel gravem vulnerationem proximi, conſideratis circumſtantiis in facto occurrentibus. Undè,

Dixi (*quando effectivè impedire poteſt*) quamdiu enim finis & effectus præveniendi detrimentum inſtans, eſt impoſſibilis aut incertus, nemo tenetur ſe exponere periculo detrimenti alicujus momenti pro proximi cauſa. Incertus autem dicitur effectus, quando in exitu merè contingenti & caſuali, rei cardo verſatur tam in ratione periculi cui qui vult ſubvenire, exponitur, quàm in ratione effectus qui in ſua cauſa planè dubius eſt. *Explico*: Video Petrum aggredientem Joannem gladio: dubito an, ſi impedire volo, periculum mortis non incurram: *Item*: An effectivè prohibere potero, ne Petrus Joannem occidat: In hoc dubio non teneor ſuccurrere, quia verè non conſtat me aut poſſe ſimpliciter impedire, aut abſque aliquo detrimento notabili. Quod autem eo caſu ſine aliquo periculo mei poſſum, id tentare debeo, ut clamoribus & aliis occurrentibus modis quibus damnum proximi impediam.

Porrò ſicut proximi malum impediendum conſiſtit in bonis naturæ, honoris, fortunæ, &c. Ita proportionatè ratio obligationis & poſſibilitatis expendenda eſt: *Ex. gr.* Poſſum certò à morte innocentem liberare ſive impedire ne occidatur, idque teſtimonio, juramento juſtu, pecuniâ mihi ad ſtatum & neceſſitatem meam ac familiæ non neceſſariâ, nec aliud alicujus momenti impedit, teneor illum præſervare. *Similiter*: Detrahit aliquis proximo, & certò mihi conſtat ex iſta detractione proximum injuſtè gravem infamiam pati. Poſſum autem efficaciter ſine meo detrimento id impedire, teneor ſub peccato mortali impedire, rationibus ſupradictis. Suppono autem me efficaciter & abſque detrimento poſſe impedire: ſi enim vel rationabiliter deſpero de effectu, vel non ſine mei detrimento poſſum impedire, non teneor me periculo exponere, vel defenſionem illam famæ proximi attentare, ut dicemus ſuo loco latiùs. *Item*: Video furem domum ingredientem latenter ut furetur, ſi

clamore

clamore, vel alio modo impedire poſſim, teneor: ſi autem aut inutilem meam operam ad impediendum futurum ſentio, aut non niſi cum gravi meo detrimento poſſim impedire, non teneor: quæ omnia fundantur in ipſa te, vel in ordine charitatis. Et hæc dicta ſint de præcepto charitatis in ſe: cætera enim, quæ de homicidio, & quacunque injuria in bonis naturæ, fortunæ, &c. dicenda ſunt, ſpecialiter explicabuntur in Præceptis ſingularibus bona illa ſpectantibus. Unum tamen ſupereſt, quod alibi opportuniùs tractari non poteſt, de correctione fraterna, quod per Appendicem ponemus,

Appendix.

De correctione fraterna:

QUia correctio fraterna ſingulariter ordinatur ad præveniendum, vel impediendum ulteriùs peccatum proximi, hic ſpecialiter de illa, ut de præcepto particulari, agendum eſt: pro cujus explicatione aliqua ſupponenda ſunt, alia paucis Dubijs expedienda.

Suppono igitur primò, correctionem fraternam, quam alij cum D. Auguſtino lib. 1. de civitate cap. 9. conformiter ad verba Scripturæ *correptionem* vocant, nihil aliud dicere, quam: *admonitionem charitativam proximi ad emendandum, vel impediendum ipſius peccatum per ſe ordinatam, quatenus ex charitate fraterna procedit.*

Quid correctio fraterna.

Dixi (*Admonitionem*) ſub qua complector reprehenſiones, arguitiones, & id genus.

Dixi (*charitativam*) ut excludantur increpationes, objurgationes, caſtigationes, punitiones & correctiones, quæ ſunt juſtitiæ, & propriè ad Judices, Superiores & Prælatos ſpectant: ex quo nonnulli malunt in hac materia uti nomine correptionis, quàm correctionis: quia nomen correctionis actum juſtitiæ & ſuperioritatis ex ſe dicere videtur.

Dixi (*proximi*) ut omnis homo includatur: *Dominus* enim *mandavit unicuique de proximo ſuo:*

Eccli. 17. verſ. 12.

Dixi (*ad emendandum, vel impediendum peccatum*) etſi enim regulariter non ſit corripiendus, niſi qui peccavit: ſalubriter tamen quis corrigitur, quando certò conſtat, ipſum jam eſſe in procinctu peccandi, & peccatum in ſignis & præambulis eſt velut inchoatum, etſi necdùm perfectè adimpletum.

Dixi (*ad emendandum, vel impediendum ipſum peccatum*) ordinatur enim ad bonum ipſum peccantis, etſi indirectè & concomitanter in bonum tertij non tarò cedat: correptio autem, quæ ex ſe ordinatur ad tertij, vel communis boni malum avertendum, etſi interdùm à charitate oriri poſſit, ad correptionem tamen fraternam præcisè non pertinet: quia correptio fraterna per ſe ſingularis & ſecreta eſt, & ad illum ſolum qui corripitur, propriè dirigitur.

Dixi (*quatenus ex fraterna charitate procedit*) ad excludendas correptiones, quæ ex odio, paſſione, ira fiunt, & non tam reſpiciunt ipſum peccatum, quatenùs eſt offenſa Dei, & malum peccantis quàm quatenùs corripienti diſplicet aut nocet, aut ex alia cauſa externa. Undè S. Auguſt. Sermone 16. de verbis Domini tom. 10. exponens illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quare* (inquit) *illum corripis, quia tu doles quòd peccaverit in te? abſit: ſi amore tui id facis, nihil facis: ſi amore illius facis, optimè facis. Denique in ipſis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui, aut illius? ſi te audierit* (inquit) *lucratus es fratrem tuum: ergò propter illum fac, ut lucreris illum: ſic faciendo lucraris, niſi feciſſes, perierat.*

Matth. 18. verſ. 15. S. Auguſt. Serm. 16. de verbis Domini tom. 10.

Suppono ſecundò, Dari præceptum ſingulare de correptione fratris peccantis. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* &c. In quibus verbis particulæ, *in te,* non tantùm ſignificant peccata, quæ contra perſonam corripientis committuntur; ſed quæ ipſo conſcio & teſte fiunt: quæ in ipſum fieri dicuntur, quia coram illo facta, eum obligant ad corripiendum, ne delicti particeps fiat. Ità S. Auguſt. ſuprà. Idem reperitur Luc. 17. Et Eccleſiaſtici 19 præclara de hac correptio ne traduntur ſub his verbis: *Corripe amicum ne fortè non intellexerit & dicat: non feci: aut ſi fecerit, nè iterum addat facere. Corripe proximum, nè fortè non dixerit: & ſi dixerit, nè fortè iteret. Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio,* &c. *Corripe proximum antequam comminêris.* Fundatur autem hoc præceptum in iure naturali Divino: ſi enim teneor quantùm poſſum ſubvenire proximo in temporalibus bonis, & detrimenta temporalia ab eo arcere, ampliùs obligatione teneor impedire peccata, & ejus æternam damnationem.

Correptio fraterna ſub præcepto cadit. Matth. 18. verſ. 15.

Luc. 17. Eccli. 19. verſ. 13. 14. &c.

Verſ. 17.

Suppono tertiò; In materia gravi, poſitis circumſtantijs debitis, peccatum mortale eſſe omittere correptionem fraternam. Quod & indicat verbum CHRISTI: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* ex quo infert S. Auguſt. *Ergò niſi feciſſet, perierat.* In quibus verbis exprimitur gravis quædam & extrema proximi neceſſitas, juxta quam gravitatem præceptum charitatis de ſubveniendo proximo; ſuprà expendimus. Quibus autem circumſtantijs, & quando quis teneatur ad hoc præceptum, ſequentibus Dubijs pleniùs exponetur.

Correptio fraterna obligat ſub mortali in materia gravi. Matth. 18. S. Auguſt. ſuprà.

Dubium I.

Quas perſonas præceptum charitatis de fraterna correptione obliget?

NOn agitur hic de obligatione juſtitiæ, quâ Judex, Superior, Prælatus ſubditos, parentes filios peccantes corripere tenentur; ſed de obligatione, quæ oritur ex communi præcepto charitatis, quâ quis proximum tenetur diligere ſicut ſeipſum.

Reſpon-

Reſpondeo igitur : Præceptum hoc obligare omnes, qui capaces ſunt proximum monendi & corripiendi tempore , loco, & modo ad emendationem proximi probabiliter efficaci. *Ratio eſt* : quia eſt præceptum Divinum naturale, & non niſi impotentem excipit, prout & in ſuperioribus de præcepto univerſali charitatis ſatis eſt declaratum. Undè S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. obligationem correptionis fraternæ declarans : *Plerumque enim* (inquit) *ab eis* (utique malis) *docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis malè diſſimulatur , vel cùm laboris piget* , &c. *vel cùm eorum inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in iſtis temporalibus rebus, ſive quas adipiſci adhuc noſtra cupiditas appetit, ſive quas amittere formidat infirmitas.* In quibus verbis patenter arguit eos , qui vel ex negligentia, vel ob amicitiam pravam , vel ob timorem mundanum corripere proximum peccantem non audent.

S. Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 9.

Dixi (*qui capaces ſunt proximum monendi & corripiendi*) non enim omnes ad corrigendum ſunt idonei : ſunt enim aliqui ex complexione naturali ita verecundi & timidi, ut planè elingues redderentur. Sunt & quibus ætas, qualitas, ignorantia, &c. adimit corripiendi facultatem. Quomodo enim verecunda puella exhortari aut corripere audebit virum aliàs ignotum , aut qui eſt diſparatæ planè conditionis & ſortis, &c. Capacitas ergò illa prudenti & morali judicio relinquenda eſt. Cæteræ conditiones ſuas reſolutiones particulares requirunt.

Nota.

Dubium 2.

Quando , & quibus conditionibus præceptum correptionis fraternæ obliget?

Conditiones ad correptionem fraternam requiſita.

R*Eſpondeo*, Circumſtantiæ tum temporis , tum perſonæ , tum finis, & aliæ, quinque conditionibus concludi poſſunt ad hoc , ut præceptum correptionis fraternæ obliget.

Prima conditio : Ut quis nôrit certò , aut probabilitate moraliter convincente , proximum peccâſſe , aut verum & proximum periculum peccandi imminere, Non enim ſuſpicionibus, timoribus, rumoribus, aut ſuperfluâ curâ quis moveri debet, ſive ut judicet, ſivè ut inquirat de proximi peccato , niſi fortè ſit Superior, aut aliundè obligetur, Quinimò vidi ego ſæpè graviſſimas ſuboriri difficultates & peccata ex correptionibus, quæ ex inconſtantibus rumoribus , ſuſpicionibus, & inordinata ac ſuperflua cura de proximi actionibus indiſcretè fiebant,

Secunda conditio : Ut ſpes aliqua juxtà circumſtantias moraliter probabiles affulgeat alicujus fructus ipſius monitionis, ſive correptionis noſtræ, ſi non in hoc inſtanti , ſaltem tempore futuro : undè ſi fructus correptionis non ſperetur , imò turbatio major & contemptus timeatur, quin & probabiliter appareat ex noſtra monitione proximum fore deteriorem : in his caſibus non tenetur ad fraternam correptionem. Ità frequenter contingit, ut ſi detrahentem impedire velis , illum magis ad detrahendum & probandas ac multiplicandas ſuas detractiones incites. *Item* : contingit non rarò, ut qui corripitur tertio, lites moveat , aut indignationes in illum concipiat, &c. *Ratio autem aſſignatæ conditionis eſt*: quia aliàs otioſa eſſet noſtra monitio, Fructus enim attenditur, vel in emendatione peccati, de quo quis corripitur, vel in aliqua diſpoſitione ad emendationem.

Tertia conditio : Ut jam à peccato ipſe non reſipuerit : ſi enim reſipuit , inutilis eſt correptio noſtra.

Quarta conditio : Ut tunc probabiliter non ſperetur brevi ab alio, vel alio modo corrigendus; ſi enim vel ſuâ ſponte , vel aliâ occaſione, ſive ab alio brevi emendandus ſperetur, tunc non cenſetur illi neceſſaria correptio noſtra.

Quinta conditio : Ut alius non adſit qui commodius vel acceptabilius corrigat & corrigere velit : ſi enim ſit alius, jam demùm neceſſitas non erit, ut à nobis corrigatur. Subſiſtentibus itaque his conditionibus , tenetur quis proximum corrigere, monere, ſive corripere , quem mortaliter conſtat peccâſſe , & quando eſt timor probabilis, quòd in idem peccatum, vel in aliud mortale illius occaſione relabetur. Quod dico : Poteſt enim peccatum ex materia ita finiri, ut non ſit ampliùs periculum in illud vel ſimile relabendi , & tunc niſi fortè ad pœnitentiam de peccato commiſſo, correptio fraterna non eſſet neceſſaria.

Dubium 3.

Qualis debeat eſſe correptio?

R*Eſpondeo primò* : Triplex aſſignatur conditio correptionis fraternæ , ut cenſeatur prudenter & providè fieri.

Qualitates correptionis fraternæ.

Prima, ut ſit ſecreta : *Vade* (inquit Chriſtus) *& corripe eum inter te & ipſum ſolum* &c. *Intendens* (ait S. Aug. Serm. 16. de verbis Domini) *correctioni, parcens pudori: forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem.* Et S. Hieron. in allegatum textum : *Corripiendus eſt ſeorsùm frater , ne ſi ſemel pudorem ac verecundiam amiſerit, remaneat in peccato.*

Matth. 18. verſ. 15. S. Auguſt. Serm. 16. de verbis Domini cap. 4. S. Hierom. verſ. 18. cap. Matt. S. Auguſt. ſupra.

Secunda, ut ſit charitativa , ſeu ex charitate procedat. Undè S. Auguſt. ſuprà: *Debemus enim amando corripere, non nocendi aviditate , ſed ſtudio corrigendi.*

Tertia conditio eſt, *ut ſit opportuna*: opportuna verò illa eſt , quæ veſtitur conditionibus ſuperiori Dubio relatis. Præclarè S. Aug. lib. 1. de civit cap, 9. *Si propterea* (inquit) *quiſquam objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit , quia opportunum tempus inquirit : vel eiſdem ipſis metuit: ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam*

Idem l. 1. de civit. cap. 9.

vitam,

vitam, & prava erudiendos impediant alios infirmos, & premant atque avertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Hæc S. Auguſt. In quibus verbis cauſas ordinariè excuſantes à correptione fraterna ob importunitatem circumſtantiarum expreſſit.

Reſpondeo ſecundò: Non ſolùm verbis correptionem fieri poſſe; ſed interdùm ſignis & factis *Ex. gr.* ſi quis averſum animum indicet, à conſortio ex manifeſta averſione recedat, aut aliis modis teſtetur peccanti quòd malè faciat. Hæc eſt enim virtualis, non tamen minùs energica reprehenſio & admonitio.

Dubium IV.

An ordo & modus correptionis fraternæ Matth. 18. *expreſſus, ſub præceptum cadat?*

MOdus & ordo correptionis fraternæ in Evangelio exprimitur. Primò, ut monitio ſive correptio ſit ſecreta. *Corripe*
Matth. 18. v. 15. 16 17 *eum inter te & ipſum ſolum.* Secundò, ut teſtes adhibeantur: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium, ſtet omne verbum.* Tertiò, ut, ſi frater iſtis non emendetur, dicatur Eccleſiæ. *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Quartò, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Reſpondeo primò, primum modum de ſecreta correptione *inter te & ipſum ſolum*, obligare in peccatis ſecretis, non autem in publicis; ſed ſecreta ſecretò, publica verò etiam publicè poſſe argui: Ita S. Auguſt. ſæpè citato ſerm. 16. de verbis Domini cap. 6. ubi exponens il-
1. Tim. 5. verſ. 20. lud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*: ſic ait: *Sed diſcernere debemus, aliquando corripiendum fratrem inter te, & ipſum ſolum: aliquando*
S. Auguſt. ſerm. 16. de verb. Domini cap. 6. & 7 *corripiendum fratrem coram omnibus, ut & cæteri timorem habeant, &c* Et infrà cap. 7. *Citò videbit charitas veſtra, quid quando facere debeamus, ſed utinam facere pigri non ſimus. Intendite & videte. Si peccaverit* (inquit) *in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quare? quia peccavit in te. Quid eſt in te peccavit? tu ſcis quia peccavit. Quia enim ſecretum fuit quando in te peccavit, ſecretum quære cum corrigis quod peccavit. Nam ſi ſolus noſti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, ſed proditor.*
Secreta peccata ſecretò ſunt corripienda: publica, publicè. Quibus verbis demonſtrat: non licere ſecretum peccatum publicè arguere, quia hoc eſt fratris famam prodigere & prodere, cùm illam non perdiderit niſi coram te ſolo. Tenemur autem alio præcepto famam proximi, quamdiu illa adhuc apud alios integra eſt, quantum poſſumus conſervare. Unde dixit S. Auguſt. *Si ſolus noſti, &c. non es corrector, ſed proditor.* Et ſubdit: *Si tu ſolus noſti, tunc verò in te ſolum peccavit.* Quâ iterùm phraſi oſtendit: *peccare in te*, idem eſſe quòd *peccare te conſcio & teſte.* De publico peccato ſic ſubdit: *Nam ſi multis audientibus tibi fecit injuriam; & in illos peccavit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit, &c. Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur, coram omnibus ipſa verò corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius; diſtribuite tempora, & concordat Scriptura.* Hæc S. Auguſtinus.

Reſpondeo ſecundò, Obligationem eſſe adhibendi unum aut duos teſtes, ubi ſecreta monitio non profuit, & ipſa ſperatur coram teſtibus profutura. *Ratio* ſumitur ex obligatione malum à proximo avertendi: Sicut enim qui furem a domo proximi ſolus arcere non poteſt, tenetur clamare & alios adhibere, ut detrimentum proximi avertatur, eâdem ratione ſi peccator non corrigitur me ſolo corripiente, plures adhibere debeo, ut (interprete S. Hieronymo) admonitione aut pudore corrigatur.

Reſpondeo tertiò, Perſeverante peccatore in delicto, dicendum eſſe Eccleſiæ, id eſt. Superiori Eccleſiam gubernanti, ſive (ut interpretatur ſanctus Chryſoſtomus) *præſulibus ſcilicet* S. Chryſ.
ac præſidentibus, quorum intereſt judicare, an hom. 61. in
coram tota Eccleſia peccator ille ſit confundendus: Et, an ſit excommunicandus, vel cap. 18. Matt. poſt init.
tamquam ethnicus & publicanus repudiandus. Et hæ quidem ſunt obligationes ex Evangelio deductæ, ad quarum & totius Evangelicæ doctrinæ intelligentiam, explicationes & exceptiones nonnullæ adhibendæ ſunt, maximè pro modernis temporibus, quibus vel hominum malitiâ jam exolevit iſte ordo, aut inutilis factus eſt, vel illo in ſui & Eccleſiæ perniciem nonnulli abutuntur.

Doctrina notabilis.

De variis in correctione fraterna exceptionibus & declarationibus.

BEne monuit ſuprà S. Auguſtinus: *Diſtribuite tempora & ſcriptura concordat*: niſi enim S. Auguſt. ſuprà
diſtribuantur & concordentur, fraterna correptio intricatur pluribus difficultatibus inextricabilibus.

Advertendum itaque *primò*, Correptionem fraternam pro ſuo fine habere ſpem emendationis proximi, & averſionem peccati & mali.

Advertendum ſecundò, Duplicia hîc nos diſtinguere peccata: Aliqua enim ſunt ita perſonalia, ut in ſolius perſonæ peccantis perniciem aut malum cedant: ut eſt peccatum Acediæ, ſuperbiæ internæ, impudicitiæ in ſolo proprio corpore, &c. Alia ſunt, quæ non tantùm perſonalia ſunt, ſed etiam in alterius, vel aliorum perniciem & malum tendunt; ut ſunt furta, rapinæ, latrocinia, proditiones patriæ, adulteria, &c. Nota.

Advertendum tertiò, Me ex charitatis Nota.
præcepto teneri non ſolùm avertere malum peccantis à peccante; ſed etiam à tertio & à quibuſcumque, in quos peccata redundant:

Inter

Inter quos etiam debet charitatis ordo ſervari, ita ut a Republica potiùs malum propulſare debeam, quàm à perſona ſingulari, & in Republica priùs à Principe vel Magiſtratu, quàm à cive: priùs a collegio, ordine, monaſterio, quàm à particularibus, &c.

Nota. *Advertendum quartò*, me non teneri famam proximi conſervare in gravem injuriam tertij, vel Reipublicæ: imò ubi fama innocentis periclitatur, teneor famam nocentis exponere, ut fama innocentis ſervetur illæſa. *Ratio eſt*: quia innocens famam per omnia juſtiſſimè poſſidet: nocens autem jam perdidit famæ poſſeſſionem in cauſa, in hoc peccato & reſpectu peccati quod commiſit. His ſic prænotatis, pono Regulas ſequentes tamquam infallibiles.

Regula 1.

Exceptio contra Evangelicum ordinem. U*Bi non apparet fructus correptionis ſecretæ, vel ejus quæ fit coram teſtibus, eſt licitum, imò frequenter tenetur quis delictum denuntiare ſuperiori tamquam Eccleſiæ ſive congregationis curam habenti.* Ratio eſt: quia Superioris eſt habere curam ſpecialem ovis ſibi commiſſæ: unde cùm ex ſuppoſitione, mea monitio ſit inutilis & infructuoſa, urget charitas ut ille moneatur cui ex juſtitia competit emendare ſubditi delictum: præceptum enim charitatis ſuadet, ut ad media magis fructuoſa fiat recurſus, ubi minora ad effectum inutilia ſunt. Unde S. Auguſt. lib. 1. de civit. Dei cap. 9. *Longè* (inquit) *graviorem habent cauſam quibus per Prophetam dicitur: Ille quidem in peccato ſuo morietur: Sanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram; Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt populorum præpoſiti, conſtituti ſunt in Eccleſiis ut non parcant peccata objurgando. Nec ideo tamen ab huiuſcemodi culpa penitùs alienus eſt, qui etſi præpoſitus non ſit, in eis tamen quibus vitæ huius neceſſitate coniungitur, multa monenda vel arguenda novit & negligit*, &c. Paris utique negligentiæ eſt, ſi id, quod efficaciter ad emendam corrigere nequeo, Superiori cùm intereſt, non denuntio.

S. Aug. l. 1. de civit. cap. 9.

Ezech. 33.

Porrò hîc ſingulariter *notandum eſt*: quòd (quando ob nimiùs ſperatam emendam proximi peccatum ejus ſuperiori defertur charitativè tamquam Patri, ut proximus emendetur) Superior in hoc caſu ſe debeat gerere, ſicut ſe gerere debet denuntians: nimirùm: ut ſi peccatum ſecretum ſit, illud ſuperior ſicut ſecretum habeat, & primò inter ſe & illum peccantem charitativè corripiat: cùm enim, ut ſuppono, ſoli denuntianti peccatum ſit notum; inde ſuperior non habet jus illud publicandi; ſed tantùm tenetur ſupplere quod defectu ſpei emendationis particularis perſona non potuit adimplere: ſi verò peccator non audiat ſuperiorem ſecretò monentem: tunc ſuperior alterum debet ſupplere, nimirùm: ut teſtes aliquos ſuæ monitionis adhibeat: quam demùm monitionem ſi contemnat, publicè arguendus

Nota.

eſt: non quia peccatum eſt omninò publicum; ſed quia monitio prior contempta eſt.

Dices: Hæc reprehenſio publica eſt infamatoria, cùm, ut ſuppunitur, peccatum fuerit ſecretum; ergo non licet ſuperiori illâ uti. *Reſpondeo*, etſi peccatum fuerit ſecretum; pertinaciam tamen & perſeverantiam in malo jam eſſe factam publicam ex reprehenſionibus ordinarè adhibitis. Unde peccans ſibi imputare debet, quòd publicè reprehendi debeat, qui ſingularibus monitionibus deferre noluit. Et hoc Evangelicus textus docet, ut ſecretâ monitione a ſciente peccatum adhibitâ, ſuccedat monitio coram teſtibus, & demùm coram Eccleſia. Hoc tamen inſinuandum venit, quòd non poſſit ſuperior ob denuntiationes illas peccatorem non convictum juridicè condemnare: poſſe tamen juridicè monere & monitionem contemnentem ob publicam pertinaciam excommunicare. Nota.

Dico (*non convictum*) ex ſecreta enim prima denuntiantis inſinuatione, etſi condemnare juridicè non poſſit; poteſt tamen invigilare & perſeverantiam in malo etiam juridicè deprehendere; poſito quòd ſcientia prima denuntiantis, fuerit legitima & extra ſacramentalis.

Regula 2.

Q*Votieſcumque peccatum vergit in damnum communitatis, nec præveniri poteſt damnum monitione ſecretâ, tenetur qui illud ſuperiori denuntiare non ſervato ordine Evangelico; & ſi non denuntiet, peccat mortaliter.* Explico: Scit Petrus Joannem machinari civitatis proditionem, vel grave aliquod detrimentum aut ſcandalum alicui congregationi vel collegio, nec apparet ſibi via certa illud malum præveniendi per monitionem, aut ſimile aliud medium: tenetur denuntiare vel procurare ut denuntietur ei qui poteſt malum prævenire. *Ratio eſt*: quia ordo præſcriptus in Evangelio hoc caſu inutilis eſt, & in ordine charitatis debet præferri bonum commune, ſive averſio mali communis, bono particulari ſive malo particulari, impediendo.

Exceptio altera in ordine Evangelica correptionis.

Dixi (*ſi non poteſt prævenire*) debet enim & tenetur, ſi poteſt, ipſum malum antequam fiat, prævenire & præpedire, nec ſufficit poſt factum auctorem denuntiare.

Regula 3.

Q*Vando peccatum ſive malum quod committitur, eſt contagioſum & in plures ſerpit ut hæreſis, prava aliqua conſuetudo, rebellio*, &c. *nec certò & ſecurè per ſecretam admonitionem præveniri poteſt, qui illud ſcit, ſub peccato mortali tenetur ſuperiorem, vel eum ad quem pertinet malum impedire, abſque monitione media commonefacere ut malum impediatur.* Ratio eſt eadem, quæ ſuperioris Regulæ: quia plurium ſalus debet præferri

Exceptio tertia.

ferri unius famæ & incolumitati ordine charitatis, & evangelica correptio intelligenda eſt obligare, modò aliud non obſit ex parte objecti, materiæ, & circumſtantiarum.

Regula 4.

Exceptio quarta. *Quando peccatum vergit in detrimentum tertij, ſi detrimentum quod tertio infertur, præponderet famæ peccantis, quæ apud ſuperiorem videretur deperdi, nec præveniri poteſt ſecretâ monitione; vel tertia perſona, vel ſuperior eſt monendus.* Ratio ſemper quæ ſuprà: quia ratio charitatis hoc poſtulat, nec teneor ſervare famam peccantis in majus detrimentum proximi.

Corollarium.

Nota. EX dictis diſcooperitur velata illa, imò perfida & abominanda charitas, quâ quis proximi peccata, quæ vergunt in perniciē patriæ, Reipublicæ, ſcandalum ſtatûs Eccleſiaſtici, Religionis, monaſterij, putat ſe poſſe perfidâ fidelitate tacere, ne peccantes damnum aliquod famæ aut pœnæ corporalis incurrant. Certa enim & ſtabilis eſt Regula in intimis præcepti charitatis penetralibus firmata, *ſub mortali peccato præferri debere bonum commune, bono particulari*, & ſive per denuntiationem, ſive alio modo, quemcumque teneri hujuſmodi peccata & peccatorem, ei qui præeſt vel poteſt impedire, ſignificare, ſi aliter certò malum præveniri non poteſt antequam eveniat, vel impediri ne ulteriùs ſerpat.

Aliud eſt de peccato quod cum actu emoritur, ita ut conſequentiam non habeat, nec in
Nota. malum alterius ſerpat: Illud enim poteſt interdùm diſſimulari aliquo tempore, donec opportunè per occultam monitionem tentari poſſit peccantis correctio & emenda. Et hæc ſufficiant pro ratione correptionis fraternæ & præcepti charitatis ad proximum.

§. V.

De Schiſmate.

Definitio ſchiſmatis. INter peccata charitati oppoſita, unum ex ſupremis eſt Schiſma, quod ſic definiri poteſt: *Schiſma eſt ſegregatio, quâ quis ſe à totali obedientia & ſubjectione Summi Pontificis, tamquam Vicarij Chriſti & capitis Eccleſiæ ſubtrahit, & ab unione Eccleſiæ ſeparat, ſervatâ in cæteris eâdem fide.*

Dixi (*à totali obedientia & ſubjectione*) ad Schiſma enim non ſufficit alicui præcepto vel aliquibus Decretis Pontificis non obedire, fit enim frequenter, ut nonnullis rationibus quidam adducti, Summo Pontifici in certis cauſis non obediant; qui tamen non ſchiſmatici, ſed potiùs litigantes aut inobedientes dicendi ſunt.

Dixi (*Summi Pontificis*) ſi enim ab Epiſcopi obedientia quis ſe ſubducat, Pontifici autem obedire velit, non eſt dicendus ſchiſmaticus.

Dixi (*tamquam Vicarij Chriſti & capitis Eccleſiæ*) Qui enim à Summo Pontifice ſe ideò ſubduceret, quòd legitimè electum, & conſequenter Petri ſucceſſorem non crederet, quamdiu non probaretur legitimè electus, ſchiſmaticus dici non poſſet: unde fit ut, ſchiſmate in Eccleſia ſuborto ob diviſiones partium, adhærentes uni parti propriè ſchiſmatici non dicantur: quia ſchiſmate durante, non apparet illis probabiliter quis pro Vicario Chriſti ſit habendus.

Dixi (*& ab unione Eccleſiæ*) illa autem unio attendenda eſt in Capite; Etſi enim in Eccleſia diſſenſiones in membris naſcerentur, quamdiu eidem capiti ſummo Pontifici obediunt, ſchiſmatici propriè dici non poſſunt.

Dixi (*ſervatâ in cæteris eâdem fide*) ſic enim ſcribit S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 3. *Schiſma, niſi fallor, eſt eadem opinantem, & eodem ritu colentem quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio*: Ut indicet ſchiſma non continere hæreſim in aliquo fidei communis articulo; ſed tantùm in agnitione capitis, & conſequenter ex diverſi capitis diverſa agnitione in unione congregationis diſſidere. Undè hæreticus, propriè ſchiſmaticus dici non poteſt: quia etſi cum ſchiſmatico in hoc conveniat, quòd caput Eccleſiæ non agnoſcat, à ſchiſmatico tamen deflectit, quòd in articulo fidei communis diſſideat. S. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum cap. 3.

Pœnæ Schiſmaticorum ſunt: *Privatio omnis jurisdictionis Eccleſiaſticæ*: cùm enim omnis illa jurisdictio à ſummo Pontifice aliquo modo dependeat, & à Chriſti Vicario derivetur: ſi quis ab illo ſe ſubducit, & à communi Eccleſiæ Republica juriſdictionem amittere convincitur: cùm juriſdictio eccleſiaſtica à capite aliquo modo influente pendeat, & in ſolo grege Eccleſiæ exerceri poſſit. *Excommunicationis* etiam *ſententiæ* ſe ſubjicit quiſquis ab Eccleſiæ unitate ſe ſubtrahit, eſtque *inhabilis* ad omne beneficium vel officium in Eccleſia. Vide cap. *Quia diligentia*, de *electione*. Et ordinati à ſchiſmaticis hoc ipsò *ſuſpenſi ſunt* ab Ordinum executione. Vide plura in Canonibus. Pœnæ Schiſmaticorum.

§. VI.

De ſcandalo proximorum.

AD hanc Charitatis erga proximum obligationem maximè pertinet proximo offendiculum non ponere, ſeu ſcandalum non dare, de quo iterùm pauca Dubia ſunt reſolvenda.

Dubium I.

Quid, & quotuplex ſit ſcandalum?

REſpondeo primò: *Scandalum eſt dictum vel factum minùs rectum, præbens proximo occaſionem ruinæ.* Definitio ſcandali.

Tripliciter aliquid dicitur minùs rectũ. Dicitur (*minùs rectum*) id eſt, rectitudine debitâ carens, quod tripliciter accidere poteſt. 1. Quia in ſe malum. 2. Quia, etſi fortè non ſit malum, ſpeciem tamen mali habet. 3. Etſi dictum vel factum ſpeciem mali in ſe non habeat, ex infirmitate tamen illius qui videt vel audit, ejus ruina prævidetur.

Dixi (*præbens occaſionem*) debet autem eſſe occaſio vera & non imaginaria, vel ex malitia illius qui ſcandalizatur, acceptata. De qua ſtatim.

Scandalũ duplex. *Reſpondeo ſecundò*, Duplex eſſe ſcandalum: Aliud *activum*: aliud *paſſivum*. *Activum* dicitur: Dictum vel factum quod proximo occaſionem ruinæ præbuit: *Paſſivum* verò: eſt ipſa ruina quam patitur is qui ſcandalizatur.

Rurſus: Scandalum communiter dividitur in *ſcandalum datum* & in *ſcandalum acceptum*. Scandalum *datum* eſt, quod verè & culpabiliter oritur ex alterius dicto vel facto minùs recto. *Acceptum* verò dicitur, quod ex ſola malitia ſcandalizati originem ſumit.

Porrò hic duo ſunt notanda: *Primum*: In utroque ſcandalo poſſe eſſe peccatum contra charitatem: Si enim ſcandalum ſit datum, ratione ipſius actionis vel dicti, peccatum eſt in ſcandalizante, quia offendiculum & ruinam proximi cavere debuit: Si verò ſit ſcandalum acceptum, peccatum eſt in ſcandalizato. Quia irrationabiliter contra charitatem actionem vel dictum proximi ſequitur, vel pravè interpretatur, cùm nulla, ut ſupponitur, ſit ratio offenſionis in illo.

Secundum notandum: Scandalum datum non oriri præcisè ex aliqua malitia intrinſeca dicti vel actionis: ſed partim ex eo, quòd dictum vel factum ſit inductivum ad malum, ſive occaſio mali partim ex parte operantis, nimirùm ex communi obligatione quâ omne proximi malum, omneque offendiculum à proximo, quantùm ratio & juſtitia ac circumſtantiæ poſtulant, impedire & prævenire ex charitate debuit. Undè quod diximus in definitione (*ſcandalum eſt dictum vel factum minùs rectum*) *Unde ſumenda rectitudo dicti vel facti.* rectitudo illa debet attendi, non ſemper penes ſubſtantiam facti vel dicti; ſed ut plurimùm ſecundùm circumſtantias loci, temporis, perſonarum, &c. prout in ſequentibus explicabitur.

Dubium 2.

Quomodo, & qualiter contingat hominem peccare peccato ſcandali dati?

Tripliciter ſcandalum datur. Reſpondeo primò, tripliciter hominem peccare peccato ſcandali dati. *Primò*, Dicendo vel faciendo aliquid quod ex ſe eſt malum & inductivum alterius ad peccandum, ut ſi aliquis fornicetur, impudicè ſe tangat coram aliquo intendens vel advertens illum ad ſimile peccatum pertrahendum. *Item*: Si quis pravam doctrinam ſeminet, turpia & incentiva ad libidinem dicat ut innocentes ad hujuſmodi ex intentione incitet, aut prævidens ex iis illos incitandos.

Secundo, Dicendo vel faciendo aliquid quod ex ſe & natura ſua non eſt malum, ſpeciem tamen mali præ ſe fert, ex quo quis prævidet aut prævidere debet puſillum aliquem ſcandalizandum. Exemplum habes 1. ad Corinth. 8. de eo, qui in idolio, id eſt, in loco ubi carnes idolo immolatæ comeduntur, recumbebat: quamvis enim ibi comedere vel recumbere, per ſe peccatum non eſſet: ſpeciem tamen mali habebat quòd, qui in Eccleſia ſapiens habebatur, ibi menſæ aſſideret & comederet, quia exiſtimabatur idololatris conſentire, vel carnes idolis immolatas (quæ tunc prohibitæ erant) comedere, & ſic infirmis ad idem faciendum cum remorſu conſcientiæ præbebat occaſionem & offendiculum. Undè ibidem Apoſtolus, cùm declaraſſet idolum nil eſſe, & eſcas illas comedere, non eſſe per ſe malum vel peccatum, ait: *Videte ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis: Si enim* (inquit) *quis viderit eum qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nonne conſcientia ejus, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt, &c.* Exemplum aliud expreſſum habetur 2. Mach. 6. de Eleazaro. Qui noluit carnes etiam ſibi licitas ſecretò edere, ne ſcandalizaret proximos, ob ſpeciem mali, quia creditus fuiſſet in iſtis circumſtantiis, cùm Judæi cogebantur carnes porcinas manducare, illas manducaſſe. 1. Cor. 8. v. 9. 10. 11.

Tertio, contingit hominem peccare peccato ſcandali, dum rem bonam facit aut dicit; quia eo loco vel tempore dicit, in quo prævidet aliquos offendendos, ſive ex dictis vel factis occaſionem mali accepturos, *Ex. gr.* Profert quis fundamenta & rationes hæreticorum in materia hæreſis, vel concionatur de peccatis carnis, zelo quidem bono tum confundendi hæreticos & confutandi hæreſim, tum ut à peccatis carnalibus peccatores convertat, quæ opera per ſe ſunt bona: Si tamen advertat vel advertere debeat infirmos aliquos in ſe ſcandalizandos & occaſionem lapſus in hæreſim, aut in impudicitiam ex conferentiis & concionibus illis capturos, potiùs ab illis abſtinendum eſt. *Similiter*: Quis converſatur cum meretricibus & inſolentibus mulieribus eâ ſolâ intentione, ut eas convertat: ob t attendere ut eo tempore, loco, & modo id faciat, ut nemini offendiculum & occaſionem ruinæ præbeat.

Reſpondeo ſecundò, juxta rationem gravitatis materiæ, ſcandalum reputari peccatum mortale vel veniale: Si enim materia ſit gravis, id eſt, ſi detur occaſio peccati mortalis, ſcandalum eſt peccatum mortale: ſin minùs, veniale. Et quidem de peccato mortali intelliguntur hæ Scripturæ Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: Veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Et Pſalm. 49. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcanda-* *Scandalũ quando mortale.* Matth. 18. v. 6. 7. Pſ. 49. v. 20.

ſcandalum : Hæc feciſti & tacui. Unde Apoſtolus ad Roman. 14. monet : *Non ergo* (inquit) *ampliùs invicem judicemus ; ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* Et 1. ad Theſſal. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Et 2. ad Corinth. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem.* Ac generaliſſimè de re etiam aliàs licita agens 1. ad Corinth. 8. ait : *Quàpropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Et iterùm Roman. 14. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei : omnia quidem ſunt munda ; ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat : Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur,*

Rom. 14. verſ. 13. — 1. Theſſ. 5. v. 22. — 2. Cor. 6. v. 3. — 1. Cor. 8. v. 13. — Rom. 14. v. 20. 21.

Dubium III.

Qualiter ſe debeat gerere homo in materia ſive licita, ſive illicita ſcandali?

UT pleniùs Lector intelligat, qualiter ſe gerere debeat ob infirmitatem puſillorum, pono ſequentes Regulas.

Regula 1.

N*Unquam licet aliquid agere, dicere, pati, vel aliquod ſignum edere, quod, ex eo quia vel malum eſt, vel ſpeciem mali habet, præbeat alicui occaſionem peccati, vel ruinæ.* Regula hæc patet ex ſupradictis,

Addidi verò in hac Regula (*pati, vel aliquod ſignum edere*) non enim interdum minùs ſcandalizant, qui etſi nil mali agant vel dicant, patiuntur tamen in ſua præſentia, vel in ſibi commiſſa familia aut domo, aliqua fieri, ex quibus infirmi ad peccata alliciuntur & pertrahuntur. Quod notandum eſt à Superioribus & Patribus-familias, qui in domo & familia ſua permittunt pravos mores & abuſus, quibus poſteà tum ſubditi, tum filii ac famuli inficiuntur & illis aſſueſcunt in ſuam & omnium, cum quibus converſantur, perniciem. Quod quidem ſcandalum tribuitur Superioribus & Patribus-familias, quia cùm ſcientes & videntes hujuſmodi fieri, non impediant aut damnent, cenſentur ſuâ diſſimulatione approbare, & ideo ſubditi & domeſtici faciliùs in viam illam peſſimam vadunt. Heu quot videmus domos impudicitiis & abominationibus infectas! ſive quòd illas à parentibus acceperint, ſive quòd eorum diſſimulatione incentivum habuerint hujuſmodi corruptionum. Tacendum non eſt: quòd parentes & patres-familias non tantùm non improbent; ſed riſu & ſignis oſtendant ſimilia ſibi placere. Huc etiam referenda ſunt ſigna illa ſcandaloſa, quibus domos ſuas replent, ut impudicæ picturæ, hiſtoriæ peſſimæ, non advertentes illud Poetæ :

Nota pro parentibus & patribus familias.

Segnius irritant animos dimiſſa per aures;
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta videntibus.

Regula 2.

Q*Vilibet tenetur ab omni actu, ſive in opere, ſive in verbo, ſive in ſigno quantumvis licito, abſtinere ; ſi ad illum hic & nunc non obligatur & probabiliter timet, aut ex vehementi conjectura timere debet, ſcandalum puſillorum.* Ratio eſt : quia poſito quòd ad illum actum adſtrictus non ſit, eſt in ejus libertate deſiſtere, charitatis autem præceptum eſt ea omittere, ex quibus proximus peccandi occaſionem ſumit : ut in ſuperioribus ex Scripturis oſtenſum eſt.

Regula 3.

N*Vllum illicitum eſt committendum, ad evitandum quodcumque vel qualecumque ſcandalum.* Ratio clara eſt : quia charitas Dei & ſui, eſt præponenda charitati proximi: atqui, committere aliquod peccatum ſive rem illicitam, eſt contra charitatem Dei & ſui : ergo non debet committi quocumque prætextu boni proximi. *Non enim facienda ſunt mala, ut eveniant bona.* Et Tit. de Regulis juris cap. 3. dicitur : *Utiliùs ſcandalum naſci permittitur ; quàm veritas relinquatur,* id eſt, quàm actu illicito à veritate declinetur : licet enim, imò conſultum eſt interdum veritatem diſſimulare, ut ſcandalum vel peccatum evitetur.

Nunquam licet malè operari. — Tit. de Reg. juris cap. 3. — Nota.

Regula 4.

N*On licet cuiquam opera ad ſalutem neceſſaria omittere ad proximi ſcandalum quomodocumque evitandum.* Ratio eſt quæ ſuprà : quia tenetur quis ſalutem ſuam ſaluti proximi præferre ; ab operibus autem neceſſariis dependet ſalus propria : Unde,

Non licet opera ad ſalutem neceſſaria omittere ad vitandum ſcandalum.

Dixi (*opera ad ſalutem neceſſaria*) Opera enim ſupererogatoria omitti poſſunt, & aliquando tenemur illa omittere propter ſcandalum proximi, ut in Regula 2. continetur.

Regula 5.

Q*Vandocumque doctrina vel opera noſtra communitati ſive Reipublicæ, ſive familiæ ſunt neceſſaria vel multùm utilia, non tenemur illa relinquere ob particularium ſcandalum & peccatum.* Ratio eſt : quia commune bonum debet præferri privato, & ut plurimùm particularium ſcandalum, ubi in opere eſt publica utilitas conjuncta, eſt ſcandalum acceptum, non datum. Hanc Regulam probant acta Chriſti Salvatoris noſtri Matth. 15. Ubi, cùm doctrinam de puritate cordis contra vanas obſervantias Phariſæorum propoſuiſſet, dixerunt ei Diſcipuli : *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, cæleſtis eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum, &c.* Et Joann. 6. Non curavit ſcandalum Capharnaita-

Quid de opere Reipublicæ utili. — Matth. 15. v. 12. 13. 14.

naitarum in ſermone de Euchariſtia, &c. Aliis etiam locis ſimile exemplum nobis exhibuit, ut oſtenderet: pro publica utilitate & neceſſitate Eccleſiæ veritatem manifeſtandam eſſe, non obſtante ſcandalo aliquorum. Unde eſt illud Gerſonis de conſolat. Theologiæ lib. 4. Proſâ 2. *Sed neque deſerenda veritas aut vita, aut doctrina, vel juſtitia, dum certum habemus quòd periclitaretur noſtro ſilentio, & oppoſita falſitas firmaretur juxta Regulam; error cui non reſiſtitur, approbatur.*

Gerſon. de conſolat. Theol. l. 4

Regula 6.

Quid de ſcandalo dato.

T*Unc cenſetur ſcandalum acceptum & non datum, quando proximus ex malitia, pertinacia, odio aut paſſione actionem aliàs bonam & honeſtam in malum interpretatur, & ex illa occaſionem peccandi ſumit.* Tale fuit ſcandalum Phariſæorum, quod & ab illis phariſaicum dicitur, qui odio, malitiâ & paſſione excæcati, actiones Chriſti & Diſcipulorum in malum interpretabantur. Et hoc ſcandalum curandum non eſt, ubi de malitia vel paſſione mera conſtat. Cætera regulanda ſunt ut ſuprà.

Admonitio.

A*Dvertat* Lector *primò*, quanto periculo ſe exponant, qui alijs ſiunt occaſio peccati operibus, dictis, ſignis, ſive intendant, ſive non intendant occaſionem illam præbere, ſi modò ex infirmitate vel fragilitate ſua occaſionem cadendi alij ex prædictis ſumant.

Advertat ſecundò, quàm intolerabile judicium ſibi Superiores & Patres-Familias inducant, ſi eorum minùs recto exemplo, conſenſu, diſſimulatione contingat non modò inferiores gravibus peccatis maculari, verùm etiam in collegium vel familiam dicta peccata transfundi, ita ut vix ſit finis peccantium, quorum peccata primæ radici & principio originativo imputantur.

Advertat tertiò, quàm inextricabilibus conſcientiæ difficultatibus ſe intricent, qui in Religionibus, Congregationibus, Rebuspublicis ſunt prima occaſio abuſuum, malorum morum & peccatorum, ſive ipſa ex illis procedant, ſive eorum factionibus & defenſione continuentur aut propagentur. Quæ peccata eò minùs ſanabilia ſunt, quò eorum propagatio impediri non poteſt.

§. Vltimus.

De ordine Charitatis.

QUia de ordine charitatis ſæpiùs in ſuperioribus facta eſt mentio, ne errari contingat, ejus ordinis ſeriem volui paucis hîc perſtringere.

Ordo igitur charitatis duplex hîc ſtatui debet: Alius quidem reſpicit *commune bonum*: Alius reſpicit *bonum privatum*: Reſpectu *boni communis* ordo hic ſervandus eſt: ut Deus divinumque bonum primò, demùm communitatis & Reipublicæ bonum præferatur bono privato, & Regem, Principem, Magiſtratum, perſonas communi utilitati Reipublicæ neceſſarias præferat homo ſibi-ipſi, aut cuilibet perſonæ privatæ: Ex quo tenetur quis ſe morti & cuilibet damno privato exponere, ſi per talem expoſitionem Rempublicam, Regem, Principem, Magiſtratum, &c. ſalvare poſſit. Et hoc probat communis naturæ inſtinctus, & etiam in rebus inſenſibilibus innata proprietas, quâ aqua ſurſum, aer & ignis deorſum deſcendit ad evitandum vacuum, ſive ne ex cauſa vacui univerſum diſſolvatur & pereat. Et ſuper hoc ordine charitatis multæ Leges fundantur, quæ aliàs injuſtæ eſſent, niſi ſuper ordine charitatis firmentur. Privatorum enim injuriæ permittuntur, ut Reſpublica, Rex, vel perſona eminens publico bono neceſſaria, conſervetur: Et hujusmodi multa tolerantur, quæ ſi privatâ juſtitiâ librentur, videbuntur injuſta, ſed eorum juſtitia ſuperiori ordine charitatis aſſerenda & reſtituenda eſt.

Duplex ordo Charitatis.

Reſpectu *boni privati* ordo hic in charitate ſervandus eſt, ut 1. Deus. 2. Nos-ipſi. 3. Proximus diligatur. Item in bonis; Bonum animæ bono corporis, Bonum corporis bonis fortunæ præferatur. Item circa proximum à ſanguine, familiâ, ſpirituali conjunctione juncti præferendi ſunt extraneis: Inter ſanguine junctos: ut parentes filiis aut fratribus præferantur: Fratres conſanguineis aliis in gradibus magis diſtantibus, conſanguinei, tantùm affinibus, &c.

Adverte tamen: In iis quæ non tenemur præſtare proximo, ſed noſtræ libertati & voluntati planè relicta ſunt, nos ad nullum ordinem charitatis obligari. *Ex. gr.* In liberis donationibus, particularibus amicitiæ ſignis, &c. *Ratio eſt*: quia illa ad terminos charitatis non pertinent; ſed planè voluntaria ſunt.

TRACTA-

TRACTATUS SECUNDI
PARS SECVNDA.

De vero Dei cultu & virtute Religionis.

PArtem primam hujus Tractatus expendimus in declarandis fundamentis cultûs divini, quæ ſunt Fides, Spes, Charitas, quibus & Deus habetur, & (teſte S. Auguſtino in Enchrid.c.3) Deus colitur: omnis enim verus Dei cultus ex illis emanat & in illis ſubſiſtit & ſuppoſitatur: Cultui enim divino lumen præfert Fides, Spes virtutem præbet, Charitas vitam ſubminiſtrat.

S Auguſt. Ench. c.3.

Quia verò præceptum primum per actum adorationis, ſervitutis & cultus proponitur juxta illud Matth. 4 *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et de idolis Exod. 20. & Deut. 5. dicitur: *Non adorabis ea neque coles.* Idcircò hic in ſecunda parte agendum fuit ſpecialiter de vero cultu veri Dei per virtutem Religionis. Pono igitur Titulum primum.

Matth. 4. v 10. Exod 20. verſ. 5. Deut. 5. v. 9.

TITVLVS I.
De virtute Religionis.

QUÆSTIO I.
Quid ſit Religio.

OMiſſis ſignificationibus variis quibus Religio ſtatum aliquem ſignificat, in quo univerſaliter verus Deus colitur, ut eſt ſtatus Eccleſiæ Catholicæ, aut in quo ſpecialiter homo Deo per tria vota caſtitatis, obedientiæ & paupertatis velut religatur & ejus ſervituti mancipatur. Hic de virtute ſpeciali agendum eſt, quâ Deus ſingulari affectu colitur, cujus definitionem ſic exprimo.

CONCLUSIO UNICA.

Definitio Religionis virtutis.

R*Eligio eſt virtus moralis, quâ Deo ut ſupremo omnium creaturarum principio & Domino ac bonorum omnium auctori debitus cultus & honor exhibetur.*

Dixi (*virtutis moralis*) ad diſtinguendam virtutem Religionis à virtutibus Theologicis, Fide, Spe, Charitate: illæ enim Deum pro immediato objecto, ſive ut loquuntur Theologi, pro *obiecto Quod*, reſpiciunt: Fides quidem, ipſum ut primam & ſummam veritatem reſpicit: Spes, ut bonum noſtrum: Charitas, ut bonum in ſe; Virtus autem Religionis, etſi Deum reſpiciat, non tamen immediatè & ut *objectum Quod*, ſed ut *objectum Cui*, ſive ut cultu debito adorandum & colendum, quod reliquæ particulæ definitionis exprimunt, quibus & à cæteris virtutibus moralibus virtus Religionis ſecernitur, quæ hominem vel in ſe, vel in ordine ad proximum, immediatè diſponunt, nec per ſe in Deum feruntur.

QUÆSTIO II.
Quotuplex ſit cultus Dei à virtute Religionis procedens?

CONCLUSIO UNICA.

DUplex eſt cultus Dei à virtute Religionis procedens, nimirùm: *Interior tantùm: Interior & exterior ſimul* *Duplex Dei cultus.*

Cultus interior tantùm; dicitur actus virtutis religionis nullis exterioribus ſignis manifeſtatus: Talis eſt interior adoratio & reverentia quâ in corde homo divinam excellentiam agnoſcit, & ſe ei omnimodè ſubmittit: talis eſt oratio quam mentalem nuncupamus, ut contra vocalem diſtinguitur. Tales ſunt omnes affectus interni, qui ad colendum Deum referuntur: Actus enim interni virtutis religionis conſiſtunt maximè in affectibus.

Cultus interior & exterior ſimul eſt: Qui non tantùm actibus interioribus exhibetur; ſed etiam exterioribus ſignis & actionibus manifeſtatur, ut ſunt ſacrificia, orationes vocales, genuflexiones, proſtrationes corporis, elevationes manuum, ac uſus omnium externorum ſignorum quæ cultui Dei deſerviunt, vel ad illum ordinantur, ut ſunt erectiones Altarium, cereorum accenſio, &c.

Petes: Cur non fiat mentio cultûs exterioris tantùm, tamquam tertii membri diviſionis? Conſtat enim hominem poſſe adorare & colere Deum externis dumtaxat actionibus & cœremoniis ad Dei cultum ordinatis, ut jam diximus de erectione altarium, genuflexionibus & aliis hujusmodi. *Reſpondeo*, nullum dari actum tantùm externum religionis, qui ab actu interno virtutis religionis non procedat. Undè ſi quando actus externi ſimiles actibus religioſis abſque interno exhibeantur, tantùm materiales ſunt, quales mimi & geſticulatores ſive comœdi & Tragœdi in theatris exercent. *Ratio eſt*: quia, cùm verus Dei cultus (ut diximus) à virtute religionis eliciatur aut imperetur, ſive ab eo procedat, ad hoc ut externus cultus ſit verus Dei cultus, debet ab actu interiori religionis procedere, aliàs actus religionis non erit, ſed fictus quidam actus, ſimilitudinem quidem cum actibus religionis habens, in

Non datur actus virtutis Religionis exterior tantùm.

veritate tamen a virtute Religionis non procedens. *Explico*: Comædus quidam repræſentans Ninivem Idololatram, coram ſtatua ſive idolo genuflectit & incenſum ei adolet: Hic actus, etſi cultum falſæ religionis exprimat, cultus tamen falſæ religionis non eſt: quia ab actu interno falſæ religionis non producitur, ſed ab actu tantùm ſimulato. Ita qui coram altari veri Dei genuflectit, ſi actum formalem vel virtualem internum adorandi Deum non habeat, genuflexio ejus non eſt cultus religionis, ſed eſt actus fictus & inutilis. Unde pono Regulam generalem tamquam fundamentum dicendorum in hac ſecunda parte Tractatus ſecundi.

Regula Generalis.

Omnis cultus externus, qui vel formaliter vel virtualiter ab actu interno religionis non procedit, eſt vanus & inutilis, nec ad virtutem religionis ullo modo pertinet.

Dixi (*formaliter vel virtualiter*) ſufficit enim ut virtualiter procedat ab actu interno, quo quis intendit actu illo Deum colere, ut poſteà in ſingulari explicabitur.

QUÆSTIO III.

Qui ſunt actus à virtute Religionis promanantes?

CONCLUSIO UNICA.

Tot actus à virtute Religionis promanare cenſentur, quot actibus tum internis, tum externis colitur Deus. Hi autem paſſim à Patribus ex Scripturis deducuntur, *devotio, adoratio, gratiarum actio, ſacrificium, oblatio, votum, conſecratio, &c.* Vel enim quis Deum omnium creaturarum principium & dominum, ac bonorum omnium auctorem agnoſcens, ipſius ſervituti ſeipſum devòvet & voluntati ejus per omnia ſe ſubjicit cum omni fervore & promptitudine. & hic actus vocatur *devotio*: vel illi omnem ſubmiſſionem, ut ſummo & univerſali omnium Domino exhibet, adhibitis etiam ſignis externis reverentiæ: ut genuflexionibus, incurvationibus, proſtrationibus, &c. & illi actus vocantur *adoratio*: aut *ſacrificium* ei offert, & idem nomen obtinet: aut pro impetrandis beneficiis illi ſupplicat, & inde nomina *petitio, oratio, obſecratio*, quæ ſolâ ratione diſtinguuntur: aut Dei cogniti & beneficiorum ejus gloriam magnificat, quod fit *gratiarum actione, laude, jubilo*, &c. Denique plurimi alij affectus & actus ex eadem virtute in animabus velut ebulliunt, quæ variis nominibus paſſim exprimuntur.

CONCLUSIO II.

Tres virtutis Religionis principales actus.

Tres potiſſimùm actus virtutis religionis aſſignari poſſunt, à quibus cæteri dependent, vel ad quos reducuntur, ſuntque: *Oratio, ſacrificium, obſervationes ſacræ.* His enim tribus abſolvitur verus Dei cultus.

Sub *oratione* comprehendo Dei laudes, gratiarum actiones, mentis elevationes, contemplationes, collocutiones cum Deo, & id genus mentis affectus: qui etiam in exteriora ſenſuum organa erumpunt, & illorum actionibus demonſtrantur.

Sub *Sacrificio*: Unicum verum Miſſæ ſeu Euchariſtiæ ſacrificium complector.

Sub *obſervationibus ſacris*, quidquid in Eccleſia ad Dei cultum receptum eſt, ſive ex Dei & Chriſti JESU Dei hominis inſtitutione, ſive ex ipſius Eccleſiæ pietate & decreto, ut ſunt Sacramenta, feſta, ſolemnitates, peregrinationes, obligationes decimarum, jejuniorum exercitia & quævis cæremoniæ ſanctæ & approbatæ.

TITULUS II.

De Oratione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Oratio?

S. Damaſc. lib. 3 orth. fidei c. 24. Niſſ. orat. 1 de orat. Domini. S. Baſil. hom. in Julit. mart. S. Auguſt. ſerm. 210. de Temp. Idem lib. de Spirit. & anima cap. 50. S. Bern. l. de Schala clauſt. c. 1. Idem Ep. ad fratres de monte Dei.

Orationem verè deſcripſerunt Patres ſancti, ac inprimis S. Damaſc. l. 3. orth. fidei: *Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum.* Niſſ. orat. 1. de orat. Dom. *Converſatio ſermocinatioque cum Deo.* S. Baſil orat. in Julittam martyrem: *Oratio eſt boni cujuſpiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* S. Auguſt. ſerm. 230 de tempore; *Eſt aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inviſibilium deſiderium.* Et lib. de Spiritu & anima cap. 50. *Oratio eſt mentis devotio*, id eſt, *converſio mentis in Deum per pium & humilem affectum.* Denique S. Bern. lib. de ſcala claustrali cap. 1. *Oratio eſt devota cordis intentio in Deum, pro malis amovendis, & bonis adipiſcendis*: Et epiſtola ad fratres de monte Dei: *Eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio.* Quæ omnes deſcriptiones aliquid præquiſitum vel concomitans aut conſequens ipſam orationem comprehendunt, & varios animi in oratione motus deſcribunt: Ut verò, quantùm in Domino poſſumus, orationis rationem & eſſentiam diſtinctiùs intelligere, & Sanctorum dicta diſtinguere ac penetrare poſſimus, aliqua ſunt hic prænotanda.

Prærequiſita ad orationem.

Notandum igitur primò, ad veram orationem aliqua prærequiri: *primum eſt*: Dei potentis & miſericordis practica quædam cognitio ſive apprehenſio, quæ judicio rationis, & æſtimativæ conjuncta eſt: Qui enim Deum ut potentem & miſericordem non apprehendit, non poteſt illum orare. Et hoc indicat S. Paulus ad Hebr. 11 dicens: *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt & inquirentibus ſe, remunerator ſit, &c.* Et Jac. 1. *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et hæc cognitio fidei illuminatione perficitur: nec enim poteſt quis accedere ad Deum ut aliquid petat, niſi credat, & fide illuminetur.

Ad Hebr. 11. v. 6.

Jac. 1. v. 5.

Porrò

Porrò hanc cognitionem fidei augent illuminationes, inſtructiones, inſpirationes & informationes internæ, quibus anima mirum in modum illuſtratur ad cognoſcendam Dei bonitatem, miſericordiam, liberalitatem, propenſionem in peccatores, providentiam ejus ſanctam, & mirabiles diſpoſitiones in peccatorum converſionibus, donorum diſtributionibus, auxilijs & conſolationibus afflictorum. Quæ omnia animæ à Deo infunduntur, vel miſericorditer ab eodem obtinentur in ſacra lectione, ſanctis meditationibus, elevationibus mentis in Deum, exercitationibus internis, animæ ſilentio & quiete. Undè fit, ut oratio à Patribus *Converſio mentis in Deum: Aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia: Inquiſitio supernorum*, &c. definiatur: quia nimirùm vera & perfecta oratio illa prærequirit, prout lumine fidei, aut alijs modis à Deo animæ communicantur.

Secundum prærequiſitum ad orationem eſt practica ſimiliter cognitio & apprehenſio conjuncta cum judicio & æſtimativa indigentiæ, infirmitatis & neceſſitatis noſtræ, vel alienæ, quæ cognitio iterùm internis meditationibus, exercitationibus, & illuſtrationibus Divinis obtinetur. Niſi enim quis agnoſcat indigentiam ſuam, quomodo poſtulare & orare poterit, ut ſuppleatur? Et hinc à Patribus deſcribitur oratio: *Converſio in Deum per pium & humilem cordis affectum.* Humilis enim ille affectus fundatur in miſeria & inopia propria, vel aliena ab orante cognita. Undè illæ Pſalmiſtæ lacrymæ non tam orantis, quàm ſuam

Pſalm 37 verſ. 3.5.6. miſeriam & infirmitatem agnoſcentis: *Quoniam* (inquit) *ſagittæ tuæ infixa ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, &c.

Concomitantia orationem. *Notandum ſecundò*: Aliqua etiam veram orationem concomitari: *Primum* eſt: Spes impetrandi, quæ eſt etiam ſpei Theologicæ actus fundatus in Deo quatenùs eſt bonus nobis, ſive quatenùs ſuâ bonitate & condeſcenſione exauditionem repromiſit, & ad petendum nos

Matth. 7. verſ. 7. 8. & 9. &c. invitavit Matthæi 7. *Petite* (inquit) *& dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Item: *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergò vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe?* In quibus verbis tota virtus orationis ponitur in firmitate ſpei, quæ fides & fiducia dicitur, quatenùs in cognitione fidei ſpes fundatur. Undè

Jacobi 1. verſ. 6. & Jacobi 1. *Poſtulet autem* (inquit) *in fide nihil hæſitans, qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur: non ergò æſtimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Domino.* Et Paulus ad Hebr. 4 monet: *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur*, &c. Ad Hebr. 4. verſ. 16

Secundum concomitans eſt inchoativus ſaltem amor, qui ab inchoata charitate procedit: cujus ratione oratio à Patribus dicitur *Converſio, devota cordis Intentio, Deo adhærentis affectio, Aſcenſio mentis in Deum*, qui ſunt effectus charitatis, quæ (etſi perfectum adhuc amorem cor non poſſideat) in Deum tamen inchoato amore animam elevat, & ad Deum velut tranſmittit. Et hæc iterùm viſitationibus internis, & exercitationibus ſpiritualibus augentur.

Orationis conſequentia. *Notandum tertiò*: Aliqua etiam conſequi orationem: talia ſunt laus Dei, glorificatio, magnificatio, gratiarum actio, oblatio, piæ reſolutiones, operationes, humiliationes, ex quibus conflatur mentis vera devotio, &c.

Notandum quartò, Supradicta omnia non ſemper eundem ordinem ſervare, præter fidem enim & ſpem, quibus vera oratio innititur tanquam fundamentis, cætera variè ad invicem commiſcentur; imò actus fidei & ſpei varijs augmentis & decrementis animæ motus ſequuntur, vel illos excitant. Denique omnia diverſo reſpectu aliquando ſunt cauſa orationis, aliquando illius ſunt effectus, quæ facilè diſtinguere non poteſt, qui in illis exercitatus non eſt. His ſic prænotatis, ſit:

CONCLUSIO UNICA.

Diffinitio orationis. ORatio propriè dicta eſt actus virtutis Religionis, quo homo Deum omnium bonorum auctori ac principio ſe ſubjectum agnoſcens, et pro bono aliquo impetrando ſit ſupplex.*

Dixi (*actus Religionis*) Oratione enim primario Deus colitur & honoratur: cætera autem, quæ per actum Religionis adorationem concurrunt, ad alias virtutes pertinent, & orationis vel præambula, vel concomitantia, vel ſubſequentia reputantur.

Dixi (*quo homo Deum omnium bonorum auctori & principio ſe ſubjectum agnoſcens*) debet enim homo agnoſcere indigentiam ſuam, & Dei potentiam ac miſericordiam, ex qua agnitione per virtutem Religionis illum revereatur, eique ſe ſubjectum proteſtatur. Notanter verò dicitur (*Deo*) omnis enim oratio ad Deum terminatur: unde quæ dirigitur ad Sanctos, eſt tranſitiva, & ad Deum tranſit. Quò fit, ut potiùs dicamur orare Deum per Sanctos, quàm orare Sanctos; quia oratio non terminatur ad Sanctos, ſed ad Deum, quod ſatis exprimit Eccleſia, dùm orans Sanctos, ut Deum pro nobis exorent, univerſaliter claudit orationes: *Per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, &c.

Dixi (*et pro bono aliquo impetrando ſit ſupplex*) hæc eſt enim formalis differentia diſtinguens orationem ab alijs virtutis Religionis actibus.

Dixi (*pro bono aliquo*, &c.) nomine autem

Boni intelligitur omne verum bonum, ſive Dei gloriam, ſive ſalutem noſtram aut proximi concernat. Iterùm: nomine *Boni* comprehenditur bonum negativum, id eſt, averſio mali, ſive liberatio à malo.

Dixi verò (*Bonum verum*) quatenùs videlicet rale eſt: bona enim conditionata, ſeu ſub conditione tantùm vera & ſalutaria, non niſi conditione ſubintellectâ in oratione poſtulari poſſunt, nimirùm quatenùs bona & ſalutaria ſunt. Ità ut de bonis fortunæ aliiſque temporalibus dicendum ſit illud S. Auguſtini: *Non peti in nomine Salvatoris, quidquid petitur contrà rationem ſalutis.*

S. Auguſt. tract. 102. in Joan.

Expoſitio orationis Dominicæ, & applicatio ad diffinitionis partes. Matth. 6.

Hujus porrò deſcriptionis totam rationem expreſſit Salvator, Matthæi 6. in oratione Dominica: in qua *Primò*, Reverentia ad Deum, ut noſtri & omnis boni auctorem, exprimitur in prologo, cùm dicitur *Pater noſter, qui es in cœlis*: in eo enim, quòd *Patrem* nominamus, Deum principium noſtri, & omnis boni agnoſcimus: à patre enim ſilius gignitur, à patre hæreditatem expectat. Et ut eum omnium principium agnoſcamus, additur, *noſter*. Dum verò locum *in cœlis* ei aſſignamus: invisibilem, immortalem, ſuper omnia, & in omnibus regnantem confitemur. Undè regnum Dei, regnum cœlorum communiter nuncupatur, quia & ab unico primo motore Deo cætera moventur, & univerſali ejus providentiâ omnia diriguntur & conſervantur. Et ità prima pars definitionis orationis ſingulariter adumbratur, juxtà quam homo ſe Dei ſubditum filiali reverentiâ & obligatione agnoſcit. Indè exprimitur altera pars ejus, nimirùm. *Petitio*: Et primò quidem petimus bonum Dei, ſive gloriam ejus tribus prioribus petitionibus, nimirùm: *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Tribus enim iſtis Dei gloria velut in compendio continetur: ad illam enim pertinet *ſanctificatio nominis ejus*, quæ in peccatorum vocatione, juſtificatione, ſanctificatione maximè elucescit. *Item*: *Regnum ejus* conſiſtens tam in regno hujus vitæ, ubi ſuper nos regnat per gratiam, quàm in regno æterno, ubi erit omnia in omnibus regnans per gloriam, ubi complebitur numerus Electorum. Tandem, *Adimpletio* omnimodæ *voluntatis ejus*: qua ſicut in cœlo ejus voluntas invariabiliter adimpletur, ſic in terra efficaciter adimpleatur ineffabili providentia ejus, & ità in omnibus creata voluntas divinæ voluntati ſit conformis.

Matth. 6. verſ. 9. 10. Luc. 11. verſ. 3.

Secundò, In quatuor poſtremis petitionibus neceſſaria nobis proximiſque petimus; *Primò* quidem: Conſervationem vitæ tum animæ, tum corporis. Hoc enim ſignificant particulæ *Panem noſtrum quotidianum* (ut vocat Lucas c. 11) vel (ut Matthæus) *ſuperſubſtantialem da nobis hodiè.* Quia enim rum anima tum corpus proportionato cibo quotidiè indiget ad ſui conſervationem, panis quotidianus dicitur, tam ipſe ſpiritualis panis animæ, qui conſiſtit in verbo Dei, pane Eucharistico, auxiliis gratiæ, donis & bonis ſpiritualibus & ſupernaturalibus, quam panis corporalis, & corporale alimentum ad corporis ſuſtentationem requiſitum: quia autem corporalis panis & vitæ corporalis conſervario petitur in ordine ad vitam illam ſupernam & beatam: idcircò à Matthæo ſuperſubſtantialis dicitur, ut declaretur, quòd ſubſtantia inferior conſervata, in ſupremam illam eſſentiam per beatam unionem & beatitudinem transformabitur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu: quæ quidem unio inchoatur quotidiè in uſu panis Eucharistici, quo *futuræ gloriæ nobis pignus datur*: juxta illud CHRISTI Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Denique: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* *Secundò*, Quia ad vitam animæ conſervandam parùm prodeſt alimentum, niſi etiam animæ morbi curentur, idcircò poſtulamus: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ubi nomine *debitorum* Lucas *peccata* expreſſit, quæ utique, ſi mortalia ſunt, hominem vitâ gratiæ privant, & mortem animæ inferunt: S'in venialia, morbum & languorem animæ inducunt. Rectè autem *debitorum* nomine peccata appellanda veniunt, tùm quia quamdiu in hac vita mortali ſumus, ità in foro Dei debentur, ut CHRISTI meritis & gratiâ, ac ſatisfactionibus ab homine redimi poſſint, tum quia pœnæ peccatis correſpondentes verè ſub ratione debiti in hac vita mortali computantur: tempus enim hujus vitæ tempus ſolutionis eſt, nec à carcere homo dimittetur, niſi ultimum quadrantem ſolverit, ſive in vita præſenti, ſive in futura. Denique nihil eſt, quod jure Deo debitum nobis dimitti honeſtè petere poſſumus, quàm peccata, & pœnæ peccatorum omnibus communes. Cùm enim ſepties in die cadat juſtus, remiſſione peccatorum venialium, & pœnarum eis correſpondentium ſemper indigere præſumitur: quanquam & iſta petitio vox totius Eccleſiæ ſit, in qua quia peccatores cum juſtis admixti ſunt, Eccleſia nomine omnium poſtulat remiſſionem peccatorum. Quod verò additur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: & ut Lucas habet: *Siquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.* Hæc verba continent obteſtationem quandam divinæ promiſſionis: dixerat enim CHRISTUS Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini,* & hic Matth. 6. eandem promiſſionem adjungit: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra,* &c. Igitur per hæc verba ipſe orans Deum ad miſericordiam ob ſuam promiſſionem movere ſatagit, & appoſitæ conditionis ipſe monetur, ſcilicet debitoribus ſuis ignoſcere, cùm petat ſibi ignoſci. Ità tamen ut particula (*ſicut*) non deno-

Matth. 6. verſ. 11.

Joan. 6. verſ. 57. 58.

Verſ

Matth. 6 verſ. 12.

Luc. 11. verſ. 4.

Luc. 6. verſ. 37. Matth. 6. verſ. 14.

donet æqualitatem, aliter enim ignoſcit Deus, & aliter homo; ſed tantùm quandam ſimilitudinem. Demum, particula (*dimittimus*) de cordiali dimiſſione injuriæ monet orantem, tanquam de conditione neceſſaria & debita, ſi ſibi à Domino velit ignoſci. Alias particula (*dimittimus*) referenda eſſet ad Eccleſiam, cujus nomine oratur, ut petitio falſa & mendax non cenſeretur.

Tertiò, Quia homo ſe agnoſcit viatorem multis laqueis expoſitum, cujus vita eſt continua tentatio ſuper terram, non ſibi ſufficit pro morbis animæ, ſive remiſſione peccatorum obſecrare: niſi etiam à tentationum periculis liberetur, idcircò ſupplicat, *Et ne nos inducas*, id eſt, induci permittas *in tentationem*. *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, & tentatores communes ſunt mundus, caro, diabolus, contra quos continua homini colluctatio eſt. Petit itaque non induci in tentationem, id eſt, non permitti tentari, ita ut tentationi conſentiat, aut ſuccumbat.

Matth. 6. vers. 13. 1. Joan. 2. vers. 16.

Quartò, Quia corona vitæ noſtræ perſeverantia eſt, & Diabolus inſidiatur calcaneo noſtro, ſeptimâ petitione oramus liberari à malo, id eſt, à damnatione æterna, & peccato, quod eſt ejus cauſa: unicum enim & perpetuum malum eſt ſeparari à Deo per peccatum, & ſociari Diabolo in igne æterno. Particula tandem addita, *Amen*: optantis eſt, & certa cum fiducia ſperantis effectum orationis hujus.

Devotiſſimam hujus orationis Periphraſim & velut Commentariolum familiarem habuit B. P. N. Franciſcus, qui quià plenus veritate, devotione, eruditione eſt, illum hic apponi juſſimus in gratiam animarum devotarum.

Expoſitio B. Patris N. FRANCISCI *ſuper orationem Dominicam.*

Pater noſter beatiſſime & ſanctiſſime Creator noſter, redemptor noſter, & conſolator noſter. *Qui es in cœlis*, in Angelis, in Sanctis: illuminans eos ad tui cognitionem; quia tu Domine lux es: inflammans eos ad amorem tuum divinum, quia tu Domine amor es: inhabitans & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia, & ſine quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum*: clarificetur in nobis notitia tua: ut cognoſcamus, quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas majeſtatis, & profundum judiciorum. *Adveniat regnum tuum*: ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*: ut amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando: ex tota anima, te ſemper deſiderando: ex tota mente, omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo: & ex omnibus viribus noſtris, omnes vires & ſenſus animæ, & corporis in obſequium tui amoris, & non in aliud expendendo: & proximos noſtros amemus ſicut nos ipſos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo: de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo: in malis compatiendo, & nemini ullam offenſam faciendo. *Panem noſtrum quotidianum*, ſcilicet dilectum Filium tuum Dominum noſtrum JESUM, *da nobis hodiè* in memoriam, & intelligentiam, & reverentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis dixit, & fecit, & ſuſtulit. *Et dimitte nobis debita noſtra* per tuam miſericordiam ineffabilem, & paſſionis dilecti Filij tui Domini noſtri JESU CHRISTI virtutem, & per beatiſſimæ Virginis MARIÆ, & omnium Electorum tuorum merita & interceſſionem. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, & quod non planè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere, ut inimicos noſtros propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te devotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*, occultam, vel manifeſtam, ſubitam, vel importunam. *Sed libera nos à malo*, præterito, præſenti, & futuro. *Amen*; ſpontaneè & gratis.

QUÆSTIO II.

Ad quam animæ potentiam pertineat Oratio?

OB varias orationis diffinitiones de illâ variè locuti ſunt Theologi: ex eo enim quòd nonnulli Patrum orationem diffinierunt modò: *Aſcenſionem mentis in Deum*, modò: *Inquiſitionem ſupernorum*, modò: *Petitionem boni*, modò: *Expreſſionem deſiderij*, modò: *Collocutionem familiarem cum Deo*. Aliqui orationem intellectui, ſive potentiæ intellectivæ attribuerunt: alij è contrà, quia plurimi Patres orationem diffinierunt nonnunquam: *Converſionem mentis in Deum per pium & humilem affectum*: nonnunquam: *Inviſibilium deſiderium*: aliquando: *Adhærentis Deo affectionem*: aliquando: *Pium mentis affectum in Deum directum*: illam voluntati adſcripſerunt. Nolo diſputare, & rem moralem Scholaſticis ſpeculationibus exponere: ſit itaque

CONCLUSIO UNICA.

ORatio adæquatè accepta pertinet ad utramque potentiam, intellectum ſcilicet, & voluntatem; ità ut vera oratio nec à ſolo intellectu, nec à ſola voluntate; ſed ab utraque potentia procedat, & in utraque ſub-

ſubiectetur. Hoc ad minùs probant SS. Patrum definitiones, ſeu deſcriptiones ſuprà citatæ, qui modò per actum intellectus, modò per actum voluntatis orationem diffiniunt, modò utrumque actum coniungunt.

Probatur verò *Concluſio* : Cum enim, ut ſuperiùs docuimus, oratio ſit actus Religionis, eſſentiale verò ſit Religioni Deum colere; ille verò Deum non colit, qui affectu non colit, ſive cujus affectus in Deum directus non eſt. *Item* : Oratio ſubjectionem ad Deum includit, & ut quis Deo pro aliquo bono impetrando ſupplex fiat: ſubjectio autem eſt voluntatis, & ſupplicare pro bono, deſiderium voluntatis, & affectum ad bonum includit: nihil enim petitur abſque obtinendi deſiderio, nec benè exprimi poteſt deſiderium cordis, ſine aliqua apprehenſione & expreſſione mentis, Ex quo, *dico*, in oratione intellectum, interdum objectivè movere voluntatem, interdum voluntatem intellectui imperare juxta diverſas animæ diſpoſitiones, & motus. Duo verò hic advertere volui:

Primum, Solo deſiderio & affectu voluntatis præciſè orationem perfici non poſſe. Si enim formaliter vel virtualiter quis ſuum deſiderium non exprimat ſupplicare aut petere non cenſetur. Nec obſtat, quod apud Pſalmiſtam Pſalmo 9. legas: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*: non enim exaudivit deſiderium mutum, ſed loquens, ſive actu quodam mentis ſaltem virtuali, aut locutione internâ expreſſum.

Pſalm 9 verſ. 17.

Secundum : Falli eos, qui vel per cogitationes ſpeculativas, vel per verborum compoſitam elegantiam orare ſe credunt, ſi nullus motus voluntatis & cordis adſit, quo anima ad Deum convertatur, aut ei pio & humili affectu adhæreat, ut poſteà oſtendemus clariùs: futilis eſt enim illa interna cogitatio, qua quidam putant ſe mentaliter orare, vel meditari, dum varias cogitationes, quantumvis bonas, animo volvunt: nam, ut benè notavit Richardus de S. Victore lib. 1. de Contempl. cap. 3. diſtinguens meditationem à cogitatione, *Cogitatio ex imaginatione procedit; Meditatio* verò ex ratione. *Cogitatio* (ait) *ſemper vago motu de uno in aliud tranſit, Meditatio verò unum aliquid perſeveranter intendit*. Iterum: *Cogitatio eſt ſine labore & fructu, in meditatione eſt labor cum fructu*. Et capite 4. *Meditatio* (inquit) *eſt providus animi obtutus in veritatis inquiſitione vehementer occupatus: cogitatio verò eſt improvidus animi reſpectus ad evagationem pronus*. Undè & à multis oratio ſicut & virtus Religionis deſcribitur *Actus rationis practica*, id eſt, rationis, quæ ad praxin ſive excitandam, ſive dirigendam ordinatur, ad excludendos actus intellectûs planè ſpeculativos, quibus nec colitur, nec oratur Deus abſque voluntatis aliquo actu vel affectu. Hinc etiam Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo, diſtinguit contemplationem Philoſophorum à contemplatione Sanctorum & Catholicorum: quòd *contemplatio Philoſophorum eſt propter perfectionem contemplantis*, & ideò ſiſtit in intellectu: unde & finis eorum eſt cognitio intellectûs: *contemplatio autem Sanctorum & Catholicorum eſt propter amorem ipſius contemplati Dei*: ideircò non ſiſtit ultimò in intellectu; ſed tranſit ad affectum per amorem. O quot ſunt, qui ſe orare putant, & potiùs Grammatici compoſitores, vel Rhetores compoſiti; imò & Philoſophi ratiocinantes ſunt: quòd putant ſe meditari, qui ſolùm cogitant, & cogitationibus occupantur! Quot putant ſe contemplari, qui intellectui ſuo ſubtilitatibus quibuſdam & chimeris abblandiuntur. Nulla ſanè eſt oratio abſque aliquo voluntatis affectu: nulla meditatio, quæ ad practicos voluntatis actus non ordinetur: nulla contemplatio, quæ raptu quodam amoris non terminetur. Undè iterum notârunt antiqui Theologi: orare non tantùm ſignificare deſiderij ſui expreſſionem in indicativo, quaſi Deo noſtram neceſſitatem indicaremus; aut in optativo, quaſi ſolùm deſideraremus; ſed requirere ſupplicationem in deprecativo: ſupplicatio autem ſicut eſt ab intellectu dictante, ſic eſt à voluntate movente. Sed de his aliàs ex occaſione latiùs.

Richard. de S. Vict. li. de contempl. c. 3. Item c. 4.

Albert. Magn. l. de adhærendo Deo.

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit Oratio.

VAriæ orationis diviſiones paſſim referuntur, quæ omnes explicandæ ſunt, ut tota ratio vera orationis intelligatur. Singulis itaque Concluſionibus ſingulas diviſiones explicabo.

CONCLUSIO I.

ORatio primò dividitur in *Orationem mentalem tantùm*, & in *orationem mentalem & vocalem ſimul*, quam aliqui *mixtam* appellant, etſi diverſo interdum reſpectu *oratio mentalis* dicitur, quæ in animæ internis potentiis perficitur abſque eo, quòd voce vel aliquo ſigno externo manifeſtetur.

Quid oratio mentalis.

Dixi (*abſque eo quòd voce, vel ſigno aliquo externo manifeſtetur*) illam enim orationem non exiſtimo eſſe mentalem tantùm, quæ in ſigna externa ſuſpiriorum, gemituum, rugitûs, clamoris inarticulati erumpit, hæc enim externa ſigna æquè orantis affectus foris produnt, imò ampliùs, quàm articulatæ voces, etſi fortè non ità diſtinctè.

Oratio mentalis & vocalis ſimul dicitur: quæ ſimul interno cordis affectu & externâ voce vel ſigno exprimitur. Tales ſunt orationes vocales, quas homo ex interno animi motu ad Deum fundit: talis erat oratio Publicani: *Deus propitius eſto mihi* Luc. 18. verſ. 13.

Quid oratio mentalis & vocalis ſimul.

pec-

peccatori : talis eſt oratio, quam CHRISTUS facere nos docuit *Matth. 6. Pater noſter*, &c. Porrò non eodem modo ab omnibus vocatur *Mixta* : aliqui enim *Mixtam* vocant, eò quòd ſimul mente & ore, ſive externo ſigno fiat : alij *Mixtam* vocant, quando quis modò mente ſolâ orat, modò in verba & ejaculatorias orationes, & actus externos erumpit. Utraque oratio eſt bona, & ſancta. Et prior quidem *Mixta* dicitur ſecundùm ſe totam, quia totâ mente & voce perficitur. Altera verò vocatur *Mixta* ſecundùm partes integrales ejuſdem orationis, quia una pars ſolâ mente completur, altera etiam ſimul in vocem exit.

Advertendum verò eſt, me hîc à Propoſito non feciſſe mentionem *orationis vocalis tantum*, etſi ab aliquibus aliquando in diviſione orationis numeretur. Ratio mea eſt : quia oratio, quæ fit voce, aut alio exteriori ſigno tantùm, excludendo omnem animæ actum internum, *orationis* nomen non meretur, quia vera *oratio* non eſt ; ſed ficta, aut potiùs externa orationis forma, ſive figura, quemadmodum enim homo pictus, aut homo mortuus verè non dicitur homo, ſic nec *oratio tantùm vocalis* dici poteſt *oratio* : quia eſſentia orationis illi deeſt, nimirum actus interiores animæ ad eſſentiam orationis requiſiti : & ſicut ſuprà negavimus actum Religionis externum tantùm, eſſe actum Religionis ; ſed duntaxat ejus ſimilitudinem : quia Religionis eſſentia illi non convenit, ſic de ſpecie virtutis Religionis, quæ eſt oratio, abſolute concludendum eſt.

Nulla datur oratio vocalis tantum.

Dices : Qui ignoto idiomate orat in Eccleſia Catholica, veram orationem fundere cenſetur : ſic enim horæ Canonicæ etiam Latino idiomate à mulieribus, & ab illiteratis perſolvuntur, & idiotæ orationem Dominicam latinè communiter pronunciant : atqui hæc oratio vocalis tantùm eſt, juxtà illud 1. ad Corinthios 14. *Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat ; mens autem mea ſine fructu eſt*, Ergo.

1. Cor. 14. verſ. 14.

Reſpondeo neg. Minorem : Dupliciter enim oratio vocalis tantùm conſiderari poteſt. *Primò*, excludendo omnem actum internum, tam intellectûs, quàm voluntatis, & talis oratio non eſt vera oratio. *Secundò*, Oratio vocalis tantùm, dicitur reſpectu ſenſûs & intelligentiæ verborum, quibus oratio perficitur, ità ut *vocalis tantùm* dicatur, quia, qui eam pronuntiat, non intelligit verborum ſenſum : verùm hæc non benè dicitur *vocalis tantùm* : ſi nimirum orans, etſi verba non intelligat, finem tamen, ad quem oratio dirigitur, intelligat & intendat ; finis autem ille eſt, Deum iſta oratione colere, Deo ſupplicare pro ſalute ſua, pro ſalute proximorum, pro neceſſitatibus Eccleſiæ. Et hunc finem intellectu & affectu intendere præſumitur idiota, aut mulier, quæ ignoto aut Latino idiomate in Eccleſia orat, aut pſallit, ut, dum verba pronuntiat, verè orare dicatur : intùs enim mens devotione ſanctâ reficitur, intùs mens orat, intùs voluntas Deo ſupplicat, quia & animo & affectu Deum colit, Deum laudat, Deum orat : undè non minùs quàm intelligens, & frequenter affectuoſiùs cum Apoſtolo orat ſpiritu, orat & mente : pſallit ſpiritu, pſallit & mente. Hinc S. Auguſtinus Serm 29. in Pſalmum 118 ait : *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri*, &c. *ſive ergo cum voce canis, quando id opus eſt, ſive cum ſilentio ad Deum, cùm oramus, corde clamandum eſt. Eſt autem clamor cordis magna cogitationis intentio.*

Qualis oratio ignoti idiomatis.

S August. Serm. 29. in Pſ. 118. in init.

Petes : Quæ oratio utilior ſit mentalis ſola, an mentalis & vocalis ſimul? *Reſpondeo primò* : Mentalem ſolam præcipuam eſſe, eamque eminentiorem, quia ſupponit animam in Deum elevatam, Deo magis adhærentem, minùs diſtractam, magis collectam, ſolidioreſque effectus cauſat in anima, & vim impetrandi potentiorem habet cum MARIA apud Domini pedes Lucæ 10. Cum Anna matre Samuëlis, (1. Regum 1.) quæ *loquebatur in corde ſuo, tantumque labia ipſius movebantur, & vox penitùs non audiebatur*. Undè & oratio mentalis per *vocem* & *clamorem cordis* in Scriptura ſignificatur, & quod Matthæi 6. dicitur de ingreſſu cubiculi, & clauſura oſtij in oratione, id Patres explicant de interiori cordis oratione. Eleganter & devotè S. Auguſtinus in Pſalm. 3. *Voce mea ad Dominum clamavi*, id eſt, *non corporis voce, quæ cum ſtrepitu verberati aeris promitur ; ſed voce cordis, quæ hominibus ſilet, Deo autem ſicut clamor ſonat ; qua voce Suſanna exaudita eſt. Et de qua ipſe Dominus præcipit, ut in cubiculis clauſis*, &c. *id eſt, ut in ſecretis cordis ſine ſtrepitu oretur.* Idem libro 2. de Sermone Domini in monte : *Quæ ſunt* (inquit) *iſta cubicula? niſi ipſa corda, quæ in Pſalmo etiam ſignificantur, cùm dicitur : Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Et libro de Magiſtro capite 1. *Non ob aliud nobis præceptum eſt, ut clauſis cubiculis oremus, quo nomine ſignificantur mentis penetralia, niſi quòd Deus, ut nobis, quod cupimus, præſtet, commoneri & doceri noſtra locutione non quærit*, &c. Quæ autem ſit illa oratio, explicat : *Cum* (inquit) *ſola anima nihil carnis, nihilque carnalium cogitationum in oratione attrahens, loquitur Domino ubi ſolus audit. Clamor autem etiam iſte dicitur propter vim ipſius intentionis*, &c. Hæc Auguſtinus.

Oratio mentalis perfectior vocali.

Luc. 10. 1. Reg. 1. verſ. 13.

S. Auguſt. Pſalm. 3.

Dan. 13. Matth. 6.

S. Aug l. 2. de Serm. Domini in monte. Pſalm. 4. verſ. 5.

Idem libr. de Magiſtro cap. 1.

Idem.

Reſpondeo ſecundò : Ob infirmitatem mentis humanæ mentalem ſimul cum vocali ſæpiùs magis accommodam eſſe orantibus. *Primò*, Ad excitandam interiorem cordis devotionem : verba enim prolata excitant, monent & movent orantis cor & mentem, & ut illis ſimul intentionem jungat, homo exci-

Oratio mentalis & vocalis ſimul magis accommoda ſolâ mentali.

excitatur, quæ quidem excitatio maximè contingit, cùm ſunt verba Scripturæ, quibus velut inſidet eorum dictator Spiritus ſanctus.

Secundò, Ad mentis illuminationem: orationes enim vocales inſtruunt de ijs, quæ poſtulare debemus, & memoriam quandam ingerunt eorum, quæ tempore orationis petere tenemur.

Tertiò, Ab evagatione mentis orantem conſervant, dum velut cadentibus verborum ſonis continetur & dirigitur.

Oſee 14. verſ. 3.

Quartò. Utrâque ſubſtantiâ Deum honorat, qui mente & corpore, labijs & ſitu, geſtuque membrorum Deo ſupplex eſt, juxtà illud Oſee 14. *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: omnem auffer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

Pſalm. 15. verſ. 9.

Quintò, Ab interiori oratione & abundantia Spiritûs ſæpiùs animus nimis anguſtus in verba prorumpit: *Lætatum eſt* (inquit Pſalmiſta) *cor meum, & exultavit lingua mea.* Ex plenitudine enim mentis ſequitur commotio organorum totius corporis.

In his tamen ſtudioſè advertendum eſt, ut ſemper habeatur ratio, primò orationis mentis & cordis, & abſtineatur à multiplicitate orationum vocis, quæ & ſaporem perdunt, & quibus tota cordis devotio in verba ebullit, & in fumos evaneſcit. Monet de his graviter S. Auguſtinus epiſt. 121. de orando Deum ad Probam cap. 10. ubi ponens diſtinctionem inter multùm loqui, & multùm orare, ſive precari:

S. Auguſt. epiſt. 121. cap. 10. de orando Deum ad Prob. c. 10 *Diſtinctio inter multùm orare, & multù loqui.*

Aliud (inquit) *eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus.* Infrà: *Abſit ab oratione multa locutio; ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeverat intentio: nam multùm loqui, eſt, in orando rem neceſſariam ſuperfluis verbis agere: multùm autem precari, eſt, ad eum, quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare.* Et ut oſtendat in quo ſita ſit vis orationis: *Nam plerumque* (inquit) *hoc negotium plùs gemitibus, quàm ſermonibus agitur, plùs fletu, quàm affatu.*

Idem.

Hæc S. Auguſtinus, qui ibidem de orationibus jaculatorijs brevibus rationem reddens. *Dicuntur* (inquit) *Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes; ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo jaculatas* (cauſam adfert excitationem intentionis) *Ne illa* (inquit) *vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores moras evaneſcat, atque hebetetur intentio.* Vide ibidem plura. Ex his diſcant, qui vocales orationes ſine fine multiplicant, qualiter debeant ſe in illis gerere. Nos ad alia pergamus.

CONCLUSIO II.

SEcunda diviſio orationis eſt: in *Infuſam*, & *Acquiſitam*.

Quid oratio acquiſita?

Acquiſita dicitur: quæ mediantibus gratiæ Dei, ac virtutum auxilijs, hominis induſtriâ & operatione formatur. Tales ſunt orationes ſive mentales, ſive mixtæ, quæ ab hominibus ordinario modo fiunt, & ordinantur.

Quid oratio infuſa?

Oratio *Infuſa* dicitur: quæ ſingulari Dei dono, & ſpeciali influxu, & Spiritûs ſancti motione in anima perficitur abſque hominis induſtria, & propria operatione. De hac oratione poteſt intelligi illud Zachariæ 12. *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum.* Et illud Apoſtoli ad Romanos 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis.*

Zach. 12. verſ. 20.

Rom 8. v. 26 27.

In hoc porrò diſtinguuntur hæ orationes. Primò. Quòd *acquiſita* ſuppoſitâ Dei gratiâ & auxilijs divinis, viâ humanâ & ordinariâ procedat, utpotè lectione, meditatione, ſeu internâ inquiſitione & intellectûs informatione, in ſe affectum precandi, & formam ſive modum precationis exprimendo, in quibus propter objecti obſcuritatem, & potentiarum imbecillitatem, aut extrinſeca impedimenta, magnus interdum eſt labor & afflictio ſpiritûs: *infuſa* verò perficiatur Spiritûs ſancti illapſu quodam ineffabili, ac ſingulari motione, qua ſuperiori lumine potentiæ illuſtrantur & excitantur; ità ut homo agatur potiùs, quàm agat, & velut alieno motu moveatur ac rapiatur: ex quo fit, ut actus & motus cauſati non ſint à voluntate, niſi conſentiente, guſtante, fruente, & velut paſſivè ſe habente, Spiritu-Sancto quaſi primo motore motus raptus potentias animæ rapiente. Hinc notanter dixi in diffinitione (*qua motione Spiritûs-Sancti perficitur abſque hominis induſtria & propria operatione*) neque enim hæc oratio lectione aut meditatione, vel actibus ordinarijs perficitur: ſed (ut dixi) Spiritu Dei ſingulariter agente: & ſi quam operationem potentiæ habeant, illa non cenſetur propria, quia Spiritûs Sancti motione ſingulari excitatur. Et hoc eſt quod Apoſtolus dicit: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*, ſupplendo utique influxu ſuperiori laborem noſtrum, & ſuo illapſu tollendo obſcuritatem ac ignorantiam noſtram, ac ſuâ motione ſuperando infirmitates noſtras. Denique: *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, cauſat in nobis gemitus inenarrabiles, ſeu ſuperantes cognitionem & virtutem noſtram.

Rom 8. verſ. 26.

Idem.

Sed de his videantur Doctores Contemplativi, inter quos excellit Seraphicus Doctor noſter ſanctus Bonaventura in operibus ſuis de ſeptem itineribus Æternitatis, de Myſtica Theologia, & alijs nonnullis: in quibus etiam clarè demonſtrat, influxus illos ordinario modo operationum humanarum non fieri (ſecundùm quem *nihil eſt in intellectu, quin in ſe*, vel ſuo ſimili *præfuerit in ſenſu*, & in quo intellectus primùm illuminatur, antequam voluntas moveatur) ſed more cæleſtium illuminationum in Angelis. Sicut enim

in

in cœleſtibus primò illuminantur lumine inflammante Seraphim, deindè Cherubim : ſic in iſtis Spiritus Sancti motionibus, radio quodam flammeo ſive flammâ radiante primò voluntas inflammatur, quæ Seraphim amore ardentem repræſentat ; & inde flamma illa ſcintillat in intellectu, illumque pleniùs illuſtrat, qui intellectus, Cherubim ſcientia plenum deſignat. Conſule myſticos Theologos

CONCLUSIO III.

Quid oratio explicita.

TErtia diviſio orationis eſt : in *explicatam* & *implicitam*. *Explicita oratio* dicitur: Quæ conceptu explicito ſivè etiam explicatâ voce formatur. Qualis eſt oratio dominica.

Quid implicita.

Implicita oratio dicitur : Quæ, etſi conceptum explicitum vel vocem non habeat, virtuali tamen motu, affectu, vel ſigno intenditur. Talis implicitæ orationes continentur ordinariè in vehementibus deſiderijs, in actibus amoris Dei ſuper omnia, in contritione, in afflictionibus, anguſtijs, &c. in quibus etſi anima conceptus orantis non efformet, implicitè tamen orantis affectus ad Deum dirigitur & ſupplicat, ſiuè pro impetratione boni, ſivè prò averſione mali, talis fuit ſupplica ſororum Mariæ & Marthæ ad JESUM pro Lazaro languente *Ecce* (inquiunt) *quem amas, infirmatur*. Ubi S. Auguſtinus Tract. 49. in Joannem: *non dixerunt* (ait) *veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit*. Infrà : *ſufficit ut noveris, non enim amas & deſeris*. Ità in implicitis orationibus agitur, vehemens enim deſiderium & affectus interior, lachrymæ quoque & ſingultus, ſunt orationes virtuales. Sic & laus Dei, gratiarum actio, glorificatio, narratio mirabilium, jubilus interior, orationes reputantur: quia laus, gratiarum actio, &c. virtualem orationem & ſupplicationem continent, ut juxta laudem & gratiarum actionem Deus miſereri non deſinat.

Ioan. 11. verſ. 3. S. Auguſt. Tract. 49. in Ioan. poſt initium.

Nota,

Et hic inſtruendi veniunt : qui niſi dicant, concipiant vel ſuos conceptus orando exprimant, ſe orare non exiſtimant. Sancta ſemper oratio eſt ubi animus intenditur, etiamſi ſub onere ità prematur, ut vix ad Deum aſſurgere poſſe videatur, quamdiu non opprimitur. Præclaram gradationem implicitæ orationis deducere poſſumus ex Pſalmiſta. *Prima* eſt: *Deſiderii* Pſalm. 9. *Deſiderium* (ait) *pauperum exaudivit Dominus* : Ille utique deſiderabat; ſed prece deſiderium exprimere non poterat, ſolâ autem deſiderij intùs loquentis vehementiâ precabatur. *Secunda* eſt: *cordis parati & volentis*, & in iſta præparatione violenter obmuteſcentis, ibid. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. *Tertia* eſt : *ſub onere gementis*, Pſalm. 101. *A voce* (inquit) *gemitus mei adhæſit os meum carni meæ*. *Quarta* eſt : *animi afflictione & anguſtijs coarctati*, Pſalm. 37. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*. *Quinta* eſt : *In lacrymas reſoluti*, Pſalm. 55. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*. *Sexta* eſt : *Diuturnæ impatientiæ expectationis & tædij*. Pſalm. 12. *Vſquequo Domine obliviſceris me in finem? uſquequò avertis faciem tuam à me?* &c. *Septima* eſt : *effuſionis* totius cordis Pſalm. 141. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio*. *Octava* eſt: poſt longã patientiã *conſolationis*, Pſ. 39. *Expectans expectavi Dominum & intendit mihi*. Et alia paſſim nota in pſalmis & univerſa ſcriptura: quæ latiùs refero, quia ad rem hanc pertinent pro conſolatione afflictorum, ſcrupuloſorum, turbatorum, qui ubi deprehendunt ſe conceptus placidos ad Deum non habere, aſſerunt ſe non poſſe orare, & ab oratione deſiſtunt, vel ad externos quoſdam modos ſolatij humanæ inventionis ſe effundunt, aut ab ineruditis conſolatoribus ad varia diſtrahuntur, qui non attendunt hos motus orationes eſſe & animabus utiliores & magis ſalutares, quàm placida illa induſtriæ humanæ colloquia. His enim (quamvis durioribus paſſionibus aut moribus) animæ inſtituuntur, purgantur, illuminantur, & antiperiſtaſi contrariorum contractæ, vehementiùs in Deum inardeſcunt & efferuntur, & ſalubriùs quidem quam illæ, quæ in placida aura quaſi cum Domino fabulantes, voluptare quâdam proprij amoris, vanitatis ac delectationis ſub ſpecie orationis, frequenter dilabuntur & pereunt.

Diverſi modi orationum ex pſalmiſta. Pſalm. 9. verſ. 17.

Ibid.

Pſalm. 101 verſ. 6.

Pſalm. 37. verſ. 9.

Pſalm. 55. verſ. 9.

Pſalm 12. verſ. 1.

Pſalm. 141 verſ. 3.

Pſalm. 39. verſ. 1.

CONCLUSIO IV.

QUarta diviſio orationis eſt: in *publicam* & *privatam*.

Quid oratio publica

Oratio *publica* eſt: Quæ auctoritate publicâ & publico Eccleſiæ nomine offertur : ut ſunt horæ canonicæ, officia divina ab Eccleſia inſtituta, utpotè, officium parvum beatæ Virginis Mariæ, ſeptem pſalmi pœnitentiales, pſalmi graduales, &c.

Dico (*quæ auctoritate publica & publico Eccleſiæ nomine offertur*) non enim ſufficit ad publicam orationem quòd publicâ auctoritate ſit inſtituta & approbata ; multæ enim preces & orationes publicâ auctoritate ſunt approbatæ, quæ tamen privatæ ſunt ; ſed inſuper requiritur, ut etiam publico Eccleſiæ nomine offeratur. Ex quo fit, ut privato meo nomine poſſim etiam preces auctoritate Eccleſiæ approbatas Deo offerre, quæ pro privata oratione reputabuntur. Duo ergò ad publicam orationem requiruntur. *Prius* : ut publicâ auctoritate orationes ſint inſtitutæ : *poſterius*: ut nomine Eccleſiæ offerantur. Ex quo iterùm *nota* : illam non dici nec reputari orationem publicam, quæ in publico loco vel cætu fit, quilibet enim in illis orans privatim orat, ſed requiri, ut velut communi Eccleſiæ intentione, & unanimi conventione fiat.

Duo ad publicam orationem requiſita.

Quid oratio privata.

Privata oratio dicitur: quæ privatâ voluntate & nomine offertur ; ut ſunt orationes, quas ſibi quilibet propriâ voluntate aſſumit, ſivè pu-

blica auctoritate ſint approbatæ, ſivè proprio inſtinctu aſſumptæ vel compoſitæ.

QUÆSTIO IV.

An ſit aliquod præceptum datum de orando Deum?

PRiuſquàm hæc Quæſtio reſolvatur. *Primò*, repetenda ſunt quæ de legum ſivè præceptorum diverſitate diximus Tract. 1. ferè per totum: aliud namque eſt præceptum naturale divinum: aliud divinum poſitivum. Rurſùs: aliud eſt poſitivum, quod vocant primò divinum, illud nimirùm quod à Deo immediatè datum eſt: aliud, ſecundò divinum, ſive humanò divinum quod à Deo mediante Eccleſiâ datur.

Secundò, Quantùm ad hanc materiam ſpectat, præceptum dupliciter attendi debet: aut enim eſt *directum* aut *indirectum*. *Directum* dicitur: quod per ſe & directè cadit in materiam præceptam vel prohibitam; ut præceptum audiendi Miſſam, præceptum non laborandi in dominica: *Indirectum* vocatur: quod tantùm indirectè aliquid prohibet vel præcipit, utpotè, ratione materiæ aut alicujus adjuncti vel concomitantis principale præceptum: quomodò, qui præcipit ſacrificium Miſſæ offerre, præcipit & orare: quia orationes ſacrificio ſunt conjunctæ & permixtæ. *Item*: qui præcipit Euchariſtiam ſumere, cenſetur & confeſſionem ei, qui in mortali peccato eſt, illo tempore faciendam demandare, ſi dignè communicare velit.

Quid præceptum directum & indirectū.

Tertiò, Advertere oportet: aliquandò dari præceptum *formale* & *explicitum* in aliqua materia: aliquando dari tantùm *virtuale* & *implicitum*. De quibus terminis alias. Sit itaque ad quæſtionem

CONCLUSIO I.

ORatio non tantùm eſt homini utilis & conveniens, ſed etiam generaliter adultis neceſſaria ad ſalutem. Hanc conclusionem indicant paſſim ſcripturæ ad Rom. 10. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit:* Ubi, quamvis per ſe non inferatur ejus contraria propoſitio: *Qui non invocaverit nomen Domini, ſalvus non erit*, indicat tamen idipſum Apoſtolus cùm neceſſitatem hujus invocationis componat neceſſitati fidei, dum ait: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt*, &c. Ex quibus colligitur hoc argumentum: invocatio nominis Domini neceſſaria eſt ad ſalutem; ſed ſine fide Deus invocari non poteſt, ergò & fides neceſſaria eſt ad ſalutem. Ubi ex neceſſario effectu, infertur neceſſitas cauſæ ſivè principij, à quo effectus procedit; hoc quidem claro argumento: ubi finis & effectus eſt neceſſarius, ibi media ad finem & effectum ordinata, ſunt neceſſaria; ſed ſi quis ſalvus fieri velit, neceſſum eſt ut invocet nomen Domini; ergò & fides neceſſaria eſt, ex qua invocatio illa procedit: minorem tanquàm certam ſupponit Apoſtolus, alias argumentum de fidei neceſſitate, quam probare à poſteriori intendit, non concluderet.

Oratio eſt adultis neceſſaria ad ſalutem.
Rom. 10. verſ. 13 14
Ibidem.

Probatur verò concluſio ampliùs: abſque Dei gratia, tentationum victoria, dono perſeverantiæ nemo ſalvari poteſt; ſed abſque oratione illa à Deo impetrari non poſſunt; ergò abſque oratione nemo ſalvari poteſt. Minorem probant ſcripturæ, quæ paſſim ad orationem, ut ad ſingulare medium in omni indigentia, hominem exhortantur. Et Chriſtus gratiæ, donorum & omnis boni obtentionem orationi repromiſit. *Petite* (inquit) *& dabitur vobis, quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Et in ſingulari de tentationibus agens mandat Chriſtus Matthæi 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, & Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*. Ubi & de extrema unctione infirmorum agens, ait: *oratio fidei ſalvabit infirmum*, &c. Orationem verò eſſe ſingulare medium ad impetrandum, probant acta, doctrina, & exempla Chriſti in Evangelio: qui volens aliquid impetrare, ſemper oravit: Et non modo orandum, ſed etiam qualiter pro omni bono obtinendo, & neceſſitate ſublevanda orandum eſſet in oratione dominica edocuit, ac ſe ſpecialiter in exemplum propoſuit cùm Joan. 11. in reſuſcitatione Lazari dicebat: *Pater gratias ego tibi quoniam audiſti me: Ego autem ſciebam quia ſemper me audis. Sed propter populum qui circumſtat dixi: ut credant quia tu me miſiſti.*

Matth. 7. verſ. 4. 8.
Matth 26 verſ 41.
Jac. 5. v. 16
Verſ. 15.
Joan. 11. verſ. 41.

Dices: Varijs alijs medijs Deus gratiam confert; ergò oratio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Antecedens patet in Sacramentis contritione, eleëmoſyna & alijs, quibus Deus gratiam & remiſſionem peccatorum repromiſit.

In omnibus ferè operibus ſalutaribus continetur oratio implicita.

Reſpondeo neg. conſeq. Neque enim dico orationem unicum eſſe medium; ſed eſſe medium ſingulare neceſſarium ad ſalutem. Undè ad antecedens. *Reſpondeo:* Multis quidem alijs medijs Deum gratiam repromiſiſſe: ſed vix illa adhiberi abſque implicita vel explicita oratione propria vel aliena: nam illa ordinariè obtinentur oratione: & in nonnullis implicita oratio continetur. *Ex. g.* In Sacramentorum perceptione ut plurimùm continetur oratio, & ipſa contritio orationem includit. Item eleëmoſyna, ut peccata remittat, orationem virtualiter expoſtulat: undè eſt illud: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*, id eſt, faciet ut oretur. Et illud *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quomodò enim recipient, niſi orationibus adjuvando & inſtando? longiſſimam ſuper his digreſſionem facit S. Auguſt. libro 2. de peccatorum meritis cap. 5, exponens illud contra pela-

Eccli. 29 verſ. 15.
Luc. 16. v. 9.

Pelagianos: da quod jubes & jube quod vis: *Cùm ergò* (inquit) *nobis jubet dicens: convertimini ad me, & ego convertar ad vos: noſque illi dicimus converte nos Deus ſanitatum noſtrarum, &c. Deus virtutum converte nos: quid aliud dicimus, quàm: da quod jubes? cùm jubet dicendo: intelligete ergo, qui inſipientes eſtis in populo: Et nos illi dicimus: Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua: quid aliud dicimus quàm, da quod jubes? cùm jubet dicendo: Poſt concupiſcentias tuas non eas, noſque dicimus: ſcimus quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: quid aliud dicimus quàm, da quod jubes? cùm jubet dicendo: facite juſtitiam, noſque dicimus: Doce me juſtificationes tuas; quid aliud dicimus quàm: da quod jubes, &c.?* In quibus omnibus oſtendit S. Auguſtinus in omnibus nos indigere gratiâ Dei, & in omnibus orationem requiri quâ gratia impetretur & obtineatur.

S. Aug. l. 2. de pecc. merit. cap. 5. contra pelag.

Et hoc modo intelligendum credo illud CHRISTI Luc. 18. *oportet ſemper orare & non deficere*. Et illud Apoſtoli 1. ad Theſſalon 5. *ſine intermiſſione orate*: Non quòd omni momento ex præcepto teneamur orationem fundere; ſed quia omni momento imminet aliqua neceſſitas pro qua orandum eſt ità ut nullum ſit momentum vitæ, quod oratione non indigeat, ſivè illo momento oretur actualiter, ſivè priùs oretur ut in iſto momento Deus nos ſervet, ſivè poſt ut gratiæ Deo agantur pro conſervatione à malo, vel pro miſericordia contra infirmitates & peccata ſupplicetur. Et in hunc ſenſum omnes patrum expoſitiones redeunt. Undè eſt illud ſancti Auguſtini de Pelagianis Epiſt. 92. ad Innocentium Papam, qui quia gratiam tollebant: (*Nobis* inquit) *etiam dominicam orationem impijs diſputationibus auferre conantur.*

Luc. 18, verſ. 1. 1. Theſſ. 5. verſ. 17.

S. Auguſt. Epiſt. 92. in initio.

CONCLUSIO II.

Datur præceptum divinum naturale adultis orandi Deum pro ſalute & ſalutaribus donis obtinendis, ſub peccato mortali hominem obligans. Colligitur hæc concluſio ex ſuperiori. Cùm enim oratio ſit medium neceſſarium ad ſalutem obtinendam, indè benè infertur præceptum divinum naturale orationem præcipere: præcepto enim divino naturali tenetur adultus procurare ſuam ſalutem medijs congruis & neceſſarijs; atqui oratio eſt medium ad ſalutem neceſſarium; ergò per illam tenetur adultus procurare ſalutem. Et hanc concluſionem docet univerſalis omnium gentium quantumvis barbararum & Infidelium conſenſus: nulla enim fuit natio tam barbara aut infidelis, quæ Deum aliquem ſivè verum, ſivè falſum invocandum non crediderit: quòd & ex Scriptura & ex Hiſtorijs ità clarum eſt, ut ſuperfluum ſit Hiſtorias & loca hic annotare. Quinimò, etſi aliqui Hæretici viſi ſint neceſſitatem orationis indirectè negare ob fatalitatem & neceſſitatem rerum eventibus impiè affictam: nunquàm tamen orationem expreſsè negarunt.

Datur præceptum divinum naturale de orando.

Dixi (*Præceptum divinum naturale*) Hoc enim ita naturæ principijs fidei lumine illuſtratis inſitum eſt, ut ſpiritu ſancto ſuperfluum viſum fuerit illud formali & explicito præcepto in ſacris litteris repetere aut declarare. quemadmodùm enim ſuprà ſingulare præceptum de diligendo ſeipſum datum non fuiſſe docuimus, quia illud nimis naturæ eſt impreſſum; ita non fuit neceſsè homini formale præceptum de orando Deum poſitivâ lege replicare: quia continuæ indigentiæ & neceſſitates ad illud nos ſatis urgent, cujus nec oblitus erat dives epulo in medijs tormentis. Nota.

Dixi (*ſub peccato mortali*) unde inter peccata impiorum Pſalmiſta Pſalm. 13. enumerat, quòd: *Dominum non invocaverunt.* Et Eccleſiaſtici 16. de gigantibus dicitur: *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſua virtuti.*

Pſalm. 13. verſ. 9. Eccli. 16. verſ. 8.

Dixi (*Adultis*) cùm enim oratio ſit actus humanus & hominis jam ratione utentis, non niſi adulto competere poteſt. Reſtant porrò nonnulla explicanda, quæ dubijs particularibus meliùs explicabuntur.

Dubium I.

An modus aliquis precandi ſub præceptum divinum naturale cadat?

Modus orandi attendi poteſt vel in forma orationis, vel in tempore, loco, ſitu, &c.

Reſpondeo primò nullus modus orationis ſub præceptum divinum naturale cadit; ſed ſola orationis ſubſtantia ſivè eſſentia. Ratio clara eſt ex authoritate negativa tum Scripturæ, tum cujuſvis traditiònis aut hiſtoriæ. Et in primis forma orandi à CHRISTO præſcripta (præterquam quòd ſit juris poſitivi) nullo tamen præcepto eſt inducta. *De modo orationis.*

Reſpondeo ſecundò, Quoad tempus orandi, etſi præcipua tempora, matutinum, meridianum, veſpertinum, imò mediæ noctis, ſint ut opportuniſſima ab antiquis uſurpata: nullum tamen præceptum naturale ex uſurpatione & uſu illo deduci poteſt. *De tempore orationis.*

Reſpondeo tertiò, De loco orationis nihil determinatum legimus, quinimò S. Paulus 1. ad Timoth. 2. *Volo ergò* (inquit) *viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione*, quæ omnia ſunt juris naturalis. *De loco.*

1. ad Timoth. 2. verſ. 8.

Reſpondeo quartò, de ſitu in oratione obſervando nullum etiam extat præceptum ſingulare. Conſtat etiam cuiq; illum ſitum liberum eſſe jure naturæ qui magis ſibi placet: Undè aliqui ſtantes orabant, ut de publicano Luc. 18. legitur: alij ſedentes, ut de Apoſtolis orantibus & expectantibus Spiritum Sanctum Actor 2. Et de contemplativo dicitur Thren 3. *Sedebit ſolitarius & tacebit quia levavit ſuper ſe*: Alij genuflexi 3. Reg. 8 1. Eſdræ 9. Dan. 6. Alij, ſuper terram proſtrati. 1. Eſdræ 8. Judith. 9. *De ſitu.*

Luc. 18. Act. 2. Thren 3. verſ. 28.

Thren. 3. Verſ. 29. Thren. 3. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* Alij velut in globum contracti 3. Reg. 18. de Elia qui pronus in terra poſuit faciem inter genua ſua. Alij in gyrum ſe vertebant, ut hiſtorici de nonnullis Ethnicis ferunt. Unicuique itaque ſuus ſitus placere poteſt, modò ſubſtantia ſivè eſſentia orationis ſervetur, id eſt, mòdò quis Deum ut omnis boni auctorem agnoſcens, ipſi fiat ex corde ſupplex.

Dubium. 2.

Quando obliget præceptum divinum naturale de orando Deo?

R*Eſpondeo primò*, Ex natura præcepti divini naturalis nullum tempus determinatum eſſe, quo quis omittens orare, cenſeatur peccare mortaliter: etſi enim, ut præceptum affirmativum, ad ſemper & non pro ſemper; ſed pro aliquo tempore obliget; illud tamen tempus ex natura præcepti determinatum non eſt.

Reſpondeo ſecundò, ex natura circumſtantiarum indigentiæ, neceſſitatis vel indirectâ aliqua obligatione tempus illius obligationis prudenti æſtimatione æſtimandum eſſe *Ex. g.* in gravi mortis vel damnationis periculo, tentatione valida, & quandò præceptum aliquod urget quod orationem annexam indirectè habet, ut quandò quis debet conteri, de peccato pœnitere; tenetur enim tunc miſericordiam Dei poſtulare & Deo ſupplex eſſe.

QUÆSTIO V.

An præter præceptum divinum naturale detur aliud præceptum de orando Deo?

CONCLUSIO I.

N*Ullum datur univerſale præceptum de orando Deo præter divinum naturale.* Hæc Concluſio non niſi auctoritate negativâ probari poteſt: omnia enim, quæ de oratione fundenda in univerſa ſcriptura traduntur, aut promiſſiones ſunt, quibus Deus orantibus exauditionem & beneficia repromittit, aut exhortationes & conſilia, quibus ſcriptura ad orationem hortatur, aut neceſſitates indicant quæ ex jure naturæ orationem fieri poſtulant.

Dixi (*univerſale*) de alijs enim præceptis ſtatim agendum eſt.

CONCLUSIO II.

Speciale præceptum de orando, &c.

D*Atur præceptum divinum poſitivum certis perſonis Deum orandi:* Hæc concluſio demonſtrati poteſt in Sacerdotibus tam legis naturæ, quam legis Moſaicæ & legis gratiæ qui cùm fuerint aſſumpti in Domini ſortem, ut medij inter Deum & populum, ad offerenda ſacrificia & orationes fundendas, certum eſt etiam aliquo præcepto divino poſitivo obligatos fuiſſe ad orandum pro populis & Eccleſia ſancta Dei. Hæc omnia ex ſcriptura manifeſta ſunt in toto Levitico: ubi dicuntur Sacerdotes aſſumpti ut miniſtrent & accedant ad Deum, orentque pro ſe, pro domo ſua, pro Filijs Iſraël & pro cunctis peccatis eorum. Undè eſt illud Ioël. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo*, &c. Et Ezech. 13. Sacerdotes ſub nomine Prophetarum reprehenduntur: *Non aſcendiſtis* (inquit) *ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*: Quæ de oratione ſunt intelligenda: generaliter ad Hebr. 5 de omni ſacerdote ſub nomine pontificis dicitur: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: Et in Apoc. cap. 5, Seniores 24. quos Sacerdotes novæ legis interpretatur S. Auguſtinus *lib. 20. de civit. c. 9.* ſinguli habebant citharas & phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, quorum obligatio canendi Deo laudes per citharas, orandi verò per phialas, ſignificatur. Qualiter autem & quomodò Sacerdotes & alij beneficiati obligentur, dicemus poſteà cum de divinis officijs publicis & Horis Canonicis agemus.

Ioël. 2. verſ. 17.

Ezech. 13. verſ. 5.

Heb. 5. v. 1.

CONCLUSIO III.

Præcepta poſitiva varia de orando, &c.

V*Arijs alijs præceptis indirectis, humanò-divinis & humanis, homo interdum obligatur ſub peccato ad orandum.* Poſſunt autem hæc ad tres titulos reduci. Nimirum *ſtatus, pacti*, & *impoſitionis: titulo ſtatus:* ut religionis, quandò religioni annexa eſt obligatio orandi ſivè ex regula ſivè ex præcepto. Ad quem titulum revocatur obligatio, quæ ex ſimplici voto aliquas orationes perſolvendi oritur, ex ſimilitudine orationis: qui enim voto ſe obſtrinxit ad orandum, indirecto præcepto obligatur orare, quia indirecto præcepto tenetur ſua vota Domino reddere. Huc etiam refertur obligatio Sacerdotum, prout certum eis officium divinum ab Eccleſia eſt determinatum.

Titulo pacti obligantur orare: qui ex pacto implicito vel explicito paciſcuntur: ut qui ex fundationibus vel inſtitutionibus aut teſtamentis ad hoc obligantur.

Titulo impoſitionis, orare debent: quibus vel in pœnitentiam vel in obedientiam preces & orationes legitimâ auctoritate ſunt injunctæ.

Appendix.

Variæ quæſtiones breviter remittuntur.

H*Ic nonnullas quæſtiones aliqui multiplicant: utpotè, quis orandus? pro quibus orandum? Et quid in oratione petendum? verùm longior harum quæſtionum deductio ad rem noſtram non pertinet. Sufficit enim quòd in expoſitione diffinitionis orationis dixerimus Deum ſolum abſolutè & terminativè orandum; Sanctos autem tranſitivè ut adjutores

& ad-

& advocatos qui Deum pro nobis orent. Sufficit quòd ibidem docuerimus pro bono Dei & noſtra ſalute ſupplicandum eſſe. Alterum verò, pro quibus orandum ſit, facilè intelligitur, nimirùm pro ijs omnibus, pro quibus aliquod bonum ſalutare impetrari poteſt: ut pro viatoribus & ijs, qui etſi extra viam mortalem ſint; necdùm tamen ſunt in termino, ut ſunt animæ, quæ in purgatorio expiantur. Verùm hæc latiùs examinare, noſtri inſtituti non eſt.

TITVLVS III.

De Horis Canonicis & alijs officiis orationum ab Eccleſia inſtitutis.

PRÆAMBULUM.

De officiis divini ratione & diverſitate.

ANtequàm ad particularia deſcendam, nonnulla hic prænotanda ad perfectiorem doctrinæ de Horis Canonicis & alijs divinis officijs, magiſque diſtinctam cognitionem, *Primò igitur:* officium divinum nihil eſt aliud, quàm: *Ritus aliquis religioſus externus, publicâ auctoritate Eccleſiæ inſtitutus, & certis perſonis impoſitus ad Deum Eccleſiæ nomine colendum & deprecandum.* *Definitio divini officii.*

Dixi (*Ritus religioſus*) ad virtutem enim religionis ſpectat.

Dixi (*externus*) cùm enim officium divinum ordinetur ad utilitatem viſibilis Eccleſiæ, neceſſe eſt ut externo ritu perficiatur.

Dixi (*publicâ authoritate inſtitutus*) ad excludendos ritus & orationes privatas, quas quilibet pro ſua devotione aſſumit.

Dixi (*certis perſonis impoſitus*) utpotè clericis, Sacerdotibus, Epiſcopis, & hujuſmodi Eccleſiæ miniſtris Dei cultum ſpeciali Eccleſiæ inſtituto deputatis: eò enim ipsò quò Eccleſia publicos ritus inſtituit, eis miniſtros præficit, ut ritè peragantur: ut in antiquo teſtamento de Sacerdotibus, Levitis, cantoribus, lectoribus, &c. manifeſtum eſt.

Dixi (*ad Deum colendum & deprecandum*) omne enim officium divinum duobus his actibus innititur, cultui ſcilicet & deprecationi Dei ſub quibus laus, gratiarum actio, obſecratio, benedictio & alij actus ſimiles comprehenduntur. Et ex his *officium* illud nuncupatur *divinum.*

Hanc officij divini nuncupationem uſurpant SS. Patres, *Fabianus I. epiſtola 1. ad omnes Epiſcopos:* Ubi docet: ſeptem diaconos in urbe Roma per ſeptem regiones civitatis diſtributos per ſingulas hebdomadas atq; feſtivitatum ſolemnia cum ſubdiaconibus & acolythis ac ſequacium ordinum miniſtris, omni horâ paratos fuiſſe ad divinum officium peragendum. Et addit: *Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per ſingulas civitates eſt faciendum, ut divinum, abſque ulla mora & negligentia, ſtudiosè ac ſolemniter agatur officium.* *Fabian Papa Epiſt. 1. ad omnes Epiſcop.*

Dixi (*Eccleſiæ nomine*) hoc enim ſpecialiter obtinent ritus officiorum divinorum, pro ut ab Eccleſia inſtituta ſunt, ut in eis fides Eccleſiæ ſingulariter operetur, & nomine Eccleſiæ Deo præſententur, nec ab actione ſola operantis æſtimari in meritu & virtute debeant.

Prænotandùm ſecundò, divinum officium prout in Eccleſia inſtitutum eſt, diverſis ſecari membris: ſunt autem quatuor præcipua, nimirùm: *Horæ Canonicæ* cum nonnullis adjunctis: *ritus ſacro-ſancti ſacrificij & Sacramentorum: proceſſiones, Litaniæ & ſtationes*, &c. *benedictiones variæ* ſub quibus exorciſmi & alia id genus continentur. De quibus omnibus ſpeciatim, ac primò tanquam de univerſaliori & magis communi, de Horis Canonicis, prout titulus hic præſe ferebat, agemus. Sit itaque, *Diviſio divini officii.*

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur, & quot ſint Horæ Canonicæ?

CONCLUSIO I.

HOræ Canonicæ dicuntur: *Officia quædam divina quæ Pſalmis, Hymnis, canticis, Sacræ ſcripturæ verbis ac ſanctorum doctrinâ publico ritu constructa, per ſingulorum dierum certas horas regulariter diſtribuuntur.* *Diffinitio Horæ Canonicæ.*

Undè illa officia dicuntur *Horæ*, quia diſtributis horis ex Eccleſiæ præcepto dicuntur. Vocantur autem *Canonicæ*, quia regulatæ ſivè regulariter ab Eccleſia compoſitæ & impoſitæ ſunt juxta Canones Eccleſiaſticos, ut diſtinguantur ab alijs precibus ac obſervationibus quæ à pijs certis horis uſurpantur.

Dixi (*quæ Pſalmis, Hymnis* &c.) Hæ enim Horarum Canonicarum ordinariè partes integrales ſunt, & vix invenire eſt Horas, quæ his non conſtituantur.

Porrò Horis Canonicis adnectuntur: *officium ſivè vigiliæ defunctorum, ſeptem Pſalmi pœnitentiales, Officium B. Mariæ, Pſalmi graduales*, & alii ritus in Breviario adjuncti, quia, prout in Breviario ponuntur, certæ horæ eis præſcriptæ ſunt, ut juxta uſum Romanæ Eccleſiæ temporibus ſuis perſolvantur.

CONCLUSIO II.

SEptem Horis Canonicis officium divinum nocturnum pariter & diurnum diſtribuitur: nimirum: *matutino* adjunctis *laudibus, primâ, tertiâ, ſextâ, nonâ, veſperis, completorio.* Hæc concluſio patet ex communi Eccleſiæ ab antiquo Traditione, & continua in hunc diem uſurpatione, cujus Traditionis meminit. Clemens Rom. lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 34. *precationes* (inquit) *facitè manè, tertia hora, ac ſextâ, & nonâ, & veſperè, atque ad gallicantum.* Ubi per *manè* intelligit *primam.* Per *gallicaneum* (qui ſtatim poſt mediam noctem fieri conſuevit) *matutinum* ſignificat. Et ibidem refert myſteria harum horarum. *Manè* (inquit) *gratias agentes, quod illuminarit nos nocte ſublatâ, & reddito die: tertiâ, quod* *Septem Horæ Canonicæ.* *Clemens Rom. lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 34.* *Myſteria Horarum Canon.*

eâ horâ Pilatus judicium adverſus Dominum pronunciavit: Sextâ, quod eâ horâ in Crucem actus eſt: Nonâ, quod tum omnia mota & tremefacta ſunt, Domino crucifixo: quià horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent: Veſpere, quod noctem dederint ad requieſcendum à diurnis laboribus. Ad gallicantum, quod ea hora nuntiet adventum diei ad facienda opera lucis, &c. Hæc ibi: lege & præclariſſima apud S. Cyprianum *in expoſitione orationis Dominicæ* ad finem. Baſilium magnum *in regulis* fuſius *diſput. interrog*. 37. Conſule & Caſſianum *lib*. 3. *de inſtitutis cænobiorum cap*. 1. *uſque ad* 4. incluſivè. Denique vide concilium Cabilonenſe, 2. *cap*. 59.

Horarum antiquitas ex ſcriptura. Antiquitatem porrò in determinatione harum ſeptem horarum ſequuta eſt, S. Mater Eccleſia: nam & Pſalmiſta David ſanctæ hujus conſuetudinis meminit Pſalm. 118. dum ait:
Pſalm. 118 verſ. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*; & *matutinum* qui-
verſ. 62. dem deſignat, dum ait: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ*.
Pſalm. 6. verſ. 7. Item Pſalm. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo*. Item
Pſalm. 118 verſ. 55. *Memor fui nocte nominis tui Domine* &c. Demùm
Pſalm. 62. verſ. 7. Pſalm. 62. *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te*. *Prima* meminit eo-
Pſalm 118 verſ. 148. dem Pſalmo 118. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*: Item Pſalm. 5. *Mane aſtabo tibi & videbo*,
Pſalm. 5. verſ. 5. Item temporibus tribus omnem horarum di-
Pſalm. 54. verſ. 18. ſtributionem complectitur Pſalm 54. *Veſperè & manè & meridie narrabo, & annuntiabo*. De Completorio Pſalm: 131. *Si aſcen-*
Pſalm 131. verſ. 3. 4. *dero in lectum ſtrati mei: Si dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam locum Domino*. In Eſdra etiam libro 2. cap. 9. legitur quòd populus quater in die & quater in nocte confiteretur & adoraret Dominum: Indicans *pro nocte* Veſperas, Completorium, Matutinum & Laudes: *Pro die* Primam, Tertiam, Sextam & Nonam.
Act. 3. v. 1. SS. Petrus & Joannes etiam Actor. 3. *Aſcendebant in templum, ad horam orationis nonam*. Et
Act. 10. verſ. 9. Actor 10. S. Petrus *aſcendit in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam*. De his omnibus vide Auctores, neque enim prolixior horum declaratio noſtri inſtituti eſt.

QUÆSTIO II.

An ſit aliquod præceptum obligans ad Horas Canonicas perſolvendas, & quale illud ſit?

PRo reſolutione repetenda ſunt quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt. *Primò*, de oratione & obligatione ſivè præcepto orandi. *Secundò*, de præcepti illius determinatione. *Tertiò*, de variis modis quibus homo obligatur, nimirùm, ex vi ſtatus, ex vi pacti & virtualis contractus, ex vi impoſitionis: juxta hos enim modos obligationis varia oriuntur præcepta.

CONCLUSIO I.

NUllum datur præceptum divinum ſpeciale & directum recitandi Horas Canonicas, præter univerſale illud naturale divinum orandi. Conſtat ex dictis ſuprà toto titulo de oratione. Præceptũ nullum divinum.

CONCLUSIO II.

DAtur præceptum Eccleſiaſticum certas perſonas obligans ad legendas Horas Canonicas, prout ab Eccleſia inſtituta & ordinata ſunt. Ità habetur libro 3. Decret. Tit. 41. De celebratione Miſſarum & divinis officiis ex Concil. Agatheoſi cap. 1. cujus præcepti explicatio ponitur *cap*. 9. *Dolentes* ibid. ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi relatis variis abuſibus tam Clericorum minorum, quàm Eccleſiarum Prælatorum, tandem ſubjungit Sacrum Concilium: *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè*. Hæc ibi: quia verò ex intellectu hujus præcepti omnia ferè, quæ ad Horarum Canonicarum debitam recitationem pertinent, omninò dependent, ad conſcientiarum ſerenationem illud diſtinctè cum omnibus ſuis obligationibus expendemus. Præceptum Eccleſiaſticum. Conc. Lat. C. dolentes de celebr. Miſſa

QUÆSTIO III.

Quid circa Horas Canonicas decernatur Cap. dolentes.

CONCLUSIO UNICA.

DUo potiſſimùm demandantur in *Cap. Dolentes*.

Primò, Omnis abuſus, imperfectio & irreverentia externa in officiis divinis tum in Horis Canonicis, tum in Miſſarum celebratione, nec non cauſæ abuſuum & imperfectionum prohibentur idque ſub pœna gravi ſuſpenſionis. Ità Textus: *Dolentes* (inquit) *referimus, quòd non ſolùm quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa commeſſationes ſuperfluas & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduũ relinquentes vix ad diurnum concentum avium excitantur* (Id eſt tardiùs excitentur) *tranſcurrendo utique continuâ ſyncopâ matutinum*. Infrà reprehendit eos, qui vix quater in anno celebrabant, ac Miſſarum ſolemniis & divinis officiis indevotè intererant: *Et ſi quando* (inquit) *dum hæc celebrantur, interſint, chori ſilentium fugientes intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina*. Et pœnam ſubjungit. *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus*, Quæ latiùs perſtringũtur à Clemente V. *in Concilio Viennenſi in Clement. de celebratione Miſſarum cap*. 1. Tit. 14. ubi ſimiliter condemnantur ij, qui pſallunt tranſcurrendo, ſyncopando, extranea colloquia, vana, profana aut inhoneſta intermiſcendo, tardè veniendo ante finem

Duo præcipiuntur C. dolentes. C. dolentes ſuprà. Ibid.

finem egrediendo, canes venaticos ſecum ducendo, &c.

Secundò, Imponitur modus Horas Canonicas perſolvendi ſub graviſſimo præcepto obedientiæ; qui quidē modus ſpecificatur per duas particulas *ſtudioſe* nimirùm & *devotè*, ita enim textus: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè*

Corollarium.

EX quo capite & ejus verbis expreſſis duo colliguntur.

Primum: Omnem gravem imperfectionem, irreverentiam, & diſtractionem etiam externam in officio divino eſſe peccatum mortale. Ratio petenda eſt ex pœna ſuſpenſionis quæ infligitur, quæ cùm graviſſima ſit, peccatum mortale præſupponit. Quæ autem ſit gravis irreverentia vel imperfectio aut diſtractio externa reputanda, infrà dicetur.

Secundum. Peccare ſimiliter peccato mortali eum, qui in materia gravi & ſufficienti voluntariè in *ſtudioſitate* aut in *attentione* præcepta deficit: qui termini etiam in ſequentibus ſunt explicandi. Et ut extra ſumos opinionum doctrina hæc omnibus perſonis Eccleſiaſticis tam neceſſaria diſtinctiùs procedat, illā ſex ſectionibus abſolvemus, quarum *Prima*, de perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis. *Secunda*, de peccatis eorum, qui Horas Canonicas vel earum partem omittunt. *Tertia* de *ſtudioſitate* ad Horas Canonicas legitimè perſolvendas ex præcepto *cap. dolentes*, requiſita. *Quarta* de peccatis contra *ſtudioſitatem* requiſitam. *Quinta*, de *devotione* ſimiliter ſub præcepto & pœna peccati mortalis in dicto *capite dolentes*, demandata. *Sexta*, de peccatis, quæ contra *devotionem*, in Horis Canonicis requiſitam committuntur.

Diviſio totius tituli per ſectiones.

SECTIO I.

De perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis.

QUÆSTIO I.

Quæ perſonæ ad Horas Canonicas obligentur?

Diſtinctio Perſonarū.

DIſtinguendum eſt primò, de perſonis ad Horas ſimpliciter & abſolutè dicendas obligatis, abſtrahendo à choro & privata lectione. *Secundò*, de perſonis tantùm ad privatam recitationem obligatis. *Tertiò*, de perſonis ad chorum obligatis. *Quartò*, de perſonis obligatis ad chorum tantùm ad aſſiſtentiam, vel ad certa tempora. Super quibus ſingulas ponemus concluſiones. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Perſonæ obligatæ ad Horas. &c.

AD *Horas ſimpliciter & abſolutè legendas* (abſtrahendo à choro vel privata lectione) *tenentur ſub peccato mortali*. 1. Sacerdotes. 2. Majoribus ordinibus initiati, ſubdiaconatu ſcilicet & Diaconatu. 3. Beneficiati. 4. Religioſi & Moniales, quibus ex regulæ ſuæ præcepto hoc onus impoſitum eſt. 5. Qui aliquo ſpeciali titulo voti aut pacti, ſe ad hoc obligaverunt.

Sacerdotes & ſacris ordinibus inſigniti.

Et quidem de Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis communis Eccleſiæ ſenſus obligationem illam ſupponit, & eò ipsò quo quis voluntariè ordines ſacros ſuſcipit, huic oneri ſe obligare cenſetur. Et hanc obligationem ſupponit *Concilium Baſileenſe* ſeſſ. 21. Et communiter in *cap dolentes*. Sacerdotes & in ſacris ordinibus conſtituti ſub minoribus Clericis intelliguntur.

Beneficiati

De beneficiatis, ſivè beneficia cum cura animarum, ſivè abſque cura poſſideant, habetur Decretum amplum in *Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. de reformatione curiæ §. 38. ſtatuimus quoque & ordinamus*, Et refertur in Bullario Cherubinorum *conſtit. 7*. Quod decretum repetit & innovat *Pius V. conſt t. 135.* quæ incipit: *Et proximo Lateranenſi Concilio*, data *anno* 1571. ubi & declarat peccatum grave committere beneficiatos, qui ſine rationabili excuſatione Horas Canunicas non legerint, etiam primis ſex menſibus ab obtento beneficio; poſt ſex menſes autem ad reſtitutionem fructuum pro rata obligari. Et nè quis de ratione beneficiorum dubitet, ſub beneficiis ſequentia comprehendit: *Declarantes* (inquit) *præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*. Subdit verò de Penſionibus: *At quicumque penſionem fructus aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, cum modo prædictum ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum fructuum rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Pius V. conſt. 135. Quæ incipit ex proximo, &c.

Religioſi & Moniales.

De religioſis & monialibus conſulendæ ſunt Regulæ illorum. Certum eſt enim Fratres minores cujuſcumque congregationis, obſervantiæ, aut reformationis ſint, ex Regula obligari ſub peccato mortali ad Horas Canonicas, ſic declarante præceptum Regulæ *Nicolao IV. & Clemente V. in ſuis extravagantibus*. quæ in jure communi referuntur. De monialibus Annuntiatis clarus eſt etiam Regulæ illarum textus. Unde notanter dixi ſuprà (*quibus ex Regula ſua præcepto hoc onus impoſitum eſt*) neque enim credere poſſum religioſos vel moniales ſolo ſpectato titulo religionis, obligari, ſaltem perſonaliter & in privato, ad Horas Canonicas ſub tanta obligatione, niſi aliundè præceptum aliquod probetur, ut poſteà examinabimus.

CONCLUSIO II.

Qui obligentur ad Horas privatas tantùm.

QUi ſolo ordinum titulo aut beneficiorum, quæ nullum ſervitium chori ſivè Eccleſiæ habent annexum, aut ſolo præcepto vel voto à choro abſtrahente obligantur ad Horas Canonicas, cenſentur ad privatam tantùm lectionem obligari.* Concluſio ex terminis clara eſt. Neq; enim quis extra terminos tituli obligari poteſt: ubi igitur titulus ſimplex eſſe ſupponitur, & nullum chori vel Eccleſiæ ſervitium ſonat, non eſt ratio cur hoc eis onus imponatur. Quia tamen in conciliis & Canonibus variis ſæpè fit mentio clericorum, & obligationis eorum ut officiis divinis certis diebus & horis interſint, ne in canonum & decretorum intelligentia confuſio aliqua oriatur, diſtinctis quæſtionibus res eſt pertractanda.

QUÆSTIO II.

Qui obligentur ad Horas Canonicas & alia officia in choro perſolvenda, & ſub qua obligatione?

PRo accurata & diſtincta reſolutione hujus quæſtionis, *Advertendum eſt primò*, duplices actiones concurrere ad Horas Canonicas ſivè officia divina, prout in choro publico ritu perſolvuntur.

Actiones eſſentiales divino officio.

Aliquæ ſunt *eſſentiales:* ut aſſiſtentia religioſa in choro, lectio ſivè recitatio horarum ſtudioſa & devota, quæ voce elatiori fit, alternis choris pſallentibus, aut Eccleſiaſtico more concurrentibus.

Actiones accidentales.

Aliæ ſunt *accidentales:* ut modulationes, cantus muſici, aſſiſtentia honorabilis & velut ad pompam, ſolemnes quidam ritus externi ad decorem & magnificentiam, juxta rationem patriæ & religionis introducti.

Advertendum ſecundò, duplicem etiam obligationem reſpectu divini officij in choro perſolvendi diſtingui debere. Alia enim eſt *realis tantum:* Alia eſt *perſonalis: realis tantùm* dicitur, quæ non reſpicit ſingulas perſonas in individuo; ſed ipſam rem ſolam ſivè officium divinum in choro dicendum afficit, quam exprimere poſſumus generali termino per obligationem: *ut Horæ Canonicæ* ſivè *divina officia in choro dicantur ſub peccato mortali*, à quibuſcumque tandem id fiat. *Perſonalis obligatio* dicitur, quæ perſonas in ſingulari & individuo afficit, quam exprimere poſſumus per obligationem non tantùm *ut officium illud in choro fiat*, ſed *ut à talibus in individuo perſonis* utpotè *canonicis, præbendariis, beneficiatis*, &c. perſolvatur.

Obligatio realis tantum.

Obligatio perſonalis.

Attendenda fundationes.

Advertendum tertiò, ad dignoſcendas ſupradictas obligationes oportere attendere ad fundationes ipſas, & fundatorum voluntates, prout ab Eccleſia ſunt contractu naturali & civili acceptatæ. Cùm enim beneficium propter officium conferatur: obligatio ad officium debet expendi juxta conditiones in litteris fundationis expreſſas.

Advertendum quartò, cum beneficia non fundentur niſi de Eccleſiæ conſenſu & approbatione: ſicut beneficia cum fructibus & juribus tranſeunt in gradum rerum ſpiritualium, ſivè etiam ſpiritualibus annexarum: ſic diſpoſitiones de illis ſucceſſu temporis tranſire in jus & regimen ſpirituale Romanæ Eccleſiæ, cujus eſt de illis, ſervatâ juſtitiâ & æquitate, juxta rationem temporum & aliarum circumſtantiarum decernere, prout in canonibus & concilijs variè factum eſſe ex decretalium libris & jure canonico conſtat, juxta quas diſpoſitiones fundationum litteræ intelligendæ & interdùm modificandæ ſunt.

Beneficia & fructus ſunt res ſpirituales.

Advertendum quintò, Juxta diverſa miniſteria in choro ſivè Eccleſia, diverſas etiam obligationes perſonarum menſurari debere: alij enim, tantùm ad chorum vel chori aſſiſtentiam tenentur: alij, ad cantum: alij, ad muſicam: alij, ad aliquas horas chori, & non ad alias, &c. Quæ ſingula, quia ubique idem modus & ordo non ſervatur, præciſè dinumerari non poſſunt: omnium autem obligatio ex natura miniſterij & fundationibus expendi debet.

Diverſa obligationes circa præſentiã in choro.

Advertendum ſextò, In ijs qui choro vel officiis aſſiſtere debent, duplicem diſtinguendam eſſe *aſſiſtentiam*: alii enim tenentur ad *aſſiſtentiam religioſam*, quæ eſt actus vel effectus religionis virtutis ſupernaturalis, quâ quis aſſiſtit præciſè, ut ejus præſentiâ Deus colatur, adoretur, benedicatur, &c. Alij ad *aſſiſtentiam pompaticam*, quæ eſt actus honeſtatis, quâ quis ſuâ præſentiâ ſolemnitatem, actum vel perſonam aliquam honorat, ut eſt aſſiſtentia invitatorum ad pompam celebritatis & funeris, ſine concurſu obligante ad ſacra officia, vel miniſteria: quæ omnia in hac materia notanda ſunt, ſi quis peccatum diſcernere velit.

Duplex aſſiſtentia.

CONCLUSIO II.

DAtur interdum obligatio tantùm realis publicè cantandi Horas Canonicas & alia officia divina celebrandi in Eccleſia, Templo ſeu Capella, quæ perſonalis non eſt*, ſivè quæ ſingularem in individuo perſonam non obligat; ſed generaliter tantùm obligationem inducit, ut horæ opportuno tempore cantentur, à quibuſcumque id fiat. Concluſionem indicant canones multi: undè in Clement. de celebratione Miſſarum cap. 1. decernitur ut: *In Eccleſiis Cathedralibus, regularibus, & collegiatis horis debitis devotè pſallatur. In aliis verò convenienter & debitè celebretur divinum diurnum & nocturnum officium.* Et in decret. eodem Tit. cap. 1. ex Conc. Agathen. Presbyter (inquit) *mane matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamq; perſolvat, ità tamen ut horis competentibus juxta poſſibilitatem aut à ſe aut à ſcholaribus publicè compleantur.* Et ex eodem concilio Agathen. c. 64. ut habetur apud Gratianum 7. Quæſt. 1. cap. 29. *Si quis*, dicitur: *ſi quis, in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt, Nativitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte* &c. *convenit, ut triennio à* com-

Datur obligatio realis non perſonalis.

Clemen. I. de celebr. Miſſa.

Concil. agat. c. 1. de celebr. Miſſa.

Idem. 7. q. 1. c. 29. ſi quis.

Communione ſuſpendatur : ſimiliter: diaconus vel preſbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat. Et alia habentur in Concil. Carthag. IIII. cap. 49. & Carthag. V. Ubi clerici choro deputati coguntur, pœnis impoſitis adeſſe officiis quæ in Eccleſia loci habitationis ſuæ celebrantur.

Publica officia ſunt pro utilitate populi inſtituta.

Ex quibus *deducitur primò*, propter obligationem communem indeterminatam tamen, quâ populus tenetur jure naturæ ad Deum colendum, orandum, & laudandum, Eccleſiam & Eccleſiæ Dei rectores determinaſſe certas horas quâlibet die, & certa tempora, quibus oratio communis vel laudes divinæ celebrarentur in qualibet congregatione populi: ut nimirùm populus incitaretur ad Deum laudandum & ornandum, & ſatisfaciendum obligationi quam habet ex præcepto naturali colendi Deum: quo ſenſu dixit S. Thomas Opuſc. 19. cap. 5. *Orationibus & Pſalmis vacare in Eccleſia, eſſe quoddam opus publicum ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum.* Quomodo & in Eccleſia Hebræorum convocabatur populus ad certas horas ſacrificiorum manè & veſperi: & Luc. 1. notatur: quòd dum Angelus Gabriel apparuit Zachariæ: *Omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.*

S. Thom. opuſc. 19. cap. 5. circa finem.

Luc. 1. v. 10.

Publica officia ſpecialibus dotibus fundata.

Deducitur ſecundò, aliquibus fundationibus pijs, vel ſtipendijs & conditionibus populi officia illa divina fundata fuiſſe, ut miniſtri illa celebrantes ſuſtentari poſſent. Unde in Concil. Carthag. IIII. dicitur: *Clericus, qui abſque corporis ſui inæqualitate* (id eſt infirmitate) *vigilijs, deeſt, ſtipendiis privetur.*

Conc. Carthag. 4

Obligationes communiter non fuerunt perſonales.

Deducitur tertiò, etſi miniſtri varij ad prædicta officia celebranda eſſent deputati, obligationem tamen communiter non fuiſſe perſonalem, quaſi ipſi per ſe ſub peccato obligarentur illa celebrare, ſed realem ut nimirùm curarent officia illa celebrari, ſive ut defectu perſonarum officia non negligerentur vel relinquerentur. Patet *ex cap. preſbyter* ſupra allegato: Ubi permittitur presbytero, ut ſi non adſit, ſaltem per ſcholares curet Horas Canonicas cantari. Qualiter autem hæc officia antiquitùs complerentur, latè refert & decernit concilium Tarracon. cap. 7. his verbis: *De diœceſanis Eccleſiis vel clero, id placuit definire, ut presbyteri vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſervent, id eſt, presbyter unam faciat hebdomadam,* &c. *ſuccedat diaconus.* &c. *Eâ conditione ſervata, ut omnis clerus die ſabbathi ad veſperam ſit paratus, quo faciliùs die dominico ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur*, ſubdit: *Ita tamen ut omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent*: Hæc ibi. De eâdem ſucceſſione hebdomadali agit Fabianus 1. *Epiſt. ad omnes Epiſcopos.* Ex quibus manifeſtum eſt quemlibet clericum non fuiſſe perſonaliter obligatum, ſed invicem ſucceſſiſſe & vices ſuas alijs, imò & ſcholaribus, potuiſſe committere, tantùm enim requirebatur ut dicta officia in populi utilitatem & ædificationem decenter fierent.

Concil. Tarr. c. 7.

CONCLUSIO II.

Quando est actus tantum realis obligatio?

QUandocumque Horæ Canonicæ & officia divina indicta ſunt ſolùm ad conventum, congregationem & ſolemnitatem ſive ædificationem populi, cenſetur eſſe tantùm communis obligatio ad officium, non ſingularis ad perſonas.

Signa obligationis non perſonalis.

Petes: Unde ſciam Horas, officia, &c. indicta tantùm eſſe ad ædificationem & conventum populi? *Reſpondeo*, varia eſſe hujus inſtitutionis ſigna. Primò, ſi fundatio non ſit determinata ad aliquas perſonas in ſingulari, ſed tantùm in communi, ut officia celebrentur. Secundò, ſi ſtipendia per modum diſtributionum actualium tribuantur præſentibus, juxta miniſterium præſens, & hoc dietim & pro ratione miniſterij. Tertiò quandò clerici & alij miniſtri poſſunt committere vices ſuas alijs, vel pro ſua libertate abeſſe, imò officium facere per ſcholares ſine alia obligatione. Quartò, quando obligatio non eſt acquiſita per beneficium aliquod ſtabile, vel portionem immobiliter perſonæ affectam.

CONCLUSIO III.

Obligatio realis præfectos afficit.

ETſi obligatio, quæ reſpicit ſimpliciter chorum & officium, non ſit perſonalis; obligat tamen præfectos & rectores Eccleſiarum, ut dicta officia debitè fieri procurent. Ratio concluſionis petenda eſt ex ratione officij: ſivè enim ſint paſtores immediati, ſive decani ſivè præpoſiti aut alij, quocumque nomine vocentur, in illis cura recumbit non tantùm Eccleſiarum ſibi commiſſarum; ſed etiam ut fundationes, dotationes, præſtimonia & alia ſuum conſequantur effectum. Obligatio itaque realis tantùm in aliquam ſemper perſonam redundat, non quatenùs eſt particularis perſona, ſed quatenùs eſt Eccleſiæ Rector: Adminiſtrator & præfectus. Et juxta rationem omiſſionis ſi ſit gravis, ut plurium dierum, cum ſcandalo & abſq; cauſa, præfecti peccatum mortale incurrunt; aliàs in materia levi; veniale, ubi verò cauſa juſta ſubeſt, nullum.

Quando ſit mortale peccatum.

CONCLUSIO IV.

Datur obligatio perſonalis ad horas in choro.

DAtur obligatio perſonalis Horas Canonicas & alia officia perſolvendi publicè & ſolemniter, ita ut non ſufficiat, ſi officium in Eccleſia publicè & ſolemniter per quemcumque fiat; ſed perſonaliter & per ſe, qui hanc obligationem ſubeunt, illud in choro perſolvere teneantur. Hanc concluſionem docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi de canonicis & beneficium ad chorum obligatum obtinentibus, generaliter decernit: *Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia,* &c. *atq; in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè devoteq; laudare.* Concludit & hoc ipſum *cap. dolentes de celebratione miſſarum*, quòd non tantùm de privata horarum lectione; ſed primariò de horarum publica recitatione agere compertum eſt. Ut verò pleniùs res declaretur, & nil intactum remaneat pono juxta

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de Refor.

perſo-

Digitized by Google

perſonarum, ſtatuum & miniſteriorum diverſitates varia dubia eorumque claras reſolutiones.

Reſolutiones Dubiorum.

De obligatione parochorum in ordine ad Horas Canonicas.

Dubium I.

An parochi teneantur Horas Canonicas privatim perſolvere ex vi officij ſui parochialis.

Parochi tenentur ad Horas ex vi ordinis.

RESpondeo primò, parochos teneri ex vi ordinis ad Horas Canonicas privatim perſolvendas. Clara eſt reſponſio ex communi doctrina de ijs qui ſacris ordinibus ſunt initiati.

Non tenentur ex vi officij Paſtoralis.

Reſpondeo ſecundò, parochos ex vi parochialis beneficij præciſè non teneri ad Horas Canonicas. *Ratio eſt*: Quia beneficium parochiale quatenus præciſè tale, oneribus curæ paſtoralis, doctrinæ, prædicationis, adminiſtrationis Sacramentorum, &c. cenſetur ſufficienter gravatum, & niſi in dotatione onus legendi Horas exprimatur, miniſterio ſuo ſufficienter parochus ſatisfacere cenſendus eſt, ſi paſtoralia exerceat: Canones etiam & jura, quæ de beneficijs loquuntur, generali axiomati innituntur, nimirùm: *Beneficium dari propter officium*: Officium porrò menſurari debet ex gravaminibus primarijs officio annexis, parochiale vero beneficium graviores curas annexas habet, ſi benè & vigilanter adimpleatur. Undè ſententia hæc quidem ex dictis apud me certa eſt, parochum qui alio beneficio non obligatur ut Canonicatu, Capellaniâ, &c. ſi Horas ſuas, etiam culpabiliter omittat, non teneri ad aliquam reſtitutionem. Quòd ſi Canones & jura videantur illos obligare, de peculiari aliquo titulo obligationis ſunt intelligenda, non de communi beneficiatorum: Quia parochiale beneficium præciſè non datur ob penſum Horarum Canonicarum; ſed ob actus & labores curæ Paſtoralis, quos debet parochus ex debito conſcientiæ impendere in cura animarũ. Quinimò mandat Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 13. *In parochialibus etiam Eccleſiis quarum fructus æquè adeò exigui ſunt, ut nequeant debitis oneribus ſatisfacere*, &c. varijs modis provideri: onera autem debita potiſſimùm reſpiciunt animarum curam.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 13. de reform.

Dubium 2.

An parochi ad Horas Canonicas aut alia officia divina per ſe in choro publicè celebranda obligentur?

Duplices fundationes in parochiis.

ADverte: duplices eſſe fundationes & dotationes beneficij parochialis: aliquæ ſunt *univerſales & indeterminatæ*, quæ pro parochi ſuſtentatione ſimpliciter erectæ aut legatæ ſũt: aliæ ſũt *ſpecifica & determinata*, quæ ad ſingulare officium, ut ad horas Canonicas vel miſſam ſolemnem cantandam, &c. deſignatæ ſunt.

Ex fundationibus generalibus non tenetur parochus ad Horas in choro.

Reſpondeo itaque *primò*, ex fundationibus & dotationibus generalibus & indeterminatis nõ teneri parochos ad Horas Canonicas, aut ſolemnia officia in Eccleſia celebranda. *Ratio eſt*: Quia illæ fundantur ad actiones primò & per ſe ad curam animarum legitimè adminiſtrandam ordinatas.

Ex determinatis tenetur.

Reſpondeo ſecundò, Ex determinatis fundationibus & dotibus ſivè portionibus teneri parochum ad ea officia, ritus, ſolemnitates, pro quibus fundationes ſunt inſtitutæ, & ſub modis quibus ſunt inſtitutæ. *Ratio clara eſt*: Illæ enim fundationes in ſe continent virtualem contractum, ut juxta intentionem fundatoris & Eccleſiæ acceptationem executioni demandentur, juxta illud axioma, *beneficium datur propter officium*, quod non debet ſolùm intelligi de beneficio *antonomaſticè* dicto, ſed etiam de qualibet dote, quæ datur pro officio, id eſt, miniſterio ſivè ſervitio Undè ſi fundatio vel dotatio contineat obligationem perſonalem, eò ipsò quò parochus fructus recipit; per ſe & perſonaliter tenetur exequi illud officium, alias fructus non facit ſuos, & ſi eos recipiat, reſtituere tenetur: Si autem fundatio ſivè dotatio contineat obligationem realem tantùm, ut nimirùm, officium in Eccleſia parochiali perficiatur à quocumque illud fiat: tunc parochus vel adminiſtrator parochiæ tenetur tantùm curare ut officium, juxta conditiones in fundatione requiſitas, perſolvatur. Et quamvis ipſi aliqua portio dotis relicta ſit, cenſetur curæ & adminiſtrationi relicta, quam etiamſi præſens non ſit, ob curam tamen & adminiſtrationem illam recipere poteſt, ratione ſumptâ ex ipſis fundamentis fundationum & contractus virtualis in illis contenti, de quibus ſuprà. Et ex his regulari debenc fundationes officiorum, ut octavarum V. Sacramenti, ſolemnium officiorum de B. Maria, &c.

Obligatio ex præcepto Eccleſiæ.

Reſpondeo tertiò, Ex præcepto & ordinatione Eccleſiæ teneri parochos ad officia, quæ communiter, juxta rationem univerſalis uſus Eccleſiæ vel particularis diœceſis, pro communi fidelis populi utilitate vel ædificatione ſunt inſtituta. *Ex. g.* in diebus ſolemnibus ad matutinum, Miſſam & Veſperas ſolemnes: in alijs: ad Miſſam & Veſperas ac Completorij Laudes ſivè Antiphonas; in alijs ad quotidianam Miſſam & Completorij Laudes: Et de his intelliguntur decreta & Canones antiqui & moderni ſynodorum.

Obligatio præcepti non eſt perſonalis.

Reſpondeo quartò, Iſtas obligationes non eſſe præciſè perſonales; ſed poſſe per alios idoneos miniſtros compleri conſtat ex dictis.

Quale peccatum ſit omittere tuba hac officia.

Petes: An ſit obligatio in foro conſcientiæ ad prædicta, & quanta? *Reſpondeo*, ſi abſque cauſa in magnis ſolemnitatibus, aut frequenter in ordinarijs feſtis & dominicis, aut

etiam

Digitized by Google

etiam alijs diebus omittantur, parochum, ſi ſuâ culpâ hæc nmiſſio oriatur, peccare mortaliter in re gravi, quæ quidem gravitas penſanda eſt. *Primò*, ex ſcandalo quod indè oriri poteſt. *Secundò*, ex gravi detrimento populi, qui hoc exercitio orationis & laudis divinæ privatur & in divinis hebeteſcit. Aliquoties verò abſque ſcandalo vel gravi præjudicio omittere, peccatum veniale eſt, &, ſi cum juſta cauſa fiat, nullum.

Reſolutiones Dubiorum.

De obligatione Canonicorum reſpectu Horarum Canonicarum.

Dubium I.

Quo iure Canonici teneantur ad Horas Canonicas, non tantùm privatim; ſed etiam in choro perſolvendas?

Conditiones ut benolicatus teneatur ad horas.

SUppono *primò*, privatim ad eas obligari. Hic eſt enim ſenſus communis totius Eccleſiæ Dei, ſuppoſitis conditionibus ſequentibus, quæ in omni beneficio intelliguntur. *Prima*. quòd Canonicatum verè poſſideant, & non in titulum nudum. *Secunda*, quòd fructus beneficij ſivè Canoicatus ad aliquam potiorem partem ſuſtentationis ſufficiant. Si enim adeò exigui ſint fructus, ut ad potiorem partem ſuſtentationis non ſufficiant, nnn videntur teneri niſi ad obligationem correſpodentem portioni fructuum ex judicio prudentis; partem verò potiorem ſuſtentationis, etſi alij ad decem aureos, alij ad quindecim, alij ad viginti extendant. Ego hoc prudentis arbitrio juxta circumſtantias loci, temporis, perſonæ determinationem relinquendum puto. Mea autem ratio aſſignaræ conditionis eſt: quia obligare ad tantũ onus horarũ totius diei ſub tam exiguo ſtipendio, eſſet meri gravaminis & injuſtitiæ tam ex parte benefactoris ſive fundatoris quã ex parte Eccleſiæ acceptantis illud onus & gravamen tertij. *Tertia Conditio* eſt, ut non ſtet per beneficij poſſeſſorem, quò minùs congruos fructus beneficij recipiat. Si enim ſtet per illum, ſibi imputare debet fructuum carentiam, cujus culpâ fundator non debet fruſtrari ſuæ fundationis fructu & effectu.

Suppono ſecundò, Canonicos ex natura beneficij ad Horas Canonicas in choro dicendas obligari, ut Concil. Trident. ſuprà ſatis expreſſit, dum ad chorum illos teneri declaravit: quæſtio igitur eſt de jure in quo hæc obligatio fundatur.

Obligatio Canonicorum ad chorum, eſt de jure natura & juſtitia.

Reſpondeo, itaque Canonicos teneri ad chorum ſivè ad Horas Canonicas in choro, ex jure naturæ & virtuali juſtitiæ contractu in fundatione, collatione & acceptatione contento: primò enim Canonicatus fundati ſunt, ut ij quibus conferrentur, officium publicum in choro facerent nec aliter conferri aut acceptari debent aut poſſunt, niſi ſub illo onere. Hoc indicat Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi ſic decernit: *Obtinentibus in ejiſdem cathedralibus aut collegiatis dignitates*, Canonicatus, *præbendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*, &c. *altoquin primo anno privetur unuſquiſque dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac reſidentiæ fecit ſuos: quod ſi iterùm eâdem fuerit uſus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Quibus verbis *Primo*, indulgetur ob varias humanæ vitæ occupationes & neceſſitates aut impedimenta, ut canonicus poſſit abeſſe tribus menſibus, niſi Eccleſiæ ſuæ ſtatutum longius ſervitium fortè requireret. *Secundò* toto cætero anni tempore non poſſe abeſſe decernitur. *Tertiò*, Ut obligationis gravitas declaretur, pœna imponitur ut nimirum, & fructibus præbendæ, quos ex reſidentia fecit ſuos, dimidiam primi anni abſentiæ partem amittat, & ſi relabatur, omnibus fructibus anni abſentiæ privetur. Cujus quidem legis juſtitia non ſubſiſteret, ſi ad chorum Canonici perſonaliter non obligarentur, parum enim referret ſi alibi privatim Horas legerent, aut alio quovis modo eis ſatisfaceret.

Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform.

Duplex in fundatione canonicatuum contractus

Porrò hic *notandum eſt*: In Fundatione Canonicatuum duplicem contineri contractum: primus terminatur ad quemlibet Canonicatum obtinentem in ſingulari, qui exprimi poteſt his verbis: *Facio ut facias*, ſivè, *beneficium fundo, ut qui illud obtinuerit, in choro officium faciat.* Secundus Cnotractus terminatur ad Eccleſiam Fundationes acceptantem, ſive Eccleſiæ præfectos, qui exprimi poteſt his aut ſimilibus verbis: *Fundationes tuæ adminiſtrationi trado, ut officium per eos, qui eas obtinebunt, fieri cures.*

Quos contractus obligent.

Ex primo Contractu tenetur Canonicus ſingulariter ex juſtitia choro adeſſe, aliàs fructus non facit, ſivè injuſtitiam committit: ex ſecundo, Eccleſiæ Prælati ſivè præfecti ut Epiſcopi, Decani Præpoſiti, & capitulorũ capita, tenentur providere ut ipſi Canonicatus obtinentes officio chori interſint: *Item:* Ex ratione primi contractus abſentes ultra trimeſtre (quod lege indultum eſt) tempore abſentiæ fuctus non faciunt ſuos & ſi eos percipiant quovis prætextu, tenentur reſtituere: ex ratione verò ſecundi contractus, Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent abſentes à choro abſque legitima cauſa privare etiam fructibus præbendæ, quos tempore præſentiæ fecerunt ſuos. Clarus eſt *Concilij Tridentini Textus.*

Dubium. 2.

An in conſcientiæ foro Canonici ſub peccato teneantur chori officiis adeſſe?

RAtio dubitandi eſt: quia lex obligans videtur purè pœnalis: Si enim abſint ultra trimeſtre abſque legitima cauſa Eccleſiæ & Capitulo probata, fructus abſentiæ ſuos non faciunt, imò, ut jam dictum eſt, alijs etiam priva-

blica auctoritate ſint approbatæ, ſivè proprio inſtinctu aſſumptæ vel compoſitæ.

QUÆSTIO IV.

An ſit aliquod præceptum datum de orando Deum?

PRiuſquàm hæc Quæſtio reſolvatur. *Primò*, repetenda ſunt quæ de legum ſivè præceptorum diverſitate diximus Tract. 1. ferè per totum: aliud namque eſt præceptum naturale divinum: aliud divinum poſitivum. Rurſus: aliud eſt poſitivum, quod vocant primò divinum, illud nimirùm quod à Deo immediatè datum eſt: aliud, ſecundò divinum, ſivè humanò divinum quod à Deo mediante Eccleſiâ datur.

Quid præceptum directum & indirectũ.

Secundò, Quantùm ad hanc materiam ſpectat, præceptum dupliciter attendi debet: aut enim eſt *directum* aut *indirectum*. *Directum* dicitur: quod per ſe & directè cadit in materiam præceptam vel prohibitam: ut præceptum audiendi Miſſam, præceptum non laborandi in dominica: *Indirectum* vocatur: quod tantùm indirectè aliquid prohibet vel præcipit, utpotè, ratione materiæ aut alicujus adjuncti vel concomitantis principale præceptum: quomodò, qui præcipit ſacrificium Miſſæ offerre, præcipit & orare: quia orationes ſacrificio ſunt conjunctæ & permixtæ. *Item*: qui præcipit Euchariſtiam ſumere, cenſetur & confeſſionem ei, qui in mortali peccato eſt, illo tempore faciendam demandare, ſi dignè communicare velit.

Tertiò, Advertere oportet: aliquandò dari præceptum *formale* & *explicitum* in aliqua materia: aliquando dari tantùm *virtuale* & *implicitum*. De quibus terminis alias. Sit itaque ad quæſtionem

CONCLUSIO I.

Oratio eſt adultis neceſſaria ad ſalutem.
Rom. 10. verſ. 13 14

ORatio non tantùm eſt homini utilis & conveniens, ſed etiam generaliter adultis neceſſaria ad ſalutem. Hanc concluſionem indicant paſſim ſcripturæ ad Rom. 10. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*: Ubi, quamvis per ſe non inferatur ejus contraria propoſitio: *Qui non invocaverit nomen Domini, ſalvus non erit*, indicat tamen idipſum Apoſtolus cùm neceſſitatem hujus invocationis componat neceſſitati fidei, dum ait: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt*, &c. Ex quibus colligitur hoc argumentum: invocatio nominis Domini neceſſaria eſt ad ſalutem; ſed ſine fide Deus invocari non poteſt, ergò & fides neceſſaria eſt ad ſalutem. Ubi ex neceſſario effectu, infertur neceſſitas cauſæ ſivè principij, à quo effectus procedit; hoc quidem claro argumento: ubi finis & effectus eſt neceſſarius, ibi media ad finem & effectum ordinata, ſunt neceſſaria; ſed ſi quis ſalvus fieri velit, neceſſum eſt ut invocet nomen Domini; ergò & fides neceſſaria eſt, ex qua invocatio illa procedit: minorem tanquàm certam ſupponit Apoſtolus, alias argumentum de fidei neceſſitate, quam probare à poſteriori intendit, non concluderet.

Ibidem.

Probatur verò concluſio ampliùs: abſque Dei gratia, tentationum victoria, dono perſeverantiæ nemo ſalvari poteſt; ſed abſque oratione illa à Deo impetrari non poſſunt; ergò abſque oratione nemo ſalvari poteſt. Minorem probant ſcripturæ, quæ paſſim ad orationem, ut ad ſingulare medium in omni indigentia, hominem exhortantur. Et Chriſtus gratiæ, donorum & omnis boni obtentionem orationi repromiſit. *Petite* (inquit) *& dabitur vobis, quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Et in ſingulari de tentationibus agens mandat Chriſtus Matthæi 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, & Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*. Ubi & de extrema unctione infirmorum agens, ait: *oratio fidei ſalvabit infirmum*, &c. Orationem verò eſſe ſingulare medium ad impetrandum, probant acta, doctrina, & exempla Chriſti in Evangelio: qui volens aliquid impetrare, ſemper oravit: Et non modo orandum, ſed etiam qualiter pro omni bono obtinendo, & neceſſitate ſublevanda orandum eſſet in oratione dominica edocuit, ac ſe ſpecialiter in exemplum propoſuit cùm Joan. 11. in reſuſcitatione Lazari dicebat: *Pater gratias ego tibi quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis. Sed propter populum qui circumſtat dixi: ut credant quia tu me miſiſti.*

Matth. 7. verſ. 4. 8.
Matth 26 verſ. 41.
Jac. 5. v. 16
Verſ. 15.
Joan. 11. verſ. 41.

Dices: Varijs alijs medijs Deus gratiam confert; ergò oratio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Antecedens patet in Sacramentis contritione, eleëmoſyna & alijs, quibus Deus gratiam & remiſſionem peccatorum repromiſit.

In omnibus ſerè operibus ſalutaribus continetur oratio implicita.

Reſpondeo neg. conſeq. Neque enim dico orationem unicum eſſe medium; ſed eſſe medium ſingulare neceſſarium ad ſalutem. Undè ad antecednes. *Reſpondeo*: Multis quidem alijs medijs Deum gratiam repromiſiſſe: ſed vix illa adhiberi abſque implicita vel explicita oratione propria vel aliena: nam illa ordinariè obtinentur oratione: & in nonnullis implicita oratio continetur. *Ex. g.* In Sacramentorum perceptione ut plurimùm continetur oratio, & ipſa contritio orationem includit. Item eleëmoſyna, ut peccata remittat, orationem virtualiter expoſtulat: undè eſt illud: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*, id eſt, faciet ut oretur. Et illud *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quomodò enim recipient, niſi orationibus adjuvando & inſtando? longiſſimam ſuper his digreſſionem facit S. Auguſt. libro 2. de peccatorum meritis cap. 5. exponens illud contra

Eccli. 29 verſ. 15.
Luc. 16. v. 9.

pela-

S. Aug. l. 2. de pecc. merit. cap 5. contra pelag.

Pelagianos: da quod jubes & jube quod vis: Cùm ergò (inquit) *nobis jubet dicens: convertimini ad me, & ego convertar ad vos: noſque illi dicimus converte nos Deus ſanitatum noſtrarum, &c. Deus virtutum converte nos: quid aliud dicimus, quàm: da quod jubes? cùm jubet dicendo: intelligete ergo, qui inſipientes eſtis in populo: Et nos illi dicimus: Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua: quid aliud dicimus quàm, da quod jubes? cùm jubet dicendo: Poſt concupiſcentias tuas non eas, noſque dicimus: ſcimus quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: quid aliud dicimus quàm, da quod jubes? cùm jubet dicendo: facite juſtitiam, noſque dicimus: Doce me juſtificationes tuas; quid aliud dicimus quàm: da quod jubes, &c.?* In quibus omnibus oſtendit S. Auguſtinus in omnibus nos indigere gratiâ Dei, & in omnibus orationem requiri quâ gratia impetretur & obtineatur.

Luc. 18. verſ. 1. 1. Theſſ. 5. verſ. 17.

Et hoc modo intelligendum credo illud CHRISTI Luc. 18. *oportet ſemper orare & non deficere.* Et illud Apoſtoli 1. ad Theſſalon 5. *ſine intermiſſione orate*: Non quòd omni momento ex præcepto teneamur orationem fundere; ſed quia omni momento imminet aliqua neceſſitas pro qua orandum eſt ità ut nullum ſit momentum vitæ, quod oratione non indigeat, ſivè illo momento oretur actualiter, ſivè priùs oretur ut in iſto momento Deus nos ſervet, ſivè poſt ut gratiæ Deo agantur pro conſervatione à malo, vel pro miſericordia contra infirmitates & peccata ſupplicetur. Et in hunc ſenſum omnes patrum expoſitiones redeunt. Undè eſt illud ſancti Auguſtini de Pelagianis Epiſt. 92. ad Innocentium Papam,

S. Auguſt. Epiſt. 92. in initio.

qui quia gratiam tollebant: (*Nobis* inquit) *etiam dominicam orationem impijs diſputationibus auferre conantur.*

CONCLUSIO II.

Datur præceptum divinum naturale de orando.

Datur præceptum divinum naturale adultis orandi Deum pro ſalute & ſalutaribus donis obtinendis, ſub peccato mortali hominem obligans. Colligitur hæc concluſio ex ſuperiori. Cùm enim oratio ſit medium neceſſarium ad ſalutem obtinendam, indè benè infertur præceptum divinum naturale oratiooem præcipere: præcepto enim divino naturali tenetur adultus procurare ſuam ſalutem medijs congruis & neceſſarijs; atqui oratio eſt medium ad ſalutem neceſſarium; ergò per illam tenetur adultus procurare ſalutem. Et hanc concluſionem docet univerſalis omnium gentium quantumvis barbararum & Infidelium conſenſus: nulla enim fuit natio tam barbara aut infidelis, quæ Deum aliquem ſivè verum, ſivè falſum invocandum non crediderit: quòd & ex Scriptura & ex Hiſtorijs ità clarum eſt, ut ſuperfluum ſit Hiſtorias & loca hic annotare. Quinimò, etſi aliqui Hæretici viſi ſint neceſſitatem orationis indirectè negare ob fatalitatem & neceſſitatem rerum eventibus impiè affictam: nunquàm tamen orationem expreſsè negarunt.

Dixi (*Præceptum divinum naturale*) Hoc enim ita naturæ principijs fidei lumine illuſtratis inſitum eſt, ut ſpiritu ſancto ſuperfluum viſum fuerit illud formali & explicito præcepto in ſacris litteris repetere aut declarare: quemadmodùm enim ſuprà ſingulare præceptum de deligendo ſeipſum datum non fuiſſe docuimus, quia illud nimis naturæ eſt impreſſum; ita non fuit neceſsè homini formale præceptum de orando Deum poſitivâ lege replicare: quia continuæ indigentiæ & neceſſitates ad illud nos ſatis urgent, cujus nec oblitus erat dives epulo in medijs tormentis. Nota.

Dixi (*ſub peccato mortali*) unde inter peccata impiorum Pſalmiſta Pſalm. 13. enumerat, quòd: *Dominum non invocaverunt.* Et Eccleſiaſtici 16. de gigantibus dicitur: *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſua virtute.* Pſalm. 13. verſ. 9. Eccli. 16. verſ. 8.

Dixi (*Adultis*) cùm enim oratio ſit actus humanus & hominis jam ratione utentis, non niſi adulto competere poteſt. Reſtant porrò nonnulla explicanda, quæ dubijs particularibus meliùs explicabuntur.

Dubium I.

An modus aliquis precandi ſub præceptum divinum naturale cadat?

Modus orandi attendi poteſt vel in forma orationis, vel in tempore, loco, ſitu, &c.

Reſpondeo primò nullus modus orationis ſub præceptum divinum naturale cadit; ſed ſola orationis ſubſtantia ſivè eſſentia. Ratio clara eſt ex authoritate negativa tum Scripturæ, tum cujuſvis traditionis aut hiſtoriæ. Et in primis forma orandi à CHRISTO præſcripta (præterquam quòd ſit juris poſitivi) nullo tamen præcepto eſt inducta. *De modo orationis.*

Reſpondeo ſecundò, Quoad tempus orandi, etſi præcipua tempora, matutinum, meridianum, veſpertinum, imò mediæ noctis, ſint ut opportuniſſima ab antiquis uſurpata: nullum tamen præceptum naturale ex uſurpatione & uſu illo deduci poteſt. *De tempore orationis.*

Reſpondeo tertiò, De loco orationis nihil determinatum legimus, quinimò S. Paulus 1. ad Timoth. 2. *Volo ergò* (inquit) *viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione,* quæ omnia ſunt juris naturalis. *De loco.* 1. ad Timoth. 2. verſ. 8.

Reſpondeo quartò, de ſitu in oratione obſervando nullum etiam extat præceptum ſingulare. Conſtat etiam cuiq; illum ſitum liberum eſſe jure naturæ qui magis ſibi placet: Undè aliqui ſtantes orabant, ut de publicano Luc. 18. legitur: alij ſedentes, ut de Apoſtolis orantibus & expectantibus Spiritum Sanctum Actor 2. Et de contemplativo dicitur Thren 3. *Sedebit ſolitarius & tacebit quia levavit ſuper ſe*: Alij genuflexi 3. Reg. 8 1. Eſdræ 9. Dan. 6. Alij, ſuper terram proſtrati. 1. Eſdræ 8. Judith. 9. *De ſitu.* Luc. 18. Act. 2. Thren 3. verſ. 28.

Thren. 3. Verſ. 29. Thren. 3. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Alij velut in globum contracti 3. Reg. 18. de Elia qui pronus in terra poſuit faciem inter genua ſua. Alij in gyrum ſe vertebant, ut hiſtorici de nonnullis Ethnicis ferunt. Unicuique itaque ſuus ſitus placere poteſt, modò ſubſtantia ſive eſſentia orationis ſervetur, id eſt, modò quis Deum ut omnis boni auctorem agnoſcens, ipſi fiat ex corde ſupplex.

Dubium. 2.

Quando obliget præceptum divinum naturale de orando Deo?

Respondeo primò, Ex natura præcepti divini naturalis nullum tempus determinatum eſſe, quo quis omittens orare, cenſeatur peccare mortaliter. etſi enim, ut præceptum affirmativum, ad ſemper & non pro ſemper; ſed pro aliquo tempore obliget; illud tamen tempus ex natura præcepti determinatum non eſt.

Reſpondeo ſecundò, ex natura circumſtantiarum indigentiæ, neceſſitatis vel indirectâ aliqua obligatione tempus illius obligationis prudenti æſtimatione æſtimandum eſſe *Ex. g.* in gravi mortis vel damnationis periculo, tentatione valida, & quandò præceptum aliquod urget quod orationem annexam indirectè habet, ut quandò quis debet conteri, de peccato pœnitere; tenetur enim tunc miſericordiam Dei poſtulare & Deo ſupplex eſſe.

QUÆSTIO V.

An præter præceptum divinum naturale detur aliud præceptum de orando Deo?

CONCLUSIO I.

NUllum datur univerſale præceptum de orando Deo præter divinum naturale. Hæc Concluſio non niſi auctoritate negativâ probari poteſt: omnia enim, quæ de oratione ſunduntur in univerſa ſcriptura traduntur, aut promiſſiones ſunt, quibus Deus orantibus exauditionem & beneficia repromittit, aut exhortationes & conſilia, quibus ſcriptura ad orationem hortatur, aut neceſſitates indicant quæ ex jure naturæ orationem fieri poſtulant.

Dixi (*univerſale*) de alijs enim præceptis ſtatim agendum eſt.

CONCLUSIO II.

Speciale præceptum de orando, &c.

DAtur præceptum divinum poſitivum tertiò perſonis Deum orandi: Hæc concluſio demonſtrari poteſt in Sacerdotibus tam legis naturæ, quam legis Moſaicæ & legis gratiæ qui cùm fuerint aſſumpti in Domini ſortem, ut medij inter Deum & populum, ad offerenda ſacrificia & orationes fundendas, certum eſt etiam aliquo præcepto divino poſitivo obligatos fuiſſe ad orandum pro populis & Eccleſia ſancta Dei. Hæc omnia ex ſcriptura manifeſta ſunt in toto Levitico: ubi dicuntur Sacerdotes aſſumpti ut miniſtrent & accedant ad Deum, orentque pro ſe, pro domo ſua, pro Filijs Iſraël & pro cunctis peccatis eorum. Undè eſt illud Ioël. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo*, &c. Et Ezech. 13. Sacerdotes ſub nomine Prophetarum reprehenduntur: *Non aſcendiſtis* (inquit) *ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini*: Quæ de oratione ſunt intelligenda: generaliter ad Hebr. 5. de omni ſacerdote ſub nomine pontificis dicitur: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: Et in Apoc. cap. 5. Seniores 24. quos Sacerdotes novæ legis interpretatur S. Auguſtinus *lib. 20. de civit. c. 9.* ſinguli habebant citharas & phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, quorum obligatio canendi Deo laudes per citharas, orandi verò per phialas, ſignificatur. Qualiter autem & quomodò Sacerdotes & alij beneficiati obligentur, dicemus poſteà cum de divinis officijs publicis & Horis Canonicis agemus.

Ioel. 2. verſ. 17.

Ezech. 13. verſ. 5.

Heb. 5. v. 1.

CONCLUSIO III.

Præcepta poſitiva varia de orando, &c.

VArijs alijs præceptis indirectis, humanò-divinis & humanis, homo interdum obligatur ſub peccato ad orandum. Poſſunt autem hæc ad tres titulos reduci. Nimirum *ſtatus, pacti*, & *impoſitionis: titulo ſtatus*: ut religionis, quandò religioni annexa eſt obligatio orandi ſive ex regula ſive ex præcepto. Ad quem titulum revocatur obligatio, quæ ex ſimplici voto aliquas orationes perſolvendi oritur, ex ſimilitudine orationis: qui enim voto ſe obſtrinxit ad orandum, indirecto præcepto obligatur orare, quia indirecto præcepto tenetur ſua vota Domino reddere. Huc etiam refertur obligatio Sacerdotum, prout certum eis officium divinum ab Eccleſia eſt determinatum.

Titulo pacti obligantur orare: qui ex pacto implicito vel explicito paciſcuntur: ut qui ex fundationibus vel inſtitutionibus aut teſtamentis ad hoc obligantur.

Titulo impoſitionis, orare debent: quibus vel in pœnitentiam vel in obedientiam preces & orationes legitimâ auctoritate ſunt injunctæ.

Appendix.

Variæ quæſtiones breviter remittuntur.

HIc nonnullas quæſtiones aliqui multiplicant: utpotè, quis orandus? pro quibus orandum? Et quid in oratione petendum? verùm longior harum quæſtionum deductio ad rem noſtram non pertinet. Sufficit enim quòd in expoſitione diffinitionis orationis diximus Deum ſolum abſolutè & terminativè orandum; Sanctos autem tranſitivè ut adjutores

& ad-

& advocatos qui Deum pro nobis orent. Sufficit quòd ibidem docuerimus pro bono Dei & noſtra ſalute ſupplicandum eſſe. Alterum verò, pro quibus orandum ſit, facilè intelligitur, nimirùm pro ijs omnibus, pro quibus aliquod bonum ſalutare impetrari poteſt: ut pro viatoribus & ijs, qui etſi extra viam mortalem ſint; necdùm tamen ſunt in termino, ut ſunt animæ, quæ in purgatorio expiantur. Verùm hæc latiùs examinare, noſtri inſtituti non eſt.

TITVLVS III.

De Horis Canonicis & alijs officiis orationum ab Eccleſia inſtitutis.

PRÆAMBULUM.

De officiis divini ratione & diverſitate.

ANtequàm ad particularia deſcendam, nonnulla hic prænotanda ad perfectiorem doctrinæ de Horis Canonicis & alijs divinis officijs, magiſque diſtinctam cognitionem, *Primò igitur:* officium divinum nihil eſt aliud, quàm: *Ritus aliquis religioſus externus, publicâ auctoritate Eccleſia inſtitutus, & certis perſonis impoſitus ad Deum Eccleſia nomine colendum & deprecandum.*

Definitio divini officii.

Dixi (*Ritus religioſus*) ad virtutem enim religionis ſpectat.

Dixi (*externus*) cùm enim officium divinum ordinetur ad utilitatem viſibilis Eccleſiæ, neceſſe eſt ut externo ritu perficiatur.

Dixi (*publicâ authoritate inſtitutus*) ad excludendos ritus & orationes privatas, quas quilibet pro ſua devotione aſſumit.

Dixi (*certis perſonis impoſitus*) utpotè clericis, Sacerdotibus, Epiſcopis, & hujuſmodi Eccleſiæ miniſtris Dei cultum ſpeciali Eccleſiæ inſtituto deputatis: eò enim ipsò quò Eccleſia publicos ritus inſtituit, eis miniſtros præficit, ut ritè peragantur: ut in antiquo teſtamento de Sacerdotibus, Levitis, cantoribus, lectoribus, &c. manifeſtum eſt.

Dixi (*ad Deum colendum & deprecandum*) omne enim officium divinum duobus his actibus innititur, cultui ſcilicet & deprecationi Dei ſub quibus laus, gratiarum actio, obſecratio, benedictio & alij actus ſimiles comprehenduntur. Et ex his *officium* illud nuncupatur *divinum.*

Hanc officij divini nuncupationem uſurpant SS. Patres, *Fabianus I. epiſtola 1. ad omnes Epiſcopos:* Ubi docet: ſeptem diaconos in urbe Roma per ſeptem regiones civitatis diſtributos per ſingulas hebdomadas atq; feſtivitatum ſolemnia cum ſubdiaconibus & acolythis ac ſequacium ordinum miniſtris, omni horâ paratos fuiſſe ad divinum officium peragendum. Et addit: *Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per ſingulas civitates eſt faciendum, ut divinum, abſque ulla mora & negligentia, ſtudioſè ac ſolemniter agatur officium,*

Fabian Papa Epiſt. 1. ad omnes Epiſcop.

Dixi (*Eccleſia nomine*) hoc enim ſpecialiter obtinent ritus officiorum divinorum, pro ut ab Eccleſia inſtituta ſunt, ut in eis fides Eccleſiæ ſingulariter operetur, & nomine Eccleſiæ Deo præſententur, nec ab actione ſola operantis æſtimari in meritu & virtute debeant.

Diviſio divini officii.

Prænotandùm ſecundò, divinum officium prout in Eccleſia inſtitutum eſt, diverſis ſecari membris: ſunt autem quatuor præcipua, nimirùm: *Hora Canonica* cum nonnullis adjunctis: *ritus ſacro-ſancti ſacrificij & Sacramentorum: proceſſiones, Litania & ſtationes*, &c. *benedictiones varia* ſub quibus exorciſmi & alia id genus continentur. De quibus omnibus ſpeciatim, ac primò tanquam de univerſaliori & magis communi, de Horis Canonicis, prout titulus hic præſe ferebat, agemus. Sit itaque,

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur, & quot ſint Horæ Canonicæ?

CONCLUSIO I.

HOra Canonicæ dicuntur: *Officia quædam divina quæ Pſalmis, Hymnis, cantitis, Sacra ſcripturæ verbis ac ſanctorum doctrinâ publico ritu conſtructa, per ſingulorum dierum certas horas regulariter diſtribuuntur.*

Diffinitio Horæ Canonicæ.

Undè illa officia dicuntur *Horæ*, quia diſtributis horis ex Eccleſiæ præcepto dicuntur. Vocantur autem *Canonica*, quia regulatæ ſivè regulariter ab Eccleſia compoſitæ & impoſitæ ſunt juxta Canones Eccleſiaſticos, ut diſtinguantur ab alijs precibus ac obſervationibus quæ à pijs certis horis uſurpantur.

Dixi (*quæ Pſalmis, Hymnis* &c.) Hæ enim Horarum Canonicarum ordinariè partes integrales ſunt, & vix invenire eſt Horas, quæ his non conſtituantur.

Portò Horis Canonicis adnectuntur: *officium* ſivè *vigilia defunctorum, ſeptem Pſalmi pœnitentiales, Officium B. Mariæ, Pſalmi graduales*, & alii ritus in Breviario adjuncti, quia, prout in Breviario ponuntur, certæ horæ eis præſcriptæ ſunt, ut juxta uſum Romanæ Eccleſiæ temporibus ſuis perſolvantur.

CONCLUSIO II.

SEptem Horis Canonicis officium divinum nocturnum pariter & diurnum diſtribuitur: nimirum: *matutino* adjunctis *laudibus, primâ, tertia, ſexta, nonâ, veſperis, completoris.* Hæc concluſio patet ex communi Eccleſiæ ab antiquo Traditione, & continua in hunc diem uſurpatione, cujus Traditionis meminit. Clemens Rom. lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 34. *precationes* (inquit) *facitè manè, tertia hora, ac ſextâ, & nonâ, & veſperè, atque ad gallicantum.* Ubi per *manè* intelligit *primam.* Per *gallicantum* (qui ſtatim poſt mediam noctem fieri conſuevit) *matutinum* ſignificat. Et ibidem refert myſteria harum horarum. *Manè* (inquit) *gratias agentes, quod illuminarit nos nocte ſublatâ, & reddito die: tertiâ, quod eâ*

Septem Horæ Canonicæ.

Clemens Rom. lib. 8 conſt. Apoſt. cap. 34.

Myſteria Horarum Canon.

eâ horâ Pilatus judicium adverſus Dominum pronunciavit: Sextâ, quod eâ horâ in Crucem actus eſt: Nonâ, quod tum omnia mota & tremefacta ſunt, Domino crucifixo: quià horrerent audaciam impiorum Iudaeorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent: Veſpere, quod noctem dederint ad requieſcendum à diurnis laboribus. Ad gallicantum, quod ea hora nunciet adventum diei ad facienda opera lucis, &c. Hæc ibi: lege & præclariſſima apud S. Cyprianum *in expoſitione orationis Dominicæ* ad finem. Baſilium magnum *in regulis* fuſius *diſput. interrog.* 37. Conſule & Caſſianum *lib. 3. de inſtitutis cœnobiorum cap. 1 uſque ad 4.* incluſivè. Denique vide concilium Cabilonenſe. 2. *cap.* 59.

Horarum antiquitas ex ſcriptura. Antiquitatem porrò in determinatione harum ſeptem horarum ſequuta eſt, S. Mater Eccleſia: nam & Pſalmiſta David ſanctæ hujus conſuetudinis meminit Pſalm. 118. dum ait:
Pſalm. 118 verſ. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*; & *matutinum* qui-
verſ. 60. dem deſignat, dum ait: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ.*
Pſalm. 6. verſ. 7. Item Pſalm. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Item
Pſalm. 118 verſ. 55. *Memor fui nocte nominis tui Domine* &c. Demùm
Pſalm. 62. verſ. 7. Pſalm. 62. *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te. Primæ* meminit eo-
Pſalm. 118 verſ. 148. dem Pſalmo 118. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo:* Item Pſalm. 5. *Mane aſtabo tibi & videbo,*
Pſalm. 5. verſ. 5. Item temporibus tribus omnem horarum di-
Pſalm. 54. verſ. 18. ſtributionem complectitur Pſalm 54. *Veſperè & manè & meridiè narrabo, & annuntia-*
Pſalm. 131. verſ. 3. 4. *bo*. De Completorio Pſalm: 131. *Si aſcendero in lectum ſtrati mei: Si dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam locum Domino.* In Eſdra etiam libro 2. cap. 9. legitur quòd populus quater in die & quater in nocte confiteretur & adoraret Dominum: Indicans *pro nocte* Veſperas, Completorium, Matutinum & Laudes: *Pro die* Primam, Tertiam, Sextam & Nonam.
Act. 3. v. 1. SS. Petrus & Joannes etiam Actor. 3. *Aſcen-*
Act. 10. verſ. 9. *debant in templum, ad horam orationis nonam.* Et Actor 10. S. Petrus *aſcendit in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam.* De his omnibus vide Auctores, neque enim prolixior horum declarationoſtri inſtituti eſt.

QUÆSTIO II.

An ſit aliquod præceptum obligans ad Horas Canonicas perſolvendas, & quale illud ſit?

PRo reſolutione repetenda ſunt quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt. *Primò*, de oratione & obligatione ſivè præcepto orandi. *Secundò*, de præcepti illius determinatione. *Tertiò*, de variis modis quibus homo obligatur, nimirùm, ex vi ſtatus, ex *vi* pacti & virtualis contractus, ex vi impoſitionis: juxta hos enim modus obligationis varia oriuntur præcepta.

CONCLUSIO I.

NUllum datur præceptum divinum ſpeciale & directum recitandi Horas Canonicas, præter univerſale illud naturale divinum orandi. Conſtat ex dictis ſuprà toto titulo de oratione. *Præceptũ nullum divinum.*

CONCLUSIO II.

DAtur præceptum Eccleſiaſticum certas perſonas obligans ad legendas Horas Canonicas, prout ab Eccleſia inſtituta & ordinata ſunt.* Ità habetur libro 3. Decret. Tit. 41. De celebratione Miſſarum & divinis officiis ex Concil. Agathenſi cap. 1. cujus præcepti explicatio ponitur *cap. 9. Dolentes* ibid. ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi relatis variis abuſibus tam Clericorum minorum, quàm Eccleſiarum Prælatorum, tandem ſubjungit Sacrum Concilium: *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè.* Hæc ibi: quia verò ex intellectu hujus præcepti omnia ferè, quæ ad Horarum Canonicarum debitam recitationem pertinent, omninò dependent, ad conſcientiarum ſerenationem illud diſtinctè cum omnibus ſuis obligationibus expendemus. *Præceptum Eccleſiaſticum.* *Conc. Lat. C. dolentes de celebr. Miſſa*

QUÆSTIO III.

Quid circa Horas Canonicas decernatur Cap. dolentes.

CONCLUSIO UNICA.

DUo potiſſimùm demandantur in *Cap. Dolentes.*

Primò, Omnis abuſus, imperfectio & irreverentia externa in officiis divinis tum in Horis Canonicis, tum in Miſſarum celebratione, nec non cauſæ abuſuum & imperfectionum prohibentur idque ſub pœna gravi ſuſpenſionis. Ità Textus: *Dolentes* (inquit) *referimus, quòd non ſolùm quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa commeſſationes ſuperfluas & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduũ relinquentes vix ad diurnum concentum avium excitantur* (Id eſt tardiùs excitentur) *tranſcurrendo utique continuâ ſyncopâ matutinum.* Infrà reprehendit eos, qui vix quater in anno celebrabant, ac Miſſarum ſolemnijs & divinis officiis indevotè intererant: *Et ſi quando* (inquit) *dum hæc celebrantur, interſint, chori ſilentium fugientes intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina.* Et pœnam ſubjungit. *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus,* Quæ latiùs perſtringũtur à Clemente V. *in Concilio Viennenſi in Clement. de celebratione Miſſarum cap. 1. Tit.* 14. ubi ſimiliter condemnantur ij, qui pſallunt tranſcurrendo, ſyncopando, extranea colloquia, vana, profana aut inhoneſta intermiſcendo, tardè veniendo ante finem

Duo præcipiuntur C. dolentes *C. dolentes ſuprà.* *Ibid.*

finem egrediendo, canes venaticos ſecum ducendo, &c.

Secundò, Imponitur modus Horas Canonicas perſolvendi ſub graviſſimo præcepto obedientiæ; qui quidẽ modus ſpecificatur per duas particulas *ſtudioſe* nimirùm & *devotè*, ita enim textus: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè*

Corollarium.

EX quo capite & ejus verbis expreſſis duo colliguntur.

Primum: Omnem gravem imperfectionem, irreverentiam, & diſtractionem etiam externam in officio divino eſſe peccatum mortale. Ratio petenda eſt ex pœna ſuſpenſionis quæ infligitur, quæ cùm graviſſima ſit, peccatum mortale præſupponit. Quæ autem ſit gravis irreverentia vel imperfectio aut diſtractio externa reputanda, infrà dicetur.

Secundum. Peccare ſimiliter peccato mortali eum, qui in materia gravi & ſufficienti voluntariè in *ſtudioſitate* aut in *attentione* præcepta deficit: qui termini etiam in ſequentibus ſunt explicandi. Et ut extra fumos opinionum doctrina hæc omnibus perſonis Eccleſiaſticis tam neceſſaria diſtinctiùs procedat, illá ſex ſectionibus abſolvemus, quarum *Prima*, de perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis. *Secunda*, de peccatis eorum, qui Horas Canonicas vel earum partem omittunt. *Tertia* de *ſtudioſitate* ad Horas Canonicas legitimè perſolvendas ex præcepto *cap. dolentes*, requiſita. *Quarta* de peccatis contra *ſtudioſitatem* requiſitam. *Quinta*, de *devotione* ſimiliter ſub præcepto & pœna peccati mortalis in dicto *capite dolentes*, demandata. *Sexta*, de peccatis, quæ contra *devotionem*, in Horis Canonicis requiſitam committuntur.

Diviſio totius tituli per ſectiones.

SECTIO I.

De perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis.

QUÆSTIO I.

Quæ perſonæ ad Horas Canonicas obligentur?

Diſtinctio Perſonarũ.

DIſtinguendum eſt primò, de perſonis ad Horas ſimpliciter & abſolutè dicendas obligatis, abſtrahendo à choro & privata lectione. *Secundò*, de perſonis tantùm ad privatam recitationem obligatis. *Tertiò*, de perſonis ad chorum obligatis. *Quartò*, de perſonis obligatis ad chorum tantùm ad aſſiſtentiam, vel ad certa tempora. Super quibus ſingulas ponemus concluſiones. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Perſonæ obligatæ ad Horas. &c.

AD *Horas ſimpliciter & abſolutè legendas* (abſtrahendo à choro vel privata lectione) *tenentur ſub peccato mortali*. 1. Sacerdotes. 2. Majoribus ordinibus initiati, ſubdiaconatu ſcilicet & Diaconatu. 3. Beneficiati. 4. Religioſi & Moniales, quibus ex regulæ ſuæ præcepto hoc onus impoſitum eſt. 5. Qui aliquo ſpeciali titulo voti aut pacti, ſe ad hoc obligaverunt.

Sacerdotes & ſacris ordinibus inſigniti.

Et quidem de Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis communis Eccleſiæ ſenſus obligationem illam ſupponit, & eò ipsò quo quis voluntariè ordines ſacros ſuſcipit, huic oneri ſe obligare cenſetur. Et hanc obligationem ſupponit *Concilium Baſileenſe* ſeſſ. 21. Et communiter in *cap. dolentes*. Sacerdotes & in ſacris ordinibus conſtituti ſub minoribus Clericis intelliguntur.

Beneficiati

De beneficiatis, ſivè beneficia cum cura animarum, ſivè abſque cura poſſideant, habent Decretum amplum in *Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. de reformatione curiæ §. 38. ſtatuimus quoque & ordinamus*, Et refertur in Bullario Cherubinorum *conſtit. 7*. Quod decretum repetit & innovat *Pius V. conſt. 135.* quæ incipit: *Et proximo Lateranenſi Concilio*, data *anno* 1571. ubi & declarat peccatum grave committere beneficiatos, qui ſine rationabili excuſatione Horas Canonicas non legerint, etiam primis ſex menſibus ab obtento beneficio; poſt ſex menſes autem ad reſtitutionem fructuum pro rata obligari. Et nè quis de ratione beneficiorum dubitet, ſub beneficijs ſequentia comprehendit: *Declarantes* (inquit) *præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*. Subdit verò de Penſionibus: *At quicumque penſionem fructum aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædictum ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum fructuum rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Pius V. conſt. 135. Quæ incipit Et proximo, &c.

Religioſi & Moniales.

De religioſis & monialibus conſulendæ ſunt Regulæ illorum. Certum eſt enim Fratres minores cujuſcumque congregationis, obſervantiæ, aut reformationis ſint, ex Regula obligari ſub peccato mortali ad Horas Canonicas, ſic declarante præceptum Regulæ *Nicolao IV. & Clemente V. in ſuis extravagantibus*, quæ in jure communi referuntur. De monialibus Annuntiatis clarus eſt etiam Regulæ illarum textus. Unde notanter dixi ſuprà (*quibus ex Regula ſuæ præcepto hoc onus impoſitum eſt*) neque enim credere poſſum religioſus vel moniales ſolo ſpectato titulo religionis, obligari, ſaltem perſonaliter & in privato, ad Horas Canonicas ſub tanta obligatione, niſi aliundè præceptum aliquod probetur, ut poſteà examinabimus.

CONCLUSIO II.

Qui obligentur ad Horas privatas tantùm.

QUi ſolo ordinum titulo aut beneficiorum, quæ nullum ſervitium chori ſivè Eccleſiæ habent annexum, aut ſolo præcepto vel voto à choro abſtrahente obligantur ad Horas Canonicas, cenſentur ad privatam tantùm lectionem obligari. Concluſio ex terminis clara eſt. Neq; enim quis extra terminos tituli obligari poteſt: ubi igitur titulus ſimplex eſſe ſupponitur, & nullum chori vel Eccleſiæ ſervitium ſonat, non eſt ratio cur hoc eis onus imponatur. Quia tamen in conciliis & Canonibus variis ſæpe fit mentio clericorum, & obligationis eorum ut officiis divinis certis diebus & horis interſint, ne in canonum & decretorum intelligentia confuſio aliqua oriatur, diſtinctis quæſtionibus res eſt pertractanda.

QUÆSTIO II.

Qui obligentur ad Horas Canonicas & alia officia in choro perſolvenda, & ſub qua obligatione?

PRo accurata & diſtincta reſolutione hujus quæſtionis, *Advertendum eſt primò*, duplices actiones concurrere ad Horas Canonicas ſivè officia divina, prout in choro publico ritu perſolvuntur.

Actiones eſſentiales divini officio.

Aliquæ ſunt *eſſentiales*: ut aſſiſtentia religioſa in choro, lectio ſivè recitatio horarum ſtudioſa & devota, quæ voce clatiori fit, alternis choris pſallentibus, aut Eccleſiaſtico more concurrentibus.

Actiones accidentales.

Aliæ ſunt *accidentales*: ut modulationes, cantus muſici, aſſiſtentia honorabilis & velut ad pompam, ſolemnes quidam ritus externi ad decorem & magnificentiam, juxta rationem patriæ & religionis introducti.

Advertendum ſecundò, duplicem etiam obligationem reſpectu divini officij in choro perſolvendi diſtingui debere. Alia enim eſt *realis*

Obligatio realis tantum.

tantum: Alia eſt *perſonalis*: *realis tantùm* dicitur, quæ non reſpicit ſingulas perſonas in individuo; ſed ipſam rem ſolam ſivè officium divinum in choro dicendum afficit, quam exprimere poſſumus generali termino per obligationem: *ut Horæ Canonicæ* ſivè *divina officia in choro dicantur ſub peccato mortali*, à quibuſcumque

Obligatio perſonalis.

tandem id fiat. *Perſonalis obligatio* dicitur, quæ perſonas in ſingulari & individuo afficit, quam exprimere poſſumus per obligationem non tantùm *ut officium illud in choro fiat*, ſed *ut à talibus in individuo perſonis* utpotè *canonicis, præbendariis, beneficiatis*, &c. perſolvatur.

Attendenda fundationes.

Advertendum tertiò, ad dignoſcendas ſupradictas obligationes oportere attendere ad fundationes ipſas, & fundatorum voluntates; prout ab Eccleſia ſunt contractu naturali & civili acceptatæ. Cùm enim beneficium propter officium conferatur: obligatio ad officium debet expendi juxta conditiones in litteris fundationis expreſſas.

Advertendum quartò, cum beneficia non fundentur niſi de Eccleſiæ conſenſu & approbatione: ſicut beneficia cum fructibus & juribus tranſeunt in gradum rerum ſpiritualium, ſivè etiam ſpiritualibus annexarum; ſic diſpoſitiones de illis ſucceſſu temporis tranſire in jus & regimen ſpirituale Romanæ Eccleſiæ, cujus eſt de illis, ſervatâ juſtitiâ & æquitate, juxta rationem temporum & aliarum circumſtantiarum decernere, prout in canonibus & concilijs variè factum eſſe ex decretalium libris & jure canonico conſtat, juxta quas diſpoſitiones fundationum litteræ intelligendæ & interdùm modificandæ ſunt.

Beneficia & fructus ſunt res ſpirituales

Advertendum quintò, Juxta diverſa miniſteria in choro ſivè Eccleſia, diverſas etiam obligationes perſonarum menſurari debere: alij enim, tantùm ad chorum vel chori aſſiſtentiam tenentur: alij, ad cantum: alij, ad muſicam: alij, ad aliquas horas chori, & non ad alias, &c. Quæ ſingula, quia ubique idem modus & ordo non ſervatur, præcisè dinumerari non poſſunt: omnium autem obligatio ex natura miniſterij & fundationibus expendi debet.

Diverſæ obligationes circa præſentiã in choro.

Advertendum ſextò, In ijs qui choro vel officiis aſſiſtere debent, duplicem diſtinguendam eſſe *aſſiſtentiam*: alii enim tenentur ad *aſſiſtentiam religioſam*, quæ eſt actus vel effectus religionis virtutis ſupernaturalis, quâ quis aſſiſtit præcisè, ut ejus præſentiâ Deus colatur, adoretur, benedicatur, &c. Alij ad *aſſiſtentiam pompaticam*, quæ eſt actus honeſtatis, quâ quis ſuâ præſentiâ ſolemnitatem, actum vel perſonam aliquam honorat, ut eſt aſſiſtentia invitatorum ad pompam celebritatis & funeris, ſine concurſu obligante ad ſacra officia, vel miniſteria: quæ omnia in hac materia notanda ſunt, ſi quis peccatum diſcernere velit.

Duplex aſſiſtentia.

CONCLUSIO II.

Datur obligatio realis non perſonalis.

DAtur interdum obligatio tantùm realis publicè cantandi Horas Canonicas & alia officia divina celebrandi in Eccleſia, Templo ſeu Capella, quæ perſonalis non eſt, ſivè quæ ſingularem in individuo perſonam non obligat; ſed generaliter tantùm obligationem inducit, ut horæ opportuno tempore cantentur, à quibuſcumque id fiat. Concluſionem indicant canones multi: undè in Clement. de celebratione Miſſarum cap. 1. decernitur ut: *In Eccleſiis Cathedralibus, regularibus, & collegiatis horis debitis devotè pſallatur. In aliis verò convenienter & debitè celebretur divinum diurnum & nocturnum officium.* Et in decret. eodem Tit. cap. 1. ex Conc. Agathen. Presbyter (inquit) *mane matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamq; perſolvat, ità tamen ut horis competentibus juxta poſſibilitatem aut à ſe aut à ſcholaribus publicè compleantur.* Et ex eodem concilio Agathen. c. 64. ut habetur apud Gratianum 7. Quæſt. 1. cap. 29. *Si quis*, dicitur: *ſi quis, in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt, Nativitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte* &c. *convenit, ut triennio à*

Clemen. I. de celebr. Miſſa.

Concil. agat. c. 1. de celebr. Miſſa.

Idem. 7. q. 1. c. 29. ſi quis.

com-

Communione ſuſpendatur : ſimiliter: diaconus vel preſbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat. Et alia habentur in Concil. Carthag. IIII. cap. 49. & Carthag. V. Ubi clerici choro deputati coguntur, pœnis impoſitis adeſſe officiis quæ in Eccleſia loci habitationis ſuæ celebrantur.

Publica officia ſunt pro utilitate populi inſtituta.

Ex quibus *deducitur primò*, propter obligationem communem indeterminatam tamen, quâ populus tenetur jure naturæ ad Deum colendum, orandum, & laudandum, Eccleſiam & Eccleſiæ Dei rectores determinaſſe certas horas quâlibet die, & certa tempora, quibus oratio communis vel laudes divinæ celebrarentur in qualibet congregatione populi: ut nimirùm populus incitaretur ad Deum laudandum & orandum, & ſatisfaciendum obligationi quam habet ex præcepto naturali colendi Deum: quo ſenſu dixit S. Thomas Opuſc. 19. cap. 5. *Orationibus & Pſalmis vacare in Eccleſia, eſſe quoddam opus publicum ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum.* Quomodo & in Eccleſia Hebræorum convocabatur populus ad certas horas ſacrificiorum manè & veſperi: & Luc. 1. notatur: quòd dum Angelus Gabriel apparuit Zachariæ: *Omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.*

S. Thom. opuſc. 19. cap 5 circa finem.

Luc. 1. v. 10.

Publica officia ſpecialibus dotibus fundata.

Deducitur ſecundò, aliquibus fundationibus pijs, vel ſtipendijs & conditionibus populi officia illa divina fundata fuiſſe, ut miniſtri illa celebrantes ſuſtentari poſſent. Unde in Concil. Carthag. IIII. dicitur: *Clericus, qui abſque corporis ſui inæqualitate* (id eſt infirmitate) *vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur.*

Conc. Carthag. 4

Obligationes communiter non fuerunt perſonales.

Deducitur tertiò, etſi miniſtri varij ad prædicta officia celebranda eſſent deputati, obligationem tamen communiter non fuiſſe perſonalem, quaſi ipſi per ſe ſub peccato obligarentur illa celebrare, ſed realem ut nimirùm curarent officia illa celebrari, ſive ut defectu perſonarum officia non negligerentur vel relinquerentur. Patet *ex cap. preſbyter* ſupra allegato: Ubi permittitur presbytero, ut ſi non adſit, ſaltem per ſcholares curet Horas Canonicas cantari. Qualiter autem hæc officia antiquitùs complerentur, latè refert & decernit concilium Tarracon. cap. 7. his verbis: *De diœceſanis Eccleſiis vel clero, id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſervent, id eſt, presbyter unam faciat hebdomadam,* &c. *ſuccedat diaconus.* &c. *Eâ conditione ſervata, ut omnis clerus die ſabbathi ad veſperam ſit paratus, quo faciliùs die dominico ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur*, ſubdit: *Ita tamen ut omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent:* Hæc ibi. De eâdem ſucceſſione hebdomadali agit Fabianus 1. *Epiſt. ad omnes Epiſcopos.* Ex quibus manifeſtum eſt quemlibet clericum non fuiſſe perſonaliter obligatum, ſed invicem ſucceſſiſſe & vices ſuas alijs, imò & ſcholaribus, potuiſſe cōmittere, tantùm enim requirebatur ut dicta officia in populi utilitatem & ædificationem decenter fierent.

Concil. Tarr. c. 7.

CONCLUSIO II.

QUandocumque Hora Canonica & officia divina indicta ſunt ſolùm ad conventum, congregationem & ſolemnitatem ſive ædificationem populi, cenſetur eſſe tantùm communis obligatio ad officium, non ſingularis ad perſonas.

Quando cenſeatur tantum realis obligatio?

Petes: Unde ſciam Horas, officia, &c. indicta tantùm eſſe ad ædificationem & conventum populi? *Reſpondeo*, varia eſſe hujus inſtitutionis ſigna. Primò, ſi fundatio non ſit determinata ad aliquas perſonas in ſingulari, ſed tantùm in communi, ut officia celebrentur. Secundò, ſi ſtipendia per modum diſtributionum actualium tribuantur præſentibus, juxta miniſterium præſens, & hoc dietim & pro ratione miniſterij. Tertiò quandò clerici & alij miniſtri poſſunt committere vices ſuas alijs, vel pro ſua libertate abeſſe, imò officium facere per ſcholares ſine alia obligatione. Quartò, quando obligatio non eſt acquiſita per beneficium aliquod ſtabile, vel portionem immobiliter perſonæ affectam.

Signa obligationis non perſonalis.

CONCLUSIO III.

ETſi obligatio, quæ reſpicit ſimpliciter chorum & officium, non ſit perſonalis; obligat tamen præfectos & rectores Eccleſiarum, ut dicta officia debitè fieri procurent. Ratio concluſionis petenda eſt ex ratione officij: ſivè enim ſint paſtores immediati, ſive decani ſivè præpoſiti aut alij, quocumque nomine vocentur, in illis cura recumbit non tantùm Eccleſiarum ſibi commiſſarum; ſed etiam ut fundationes, dotationes, præſtimonia & alia ſuum conſequantur effectum. Obligatio itaque realis tantùm in aliquam ſemper perſonam redundat, non quatenùs eſt particularis perſona, ſed quatenùs eſt Eccleſiæ Rector: Adminiſtrator & præfectus. Et juxta rationem omiſſionis ſi ſit gravis, ut plurium dierum, cum ſcandalo & abſq; causa, præfecti peccatum mortale incurrunt; aliàs in materia levi; veniale, ubi verò cauſa juſta ſubeſt, nullum.

Obligatio realis præfectos afficit.

Quando ſit mortale peccatum.

CONCLUSIO IV.

DAtur obligatio perſonalis Horas Canonicas & alia officia perſolvendi publicè & ſolemniter, ita ut non ſufficiat, ſi officium in Eccleſia publicè & ſolemniter per quemcumque fiat; ſed perſonaliter & per ſe, qui hanc obligationem ſubeunt, illud in choro perſolvere teneantur. Hanc concluſionem docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi de canonicis & beneficium ad chorum obligatum obtinentibus, generaliter decernit: *Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia,* &c. *atq; in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè devoteq; laudare.* Concludit & hoc ipſum *cap. dolentes de celebratione miſſarum*, quòd non tantùm de privata horarum lectione; ſed primariò de horarum publica recitatione agere compertum eſt. Ut verò pleniùs res declaretur, & nil intactum remaneat pono juxta perſo-

Datur obligatio perſonalis ad horas in choro.

Conc. Trid. ſeſſ. 24 c 12. de Refor.

etiam alijs diebus omittantur, parochum, ſi ſuâ culpâ hæc omiſſio oriatur, peccare mortaliter in re gravi, quæ quidem gravitas penſanda eſt. *Primò*, ex ſcandalo quod indè oriri poteſt. *Secundò*, ex gravi detrimento populi, qui hoc exercitio orationis & laudis divinæ privatur & in divinis hebeteſcit. Aliquoties verò abſque ſcandalo vel gravi præjudicio omittere, peccatum veniale eſt, &, ſi cum juſta cauſa fiat, nullum.

Reſolutiones Dubiorum.

De obligatione Canonicorum reſpectu Horarum Canonicarum.

Dubium I.

Quo iure Canonici teneantur ad Horas Canonicas, non tantùm privatim; ſed etiam in choro perſolvendas?

Conditiones ut beneficiatus teneatur ad horas.

SUppono primò, privatim ad eas obligari. Hic eſt enim ſenſus communis totius Eccleſiæ Dei, ſuppoſitis conditionibus ſequentibus, quæ in omni beneficio intelliguntur. *Prima*, quòd Canonicatum verè poſſideant, & non in titulum nudum. *Secunda*, quòd fructus beneficij ſivè Canoicatus ad aliquam potiorem partem ſuſtentationis ſufficiant. Si enim adeò exigui ſint fructus, ut ad potiorem partem ſuſtentationis non ſufficiant, non videntur teneri niſi ad obligationem correſpodentem portioni fructuum ex judicio prudentis; partem verò potiorem ſuſtentationis, etſi alij ad decem aureos, alij ad quindecim, alij ad viginti extendant. Ego hoc prudentis arbitrio juxta circumſtantias loci, temporis, perſonæ determinationem relinquendum puto. Mea autem ratio aſſignatæ conditionis eſt: quia obligare ad tantũ onus horarũ totius diei ſub tam exiguo ſtipendio, eſſet meri gravaminis & injuſtitiæ tam ex parte benefactoris ſive fundatoris quã ex parte Eccleſiæ acceptantis illud onus & gravamen tertij. *Tertia Conditio* eſt, ut non ſtet per beneficij poſſeſſorem, quò minùs congruos fructus beneficij recipiat. Si enim ſtet per illum, ſibi imputare debet fructuum carentiam, cujus culpâ fundator non debet fruſtrari ſuæ fundationis fructu & effectu.

Suppono ſecundò, Canonicos ex natura beneficij ad Horas Canonicas in choro dicendas obligari, ut Concil. Trident. ſuprà ſatis expreſſit, dum ad chorum illos teneri declaravit: quæſtio igitur eſt de jure in quo hæc obligatio fundatur.

Obligatio Canonicorum ad chorum, eſt de jure naturæ & juſtitiæ.

Reſpondeo, itaque Canonicos teneri ad chorum ſivè ad Horas Canonicas in choro, ex jure naturæ & virtuali juſtitiæ contractu in fundatione, collatione & acceptatione contento: primò enim Canonicatus fundati ſunt, ut ij quibus conferrentur, officium publicum in choro facerent nec aliter conferri aut acceptari debent aut poſſunt, niſi ſub illo onere. Hoc indicat Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi ſic decernit: *Obtinentibus in eiſdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*, &c. *altoquin primo anno privetur unuſquiſque dimidiá parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac reſidentia fecit ſuos: quod ſi iterùm eádem fuerit uſus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Quibus verbis *Primo*, indulgetur ob varias humanæ vitæ occupationes & neceſſitates aut impedimenta, ut canonicus poſſit abeſſe tribus menſibus, niſi Eccleſiæ ſuæ ſtatutum longius ſervitium fortè requireret. *Secundò* toto cætero anni tempore non poſſe abeſſe decernitur. *Tertiò*, Ut obligationis gravitas declaretur, pœna imponitur ut nimirum, & fructibus præbendæ, quos ex reſidentia fecit ſuos, dimidiam primi anni abſentiæ partem amittat, & ſi relabatur, omnibus fructibus anni abſentiæ privetur. Cujus quidem legis juſtitia non ſubſiſteret, ſi ad chorum Canonici perſonaliter non obligarentur, parum enim referret ſi alibi privatim Horas legerent, aut alio quovis modo eis ſatisfaceret.

Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform.

Duplex in fundatione canonicatuum contractus

Porrò hic *notandum eſt*: In Fundatione Canonicatuum duplicem contineri contractum: primus terminatur ad quemlibet Canonicatum obtinentem in ſingulari, qui exprimi poteſt his verbis: *Facio ut facias*, ſivè, *beneficium fundo, ut qui illud obtinuerit, in choro officium faciat.* Secundus Cnotractus terminatur ad Eccleſiam Fundationes acceptantem, ſive Eccleſiæ præfectos, qui exprimi poteſt his aut ſimilibus verbis: *Fundationes tuæ adminiſtrationi trado, ut officium per eos, qui eas obtinebunt, fieri cures.*

Quos contractus obligent.

Ex primo Contractu tenetur Canonicus ſingulariter ex juſtitia choro adeſſe, aliàs fructus non facit, ſivè injuſtitiam committit: ex ſecundo, Eccleſiæ Prælati ſivè præfecti ut Epiſcopi, Decani Præpoſiti, & capitulorũ capita, tenentur providere ut ipſi Canonicatus obtinentes officio chori interſint: *Item*: Ex ratione primi contractus abſentes ultra trimeſtre (quod lege indultum eſt) tempore abſentiæ fuctus non faciunt ſuos & ſi eos percipiant quovis prætextu, tenentur reſtituere: ex ratione verò ſecundi contractus, Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent abſentes à choro abſque legitima cauſa privare etiam fructibus præbendæ, quos tempore præſentiæ fecerunt ſuos. Clarus eſt *Concilij Tridentini Textus.*

Dubium. 2.

An in conſcientiæ foro Canonici ſub peccato teneantur chori officiis adeſſe?

RAtio dubitandi eſt: quia lex obligans videtur purè pœnalis: Si enim abſint ultra trimeſtre abſque legitima cauſa Eccleſiæ & Capitulo probata, fructus abſentiæ ſuos non faciunt, imò, ut jam dictum eſt, alijs etiam

priva-

privantur. Secundò. Quia diſtributiones amittunt, quæ omnia pœnalia ſunt & in pœnam reſolvuntur hâc conditionali: ſi adfueris, fructus percipies, Sʼ in minùs amittes.

Obligatur canonicus ad chorum in conſcientia. *Reſpondeo* nihilominùs obligationem canonicorum ad chorum non eſſe purè pœnalem; ſed etiam obligare ad culpam in foro conſcientiæ. *Ratio eſt*: quia in contractu fundationis duo continentur & intenduntur, nimirùm ipſa ſubſtantia officii & decor Eccleſiæ, ſivè ſolemnitas publica ac utilitas populi Chriſtiani; videlicet, ut officium publicè fiat, & Deus nomine totius Eccleſiæ laudetur: gravis itaque injuria fit Eccleſiæ ſi ob abſentiam beneficiarorum aut officium ceſſet, aut notabiliter deficiat, cui non ſatisfacit canonicus per pœnalem mulctam, quia privatione fructuum perſonaliter quidem punitur; ſed Eccleſiæ damnum non reparatur, & quamdiu canonicatum poſſidet abſens canonicus, impedit quò minùs alius, qui officium perſolvat, ſubſtituatur.

Cap. dolentes de celebr. miſſ. Conſcientiæ verò culpam manifeſtè declarat cap. dolentes de celeb. miſſarum, ubi diſtrictè præcipit concilium lateranenſe *in virtute obedientiæ & ſub pœna ſuſpenſionis, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & devotè*, quòd de officio chori primariò intelligendum eſt juxta textum & intentionem concilij.

Dubium 3.

Quantum peccatum canonico abeſſe à chori divino officio abſque cauſa juſta?

Reſpondeo primò, id ex gravitate materiæ æſtimandum eſſe; Etſi enim præceptum datum *in virtute S. obedientiæ*, &c. ex vi & natura præcepti indicet peccatum mortale, illud tamen ex ratione materiæ temperandum eſt.

Reſpondeo itaque *ſecundò*, in materia gravi abeſſe à choro, eſſe peccatum mortale. Conſtat ex verbis præcepti: *in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis*.

Quando canonicus mortaliter peccare ob abſentiam à choro. *Reſpondeo tertiò*, gravitatem materiæ ex duobus æſtimandam eſſe. *Primò*, ex detrimento gravi Eccleſiæ: ſi nimirùm ex crebra & diuturna canonici abſentia officium divinum detrimentum grave patiatur, utpotè, quòd vix à paucis fieri poſſit, aut non niſi cum notabili defectu debiti decoris & ſolemnitatis: Unde & Concilij Tridentini interpetes notant, nequidem per tres menſes canonicos ab Eccleſia ſua abeſſe poſſe in tali numero, quo Eccleſia deſtituatur ſuo debito ſervitio. *Secundò*, æſtimari debet materia ex qualitate & gravitate negligentiæ: ſi enim tantùm aliquoties & aliquot diebus maximè interpolatis quis abſit, credo materiam æſtimandam levem: ſi autem multis diebus *ex. g.* quindecim continuis, gravem exiſtimo materiam; maximè cùm merâ Eccleſiæ indulgentiâ tres menſes aut continui, aut interpolatis diebus canonicis indulti ſint, qui quartam anni partem perficiunt: quin interpretes Concilij Tridentini ultra trimeſtre, unum inſuper menſem ex Epiſcopi ſingulari licentia & indulto concedunt, quæ omnia annum graviter diminuunt, ità ut, ſi negligentia canonici abſentias multiplicet, contra omnem æquitatem annus notabiliter diminuatur.

Dubium 4.

Quæ ſint legitimæ cauſæ excuſantes canonicum à choro, & conſequenter à peccato, ſi choro non adſit?

Reſpondeo, cauſas legitimas canonicos ſivè præbendatos ab officio chori excuſantes, ad quatuor capita referri poſſe, quæ ſunt: *Neceſſitas, diſpenſatio, facultas, æquitas.* *Cauſa excuſantes abſentes à choro à peccato.*

Sub *neceſſitate* comprehendo: infirmitates, incommoditates graves, impedimenta moralia, ratione quorum ſine gravi ſui vel alieno detrimento non poſſet chori officio intereſſe.

Sub *diſpenſatione* comprehendo omnes diſpenſationes, quæ à ſummis pontificibus emanant. Cùm enim ſummus pontifex ſit omnium Eccleſiarum caput & judex, & canonicatus ac beneficia non poſſint fundari niſi ipſo conſentiente, inſuper conditiones fundationum, poſtquàm in ſpiritualem juriſdictionem tranſierunt, ejus judicio relinquantur, ut ex cauſis legitimis diſpenſare in illis valeat, denique fundationes ex cauſa juſta moderari, alterare, & quandoque immutare poſſit: ſi faciat, juſtè facere cenſendus eſt: Hinc diſpenſatum eſt in trimeſtri reſidentia velut ſancitâ lege: Et variæ diſpenſationes pro Doctoribus univerſitatum, pro ſtudioſis & alijs emanarunt, quæ in hac poteſtate ſummi Pontificis fundantur.

Sub *facultatibus* comprehenduntur ſpeciales licentiæ, quæ ab Epiſcopis vel à capitulis ſivè præfectis capitulorum ex communi conſenſu ſub legitimis cauſis conceduntur.

Sub *æquitate* continentur cauſæ juris & juſtitiæ: ut cùm aliquis non recipit fructus, nec per illum ſtat quò minùs modò recipiat. *Item*: cum titulus eſt litigioſus, nec admittitur quis ad reſidentiam. *Item*: cùm nec modò recipit, nec eſt ſpes quòd recipiet in futurû, quod dico propter eos qui, etſi modò fructus non recipiant; in futurum tamen ſperant recipere: *Item*: propter eos quorum bona Eccleſiaſtica ad tempus aliquod ruinâ tempeſtatum vel bellorum conſumpta ſunt pro uno aut altero anno. Illi enim omnes tenentur etiam in tali conſiſtentia ſi detur locus tutus reſidentiæ, ad officium chori: quia ruinæ illæ breves & temporariæ, accidentia communia cenſentur, nec ab officio excuſant.

Dubium.

Dubium 5.

Quibus actibus cenſeatur Canonicus ſatisfacere officio Chori?

TRes potiſſimùm hic actus conſiderari poſſunt. *Primus*, eſt *Aſſiſtentia*, ſive *Præſentia* in Choro. *Secundus*, eſt *Lectio Horarum* ibidem. *Tertius*, *Cantus communis* in Choro. Juxtà tres illos actus in Dubio continentur tres Interrogationes.

Interrogatio prima, An Canonicus obligationi Chori ſatisfaciat per ſolam aſſiſtentiam, ſive præſentiam tempore Divinorum officiorum?

Interrogatio ſecunda, An ſatisfaciat per lectionem privatam Horarum ibidem tempore officij?

Interrogatio tertia, An, & quomodo obligetur ad cantum?

Reſponſio.

Ad primam interrogationem de Aſſiſtentia.

Triplex aſſiſtentia in choro.

AD *primam* igitur: *Reſpondeo primò*, Triplicem notari debere aſſiſtentiam, ſive præſentiam in choro: Prima eſt *Purè materialis*; ut eſt dormientis, vel hominis alijs rebus diſtracti. Secunda eſt *Moralis & honeſta*, qualis eſt hominis, qui cœtui, vel conſortio alicui honeſtando ad honorem, vel etiam pompam aliquam aſſiſtit. Tertia eſt *Aſſiſtentia religioſa*, quæ eſt hominis Deum hâc ſuâ præſentiâ colentis, orantis, vel honorantis, ſive quæ ad cultum & honorem Deo exhibendum refertur.

Sola aſſiſtentia materialis non ſatisfacit.

Reſpondeo ſecundò; *aſſiſtentiam* ſive *præſentiam materialem* impertinentem eſſe adhoc, ut Canonicus obligationi chori ſatisfaciat. *Ratio eſt*: quia illa non eſt per ſe humana, eſtque indifferens ad bonum & malum.

Sola moralis non ſatisfacit.

Reſpondeo tertiò, Per *aſſiſtentiam purè moralem* in choro, quamvis honeſtam & pompaticam, ſive ad pompam, Canonicum ſuæ obligationi non ſatisfacere. *Ratio eſt*: quia nec iſta ad finem, propter quem beneficium fundatum eſt; nimirùm ad officium Divinum aliquid confert; ſed per ſe eſt actus civilis & politicus, indifferens ad præſentiam quamcunque civilem in quocunque cœtu honeſto.

Requiritur religioſa aſſiſtentia.

Reſpondeo quartò, Requiri omninò in Canonico, aut quolibet Præbendato; qui Officio chori intereſſe tenetur, *aſſiſtentiam religioſam*, ſive quæ ad actum virtutis Religionis requiritur, & aliquo modo concurrit: nimirùm: ut quis non tantùm honeſtati cœtûs ſatisfaciat; ſed ut per modum Deum colentis, honorantis, orantis vel laudantis ſe habeat; ita ut præſentia illa ad virtutem Religionis ordinetur. *Ratio eſt*: quia talis requiritur præſentia & aſſiſtentia, qualis eſt actus qui præſentiam requirit: atqui officium Divinum, propter quod, & ad quod illa præſentia, ſive aſſiſtentia requiritur, eſt per ſe actus virtutis Religionis: ergò & præſentia debet eſſe religioſa, nimirùm, à virtute Religionis procedens, & ad virtutem Religionis ordinata. Et hanc *aſſiſtentiam religioſam* indicant verba *Concil. Trident.* cùm dicit Canonicos debere *aſſiſtere, & in choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devotèque laudare.* An verò ſola hæc aſſiſtentia religioſa interdùm ſufficiat ad evitandum peccatum, & percipiendos fructus ac diſtributiones, in ſequentibus explicabitur. Concil. Trident. ſeſſ. 24 de Refor. c. 12.

Quid de diſtributionibus.

Ex dictis *Infero primò*, Canonicum choro præſentem materiali duntaxat, aut ſolâ morali præſentiâ, fructus non facere ſuos, nec poſſe recipere diſtributiones, quæ debentur ijs, qui officio interſunt. *Ratio eſt*: quia fructus & diſtributiones dantur propter officium; ſed qui ſolâ materiali aut morali præſentiâ choro adeſt, excluſâ religioſâ aſſiſtentiâ, iſta ſuâ præſentiâ non concurrit, nec aliquid confert ad officium: ergò non facit fructus & diſtributiones ſuas. Dixi (*Fructus non facere ſuos, nec poſſe recipere diſtributiones, quæ debentur ijs, qui officio interſunt*) propter aliquas diſtributiones, quæ ſoli præſentiæ debentur in funeribus, in ſolemnitatibus, in proceſſionibus, &c. quas juſtè recipiunt quicunque quovis modo ſunt præſentes.

Inſero ſecundò, Similiter Canonicos, qui tempore officij fabulantur, legunt libros, egrediuntur choro, ambulant, teneri Eccleſiæ vel pauperibus ad reſtitutionem fructuum & diſtributionum ratione horum officiorum præcisè perceptarum: quia legitimè non interfuerunt, cùm ad officium nullo actu, vel legitimo ſigno concurrerint. Nota.

Inſero tertiò, Quoad culpam, præter irreverentiam loci ſacri & cultûs Dei, ac alia peccata, quæ in iſtis indecentibus actionibus committi ſolent, etiam ſpeciali peccato contrà obligationem religioſè aſſiſtendi officio chori, tales peccare, quod peccatum quoad rationem venialis vel mortalis, juxtà ſupradicta de gravitate vel levitate materiæ in caſibus iſtis, expendendum erit; nè eadem frequenter repetamus. Nota.

Reſponſio.

Ad ſecundam interrogationem de Lectione privata Horarum in Choro.

Lectio privata in choro.

DUplex iterùm diſtinguenda eſt *Lectio Horarum* in choro: alia eſt *Lectio privata*; quæ privatim à Canonico fit, dum canitur divinum officium, aut extrà illud in loco chori: etſi enim hæc lectio in loco publico fit, & dum publicum officium perſolvitur, privata tamen ſemper manet, eò quòd privatim & ſingulariter fiat abſque concurſu

Thren. 3. Verſ. 29. Thren. 3. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* Alij velut in globum contracti 3. Reg. 18. de Elia qui pronus in terra poſuit faciem inter genua ſua. Alij in gyrum ſe vertebant, ut hiſtorici de nonnullis Ethnicis ferunt. Unicuique itaque ſitus ſitus placere poteſt, modò ſubſtantia ſivè eſſentia orationis ſervetur, id eſt, modò quis Deum ut omnis boni auctorem agnoſcens, ipſi fiat ex corde ſupplex.

Dubium. 2.

Quando obliget præceptum divinum naturale de orando Deo?

RESpondeo primò, Ex natura præcepti divini naturalis nullum tempus determinatum eſſe, quo quis omittens orare, cenſeatur peccare mortaliter: etſi enim, ut præceptum affirmativum, ad ſemper & non pro ſemper; ſed pro aliquo tempore obliget; illud tamen tempus ex natura præcepti determinatum non eſt.

Reſpondeo ſecundò, ex natura circumſtantiarum indigentiæ, neceſſitatis vel indirectà aliqua obligatione tempus illius obligationis prudenti æſtimatione æſtimandum eſſe *Ex. g.* in gravi mortis vel damnationis periculo, tentatione valida, & quandò præceptum aliquod urget quod orationem annexam indirectè habet, ut quandò quis debet conteri, de peccato pœnitere; tenetur enim tunc miſericordiam Dei poſtulare & Deo ſupplex eſſe.

QUÆSTIO V.

An præter præceptum divinum naturale detur aliud præceptum de orando Deo?

CONCLUSIO I.

NUllum datur univerſale præceptum de orando Deo præter divinum naturale. Hæc Concluſio non niſi auctoritate negativâ probari poteſt: omnia enim, quæ de oratione fundenda in univerſa ſcriptura traduntur, aut promiſſiones ſunt, quibus Deus orantibus exauditionem & beneficia repromittit, aut exhortationes & conſilia, quibus ſcriptura ad orationem hortatur, aut neceſſitates indicant quæ ex jure naturæ orationem fieri poſtulant.

Dixi (*univerſale*) de alijs enim præceptis ſtatim agendum eſt.

CONCLUSIO II.

Speciale præceptum de orando, &c. DAtur præceptum divinum poſitivum certis perſonis Deum orandi: Hæc concluſio demonſtrari poteſt in Sacerdotibus tam legis naturæ, quam legis Moſaicæ & legis gratiæ qui cùm fuerint aſſumpti in Domini ſortem, ut medij inter Deum & populum, ad offerenda ſacrificia & orationes fundendas, certum eſt etiam aliquo præcepto divino poſitivo obligatos fuiſſe ad orandum pro populis & Eccleſia ſancta Dei. Hæc omnia ex ſcriptura manifeſta ſunt in toto Levitico: ubi dicuntur Sacerdotes aſſumpti ut miniſtrent & accedant ad Deum, orentque pro ſe, pro domo ſua, pro Filijs Iſraël & pro cunctis peccatis eorum. Undè eſt illud Ioël. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo*, &c. Et Ezech. 13. Sacerdotes ſub nomine Prophetarum reprehenduntur: Ioel. 2. verſ. 17. *Non aſcendiſtis* (inquit) *ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*: Quæ de oratione ſunt intelligenda: Ezech. 13. verſ. 5. generaliter ad Hebr. 5 de omni ſacerdote ſub nomine pontificis dicitur: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: Et in Apoc. cap. 5. Seniores 24. Heb. 5. v. 2. quos Sacerdotes novæ legis interpretatur S. Auguſtinus *lib. 20. de civit. c. 9.* ſinguli habebant citharas & phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, quorum obligatio canendi Deo laudes per citharas, orandi verò per phialas, ſignificatur. Qualiter autem & quomodò Sacerdotes & alij beneficiati obligentur, dicemus poſteà cum de divinis officijs publicis & Horis Canonicis agemus.

CONCLUSIO III.

VAriis alijs præceptis indirectè, humanò-divinis & humanis, homo interdum obligatur ſub peccato ad orandum. Poſſunt autem hæc ad tres titulos reduci. Nimirum *ſtatus, pacti*, & *impoſitionis: titulo ſtatus*: ut religionis, quandò religioni annexa eſt obligatio orandi ſivè ex regula ſivè ex præcepto. Ad quem titulum revocatur obligatio, quæ ex ſimplici voto aliquas orationes perſolvendi oritur, ex ſimilitudine orationis: qui enim voto ſe obſtrinxit ad orandum, indirectò præcepto obligatur orare, quia indirectò præcepto tenetur ſua vota Domino reddere. Huc etiam refertur obligatio Sacerdotum, prout certum eis officium divinum ab Eccleſia eſt determinatum. *Præcepta poſitiva varia de orando, &c.*

Titulo pacti obligantur orare: qui ex pacto implicito vel explicito paciſcuntur: ut qui ex fundationibus vel inſtitutionibus aut teſtamentis ad hoc obligantur.

Titulo impoſitionis, orare debent: quibus vel in pœnitentiam vel in obedientiam preces & orationes legitimâ auctoritate ſunt injunctæ.

Appendix.

HIc nonnullas quæſtiones aliqui multiplicant: utpotè, quis orandus? pro quibus orandum? Et quid in oratione petendum? verùm longior harum quæſtionum deductio ad rem noſtram non pertinet. Sufficit enim quòd in expoſitione diffinitionis orationis dixerimus Deum ſolum abſolutè & terminativè orandum; Sanctos autem tranſitivè ut adjutores *Variæ quæſtiones breviter remittuntur.*

& ad-

& advocatos qui Deum pro nobis orent. Sufficit qoòd ibidem docuerimus pro bono Dei & noſtra ſalute ſupplicandum eſſe. Alterum verò, pro quibus orandum ſit, facilè intelligitur, nimirùm pro ijs omnibus, pro quibus aliquod bonum ſalutare impetrari poteſt: ut pro viatoribus & ijs, qui etſi extra viam mortalem ſint; necdùm tamen ſunt in termino, ut ſunt animæ, quæ in purgatorio expiantur. Verùm hæc latiùs examinare, noſtri inſtituti non eſt.

TITVLVS III.

De Horis Canonicis & alijs officiis orationum ab Eccleſia inſtitutis.

PRÆAMBULUM.

De officii divini ratione & diverſitate.

ANtequàm ad particularia deſcendam, nonnulla hic prænotanda ad perfectiorem doctrinæ de Horis Canonicis & alijs divinis officijs, magiſque diſtinctam cognitionem, *Primò igitur:* officium divinum nihil eſt aliud, quàm: *Ritus aliquis religioſus externus, publicâ auctoritate Eccleſiæ inſtitutus, & certis perſonis impoſitus ad Deum Eccleſiæ nomine colendum & deprecandum.*

Definitio divini officii.

Dixi (*Ritus religioſus*) ad virtutem enim religionis ſpectat.

Dixi (*externus*) cùm enim officium divinum ordinetur ad utilitatem viſibilis Eccleſiæ, neceſſe eſt ut externo ritu perficiatur.

Dixi (*publicâ authoritate inſtitutus*) ad excludendos ritus & orationes privatas, quas quilibet pro ſua devotione aſſumit.

Dixi (*certis perſonis impoſitus*) utpotè clericis, Sacerdotibus, Epiſcopis, & hujuſmodi Eccleſiæ miniſtris Dei cultum ſpeciali Eccleſiæ inſtituto deputatis: eò enim ipsò quò Eccleſia publicos ritus inſtituit, eis miniſtros præficit, ut ritè peragantur: ut in antiquo teſtamento de Sacerdotibus, Levitis, cantoribus, lectoribus, &c. manifeſtum eſt.

Dixi (*ad Deum colendum & deprecandum*) omne enim officium divinum duobus his actibus innititur, cultui ſcilicet & deprecationi Dei ſub quibus laus, gratiarum actio, obſecratio, benedictio & alij actus ſimiles comprehenduntur. Et ex his *officium* illud nuncupatur *divinum.*

Hanc officij divini nuncupationem uſurpant SS. Patres, *Fabianus I. epiſtola* 1. *ad omnes Epiſcopos:* Ubi docet: ſeptem diaconos in urbe Roma per ſeptem regiones civitatis diſtributos per ſingulas hebdomadas atq; feſtivitatum ſolemnia cum ſubdiaconibus & acolythis ac ſequacium ordinum miniſtris, omni horâ paratos fuiſſe ad divinum officium peragendum. Et addit: *Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per ſingulas civitates eſt faciendum, ut divinum, abſque ulla mora & negligentia, ſtudioſè ac ſolemniter agatur officium.*

Fabian Papa Epiſt. 1. ad omnes Epiſcop.

Dixi (*Eccleſiæ nomine*) hoc enim ſpecialiter obtinent ritus officiorum divinorum, prout ab Eccleſia inſtituta ſunt, ut in eis fides Eccleſiæ ſingulariter operetur, & nomine Eccleſiæ Deo præſententur, nec ab actione ſola operantis æſtimari in merito & virtute debeant.

Prænotandùm ſecundò, divinum officium prout in Eccleſia inſtitutum eſt, diverſis ſecari membris: ſunt autem quatuor præcipua, nimirùm: *Horæ Canonicæ* cum nonnullis adjunctis: *ritus ſacro-ſancti ſacrificij & Sacramentorum: proceſſiones, Litaniæ & ſtationes*, &c. *benedictiones variæ* ſub quibus exorciſmi & alia id genus continentur. De quibus omnibus ſpeciatim, ac primò tanquam de univerſaliori & magis communi, de Horis Canonicis, prout titulus hic præſe ferebat, agemus. Sit itaque,

Diviſio divini officii.

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur, & quot ſint Horæ Canonicæ?

CONCLUSIO I.

HOræ Canonicæ dicuntur: *Officia quædam divina quæ Pſalmis, Hymnis, canticis, Sacræ ſcripturæ verbis ac ſanctorum doctrinâ publico ritu conſtructa, per ſingulorum dierum certas horas regulariter diſtribuuntur.*

Diffinitio Horæ Canonicæ.

Undè illa officia dicuntur *Horæ*, quia diſtributis horis ex Eccleſiæ præcepto dicuntur. Vocantur autem *Canonicæ*, quia regulatæ ſivè regulariter ab Eccleſia compoſitæ & impoſitæ ſunt juxta Canones Eccleſiaſticos, ut diſtinguantur ab alijs precibus ac obſervationibus quæ à pijs certis horis uſurpantur.

Dixi (*quæ Pſalmis, Hymnis* &c.) Hæ enim Horarum Canonicarum ordinariè partes integrales ſunt, & vix invenire eſt Horas, quæ his non conſtituantur.

Porrò Horis Canonicis adnectuntur: *officium* ſivè *vigiliæ defunctorum, ſeptem Pſalmi pœnitentiales, Officium B. Mariæ, Pſalmi graduales,* & alii ritus in Breviario adjuncti, quia, prout in Breviario ponuntur, certæ horæ eis præſcriptæ ſunt, ut juxta uſum Romanæ Eccleſiæ temporibus ſuis perſolvantur.

CONCLUSIO II.

SEptem Horis Canonicis officium divinum nocturnum pariter & diurnum diſtribuitur: nimirum: *matutino* adjunctis *laudibus, primâ, tertiâ, ſextâ, nonâ, veſperis, completorio.* Hæc concluſio patet ex communi Eccleſiæ ab antiquo Traditione, & continua in hunc diem uſurpatione, cujus Traditionis meminit. Clemens Rom. lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 34. *precationes* (inquit) *facitè manè, tertia hora, ac ſextâ, & nonâ, & veſperè, atque ad gallicantum.* Ubi per *manè* intelligit *primam.* Per *gallicantum* (qui ſtatim poſt mediam noctem fieri conſuevit) *matutinum* ſignificat. Et ibidem refert myſteria harum horarum. *Mane* (inquit) *gratias agentes, quod illuminarit nos nocte ſublatâ, & reddito die: tertiâ, quod*

Septem Horæ Canonicæ.

Clemens Rom. lib. 8 conſt. Apoſt. cap. 34.

Myſteria Horarum Canon.

eâ horâ Pilatus judicium adverſus Dominum pronunciavit: Sextâ , quod eâ horâ in Crucem actus eſt: Nonâ, quod tum omnia mota & tremefacta ſunt, Domino crucifixo : quià horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent: Veſpere , quod noctem dederint ad requieſcendum à diurnis laboribus. Ad gallicantum, quod ea hora nuntiet adventum diei ad facienda opera lucis, &c. Hæc ibi: lege & præclariſſima apud S. Cyprianum *in expoſitione orationis Dominica* ad finem. Baſilium magnum *in regulis* fuſius *diſput. interrog.* 37. Conſule & Caſſianum *lib.* 3. *de inſtitutis cœnobiorum cap.* 1. *uſque ad* 4. incluſivè. Denique vide concilium Cabilonenſe, 2. *cap.* 59.

Horarum antiquitas ex ſcriptura.

Antiquitatem porrò in determinatione harum ſeptem horarum ſequuta eſt, S. Mater Eccleſia : nam & Pſalmiſta David ſanctæ hujus conſuetudinis meminit Pſalm. 118. dum ait: *Septies in die laudem dixi tibi*; & matutinum quidem deſignat, dum ait : *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ.* Item Pſalm. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Item *Memor fui nocte nominis tui Domine* &c. Demùm Pſalm. 62. *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te. Prima* meminit eodem Pſalmo 118. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo:* Item Pſalm. 5. *Mane aſtabo tibi & videbo,* Item temporibus tribus omnem horarum diſtributionem complectitur Pſalm 54. *Veſperè & manè & meridie narrabo , & annuntiabo.* De Completorio Pſalm : 131. *Si aſcendero in lectum ſtrati mei : Si dedero ſomnum oculis meis , donec inveniam locum Domino.* In Eſdra etiam libro 2. cap. 9. legitur quòd populus quater in die & quater in nocte confiteretur & adoraret Dominum : Indicans *pro nocte* Veſperas, Completorium , Matutinum & Laudes: *Pro die* Primam , Tertiam, Sextam & Nonam. SS. Petrus & Joannes etiam Actor. 3. *Aſcendebant in templum , ad horam orationis nonam.* Et Actor 10. S. Petrus *aſcendit in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam.* De his omnibus vide Auctores , neque enim prolixior horum declaratio noſtri inſtituti eſt.

(Pſalm. 118 verſ. 164. verſ. 62. Pſalm. 6. verſ. 7. Pſalm. 118 verſ. 55. Pſalm. 62. verſ. 7. Pſalm 118 verſ. 148. Pſalm. 5. verſ. 5. Pſalm. 54. verſ. 18. Pſalm 131. verſ. 4. Act. 3. v. 1. Act. 10. verſ. 9.)

QUÆSTIO II.

An ſit aliquod præceptum obligans ad Horas Canonicas perſolvendas, & quale illud ſit?

PRo reſolutione repetenda ſunt quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt. *Primò* , de oratione & obligatione ſivè præcepto orandi. *Secundò* , de præcepti illius determinatione. *Tertiò*, de variis modis quibus homo obligatur, nimirùm, ex vi ſtatus , ex vi pacti & virtualis contractus, ex vi impoſitionis: juxta hos enim modos obligationis varia oriuntur præcepta.

CONCLUSIO I.

Præceptū nullum divinum.

NUllum datur præceptum divinum ſpeciale & directum recitandi Horas Canonicas , præter univerſale illud naturale divinum orandi. Conſtat ex dictis ſuprà toto titulo de oratione.

CONCLUSIO II.

præceptum Eccleſiaſticum.

DAtur præceptum Eccleſiaſticum certis perſonas obligans ad legendas Horas Canonicas, prout ab Eccleſia inſtituta & ordinatæ ſunt. Ità habetur libro 3. Decret. Tit. 41. De celebratione Miſſarum & divinis officiis ex Concil. Agathenſi cap. 1. cujus præcepti explicatio ponitur *cap.* 9. *Dolentes* ibid. ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi relatis variis abuſibus tam Clericorum minorum , quàm Eccleſiarum Prælatorum, tandem ſubjungit Sacrum Concilium: *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus , ſtudiosè celebretur pariter & devotè.* Hæc ibi : quia verò ex intellectu hujus præcepti omnia ferè, quæ ad Horarum Canonicarum debitam recitationem pertinent, omninò dependent, ad conſcientiarum ſerenationem illud diſtinctè cum omnibus ſuis obligationibus expendemus.

Conc. Lat. C. dolentes de celebr. Miſſ.

QUÆSTIO III.

Quid circa Horas Canonicas decernatur Cap. dolentes.

CONCLUSIO UNICA.

DUo potiſſimùm demandantur in *Cap. Dolentes.*

Duo præcipiuntur C. dolentes

Primò, Omnis abuſus, imperfectio & irreverentia externa in officiis divinis tum in Horis Canonicis, tum in Miſſarum celebratione, nec non cauſæ abuſuum & imperfectionum prohibentur idque ſub pœna gravi ſuſpenſionis. Ità Textus: *Dolentes* (inquit) *referimus, quòd non ſolùm quidam minores Clerici , verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa commeſſationes ſuperfluas & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduū relinquentes vix ad diurnum concentum avium excitantur* (Id eſt tardiùs excitentur) *tranſcurrendo utique continuâ ſyncopâ matutinum.* Infrà reprehendit eos, qui vix quater in anno celebrabant, ac Miſſarum ſolemnijs & divinis officiis indevotè intererant: *Et ſi quando* (inquit) *dum hæc celebrantur, interſint , chori ſilentium fugientes intendunt exterius collocutionibus laicorum , dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt , aures intentas non porrigunt ad divina.* Et pœnam ſubjungit. *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus,* Quæ latiùs perſtringūtur à Clemente V. *in Concilio Viennenſi in Clement. de celebratione Miſſarum cap.* 1. *Tit.* 14. ubi ſimiliter condemnantur ij, qui pſallunt tranſcurrendo , ſyncopando, extranea colloquia, vana, profana aut inhoneſta intermiſcendo, tardè veniendo ante

C. dolentes ſuprà.

Ibid.

finem egrediendo, canes venaticos ſecum ducendo, &c.

Secundò, Imponitur modus Horas Canonicas perſolvendi ſub graviſſimo præcepto obedientiæ; qui quidē modus ſpecificatur per duas particulas *ſtudioſe* nimirùm & *devotè*, ita enim textus: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè*

Corollarium.

EX quo capite & ejus verbis expreſſis duo colliguntur.

Primum: Omnem gravem imperfectionem, irreverentiam, & diſtractionem etiam externam in officio divino eſſe peccatum mortale. Ratio petenda eſt ex pœna ſuſpenſionis quæ infligitur, quæ cùm graviſſima ſit, peccatum mortale præſupponit. Quæ autem ſit gravis irreverentia vel imperfectio aut diſtractio externa reputanda, infrà dicetur.

Secundum. Peccare ſimiliter peccato mortali eum, qui in materia gravi & ſufficienti voluntariè in *ſtudioſitate* aut in *attentione* præcepta deficit: qui termini etiam in ſequentibus ſunt explicandi. Et ut extra fumos opinionum doctrina hæc omnibus perſonis Eccleſiaſticis tam neceſſaria diſtinctiùs procedat, illá ſex ſectionibus abſolvemus, quarum *Prima*, de perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis. *Secunda*, de peccatis eorum, qui Horas Canonicas vel earum partem omittunt. *Tertia* de *ſtudioſitate* ad Horas Canonicas legitimè perſolvendas ex præcepto *cap. dolentes*, requiſita. *Quarta* de peccatis contra *ſtudioſitatem* requiſitam, *Quinta*, de *devotione* ſimiliter ſub præcepto & pœna peccati mortalis in dicto *capite dolentes*, demandata. *Sexta*, de peccatis, quæ contra *devotionem*, in Horis Canonicis requiſitam committuntur.

Diviſio totius tituli per ſectiones.

SECTIO I.

De perſonis ad Horas Canonicas obligatis, & de modo obligationis.

QUÆSTIO I.

Quæ perſonæ ad Horas Canonicas obligentur?

Diſtinctio Perſonarũ.

DIſtinguendum eſt primò, de perſonis ad Horas ſimpliciter & abſolutè dicendas obligatis, abſtrahendo à choro & privata lectione. *Secundò*, de perſonis tantùm ad privatam recitationem obligatis. *Tertiò*, de perſonis ad chorum obligatis. *Quartò*, de perſonis obligatis ad chorum tantùm ad aſſiſtentiam, vel ad certa tempora. Super quibus ſingulas ponemus concluſiones. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Perſonæ obligatæ ad Horas. &c.

AD *Horas ſimpliciter & abſolutè legendas* (abſtrahendo à choro vel privata lectione) *tenentur ſub peccato mortali*. 1. Sacerdotes. 2. Majoribus ordinibus initiati, ſubdiaconatu ſcilicet & Diaconatu. 3. Beneficiati. 4. Religioſi & Moniales, quibus ex regulæ ſuæ præcepto hoc onus impoſitum eſt. 5. Qui aliquo ſpeciali titulo voti aut pacti, ſe ad hoc obligaverunt.

Sacerdotes & ſacris ordinibus inſigniti.

Et quidem de Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis communis Eccleſiæ ſenſus obligationem illam ſupponit, & eo ipsò quo quis voluntariè ordines ſacros ſuſcipit, huic oneri ſe obligare cenſetur. Et hanc obligationem ſupponit *Concilium Baſileenſe* ſeſſ. 21. Et communiter in *cap. dolentes*. Sacerdotes & in ſacris ordinibus conſtituti ſub minoribus Clericis intelliguntur.

Beneficiati.

De beneficiatis, ſivè beneficia cum cura animarum, ſivè abſque cura poſſideant, habetur Decretum amplum in *Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. de reformatione curiæ* §. 38. *ſtatuimus quoque & ordinamus*, Et refertur in Bullario Cherubinorum *conſtit.* 7. Quod decretum repetit & innovat *Pius V. conſt. c.* 135. quæ incipit: *Et proximo Lateranenſi Concilio*, data anno 1571. ubi & declarat peccatum grave committere beneficiatos, qui ſine rationabili excuſatione Horas Canonicas non legerint, etiam primis ſex menſibus ab obtento beneficio; poſt ſex menſes autem ad reſtitutionem fructuum pro rata obligari. Et nè quis de ratione beneficiorum dubitet, ſub beneficiis ſequentia comprehendit: *Declarantes* (inquit) *præſtimonia, præſtimoniales portiones, & quæcumque alia beneficia, etiam nullum ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*. Subdit verò de Penſionibus: *At quicumque penſionem fructus aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædictum ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum fructuum rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Pius V. conſt. 135. Quo nec ſ pit ex proximo, &c.

Religioſi & Moniales.

De religioſis & monialibus conſulendæ ſunt Regulæ illorum. Certum eſt enim Fratres minores cujuſcumque congregationis, obſervantiæ, aut reformationis ſint, ex Regula obligari ſub peccato mortali ad Horas Canonicas, ſic declarante præceptum Regulæ *Nicolao IV. & Clemente V. in ſuis extravagantibus*. quæ in jure communi referuntur. De monialibus Annuntiatis clarus eſt etiam Regulæ illarum textus. Unde notanter dixi ſuprà (*quibus ex Regulæ ſuæ præcepto hoc onus impoſitum eſt*) neque enim credere poſſum religioſus vel moniales ſolo ſpectato titulo religionis, obligari, ſaltem perſonaliter & in privato, ad Horas Canonicas ſub tanta obligatione, niſi aliundè præceptum aliquod probetur, ut poſteà examinabimus.

CONCLUSIO II.

Qui obligentur ad Horas privatas tantùm.

QUi ſolo ordinum titulo aut beneficiorum, quæ nullum ſervitium chori ſivè Eccleſiæ habent annexum, aut ſolo præcepto vel voto à choro abſtrahente obligantur ad Horas Canonicas, cenſentur ad privatam tantùm lectionem obligari. Concluſio ex terminis clara eſt. Neq; enim quis extra terminos tituli obligari poteſt: ubi igitur titulus ſimplex eſſe ſupponitur, & nullum chori vel Eccleſiæ ſervitium ſonat, non eſt ratio cur hoc eis onus imponatur. Quia tamen in conciliis & Canonibus variis ſæpe fit mentio clericorum, & obligationis eorum ut officiis divinis certis diebus & horis interſint, ne in canonum & decretorum intelligentia confuſio aliqua oriatur, diſtinctis quæſtionibus res eſt pertractanda.

QUÆSTIO II.

Qui obligentur ad Horas Canonicas & alia officia in choro perſolvenda, & ſub qua obligatione?

PRo accurata & diſtincta reſolutione hujus quæſtionis, *Advertendum eſt primò*, duplices actiones concurrere ad Horas Canonicas ſivè officia divina, prout in choro publico ritu perſolvuntur.

Actiones eſſentiales divino officio.

Aliquæ ſunt *eſſentiales*: ut aſſiſtentia religioſa in choro, lectio ſivè recitatio horarum ſtudioſa & devota, quæ voce elatiori fit, alternis choris pſallentibus, aut Eccleſiaſtico more concurrentibus.

Actiones accidentales.

Aliæ ſunt *accidentales*: ut modulationes, cantus muſici, aſſiſtentia honorabilis & velut ad pompam, ſolemnes quidam ritus externi ad decorem & magnificentiam, juxta rationem patriæ & religionis introducti.

Advertendum ſecundò, duplicem etiam obligationem reſpectu divini officij in choro perſolvendi diſtingui debere. Alia enim eſt *realis tantum*: Alia eſt *perſonalis*: *realis tantùm* dicitur, quæ non reſpicit ſingulas perſonas in individuo; ſed ipſam rem ſolam ſivè officium divinum in choro dicendum afficit, quam exprimere poſſumus generali termino per obligationem: *ut Horæ Canonicæ* ſivè *divina officia in choro dicantur ſub peccato mortali*, à quibuſcumque tandem id fiat. *Perſonalis obligatio* dicitur, quæ perſonas in ſingulari & individuo afficit, quam exprimere poſſumus per obligationem non tantùm *ut officium illud in choro fiat*, ſed *ut à talibus in individuo perſonis* utpotè *canonicis, præbendariis, beneficiatis*. &c. perſolvatur.

Obligatio realis tantum. — *Obligatio perſonalis.*

Attendendæ fundationes.

Advertendum tertiò, ad dignoſcendas ſupradictas obligationes oportere attendere ad fundationes ipſas, & fundatorum voluntates, prout ab Eccleſia ſunt contractu naturali & civili acceptatæ. Cùm enim beneficium propter officium conferatur: obligatio ad officium debet expendi juxta conditiones in litteris fundationis expreſſas.

Advertendum quartò, cum beneficia non fundentur niſi de Eccleſiæ conſenſu & approbatione: ſicut beneficia cum fructibus & juribus tranſeunt in gradum rerum ſpiritualium, ſivè etiam ſpiritualibus annexarum: ſic diſpoſitiones de illis ſucceſſu temporis tranſire in jus & regimen ſpirituale Romanæ Eccleſiæ, cujus eſt de illis, ſervatâ juſtitiâ & æquitate, juxta rationem temporum & aliarum circumſtantiarum decernere, prout in canonibus & concilijs variè factum eſſe ex decretalium libris & jure canonico conſtat, juxta quas diſpoſitiones fundationum litteræ intelligendæ & interdùm modificandæ ſunt.

Beneficia & fructus ſunt res ſpirituales.

Advertendùm quintò, Juxta diverſa miniſteria in choro ſivè Eccleſia, diverſas etiam obligationes perſonarum menſurari debere: alij enim, tantùm ad chorum vel chori aſſiſtentiam tenentur: alij, ad cantum: alij, ad muſicam: alij, ad aliquas horas chori, & non ad alias, &c. Quæ ſingula, quia ubique idem modus & ordo non ſervatur, præcisè dinumerari non poſſunt: omnium autem obligatio ex natura miniſterij & fundationibus expendi debet.

Diverſæ obligationes circa præſentiā in choro.

Advertendum ſextò, In ijs qui choro vel officiis aſſiſtere debent, duplicem diſtinguendam eſſe *aſſiſtentiam*: alii enim tenentur ad *aſſiſtentiam religioſam*, quæ eſt actus vel effectus religionis virtutis ſupernaturalis, quâ quis aſſiſtit præcisè, ut ejus præſentiâ Deus colatur, adoretur, benedicatur, &c. Alij ad *aſſiſtentiam pompaticam*, quæ eſt actus honeſtatis, quâ quis ſuâ præſentiâ ſolemnitatem, actum vel perſonam aliquam honorat, ut eſt aſſiſtentia invitatorum ad pompam celebritatis & funeris, ſine concurſu obligante ad ſacra officia, vel miniſteria: quæ omnia in hac materia notanda ſunt, ſi quis peccatum diſcernere velit.

Duplex aſſiſtentia.

CONCLUSIO II.

Datur obligatio realis non perſonalis.

D*Atur interdum obligatio tantùm realis publicè cantandi Horas Canonicas & alia officia divina celebrandi in Eccleſia, Templo ſeu Capella, quæ perſonalis non eſt*, ſivè quæ ſingularem in individuo perſonam non obligat; ſed generaliter tantùm obligationem inducit, ut horæ opportuno tempore cantentur, à quibuſcumque id fiat. Concluſionem indicant canones multi: undè in Clement. de celebratione Miſſarum cap. 1. decernitur ut: *In Eccleſiis Cathedralibus, regularibus, & collegiatis horis debitis devotè pſallatur. In aliis verò convenienter & debitè celebretur divinum diurnum & nocturnum officium*. Et in decret. eodem Tit. cap. 1. ex Conc. Agathen. Presbyter (inquit) *mane matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamq; perſolvat, ità tamen ut horis competentibus juxta poſſibilitatem aut à ſe aut à ſcholaribus publicè compleantur*. Et ex eodem concilio Agathen. c. 64. ut habetur apud Gratianum 7. Quæſt. 1. cap. 29. *Si quis*, dicitur: *ſi quis, in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt, Nativitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte* &c. *convenit, ut triennio à com-*

Clemen. I. de celebr. Miſſa.

Concil. agat. c 1. de celebr. Miſſa.

Idem. 7. q 1. c. 29. ſi quis.

Communione ſuſpendatur : ſimiliter: diaconus vel preſbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat. Et alia habentur in Concil. Carthag. IIII. cap. 49. & Carthag. V. Ubi clerici choro deputati coguntur, pœnis impoſitis adeſſe officiis quæ in Eccleſia loci habitationis ſuæ celebrantur.

Publica officia ſunt pro utilitate populi inſtituta.

Ex quibus *deducitur primò*, propter obligationem communem indeterminatam tamen, quâ populus tenetur jure naturæ ad Deum colendum, orandum, & laudandum, Eccleſiam & Eccleſiæ Dei rectores determinaſſe certas horas quâlibet die, & certa tempora, quibus oratio communis vel laudes divinæ celebrarentur in qualibet congregatione populi: ut nimirùm populus incitaretur ad Deum laudandum & ornandum, & ſatisfaciendum obligationi quam habet ex præcepto naturali colendi Deum: quo ſenſu dixit S. Thomas Opuſc. 19. cap. 5. *Orationibus & Pſalmis vacare in Eccleſia, eſſe quoddam opus publicum ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum.* Quomodo & in Eccleſia Hebræorum convocabatur populus ad certas horas ſacrificiorum manè & veſperi: & Luc. 1. notatur: quòd dum Angelus Gabriel apparuit Zachariæ: *Omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.*

S. Thom. opuſc. 19. cap 5 circa finem.

Luc. 1. v. 10.

Publica officia ſpecialibus dotibus fundata.

Deducitur ſecundò, aliquibus fundationibus pijs, vel ſtipendijs & conditionibus populi officia illa divina fundata fuiſſe, ut miniſtri illa celebrantes ſuſtentari poſſent. Unde in Concil. Carthag. IIII. dicitur: *Clericus, qui abſque corporis ſui inæqualitate* (id eſt infirmitate) *vigilijs deeſt, ſtipendiis privetur.*

Conc. Carthag. 4

Obligationes communiter non fuerũt perſonales.

Deducitur tertiò, etſi miniſtri varij ad prædicta officia celebranda eſſent deputati, obligationem tamen communiter non fuiſſe perſonalem, quaſi ipſi per ſe ſub peccato obligarentur illa celebrare, ſed realem ut nimirùm curarent officia illa celebrari, ſive ut defectu perſonarum officia non negligerentur vel relinquerentur. Patet *ex cap. preſbyter* ſupra allegato: Ubi permittitur presbytero, ut ſi non adſit, ſaltem per ſcholares curet Horas Canonicas cantari. Qualiter autem hæc officia antiquitùs complerentur, latè refert & decernit concilium Tarracon. cap. 7. his verbis: *De diœceſanis Eccleſiis vel clero, id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſervent, id eſt, presbyter unam faciat hebdomadam, &c. ſuccedat diaconus. &c. Eâ conditione ſervata, ut omnis clerus die ſabbathi ad veſperam ſit paratus, quo faciliùs die dominico ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur*, ſubdit: *Ita tamen ut omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent:* Hæc ibi. De eâdem ſucceſſione hebdomadali agit Fabianus 1. *Epiſt. ad omnes Epiſcopos.* Ex quibus manifeſtum eſt quemlibet clericum non fuiſſe perſonaliter obligatum, ſed invicem ſucceſſiſſe & vices ſuas alijs, imò & ſcholaribus, potuiſſe cōmittere, tantùm enim requirebatur ut dicta officia in populi utilitatem & ædificationem decenter fierent.

Concil. Tarr. c. 7.

CONCLUSIO II.

Quando cenſeatur tantùm realis obligatio?

QUandocumque Horæ Canonicæ & officia divina indicta ſunt ſolum ad conventum, congregationem & ſolemnitatem ſive ædificationem populi, cenſetur eſſe tantùm communis obligatio ad officium, non ſingularis ad perſonas.

Signa obligationis non perſonalis.

Petes: Unde ſciam Horas, officia, &c. indicta tantùm eſſe ad ædificationem & conventum populi? *Reſpondeo*, varia eſſe hujus inſtitutionis ſigna. Primò, ſi fundatio non ſit determinata ad aliquas perſonas in ſingulari, ſed tantùm in communi, ut officia celebrentur. Secundò, ſi ſtipendia per modum diſtributionum actualium tribuantur præſentibus, juxta miniſterium præſens, & hoc dietim & pro ratione miniſterij. Tertiò quandò clerici & alij miniſtri poſſunt committere vices ſuas alijs, vel pro ſua libertate abeſſe, imò officium facere per ſcholares ſine alia obligatione. Quartò, quando obligatio non eſt acquiſita per beneficium aliquod ſtabile, vel portionem immobiliter perſonæ affectam.

CONCLUSIO III.

Obligatio realis præfectos afficit.

ETſi obligatio, quæ reſpicit ſimpliciter chorum & officium, non ſit perſonalis; obligat tamen præfectos & rectores Eccleſiarum, ut dicta officia debitè fieri procurent. Ratio concluſionis petenda eſt ex ratione officij: ſivè enim ſint paſtores immediati, ſive decani ſivè præpoſiti aut alij, quocumque nomine vocentur, in illis cura recumbit non tantùm Eccleſiarum ſibi commiſſarum; ſed etiam ut fundationes, dotationes, præſtimonia & alia ſuum conſequantur effectum. Obligatio itaque realis tantùm in aliquam ſemper perſonam redundat, non quatenùs eſt particularis perſona, ſed quatenùs eſt Eccleſiæ Rector: Adminiſtrator & præfectus. Et juxta rationem omiſſionis ſi ſit gravis, ut plurium dierum, cum ſcandalo & abſq; cauſa, præfecti peccatum mortale incurrunt; alias in materia levi; veniale, ubi verò cauſa juſta ſubeſt, nullum.

Quando ſit mortale peccatum.

CONCLUSIO IV.

Datur obligatio perſonalis ad horas in choro.

DAtur obligatio perſonalis Horas Canonicas & alia officia perſolvendi publicè & ſolemniter, ita ut non ſufficiat, ſi officium in Eccleſia publicè & ſolemniter per quemcumque fiat; ſed perſonaliter & per ſe, qui hanc obligationem ſubeunt, illud in choro perſolvere teneantur. Hanc concluſionem docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi de canonicis & beneficium ad chorum obligatum obtinentibus, generaliter decernit: *Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, &c. atq; in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè devoteq; laudare.* Concludit & hoc ipſum *cap. dolentes de celebratione miſſarum*; quòd non tantùm de privata horarum lectione; ſed primariò de horarum publica recitatione agere compertum eſt. Ut verò pleniùs res declaretur, & nil intactum remaneat pono juxta perſo-

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c 12. de Refor.

etiam alijs diebus omittantur, parochum, ſi ſuâ culpâ hæc omiſſio oriatur, peccare mortaliter in re gravi, quæ quidem gravitas penſanda eſt. *Primò*, ex ſcandalo quod indè oriri poteſt. *Secundò*, ex gravi detrimento populi, qui hoc exercitio orationis & laudis divinæ privatur & in divinis hebeteſcit. Aliquoties verò abſque ſcandalo vel gravi præjudicio omittere, peccatum veniale eſt, &, ſi cum juſta cauſa fiat, nullum.

Reſolutiones Dubiorum.

De obligatione Canonicorum reſpectu Horarum Canonicarum.

Dubium I.

Quo iure Canonici teneantur ad Horas Canonicas, non tantùm privatim; ſed etiam in choro perſolvendas?

Conditiones ut beneficiatus teneatur ad horas.

SUppono *primò*, privatim ad eas obligari. Hic eſt enim ſenſus communis totius Eccleſiæ Dei, ſuppoſitis conditionibus ſequentibus, quæ in omni beneficio intelliguntur. *Prima*, quòd Canonicatum verè poſſideant, & non in titulum nudum. *Secunda*, quòd fructus beneficij ſivè Canoicatus ad aliquam potiorem partem ſuſtentationis ſufficiant. Si enim adeò exigui ſint fructus, ut ad potiorem partem ſuſtentationis non ſufficiant, non videntur teneri niſi ad obligationem correſpodentem potrioni fructuum ex judicio prudentis; partem verò potiorem ſuſtentationis, etſi alij ad decem aureos, alij ad quindecim, alij ad viginti extendant. Ego hoc prudentis arbitrio juxa circumſtantias loci, temporis, perſonæ determinationem relinquendum puto. Mea autem ratio aſſignatæ conditionis eſt: quia obligare ad tantũ onus horarũ totius diei ſub tam exiguo ſtipendio, eſſet meri gravaminis & injuſtitiæ tam ex parte benefactoris ſive fundatoris quã ex parte Eccleſiæ acceptantis illud onus & gravamen tertij. *Tertia Conditio* eſt, ut non ſtet per beneficij poſſeſſorem, quò minùs congruos fructus beneficij recipiat. Si enim ſtet per illum, ſibi imputate debet fructuum carentiam, cujus culpâ fundator non debet fruſtrari ſuæ fundationis fructu & effectu.

Suppono ſecundò, Canonicos ex natura beneficij ad Horas Canonicas in choro dicendas obligari, ut Concil. Trident. ſuprà ſatis expreſſit, dum ad chorum illos teneri declaravit: quæſtio igitur eſt de jure in quo hæc obligatio fundatur.

Obligatio Canonicorum ad chorum, eſt de jure naturæ & juſtitiæ.

Reſpondeo, itaque Canonicos teneri ad chorum ſivè ad Horas Canonicas in choro, ex jure naturæ & virtuali juſtitiæ contractu in fundatione, collatione & acceptatione contento: primò enim Canonicatus fundati ſunt, ut ij quibus conferrentur, officium publicum in choro facerent nec aliter conferri aut acceptari debent aut poſſunt, niſi ſub illo onere. Hoc indicat Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12. ubi ſic decernit: *Obtinentibus in eiſdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, Canonicatus, prabendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*, &c. *alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam prabenda ac reſidentia fecit ſuos: quod ſi iterùm eâdem fuerit uſus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Quibus verbis *Primo*, indulgetur ob varias humanæ vitæ occupationes & neceſſitates aut impedimenta, ut canonicus poſſit abeſſe tribus menſibus, niſi Eccleſiæ ſuæ ſtatutum longius ſervitium fortè requireret. *Secundò* toto cætero anni tempore non poſſe abeſſe decernitur. *Tertiò*, Ut obligationis gravitas declaretur, pœna imponitur ut nimirum, & fructibus præbendæ, quos ex reſidentia fecit ſuos, dimidiam primi anni abſentiæ partem amittat, & ſi relabatur, omnibus fructibus anni abſentiæ privetur. Cujus quidem legis juſtitia non ſubſiſteret, ſi ad chorum Canonici perſonaliter non obligarentur, parum enim referret ſi alibi privatim Horas legerent, aut alio quovis modo eis ſatisfaceret.

Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform.

Duplex in fundatione canonicatuum contractus

Porrò hic *notandum eſt*: In Fundatione Canonicatuum duplicem contineri contractum: primus terminatur ad quemlibet Canonicatum obtinentem in ſingulari, qui exprimi poteſt his verbis: *Facio ut facias*, ſivè, *beneficium fundo, ut qui illud obtinuerit, in choro officium faciat.* Secundus Contractus terminatur ad Eccleſiam Fundationes acceptantem, ſive Eccleſiæ præfectos, qui exprimi poteſt his aut ſimilibus verbis: *Fundationes tuæ adminiſtrationi trado, ut officium per eos, qui eas obtinebunt, fieri cures.*

Quos contractus obligent.

Ex primo Contractu tenetur Canonicus ſingulariter ex juſtitia choro adeſſe, aliàs fructus non facit, ſivè injuſtitiam committit: ex ſecundo, Eccleſiæ Prælati ſivè præfecti ut Epiſcopi, Decani Præpoſiti, & capitulorũ capita, tenentur providere ut ipſi Canonicatus obtinentes officio chori interſint: *Item:* Ex ratione primi contractus abſentes ultra trimeſtre (quod lege indultum eſt) tempore abſentiæ fuctus non faciunt ſuos & ſi eos percipiant quovis prætextu, tenentur reſtituere: ex ratione verò ſecundi contractus, Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent abſentes à choro abſque legitima cauſa privare etiam fructibus præbendæ, quos tempore præſentiæ fecerunt ſuos, Clarus eſt *Concilij Tridentini Textus.*

Dubium. 2.

An in conſcientiæ foro Canonici ſub peccato teneantur chori officiis adeſſe?

RAtio dubitandi eſt: quia lex obligans videtur purè pœnalis: Si enim abſint ultra trimeſtre abſque legitima cauſa Eccleſiæ & Capitulo probata, fructus abſentiæ ſuos non faciunt, imò, ut jam dictum eſt, alijs etiam priva-

Dubium 5.

Quibus actibus cenſeatur Canonicus ſatiſfacere officio Chori?

TRes potiſſimùm hîc actus conſiderari poſſunt. *Primus*, eſt *Aſſiſtentia*, ſive *Præſentia* in Choro. *Secundus*, eſt *Lectio Horarum* ibidem. *Tertius*, *Cantus communis* in Choro. Juxtà tres illos actus in Dubio continentur tres Interrogationes.

Interrogatio prima, An Canonicus obligationi Chori ſatisfaciat per ſolam aſſiſtentiam, ſive præſentiam tempore Divinorum officiorum?

Interrogatio ſecunda, An ſatisfaciat per lectionem privatam Horarum ibidem tempore officij?

Interrogatio tertia, An, & quomodo obligetur ad cantum?

Reſponſio.

Ad primam interrogationem de Aſſiſtentia.

Triplex aſſiſtentia in choro. ADprimam igitur: *Reſpondeo primò*, Triplicem notari debere aſſiſtentiam, ſive præſentiam in choro: Prima eſt *Purè materialis*; ut eſt dormientis, vel hominis alijs rebus diſtracti. Secunda eſt *Moralis & honeſta*, qualis eſt hominis, qui cœtui, vel conſortio alicui honeſtando ad honorem, vel etiam pompam aliquam aſſiſtit. Tertia eſt *Aſſiſtentia religioſa*, quæ eſt hominis Deum hâc ſuâ præſentiâ colentis, orantis, vel honorantis, ſive quæ ad cultum & honorem Deo exhibendum refertur.

Sola aſſiſtentia materialis non ſatisfacit. *Reſpondeo ſecundò*; *aſſiſtentiam* ſive *præſentiam materialem* impertinentem eſſe adhoc, ut Canonicus obligationi chori ſatisfaciat. *Ratio eſt*: quia illa non eſt per ſe humana, eſtque indifferens ad bonum & malum.

Sola moralis non ſatisfacit. *Reſpondeo tertiò*, Per *aſſiſtentiam purè moralem* in choro, quamvis honeſtam & pompaticam, ſive ad pompam, Canonicum ſuæ obligationi non ſatisfacere. *Ratio eſt*: quia nec iſta ad finem, propter quem beneficium fundatum eſt; nimirùm ad officium Divinum aliquid confert; ſed per ſe eſt actus civilis & politicus, indifferens ad præſentiam quamcunque civilem in quocunque cœtu honeſto.

Requiritur religioſa aſſiſtentia. *Reſpondeo quartò*, Requiri omninò in Canonico, aut quolibet Præbendato; qui Officio chori intereſſe tenetur, *aſſiſtentiam religioſam*, ſive quæ ad actum virtutis Religionis requiritur, & aliquo modo concurrit: nimirùm: ut quis nontantùm honeſtati cœtus ſatisfaciat; ſed ut per modum Deum colentis, honorantis, orantis vel laudantis ſe habeat; ita ut præſentia illa ad virtutem Religionis ordinetur. *Ratio eſt*: quia talis requiritur præſentia & aſſiſtentia, qualis eſt actus qui præſentiam requirit: atqui officium Divinum, propter quod, & ad quod illa præſentia, ſive aſſiſtentia requiritur, eſt per ſe actus virtutis Religionis: ergò & præſentia debet eſſe religioſa, nimirùm, à virtute Religionis procedens, & ad virtutem Religionis ordinata. Et hanc *aſſiſtentiam religioſam* indicant verba *Concil. Trident.* cùm dicit Canonicos debere *aſſiſtere, & in choro ad pſallendum inſtituto, Hymnos & cantica Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare.* An verò ſola hæc aſſiſtentia religioſa interdùm ſufficiat ad evitandum peccatum, & percipiendos fructus ac diſtributiones, in ſequentibus explicabitur. *Concil. Trident. ſeſſ. 24 de Refor. c. 12.*

Quid de diſtributionibus. Ex dictis *Infero primò*, Canonicum choro præſentem materialiduntaxat, aut ſolâ morali præſentiâ, fructus non facere ſuos, nec poſſe recipere diſtributiones, quæ debentur ijs, qui officio interſunt. *Ratio eſt*: quia fructus & diſtributiones dantur propter officium; ſed qui ſolâ materiali aut morali præſentiâ choro adeſt, excluſâ religioſâ aſſiſtentiâ, iſtâ ſuâ præſentiâ non concurrit, nec aliquid confert ad officium: ergò non facit fructus & diſtributiones ſuas. Dixi (*Fructus non facere ſuos, nec poſſe recipere diſtributiones, quæ debentur ijs, qui officio interſunt*) propter aliquas diſtributiones, quæ ſoli præſentiæ debentur in funeribus, in ſolemnitatibus, in proceſſionibus, &c. quas juſtè recipiunt quicunque quovis modo ſunt præſentes.

Infero ſecundò, Similiter Canonicos, qui tempore officij fabulantur, legunt libros, egrediuntur choro, ambulant, teneri Eccleſiæ vel pauperibus ad reſtitutionem fructuum & diſtributionum ratione horum officiorum præcisè perceptarum: quia legitimè non interfuerunt, cùm ad officium nullo actu, vel legitimo ſigno concurrerint. *Nota.*

Infero tertiò, Quoad culpam, præter irreverentiam loci ſacri & cultûs Dei, ac alia peccata, quæ in iſtis indecentibus actionibus committi ſolent, etiam ſpeciali peccato contrà obligationem religiosè aſſiſtendi officio chori, tales peccare, quod peccatum quoad rationem venialis vel mortalis, juxtà ſupradicta de gravitate vel levitate materiæ in caſibus iſtis, expendendum erit; nè eadem frequenter repetamus. *Nota.*

Reſponſio.

Ad ſecundam interrogationem de Lectione privata Horarum in Choro.

Lectio privata in choro. DUplex iterùm diſtinguenda eſt *Lectio Horarum* in choro: alia eſt *Lectio privata*, quæ privatim à Canonico fit, dum canitur divinum officium, aut extrà illud in loco choři: etſi enim hæc lectio in loco publico fit, & dùm publicum officium perſolvitur, privata tamen ſemper manet, eò quòd privatim & ſingulariter fiat abſque concurſu

Lectio publica. cum officio publico. Alia eſt *Lectio publica* & *communis*, quando quis, etſi ſubmiſſiori interdùm voce legat, concurrit tamen cum choro, & ſe illi accommodat cum choro recitans, & aliquâ ratione illi ſe conjungens.

Lectio privata. *Reſpondeo* igitur *primò*, Lectionem privatam in choro non ſufficere ad ſatisfaciendum obligationi, quam habet Canonicus aſſiſtendi officio Divino in Choro. *Ratio eſt*: quia quamvis ſupponatur præſens eſſe, & cum devotione aſſiſtere, utpotè legens privatim & in ſpeciali ſuas Horas; illa tamen recitatio ſive lectio Horarum non concurrit ullatenùs ad officium publicum & commune; undè, qui ſic legit, distributiones, quæ propter Divinum officium præcisè dantur, non facit ſuas; dantur enim propter concurſum aliquem communem ad publicum officium: ſic autem privatim legens, etſi religioſè cenſeatur aſſiſtere choro; verè tamen non aſſiſtit officio, cùm ad officium nullatenùs concurrat. *Nota.*

Lectio publica requiritur. *Reſpondeo ſecundò*, Lectionem horarum cum choro, etiamſi ſubmiſſiori voce fiat, ſatisfacere obligationi chori, modò ſint alij ſufficientes, qui altiori voce officium faciant. *Ratio eſt*: quia qui ſic recitat, verè ad officium Divinum chori concurrit, & verè cum choro officium facit, per accidens autem eſt, quòd vocem non elevet altiori tono. Dixi (modò ſint alij ſufficientes, qui altiori voce officium faciant) quia enim illud officium publicum eſt, & ad populi utilitatem & excitationem ordinatum, ità debet fieri voce altiori, ut intelligi poſſit. Qualiter verò debeat vox elevari, & quis fuerit primævus Eccleſiæ cantus, ſtatim dicetur.

Reſponſio.

Ad tertiam interrogationem de cantu Eccleſiaſtico in Divinis Officijs.

Ut obligatio cantandi & pſallendi in officio Divino plenè intelligatur,

Origo cantûs Eccleſiæ. *Advertendum eſt primò*, Cantum Antiphonarum, Hymnorum, & Pſalmorum in orationibus publicis ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe introductum in Eccleſia orientali, ut alternis choris canerentur. Hujus meminit Caſſiodorus in ſua hiſtoria tripartita lib. 10. cap. 9. refertque ad tempora S. Ignatij Martyris, qui audito concentu Angelorum hymnos in laudem SS. Trinitatis canentium; hujuſmodi formam concentûs Eccleſiæ ſuæ tradidit, ex qua in cæteras derivatus eſt Eccleſias. Meminit & antiquiſſimus Juſtinus Martyr epiſt. ad Zenam & Serenum. Tertul. lib. 2. ad Uxorem. Phylo Judæus lib. de vita contemplativa, deſcribens vitam & mores Ægyptiorum Monachorum. Et trip. hiſt. lib. 3. cap. 32. de Monachis Flaviano & Diodoro ſic refertur: *Iſti primùm in duas partes choros pſallentium dividentes, ex ſucceſſione Davidicam melodiam cantare docuerunt. Et hoc in Antiochia primitùs fieri cœpit, & diſperſum ad terminos totius orbis uſquè pervenit.* Idem repetit Theodoretos lib. 2. Eccleſ. hiſt. cap. 24. *Lib. 5. trip. hiſt. cap. 32.*

Modus cantandi lenis. *Advertendum ſecundò*, Modum illum cantandi fuiſſe cum levi flexu vocis valdè devotum ac lenem, abſque vociferatione & cantu multùm elevato. Undè S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 33. referens qualiter cantus ſolito vehementior aut modulatior debito, ei diſpliceret, & eum ab auribus ſuis removeri vellet, ſubdit: *Tutiùsque mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemini: Qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi ut pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti.* Hæc ibi. Et Concilium generale VI. Can. 73. *Eos* (inquit) *qui in Eccleſijs ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferantibus uti, nec naturam ad clamorem urgere, &c. ſed cum magna attentione & devotione Pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre.* Concordat & Concilium Aquiſgranenſe I. ſub Carolo Magno cap 133. *Tales* (inquit) *ad legendum, cantandum, & pſallendum in Eccleſia conſtituantur, qui non ſuperbè, ſed humiliter debitas Domino laudes perſolvant, ac ſuavitate lectionis ac melodia doctos demulceant, ac minùs doctos erudiant, pluſque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimamque adulationem.* Hæc ibi. *S. Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 33.* *Concil. general. 6. Can. 73.* *Concil. Aquiſg. 1. ſub Carolo Magno cap. 133.*

Cur cantus inſtitutus. *Advertendum tertiò*, Cantum inſtitutum maximè fuiſſe ad excitationem cordis & devotionis internæ, non ad externum tantùm applauſum & pompam, cæterùm ſimplici lectione & politia, ac ſuavi recitatione publicum officium Divinum celebratum fuiſſe. Id docet S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *Quantùm* (ait) *flevi in Hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Et c. 7. refert: ante converſionis ſuæ initia, Eccleſiam Mediolanenſem ſuſcepiſſe hujus concentûs modum uno tantùm anno, aut parùm ampliùs, idque occaſione perſecutionis, quam excitaverat Juſtina Valentiniani Regis adhuc pueri mater Ariana contra S. Ambroſium: *Tunc* (ait) *Hymni & Pſalmi ut canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.* Et lib. 10. cap. 33. *Veruntamen cùm reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſe commoveor non cantu; ſed rebus, quæ cantantur, cùm liquidâ voce & convenientiſſimâ modulatione cantantur.* Inferiùs ſubdit mirabilem cautelam: *Tamen cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moveat: pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Ex his ad interrogationem tertiam, *S. Aug. l. 9. Confeſſ. cap. 6.* *Idem ibid. cap. 7.* *Idem l. 10. cap. 33.*

Canonici non tenentur ad muſicam, &c. *Reſpondeo primò*, Canonicos non teneri ad muſicam, modulationes, cantus figuratos, aut etiam ad quamlibet vocem elatiorem. *Ratio eſt*: quia

Digitized by Google

quia hic cantus non eſt Ritui officij publici neceſſarius, imò ſæpè inutilis & nocivus, ut ſuprà ex Concilijs, & S. Aug. demonſtratum eſt.

Æqualiter cantandi.

Reſp. ſecundò, Canonicum ſatisfacere ſuæ obligationi per recitationem aliquantulùm elevatam, ſive mediam & moderatam, juxtà ſuam complexionem & diſpoſitionem naturæ, quæ affectum redoleat magis, quàm ſonum. *Ratio* ex ſuperioribus ſumenda *eſt*: hæc enim & publico officio & ædificationi, ac devotioni tam recitantium, quam populi audientis ſufficit, juxtà ea, quæ de S. Athanaſio ex S. Auguſtino ſuprà ſunt relata. Et hoc tantùm ſonant verba S. Concilij Tridentini Canonicos debere: *In choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devotèque laudare.*

Conc. Trid. ſeſſ. 24 de Reſor. c. 12.

Nota.

Reſpondeo tertiò, Cantum muſicum & melodias non modò non obligare Canonicos, ſed illa Epiſcoporum & Capitulorum conſilio moderanda eſſe, plùs enim diſtractionis & vanitatis ſapiunt, quam pietatis. Undè & Concil. Trident. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſarum mandat removeri *Ab Eccleſijs muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur.* Ubi *laſcivum* & *impurum* non tam turpitudinem ſonat, quàm vaniſſimam humanæ curioſitatis, vanitatis & mundani ſolatij voluptatem, de qua S. Auguſt. ſuprà, ubi de cantûs Eccleſiaſtici nimia melodia dubius: *Ità* (inquit) *fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis.* Miror ſanè à nonnullis, ubi populus vocandus eſt ad lamenta, ad fletum & ſaccum, iſtis vanis muſicis illum deliniri ſub titulo orationum, quæ quidem aures voluptatum amatrices ſonis indifferentibus demulceat magis, quam excitent, ubi tamen lamentationes ſonare deberent, demùm *Carmen & va.* Undè S. Auguſt. ſuprà lib. 9. Confeſſ. cap. 7. cantum Eccleſiaſticum vocat *Genus conſolationis & exhortationis: conſolationis* utique pro interiori corde, *exhortationis* pro toto homine. Super omnibus ſupradictis videantur Reſponſiones Cardinalium Interpretum ſacri Concilii Tridentini, quæ paſſim ad ipſum textum à varijs velut commentaria adnexæ ſunt.

Concil. Trident. ſeſſ. 22 in Decreto de obſer. & evit. in celeb. Miſſæ.

S. Auguſt. ſuprà.

Nota.

Dubium 5.

An præſcriptio conſuetudinis immemorialis temporis, aut alicujus tituli bonæ fidei poſſit Canonicum excuſare ab obligationibus chori ſuprà examinatis?

HOc dubium ponitur ad complementum omnium, quæ ſuperiùs reſoluta ſunt, & quæ procedunt de jure communi, & fundationum ac decretorum Eccleſiæ. Ponitur ad conſcientias ſerenandas.

Tria jura ad obligationem Canonicorum concurrũt.

Advertendum igitur primò, Ad controverſias omnes ſincerè ſedandas, tria jura in obligatione Canonicorum ad Horas Canonicas & Divina officia celebranda concurrere: Primum eſt *Ius Divinum naturale univerſale*, quo non tantùm homo in ſingulari, ſed hominum familiæ & cœtus, poſtquam in ſocietatem convenerunt, tenentur Deum aliquo cultu recognoſcere, colere, & adorare. Hoc Scripturæ paſſim docent ab initio conditæ naturæ: nam & Cain & Abel, ut particulares, ſacrificia obtulerunt Domino, & à principio Capita familiarum pro familia, velut Sacerdotiu fungentes, ſacrificabant, ac in omni natione Sacerdotes conſtituti ſunt pro populo, ut Melchiſedech Rex Salem, & tempore Môſis, Aaron, & filij Levi, &c.

Secundum jus eſt *Mixtum*, utique partim *naturale*, partim *civile*. Cùm enim populo providendum eſſet de cultu Dei publico, & ijs, qui pro populo orarent, ut obligationi juris Divini naturalis ſatisfieret: poſt decimas, quæ omni tempore à principio Sacerdotibus & Levitis pendebantur, fundationes ſingulares ſucceſſerunt in Eccleſia Catholica & Orthodoxa, quibus Clerici Levitis ſuccedentes determinatis dotibus & penſionibus, obligarentur certis temporibus officia Divina publice celebrare in communem utilitatem populi Chriſtiani. quæ quidem obligatio eſt *juris mixti*: eſt enim *juris naturalis* ratione contractûs virtualis, quo datur beneficium propter officium, ita ut obtento beneficio ex contractu naturali teneatur illud obtinens officio publico ſatisfacere. Eſt autem hic quidpiam *civilis juris* admixtum, nimirùm finis hujus contractûs, qui eſt: ſpiritualem Eccleſiæ Rempublicam adunare, & in cultu Dei promovere.

Tertium jus eſt *Poſitivum Eccleſiaſticum*, quo nimirùm: modus, tempus, officia, cæremoniæ & ſolemnitates publicâ Eccleſiæ authoritate determinata ſunt, tam in ſe, quàm quoad perſonas miniſtrantes.

Advertendum ſecundò, Non dari præſcriptionem vel conſuetudinem contrà id, quod eſt legis divinæ naturalis: illa enim immutabilis eſt & perpetua, fundatuq; ſuper ratione honeſti in ſe, ut docuimus *Tom. 2. tract. 1. tit. 4. quæſt.* 1. *Non datur præſcriptio contra legem Divinam, &c.*

Advertendum tertiò, ad præſcriptionem tria requiri. Primò *Titulum honeſtum, ſaltem coloratum.* Secundò, *Bonam fidem.* Tertiò, *Certum numerum annorum à iure præfixum.* *Tria ad præſcriptionem requiſita.*

Advertendum quartò, Similiter ut conſuetudo præſcribat contrà legem Eccleſiaſticam (non enim poteſt præſcribere contrà legem Divinam ſive naturalem, ſive poſitivam) tria ſimiliter requiri. 1. Ut ſit *Iuſta.* 2. Quòd ſit *Communis* inter timoratos & doctos. 3. Ut *Legulator diſſimulet*, & lex contrariâ diſſimulatione legiſlatoris velut deficiat. Vide quæ diximus *hoc Tomo Tract.* 1. *Tit.* 8. *Quæſt.* 4. §. 3. *Et Tit.* 10. *Quæſt.* 1. His ſic prænotatis, pono Reſolutiones ſequentes tanquam fundamenta totius doctrinæ ſuperioris. *Tria, ut conſuetudo præſcribat, requiruntur.*

Reſolutio I.

NUllo titulo, etiam conſuetudinis, poteſt præſcribi contra obligationem, quam habent *Capita Eccleſia non præſcribũt.*

beit capita Eccleſiarum, & Prælati providendi de cultu publico in utilitatem populi ſui. *Ratio eſt* : quia illa obligatio eſt juris Divini naturalis.

Reſolutio 2.

Canonicus qualiter non præſcribat.

SAlvis beneficij fructibus non poteſt Canonicus præſcribere contrà obligationem ad Horas Canonicas privatim perſolvendas. *Ratio eſt* quæ ſupra : quia hæc obligatio eſt etiam *juris naturalis*, orta ex virtuali contractu, de quo frequenter in ſuperioribus. Dixi (*ſalvis fructibus beneficij*) nimirùm, ità ut illos recipiat : neque enim bona fides aut titulus aliquis contrarius præſumi poteſt, ubi quis actu ſcit ſe beneficij fructibus gaudere. Si autem fructus non recipiat, ſive recipere non poſſit, tamdiu obligatio ceſſare cenſetur.

Reſolutio 3.

Qualiter Canonicus non præſcribat contra aſſiſtentiam in choro.

ECcleſiâ ſubſiſtente & liberâ ac ſalvo beneficio, nullo titulo aut conſuetudine poteſt Canonicus præſcribere contrà obligationem aſſiſtendi Divinis officijs in choro aſſiſtentiâ religioſâ, ſive quæ eſt actus virtutis Religionis. *Ratio eſt* : quia iterùm hæc obligatio immediatè oritur ex jure naturali, ſive ex contractu & natura ſui Canonicatûs & beneficij.

Dixi (Eccleſiâ ſubſiſtente & liberâ) ſi enim Eccleſia, cujus eſt Canonicus, ſit deſtructa, aut ab hoſtibus occupata, aut aliundè non pateat ipſi liber ad illam acceſſus, non tenetur (ut aliàs diximus) ad officium chori.

Dixi (contrà obligationem) poteſt enim prætendere interdùm excuſationes, vel diſpenſationes ab actu ſingulari aſſiſtendi, ſive ab actuali aſſiſtentia in caſu, & pro aliquo tempore, prout etiam in ſuperioribus eſt dictum : non poteſt tamen prætendere libertatem contra totam obligationem, quam habet.

Dixi (nullo titulo aut conſuetudine) ut enim ſuprà annotavi, ad præſcriptionem requiritur *titulus honeſtus, bona fides*, ac *tempus à jure determinatum*. Quomodo verò bona fide titulum habens beneficij, fructu'q; ejus actu percipiens, obligationem ignorare, aut de obligatione dubitare poteſt, aut contrà obligationem per ſe notam titulum juſtum prætendere? Nec ſuffragari poteſt ulla Juris ignorantia, aut diſſimulatio legislatoris, ſive deficientia legis : nil enim tam commune in corpore Juris aut Conciliorum Decretis, quàm de reſidentia Clericorum (quæ non niſi propter aſſiſtentiam requiritur (& de pœnis graviſſimis excommunicationis, ſuſpenſionis, depoſitionis Clericis impoſitis ob abſentias à choro. Ut videre eſt D. 92. cap. *Si quis Presbiter*. Item cap. *Dolentes*, & in Conc. Trident. ſeſſ. 24. ſæpè citata.

Reſolutio 4.

Canonicus contra cantus obligationem præſcribere poteſt.

POteſt dari præſcriptio contrà obligationem canendi communi voce in choro, aut aliquas Horas, & nonnulla officia in eo recitandi. *Ratio eſt* : quia modus officiandi in choro eſt juris Eccleſiaſtici poſitivi, contrà quod currit interdùm præſcriptio titulo probabili & juſto. *Explico* : Quod alternis verſiculis fiat pſalmodia : quòd Antiphonæ ſimul repetantur : quòd Capitula ab uno dicantur : quod hi lectiones cantent, & alij Reſponſoria, & ſic de alijs, quæ ad modum officiandi pertinent, Juris eſt Eccleſiæ. Undè & Eccleſia ſtatuere poteſt & conſentire, ut alij religioſè aſſiſtant, alij cantent, alij miniſtrent : Ergò ſi longâ conſuetudine ſit introductum etiam inter timoratos & doctos, ut abſque cantu aliqui religioſè choro aſſiſtant, videntur poſſe juſtè titulo conſensûs legitimi expliciti vel taciti eorum, ad quos pertinent, vel titulo legitimæ conſuetudinis prætendere præſcriptioné contrà juris communis decreta & obligationes. Et hoc modo in aliquibus Cathedralibus Eccleſijs, vel ubi eſt multitudo magna Canonicorum, prætendunt interdùm Canonici ſolâ aſſiſtentiâ religioſâ ſe obligationi ſatisfacere ſupradictos titulus allegantes. Superaddunt nonnulli *Titulum compenſationis*, ex eo quòd Capellanos ſubſtituant ad canendum, eiſque ex beneficiorum ſuorum fructibus ſtipendia tribuant. *Quid de Capellanis.* Quinimò antiquus mos Eccleſiæ refertur, quo per tres noctis ſtationes Nocturni dicebantur, ad quos non omnes ſimul, ſed quaſi per turmas diviſas, ut militiæ Chriſtianæ ſtationes, aliqui ſurgebant, alijs quieſcentibus. Quo argumento concluditur : Eccleſiam poſſe ita officia Divina diſtribuere, ut aliqui ex Canonicis aliquibus Horis, alij alijs aſſiſtant. Et ubi eſſet conſuetudo talis legitimè introducta, curreret præſcriptio Juris.

Reſolutio 5.

Nulla poſt Concil. Trident. præſcriptio.

ETſi in cantu, & alijs officiandi modis in choro præſcriptio dari poſſit ; modò tamen poſt Cuncilium Tridentinum, non videtur illa præſcriptio quovis titulo valida, ut quis a recitatione communi Horarum in choro liberetur. Hæc reſolutio ſumitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformatione : ubi omnia ſtatuta & conſuetudines contrariæ, &c. revocantur : omnia verò Decreta antiqua, quantùm ad obligationem præſentiæ in choro & recitationis communis Horarum, ibidem confirmantur & renovantur. Undè & ad majoris diligentiæ incentivum, in eodem Concilio ſeſſ. 21. cap. 3. de Reformat. ordinatum eſt : *In Eccleſijs tam Cathedralibus, quàm Collegiatis in quibus nulla ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ità tenues, ut verſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcunque proventuum & obventionum tam dignitatum, quàm Canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti*, & inter Divinis officijs intereſſentes proportionabili diviſione *Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 3. de Reform.*

per

per Epiſcopum factâ diſtribui. Quod & reperitur ſeſſ 22. cap. 3. de Reform. Ubi omnes, qui non interſunt, declarantur diſtributiones amittere, nec in eis quoquo modo dominium acquirere, ſed fabricæ Eccleſiæ, quatenùs indiget, aut alicui pio loco arbitrio Ordinarij applicari poſſe: ſeſſ autem 24. de Reform. cap. 12. decernitur, ut: *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſâ, his careant juxtà Bonifacij VIII, Decretum*, &c. Præcipitur ibidem: ut: *Omnes Divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia.*

Idem ſeſſ. 24. cap 12. de Refor.

Decret. Boni. VIII.

Appendix doctrinalis.

De Eccleſiarum nonnullarum conſuetudinibus & diſpoſitionibus circa Canonicorum reſidentiam, præſentiam vel abſentiam contra Juris communis diſpoſitionem.

CUm certum ſit in nonnullis Eccleſijs conſuetudinem jam vim legis obtinuiſſe, ut Canonici aſſiſtentes, etſi non canant, diſtributiones recipiant: alij à reſidentia excuſentur, etiam perceptâ portione certâ fructuum groſſorum, ut dicunt: alij duos Canonicatus obtinentes in diverſis Eccleſijs, in utraque reſidere non poſſe dignoſcantur: ut conſcientiarum quieti provideri poſſit, aliqua hic repetenda putavi.

Notanda ſingulariter contra ſequentia.

Primum: Ubi Canonicatus & beneficium fundatum eſt, eius diſpoſitionem tam circà officium & ſervitium, quàm circà fructus beneficij, tranſire in diſpoſitionem Romanæ Eccleſiæ & Vicarij CHRISTI. Hoc ipſum alias docuimus in *Reſolutionibus dubiorum de Canonicis Dub* 3.

Secundum: Diſpoſitionem illam Summò Pontifici non ità eſſe liberam, quin in ſuis mandatis, facultatibus, diſpenſationibus, &c. requiratur rationabilis cauſa: tùm ne intentio fundatoris contra juſtitiam abſque cauſa alteretur; tùm ne Beneficiatus nimis gravetur; tùm ne juſta obligatio nimis leviter relaxetur; tùm denique, ne Eccleſia detrimentum patiatur: Hæc enim in omni diſpoſitione etiam S. Sedis obſervanda ſunt, ut Pontifex fidelis diſpenſator habeatur.

Tertium: Quando diſponit, vel diſpenſat Summus Pontifex in aliqua conditione beneficij, vel beneficiatorum, præſumendus eſt rationabiliter & juſtè diſpoſuiſſe, niſi aliundè conſtet, quòd fuerit aliquâ prava informatione circumventus.

Quartum. Magnam authoritatem dari Synodis Provincialibus in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de Reform. c. 12. ſuper diſpoſitionibus aliquibus contingentibus Horas Canonicas & officia Divina: *Cætera* (inquit) *quæ ad debitum in officijs Divinis regimen ſpectant, deque congrua in his canendi ſeu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua hujuſmodi: Synodus Provincialis pro cujuſque Provinciæ utilitate & moribus, certam cuique formam præſcribet.* Ex quibus omnibus pono regulas ſequentes.

Trid. ſeſſ 24 cap. 12 de Refor

Regula 1.

NUllus Canonicus à reſidentia, aſſiſtentia religioſa in choro & recitatione communi Horarum in conſcientia excuſatur, niſi aut diſpenſatio Pontificia, aut facultas ſingularis, aut Synodi Provincialis ordinatio ſive conſenſus illi ſuffragetur.

Quæ diſpenſatio vel facultas excuſet à choro.

Hæc regula ex ſupradictis conſtat. Dixi (*etſi diſpenſatio Pontificia*, &c.) cenſetur autem & præſumitur diſpenſatio Pontificia tanta, quando velut ſub certa lege a Capitulo integro ab immemorabili obſervatum eſt, & velut pro lege obſervatur; præſumitur enim diſpenſatio Pontificia interveniſſe. Unde ſeſſ 21. cap. 3. excuſantur non reſidentes, qui ex antiqua conſuetudine Eccleſiarum vel nihil, vel minus tertià parte ex fructibus beneficiorum receperunt. *Item*: Qui duos Canonicatus ex diſpenſatione Papæ obtinent, in alterutro tantùm reſidere tenentur, & ſi uni ſit adjuncta dignitas, in illo ſolo. Hujuſmodi etiam diſpenſatione fruuntur, qui cum Canonicatu beneficium Parochiale poſſident, in Parochiali enim ratione curæ animarum tenentur reſidere.

Dixi (*facultas ſingularis*) quam ex cauſa poteſt etiam Epiſcopus aut Capitulum concedere, juxtà Eccleſiæ uniuſcujuſque conſuetudinem.

Dixi (*Synodi Provincialis*) cui etiam Capitulum ſuccedit, ſi à Synodo ſit exemptum: cùm illius ſit de regimine ſuæ Eccleſiæ, juxtà utilitatem & mores probatos diſponere.

Regula 2.

OMnis diſpenſatio, facultas, vel Synodica, aut Capitularis diſpenſatio præter Jus commune facta, debet præſupponere cauſam rationabilem aut utilitatem Eccleſiæ: ut, qui à reſidentia, aſſiſtentia religioſa, vel recitatione communi excuſatur, ſecurus ſit in conſcientia.

Omnis diſpenſatio excuſatio debet eſſe rationabilis.

Patet ex connotato ſecundo ante Regulas, aliàs enim eſſet mera corruptela & diſſipatio: & ſecundùm has duas regulas & ſuperiora connotata conformare ſe debent, qui prætendunt ſe ab enumeratis oneribus excuſari, quibus nulla conſuetudo prodeſſe poteſt, niſi dictis fundamentis illa clarè innitatur; ſed quæcunque illa fuerit abſque dictis fundamentis, corruptela eſt æſtimanda, condemnata tùm naturali Jure, tùm Conciliorum decretis & declarationibus. Benè enim infertur: quòd, ſi qui Altari inſervit, debeat de Altari vivere: ita injuſtè de Altari vivere, qui Altari detrectat inſervire.

Reſolutiones.

De Præbendatis, Beneficiariis, Portionariis, Stipendiariis, &c. in ordine ad officium Chori.

UT Titulus præfert, hîc non agitur de obligatione ad Horas Canonicas privatim legendas: docuimus enim alias, omnes Beneficiarios, Præbendatos, Portionarios, præſtimonia obtinentes, ex Decretu Concilij Lateranenſis ſub Leone X, ſeſſ. 9, Et ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi Concilio*, obligari ad Horas Canonicas privatim recitandas. Sola igitur quæſtio eſt de officio Divino & Horis Canonicis in choro perſolvendis.

Dubium unicum.

An omnes Capellani, Beneficiati, & Stipendiarii obligentur ad Horas in Choro perſolvendas?

Duplices Præbendati.

ADvertendum primò, Duplices diſtingui debere Præbendatos, ſive Beneficiatos: alij enim ex vi præbendæ, vel beneficij deputati ſunt Choro & officijs Divinis: alij ex vi beneficij nullo ſervitio chori gravantur, ſed tantùm Miſſis in Capella vel Altari dicendis.

Duplices Stipendiarij.

Rursùs: Stipendiarij duplices ſunt: alij ad muſicam melodiam, vel cantum tantùm ſtipendium accipiunt, & ad hoc conducti ſunt, ut nimirùm cum majori celebritate, vel multitudine vocum cantus ordinetur: alij etiam ad officium, *v. g.* ad Horas minores loco Canonicorum perſolvendas. His ſic prænotatis:

Qui Capellani ad chorum non obligentur.

Reſpondeo primò, Beneficiatos, qui ad ſervitium chori deputati non ſunt, ſed tantùm certo Miſſarum in aliqua Capella, vel Altari, aut certo tempore celebrandarum numero ex vi beneficij gravantur, non obligari ſub peccato ad officium in choro. *Ratio ex terminis clara eſt*: quia non poſſunt obligari ultrà terminos fundationis. Quòd verò in antiquis Canonibus & Decretis Pontificum præcipitur, ut omnes Clerici civitatis vel oppidi ad divina conveniant; id vel intelligendum eſt de deputatis ad chorum, vel conſilij fuit & decentiæ ad exemplum & diſciplinam Eccleſiaſticam conſervandam. Ex quo etiam *Infero*: quòd, quia Miſſæ per alios dici poſſunt, tales poſſint ſuo oneri ſatisfacere per vicariam manum.

Qui Capellani obligentur ad chorũ.

Reſpondeo ſecundò, Præbendatos & Beneficiarios, qui ad chorum deputati ſunt, juxtà rationem fundationum obligari in conſcientia, & ſub peccato teneri chori officijs aſſiſtere. *Ratio* eadem *eſt* proportionaliter, quæ de Canonicis, & ideò eiſdem regulis quoad aſſiſtentiam, lectionem Horarum & cantum obligatio eorum, & peccatum, ſive peccati gravitas expendenda eſt. Imò multò magis: quia multa chori ſervitia ex vi fundationis interdùm in illos devoluta ſunt ad Canonicorum exonerationem.

Stipendiariorum ad Horas obligatio.

Reſpondeo tertiò, Stipendiarios ad Horas loco Canonicorum in choro perſolvendas, teneri eâdem obligatione integrè, ſtudiosè, & devotè Horas illas cantare, quâ Canonici. *Ratio eſt*: quia cùm ſubeant vices Canonicorum, ſub eadem obligatione onus in ſe ſuſcipere cenſentur: ſicuti ergo Canonici obligantur ad cantum religioſum & officium verè divinum, ſic & Vicarij aut Capellani ſtipendiarij, qui vices eorum gerere debent. Undè hæc tantùm inter illos eſt differentia, quòd, qui purè ſtipendiarij ſunt, ad Horas in choro perſolvendas loco abſentium (ſi Sacerdotes aut in ſacris Ordinibus conſtituti non ſint, & aliunde non obligentur) non teneantur Horas privatim recitare aut repetere: quia ad hoc ſtipendium non accipiunt: Canonici autem, etiam abſentes, non obſtante quòd Vicarij in choro officium perſolvant, teneantur privatim eaſdem Horas legere.

Stipendiariorum ad muſicam obligatio.

Reſpondeo quartò, Stipendiarios ad Muſicam, cantum, melodiam, ſive ad vocum excellentiam & multiplicationem ſtipendium recipientes, ad materialem tantùm cantum teneri, eo modo quo organiſta vel citharedus ad ſuos ſonos edendos. *Ratio clara eſt*. quia (ut diximus) finis ſtipendij alius non eſt. Unde qui ad muſicam & cantus illos figuratos velut conducti ſunt, non tenentur ex vi ſtipendij aut conductionis ad attentionem vel devotionem, niſi aliundè ex reverentia loci ſacri & officij divini, ſicut quælibet perſona aſſiſtens, obligentur, aut niſi præceptum ſpeciale, quod *v. gr.* à Concilio Tridentino prohibentur laſcivos & impuros cantus & muſicas cantui Eccleſiaſtico immiſcere, tranſgrediantur.

Nota. Trid. ſeſſ. 22. in Decret. de obſer. & evitan. in celeb. Miſſæ.

Reſolutiones.

De Regularibus ſive Religioſis ac monialibus quoad obligationem eorum ad Horas Canonicas ſive privatim ſive in Choro perſolvendas.

Dubium I.

An Regulares tam viri, quàm moniales teneantur ad Horas Canonicas privatim perſolvendas?

AFfirmant plurimi, & quidem auctorum pars major, qui hujus obligationis cauſam requiſiti, ubi regulæ ſpeciale præceptum, aut aliam obligationem non reperiunt, ad conſuetudinem quæ vim legis habeat, recurrunt: ita ut, Regulares conſuetudine vim legis habente ad Horas Canonicas obligentur. Vide Auctores communiter illos citantes.

Religioſi & moniales qualiter ad Horas non teneantur.

Reſpondeo primò, Regulares ſive viri, ſive moniales, quæ ex vi regulæ vel voti ſpeciale

præ-

præcep: um non habent, ſub nullo peccato obligantur ad Horas Canonicas privatim recitandas: Ratio mea fundamentalis eſt: quia tantum onus ſine ſpeciali lege vel titulo ſub peccato mortali imponere, eſt jugum intolerabile & violentum.

Dixi (*quæ ex vi Regulæ vel voti ſpeciale præceptum non habent*) ſi enim habeant, ut habent Fratres minores, moniales annuntiatæ, & ſi qui alii vel aliæ reperiantur, quarum quarumque Regula in oratione divini officii obligat ad mortale, illi ſine dubio obligabuntur.

Nec ratio conſuetudinis vim Legis habentis, aliquid concludit: etſi enim conſuetudinem ſanctam religionum communiter negare non poſſimus; illam tamen conſuetudinem habere vim legis ad peccatum mortale obligantis, nullus probare poterit, nec vidi ullum qui hoc probare intenderet: Qui enim hanc vim conſuetudinis allegant, illam communiter ſupponunt, non probant.

In quo conſiſtat Conſuetudo Horas legendi in Religionibus. *Dico ergo primò*, ſanctam conſuetudinem eſſe, ut Religioſi, ubi choro non intertunt, privatim Horas Canonicas à quibus abſuerint, legant.

Dico ſecundò, hanc conſuetudinem receptam eſſe ſub titulo pietatis & ſancti exercitij quam qui prævaricaretur, indevotionis & negligentiæ, ſeu defectus fervoris in rebus pietatis argueretur.

Conſuetudo dicta non habet vim Legis. *Dico tertiò*, hanc conſuetudinem non habere vim Legis: ut enim conſuetudo vim legis habeat, non ſufficit ut communi ſenſu & conſenſu ſit recepta ſimpliciter (recipi enim poteſt ob decentiam, pietatem, utilitatem, quæ in illa continetur) ſed requiritur ut recipiatur per modum legis ſub peccato obligantis. Taliter autem receptam eſſe à Regularibus conſuetudinem illam communiter dicendi Horas Canonicas abſolutè negandum eſt.

Dico quartò, non minùs fictitium eſſe conſuetudinem illam receptam eſſe per modum legis ad peccatum mortale obligantis. Hoc enim abſque certo fundamento liberè dicitur. Conſtans autem mihi eſt iſta regula: nullam legem, multò minùs conſuetudinem, ad peccatum mortale obligare, niſi conſtet certò de fundamento tantæ obligationis. Vide quæ diximus ſuprà *Tract.* 1. *Tit.* 10. *quæſt.* 1. *per totam.*

Dices primò: Multi ſunt in iſta opinione obligationis, quæ ſi tollatur, plures religioſi negligent Horas legere *Reſpondeo*, minus malum eſſe negligere, quàm negligendo Deum offendere: Et cùm opinio illa legitimè fundata non ſit, meliùs eſt errorem, qui pluribus eſt offendiculum peccati, tollere, quàm tantum peccatum mortale permittere. Quilibet enim ſcrupuloſus ſibi conſcientiam erroneam formare poſſet, & imprudenter hoc titulo conſuetudinis ſe in graviſſimos laqueos conſcientiæ præcipitare: pii certè & ſuæ ſalutis amatores attendentes fructus pietatis & utilitatem & ſanctam conſuetudinem religionis, horas facilè non omittent: cur autem ob piorum diligentiam incurios & infirmos volumus exponere periculo peccati mortalis, & æternæ damnationis? Conſueverunt religioſi certis horis orationi & exercitationi mentali vacare, certis diebus diſciplinas ſumere, ex pietate certis diebus jejunare, officium B. V. Mariæ recitare, quin frequenter ad illa conſuetudine communi a ſuis directoribus compelluntur: ergo peccant mortaliter illa omittendo, vel ex omiſſione hujuſmodi formanda eſt in illis conſcientia peccati mortalis, aut ubi erroneè fundata eſt, continuanda? Hoc dicant cœci, qui cœcis ducatum præbentes in foveam præcipites ruunt: Ego tali aſſertioni repugno.

Dices: Beneficiati ad Horas tenentur, quia ex fundationibus propter officium vivunt: Ergo & religioſi, qui ſive fundationibus, ſive piorum oblationibus, & mendicationibus victitant, ſimiliter obligabuntur. *Reſpondeo negando Conſequentiam*: Fundationibus enim beneficiorum correſpondet præcisè Canonicum officium ex debito juſtitiæ & contractuum virtualium: Fundationibus autem monaſteriorum ac oblationibus piorum, &c. correſpondent omnia, quæ faciunt religioſi, utpotè, arcta votorum obſervatio, orationes, jejunia, diſciplinæ, auſteritates, doctrina, ſancta exempla, &c. quorum intuitu, titulo charitatis, monaſteriis oblationes factæ ſunt & indies fiunt; eisque, qui omnia pro Chriſto reliquerunt, rependuntur à ſapientiſſimo Retributore Deo: undè bene dicebat S. P. N. Franciſcus, fratres ſuos mundo debere exercitationes pietatis, exemplum, & doctrinam: mundum autem, titulo charitatis, debere illis victum, veſtitum, hoſpitium gratuitâ benignitate: ſufficienter itaque religioſus exercitiis & auſteritatibus religionis ſatisfacit oblationibus & eleemoſynis piorum, nec privatim & ſingulariter ad Horas Canonicas juſtè obligari poteſt. *Nota.*

Reſpondeo ſecundò, Religiones, quæ chorum ex ſtatûs annexum habent, obligari ad Horas in choro, idque ex communi præcepto & ſenſu Eccleſiæ: Sic enim præcipitur in Clement. de Celebrat. Miſſarum cap. 1 ut *in Eccleſiis cathedralibus, Regularibus & Collegiatis horis debitis devotè pſallatur*, &c. *Religiones obligari ad chorum.* Clement. de Celeb. Miſſa.

Reſpondeo tertiò, ſingulos religioſos ad chori Horas ſingulariter non teneri, ſed obligationem tantum univerſalem eſſe, ut in choro Horæ Canonicæ dicantur: Quæ quidem obligatio primò cadit in Superiores, ut procurent illas recitari: ſecundariò in religioſos, ne ex eorum negligentia & defectu omittantur: Peccabunt itaque mortaliter Superiores; ſi eorum negligentiâ officium in choro omittatur, aut debitè non fiat. Peccabunt mortaliter religioſi, quos obedientia aut rationabilis cauſa a choro non excuſat, ſi ob eorum defectum officium omittatur, aut grave detrimentum patiatur. *Ratio* autem horum petenda eſt (ut dixi) ex conditione ſtatûs & præcepto Eccleſiæ, quæ illis religionibus chorum addixit. *Qualiter Religioſi ad Chori officium obligentur.*

SECTIO II.

De integritate Horarum Canonicarum, & peccatis eorum, qui eas vel earum partem omittunt.

QUÆSTIO I.

Quibus conſtituatur Horarum Canonicarum integritas?

CONCLUSIO UNICA.

Triplex in Horis integritas.

T*Riplex integritas in Horis Canonicis reperitur: nimirùm materialis, formalis, & accidentalis. Integritas materialis* conſtituitur Pſalmis, Hymnis, Capitulis, Antiphonis, Reſponſoriis, Lectionibus, verſiculis, orationibus. *Integritas formalis* conſtituitur eſſentiali officij ritu & velut forma: Qui quidem ritus & forma in hoc conſiſtunt: ut juxta tempora fiat officium de Dominica, feria, feſto duplici, ſemiduplici, ſimplici, &c. Hæc enim quaſi officium formant, & unum ab alio diſtinguunt, velut formæ & differentiæ quaſi eſſentiales, ſive potiùs artificiales officij divini: Ad integritatem etiam formalem pertinet varietas & diſtributio officij divini in Matutinum, Laudes, Primam, &c. *Integritas accidentalis* conſiſtit in cœremoniis, quæ officio planè accidunt, utpotè, quòd tali ordine, tali ſitu, tali modo Horæ dicantur. Quò ſpectant Rubricæ de nunnullis dicendis ſtando, genuflectendo, inclinando, &c. de dicendo Matutinum ante Primam, de dicendis horis matutinis manè, veſpertinis poſt meridiem.

QUÆSTIO II.

An omnis integritas ſub peccato obliget?

CONCLUSIO I.

Integritas materialis & formalis obligant.

I*Ntegritas materialis ſub peccato obligat.* Ratio clara eſt: quia officium componitur ex materialibus partibus, & ex illis fundamentaliter ſubſiſtit. Unde ſi partes materiales omittantur, neceſſariò officium divinum deſtruitur, & deſinit eſſe.

CONCLUSIO II.

I*Ntegritas formalis Horarum Canonicarum, etiam ſub peccato obligat.* Ratio eſt: quia abſque formali integritate Horæ verè canonicæ non cenſentur, omnemque officij divini decorem, & inſtitutionis rationem amittunt. *Explico*: Qui indiſtinctè pſalmos aliquos ad libitum recitaret, vel Caput S. Scripturæ, aut ſermonem ex aliquo S. Patre ſine ordine legeret, ille non cenſeretur Horas Canonicas perſolvere. *Similiter*: Si pro Matutini Nocturnis pſalmos Primæ, Tertiæ & Sextæ aſſumeret, Nocturnum perſolviſſe non cenſeretur: cùm enim Horæ Canonicæ ſint quoddam totum artificiale ex inſtituto Eccleſiæ ſuis velut partibus conſtitutum: qui inſtitutionem, qualitatem, modum & ordinem partium immutat, totum alterare & deſtruere cenſendus eſt.

CONCLUSIO III.

Integritas accidentalis.

I*Ntegritas accidentalis, niſi aliquam apparentem irreverentiam, vel indecentiam cauſet, non cenſetur ſub peccato obligare, aut certè non niſi ſub veniali.* Ratio eſt: quia cùm illa purè cœremonialis ſit, ordinariè non cauſat aliquam notabilem indecentiam aut irregularitatem, niſi fortè in publico officio chori, aut niſi eſſet gravis ordinis perturbatio, aut poſitiva irreverentia. *Explico*: In officio privato omittere aliquas genuflexiones, &c. pro nihilo reputatur: in choro tamen irreligioſum ſitum coram populo ſervare ſcandalum generaret.

Dixi (*niſi eſſet gravis ordinis perturbatio*) ut ſi in choro Prima ante Matutinum cantaretur, vel graviter ordo inverteretur, &c.

QUÆSTIO III.

Quantum ſit peccatum integritatem materialem vel formalem in Horis Canonicis tranſgredi?

CONCLUSIO I.

Omiſſio officii unius diei pec. mort.

Q*Vi culpabiliter omittit totum unius diei officium, peccat mortaliter.* Concluſio manifeſta eſt, nec probatione aliâ indiget. Dixi (*culpabiliter*) ne excuſationum modos repetendo verba multiplicemus, & ut in uno verbo omnia contineantur.

CONCLUSIO II.

Partis notabilis omiſſio pec. mort.

Q*Vi notabilem partem Horarum omittit, peccat mortaliter.* Ratio eſt: quia in parte gravi officium mutilat, & in re gravi officio divino injurius eſt.

Quæ pars notabilis.

Petes primò, quæ cenſeatur pars notabilis ſeu gravis materia? *Reſpondeo*, reſpectu totius officij gravem materiam æſtimari quamlibet Horam, & in Matutino quemlibet Nocturnum.

Dixi (*reſpectu totius officij*) inordinationem enim & gravitatem materiæ reſpectu totius officij, non verò reſpectu ſingularium partium expendendam cenſeo, cùm omnes Horæ ſimul unius diei officium conſtituant & compleant: cujus cùm ſingulæ Horæ partes notabiles conſtituant, rectè unius Horæ defectus notabiliter officium mutilare æſtimatur.

Addidi (*in Matutino unum Nocturnum*) cùm enim unus Nocturnus fuerit materia unius ſtationis in nocte apud antiquos Chriſtianos, notabiliter cenſeretur officium divinum detruncaſſe, qui unâ ſtatione illud deſtituiſſet.

De peccatorum pluralitate in omiſſione Horarum.

Petes ſecundò, an, qui plures Horas in officio divino ſive continuas, ſive diſcontinuas omittit, plura peccata mortalia committat? *Reſpondeo primò*, qui totum divinum officium unius diei omittit, ex parte materiæ tantùm ſemel peccare mortaliter, ſive uno tantùm peccato

tato *Ratio eſt* : quia ex inſtituto Eccleſiæ omnes horæ unum complexum faciunt. & unius diei penſum, ſuntque unicum totale objectum unius debiti vel omiſſionis. Et quemadmodum; qui unâ nocte totâ vigilare voviſſet, ſi totâ nocte dormiret unum tantùm peccatum committeret, etſi nox plures horas contineat, quia vigilia totius noctis per modum unius complexi fuit objectum voti ejus, ita de officio divino concludendum eſt.

Reſpondeo ſecundo, Qui unâ intentione plures Horas in officio ſive continuas ſive diſcontinuas omittit, ſimiliter non niſi unum peccatum committit. *Ratio eſt* eadem quæ ſuprà; ſive enim continuæ ſint, ſive diſcontinuæ, in una intentione per modum partium ejuſdem complexi uniuntur: ſicuti uno mutilationis peccato offendere cenſeretur, qui unâ intentione prætenderet eidem homini extremitates manuum, pedum, aurium, &c. præſcindere, etſi id diverſis actibus exequeretur.

Dixi (*Qui unâ intentione*) ſi enim omiſſâ unâ Horâ pœniteat, & proponat alteram Horam legere, & illam voluntariè nihilominus omittat, ob revocationem prioris voluntatis ſactam actus ſequens cenſetur alius & alia intentio ratione cujus peccatum multiplicatur tam ratione Horæ (quæ ſic ſeparatim accepta, eſt materia mortalis peccati) quam ratione actus voluntatis & intentionis diſtinctæ. Unde etiam in prima reſponſione dixeram (*Eum qui totum divinum officium omittit, ex parte materia tantum ſemel peccare mortaliter*) poſſet enim pluries peccare ex parte intentionis vel actûs voluntatis, ut ſi aliquoties tempore diei voluntatem revocaret, & omiſſâ unâ parte pœniteret, & proponeret alteram legere, ac demùm relaberetur: tunc enim multiplicarentur peccata, non tam ratione objecti, quàm ratione multiplicationis actuum voluntatis.

Dices: Quælibet Hora facit per ſe officium: ergo quot Horæ omittuntur, tot peccata mortalia committuntur. *Reſp. neg. Antecedens*: Horæ enim officium non faciunt, ſed officij partem, & non dicuntur ſimpliciter officium divinum, niſi prout ad totale officium diriguntur.

Nota. *Petes tertiò*, an, qui plures pſalmos diſparatos in diverſis Horis vel alias partes ſic diſtinctas omitteret, offenderet Deum mortaliter? *Reſpondeo*, peccaturum mortaliter ubi ad notabilem partem officij diſgregatæ omiſſiones pervenirent. *Ratio eſt*: quia etſi in ſe non ſint partes notabiles, ſimul tamen aggregatæ & conſideratæ notabilem divini officij partem conſtituunt, & omiſſio ex reſpectu ad totum complexum expendi debet. Favent Decreta *Cap. Dolentes*: Et *Clementina de celebrat. Miſſarum cap. 1.* quæ graviter reprehendunt ſyncopas & truncationes ac mutilationes verborum, quæ tamen aliter officio divino non derogant, niſi propter diminutam etiam in verbis & ſyllabis illius integritatem: unde quamvis una aut altera ſyncopa & verbi mutilatio non æſtimetur, multæ tamen ſyncopæ graviter integritatem divini officij diminuunt, & multa frequentia ſyncoparum, ſi culpabilis eſt, etiam ad culpam mortalem quandoque pertingit.

CONCLUSIO III.

Non licet ſine cauſa Officia mutare.

INtegritas formalis in ejus mutatione notabili obligat ſub peccato mortali, Explico: Mutare ſine cauſa excuſante qualitatem officij, ut facere de feſto loco feriæ aut Dominicæ, & econtrà, eſt peccatum mortale. Huic Concluſioni & exemplo ſcio plures contradicere: verum hanc puto veriſſimam doctrinam, & ſententiam contrariam æſtimo omnino improbabilem. *Ratio mea eſt*: quia Horæ Canonicæ dicuntur potiſſimùm à forma & regula officii, quia nimirùm ſecundum regulas & Canones Eccleſiæ formatæ & inſtitutæ ſunt: *Canonicum* enim idem eſt quod *Regulare*: ergo qui non ſervat ſive non facit officium prout ab Eccleſia inſtitutum eſt, non dicitur Horas Canonicas perſolvere. Pro quo

Advertendum eſt: Canonicum officium, ſivè Horas Canonicas non dici tantùm à ratione Regulæ generalis, quâ quodlibet officium Romanum regulis Eccleſiæ Romanæ compoſitum eſt; ſed ſuperaddere rationem regulæ ſpecialis, quâ officium hujus diei. *Ex. gr.* Dominicæ, feſti, feriæ, his particularibus regulis, ut ab aliorũ dierum officio diſtinguitur & ſubſiſtit. Unde illius, qui ad Horas Canonicas tenetur, obligatio non tantùm cadit in officium, prout generaliter ab Eccleſia eſt inſtitutum; ſed etiam particulariùs; prout ad officium hujus diei, ſeu prout ad hunc diem certis Regulis eſt demandatum, ſive pro hac diè inſtitutum, in quo præcipua forma & Regula divini officij conſiſtit. In re igitur gravi cenſeretur integritatem formalem officii deſtruere, qui officium unius diei in diſparatum totaliter immutaret, quia reverà formam & regulam officii illius diei ab Eccleſia præſcriptam non ſervaret: Et ſicuti non cenſeretur Matutinum legere, qui ex quocumque officio ad libitum novem pſalmos, novemque Lectiones juxta modum Eccleſiæ formaret: Ita de allatis ad Concluſionem concludendum eſt. Reverà enim, qui de feſto loco feriæ legit, non ſequitur formam & regulam Eccleſiæ pro illo die inſtitutam; ſed omninò condiſtinctam, & ſui proprii arbitrii & voluntatis. Aliàs toto anno liceret officium de octava Paſchæ cuilibet legere: Illud enim eſt verum officium & regulare, ac conſequenter cuilibet alteri ſubſtitui poterit.

Dices primò, conſtans eſt opinio eum, qui Breviarium non habet, poſſe, quæ memoriter novit, legere non ſervato ordine, ſicque ſatisfacere præcepto. *Reſpondeo*, aliud eſſe neceſſitati ſuccurrere, aliud pro libitu officia mutare. Ille enim, qui Breviarium non habet, & plura memoriter novit, ab integritate officii excuſatur, non autem omnino à ſubſtantia: Nota.

cenſetur

cenſetur itaque in neceſſitate ubi formam & integritatem formalem ſervare non poteſt, ſufficere, ſi alicui parti materiali ſatisfaciat: quamvis crederem eum, qui Breviario inculpabiliter caret, ad nihil iſto tempore teneri: quia verè reputatur canonico officio ab Eccleſia præſcripto ſatisfacere non poſſe.

Dices ſecundo, Ergo, qui inculpabiliter ſive ex inculpabili oblivione officium de feſto legit, cùm legendum eſſet de feria; tenebitur totum officium repetere, quia verè canonico officio non ſatisfecit. *Reſpondeo negando conſequentiam*: cùm enim tantùm obligetur ad unum in die officium, & ſupponatur inculpabiliter illud perſolviſſe, pia Mater Eccleſia cenſetur ſub tanto rigore illum ad repetitionem non obligare, maximè cùm lex Eccleſiaſtica ſit humana, & excipere ſoleat caſus infirmitatis & oblivionis humanæ reſpectu ſubditorum. Unde in Concluſione addidi (*qui ſine cauſa excuſante*) aliud autem eſt de illo, qui voluntariè officium immutat, hic enim legi per ſe adverſatur.

Ex quibus *infero primò*: Illum qui officium proprium de feſto non habens, legit de communi, notabiliter non derogare integritati formali officij, nec peccare: quia officio proprio deficiente, commune in ſupplementum aſſignatum eſt. *Item*: Illum, qui ex oblivione de feria egit loco feſti, poſſe feſtum in alium diem non impeditum transferre; Ita enim humanæ oblivioni ignoſcit Eccleſia, ut tamen feſto non deroget, quin de illo iſto anno fieri poſſit, velut in ſatisfactionem præcedentis oblivionis.

Infero ſecundò, gravitatem & levitatem materiæ, quoad formalem integritatem ſive regularem formam officij, debere expendi ex majori vel minori receſſu à regula recta & officij diſpoſitione, ita, ut ſi fortè in una hora *Ex gr.* in Veſperis illa immutatio fiat, non videatur res adeo gravis momenti, minoris autem ſi in Horis minoribus, quæ conſtant ſemper iiſdem Hymnis & Pſalmis, tantumque in Capitulis, verſibus, & oratione mutatio fiat. Ut autem omnia ſupradicta meliùs comprehendantur, pono unam Regulam generalem.

Regula generalis.

Q*Vicumque voluntariè, & abſque ulla cauſa rationabili ac juſta, tranſmutat officium totum unius diei in aliud planè diſtinctum, peccat mortaliter.* Ratio regulæ ſumenda eſt ex dictis: quia in re gravi immutat totam formam officij illius diei ab Eccleſia præſcriptam.

Dixi (*voluntariè*) ad excuſandos eos, qui ex oblivione, inadvertentia aut inculpabili ignorantia faciunt.

Dixi (*abſque cauſa juſta & rationabili*) juſta autem cauſa cenſetur: quia quis Breviarium non habet: aut quia officium proprium diei in ejus Breviario non continetur, aut quia cum choro cantare aut recitare debet, aut quia legit Horas cum perſona gravi, eſtque conveniens ut ſe illi accommodet. *Item*: cùm quis eſt debilis viſu, ita ut Nocturnum tertiæ ſine gravi incommodo legere non poſſit, interim poteſt officium faciliùs *Ex. gr.* de feſto legere, cùm enim in tali caſu poſſit in toto cum illo diſpenſari, cenſebitur ſatisfacere, ſi æquivalens officium perſolvat.

QUÆSTIO IV.

An Officium B. Mariæ, Vigiliæ mortuorum, Pſalmi Graduales, ſeptem Pſalmi pœnitentiales, quæ in Breviario certis temporibus præſcribuntur, pertineant ad integritatem officii divini?

CONCLUSIO I.

O*Fficium B. MARIÆ & alia ſupradicta, non pertinent ad integritatem præciſam officij divini; ſed ſunt acceſſoria.* Conſtat ex ratione officiorum, & præſcriptionibus Eccleſiæ, de quibus ſtatim.

CONCLUSIO II.

N*Vllum eſt peccatum, ne quidem veniale, ſi in privato officio extra chorum illa omittantur: Commendantur tamen ab Eccleſia, ut officia pietatis & utilitatis magnæ, & pro eorum lectione indulgentia conferuntur.* Utraque pars Concluſionis conſtat ex Bulla Pij V. in principio Breviarij poſita, in qua, quoad obligationem ſic decernitur: *Quod* (inquit) *in Rubricis noſtris hujus officij præſcribitur, quibus diebus officium B. Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos pœnitentiales & Graduales dici ac pſalli oporteat: Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, quòd, qui periculum peccati removet, ab omni peccato cenſeatur liberare non legentem, & quamvis cauſam motivam indulgentiæ ad negotia hujus vitæ arctare videatur; ex iſto tamen ſpeciali motivo declarat univerſalem libertatem ab omni periculo peccati. Demùm ſubdit exhortationem, ut dicta pia officia non derelinquantur ob periculum peccati amotum; ſed ut ex pietate dicantur, centumque dies indulgentiæ pro officio B. Mariæ & Defunctorum, quinquaginta verò pro ſeptem Pſalmis pœnitentialibus & Gradualibus de injuncta pœnitentia legentibus concedit. Videatur ibi.

Pius V. in Bulla in principio Breviarij poſita.

CONCLUSIO III.

O*Fficia ſupradicta, ubi fuit conſuetudo ſancta in choro illa legendi, diebus præſcriptis ibidem legi debent.* Conſtat ex textu Bullæ, pro cujus tamen intelligentia *advertendum eſt*: obligationem illam chorum afficere, non autem ſingulos de choro particulariter; undè (ſicut in ſuperioribus monuimus) obligatio illa primum afficit Superiores, ut illa officia in choro legi

legi procurent, demùm alios, ne ex eorum defectu & negligentia omittantur: Confirmat autem Pontifex illam conſuetudinem Eccleſiarum, & declarat eam vim legis habere. An verò ad peccatum mortale obliget toties quoties? Crederem non obligare, ſi tantùm aliquoties omitterentur: quia aliquoties omittere, non officit notabiliter conſuetudini, ſi aliàs communiter obſervetur.

SECTIO III.

De ſtudioſitate in Horis Canonicis ex præcepto *cap. dolentes* requiſita.

QUia præceptum in virtute S. obedientiæ *Cap. Dolentes* de legendo officio nocturno pariter & diurno, ultra ſubſtantiam officij, maximè videtur urgere ad abuſus inextru relatos eradicandos, ut legatur *ſtudioſè* pariter & *devotè*; ita ut vis tota præcepti, quoad modum recitandi officium divinum, in particulis illis exeri videatur; multorum conſcientiis providere volentes, illas expendendas ſuſcepimus.

QUÆSTIO I.

Quid intelligatur per particulam ſtudioſè *in Horarum recitatione?*

CONCLUSIO I.

PArticula *ſtudioſè* in præcepto de recitatione debita Horarum, duo importat. *Primò*, Imponit curam quandam & ſeriam ſolicitudinem in Horarum lectione, qualis in ſerio aliquo negotio requiritur, ut accuratè fiat. *Secundò*, prohibet incuriam & perfunctoriam tantùm actionem in earumdem horarum recitatione. Conſtat ex ethimologia termini *ſtudioſè*: *ſtudioſum* enim dicitur, quod ſeria quâdam curâ eſt elaboratum, & *ſtudioſè* fieri dicitur, quod illâ curâ elaboratè fit.

CONCLUSIO II.

Negligentia & incuria in Horis peccatum.

QUicumque tenetur *Horas Canonicas recitare, obligatur ſtudioſam curam adhibere ut benè & accuratè eas legat, aliàs peccatum incurrit juxta rationem negligentiæ, incuriæ, aut perfunctoriæ lectionis.* Hæc Concluſio infertur ex priori, pro qualitate autem peccati determinanda pono ſequentem ſectionem.

SECTIO IV.

De peccatis contra ſtudioſitatem requiſitam in lectione horarum.

QUÆSTIO I.

Qualiter contra demandatam Studioſitatem in recitatione Horarum contingat peccari?

CONCLUSIO I.

Quæ incuria ſit p. m.

OMnis incuria, negligentia, aut perfunctorietas, *quæ cauſam dat gravi inordinationi aut notabilibus defectibus in Officio Divino obligatorio, eſt peccatum mortale.* Ratio clara eſt: Quia Officium Divinum prout ab Eccleſia præcipitur vel imponitur, eſt *Opus Dei*, opus præſtantiſſimum, & in grave onus Eccleſiæ redundans: tum ut ſatisfaciat communi obligationi colendi Deum: tum ut Eccleſia Contractibus & Fundationibus piis ex debito juſtitiæ ſatisfieri procuret: Ergò illi quibus hoc onus demandatum eſt, ſeriâ diligentiâ iſti ſatisfacere tenentur: *Subſumo*: Atqui qui ex incuria, negligentia, perfunctorietate gravem inordinationem cauſat, nullatenùs in re tam gravi nequidem quoad ſubſtantiam, oneri ſibi impoſito & obligationibus Eccleſiæ ac Fundationum ſatisfacit: ergò peccat mortaliter. *Minor* maximè expendenda eſt ad eradicandum falſum quoddam principium ex quo omnes errores & difficultates in hac materia ſcaturiunt: Nimirùm, quod à nonnullis paſſim ſpargitur: ſubſtantiam totam Præcepti quarenùs Eccleſiæ Juriſdictioni ſubjicitur, conſiſtere tantùm in materiali recitatione Pſalmorum & aliorum ex quibus Officium Divinum coaleſcit, ita ut qui illa vocaliter recitat, ſubſtantiæ Præcepti prout ab Eccleſia imponitur, ſatisfaciat. Quod quidem quàm ſit pernicioſum & periculoſum principium, lubet illud examinare ſingularibus Dubiis incidentalibus quæ omnibus etiam in ſequentibus dicendis pro fundamento deſervire debent.

Dubium I. incidentale.

In quo conſiſtat Subſtantia Præcepti Eccleſiæ de Horis Canonicis perſolvendis?

PRo accurata Reſolutione *Nota primò*. Actum perſolvendi Horas Canonicas, ſivè Officium Divinum, eſſe eſſentialiter Actum Virtutis Religionis quo ab anima verò actu ſupernaturali Deus colitur.

Nota ſecundò. Actu Religionis externo manente vero in ſubſtantia, non poſſe ullatenus ſeparari internum actum ab actu exteriori, nonplùs quàm permanente homine, Anima à corpore ſeparari valeat: Actus enim internus Religionis, eſt anima actus externi, ita ut ſi actus internus Religionis ſeparetur, quod ſit exteriùs, ſit mortuum ſignum & falſum, vel fictum, ſeu potiùs hiſtrionicum. *Explico*: Facit quis actus Adorationis ac Orationis externos; ſi verè non adoret, aut oret interius, ſignum quod exterius effingit, mortuum & falſum ſigni eſt ac de ſe indifferens ad quæcumque bona vel mala quæ tali ſigno fieri poſſunt, ut erant Adorationes illuſoriæ Judæorum coram Chriſto in Paſſione ſua exterius factæ, aut Hiſtrionum qui Adorationes Orationeſque in Theatris coram populo ſimulant.

Nota tertiò. Obligari Eccleſiam ad Deum colendum & adorandum vero Cultu interno externoque, cui obligationi ſatisfacit deputando præceptoriè certos Miniſtros qui ipſius & totius populi nomine per Officia à ſe inſtituta Deum certis temporibus colant.

Nota quartò. Quia officia divina piis fidelium fundationibus pro mercede miniſtrorum ſunt fundata, Eccleſiam obligari ex pacto procurare, ut fundationibus piis quas acceptavit de perſolvendo certis temporibus divina officia, ſatisfiat ſecundùm intentionem quâ fundationes factæ & acceptatæ ſunt, idque per perſonas fructibus fundationum perfruentes.

Notandum quintò, intentionem fundationum fuiſſe ut per officia divina verè coleretur Deus, ſive ut verus Dei cultus in Eccleſia fundaretur & augeretur.

Notandum ſextò, Præceptum Eccleſiæ de horis Canonicis à ſe inſtitutis certis temporibus perſolvendis, immediatè & per ſe ordinari ad hoc ut obligationi generali ſuæ, & fundationibus piorum per perſonas deputatas ſatisfiat, prout ſunt inſtitutæ. Ex his deduco claram reſolutionem.

Reſolutio.

Subſtantia præcepti de Lectione Horarum actum internum includit.

SUbſtantia præcepti Eccleſiæ de Horis Canonicis recitandis non conſiſtit tantùm in externa quantumvis accuratâ recitatione verborum, &eorum quæ in præcepto litterali continentur; ſed in vero actu interno Deum colendi & deprecandi, prout actus ille externis actibus recitationis Pſalmorum, & aliorum forinſecùs ſignificatur, ſive prout externis actibus quatenùs ſunt ſigna actuum internorum religionis virtutis exprimitur. Hæc reſolutio manifeſta eſt ex prænotatis: Eccleſia enim ſuo præcepto intendit ut ſatisfiat, & obligationi ſuæ communi colendi Deum nomine totius populi Chriſtiani & alteri obligationi, nimirùm piis fundationibus & intentioni fundatorum; atqui non poteſt ſatisfieri dictis obligationibus officiorum per ſolum actum externum (quia actus externi ſi non includant internos virtutis Religionis actus, ſigna fallacia ſunt & mortua, ſive hiſtrionica, nec quidpiam veri effectus habent) ergo ſuo præcepto intendit Eccleſia ut perſonæ deputatæ non tantùm externis actibus ad hoc inſtitutis; ſed internis etiam actibus (à quibus externi dependent ut ſint & reputentur religionis actus & fini præcepti ſatisfiat) Deum colant & deprecentur. Aliàs Eccleſia cenſeretur nugax & fallax, quæ

1. Tim. 3. verſ. 15.

tamen Apoſtolo teſte, *eſt columna & firmamentum veritatis.* Subſtantiæ itaque præcepti non ſatisfacit quiſquis actu interno legitimè Horas Canonicas non recitat: quantumvis accuratè verba pronuntiet. In quo autem conſiſtat actus ille internus eſſentialiter requiſitus, dicemus infrà *de Devotione.*

Dubium 2. incidentale.

An Eccleſia poßit præcipere & obligare ad actus internos?

NOn ſatis fuit primum dubium reſolvere ad eradicandum pernicioſum illud principium de ſubſtantia præcepti, niſi etiam & alterum reſolvatur: nimirùm: *An Eccleſia actus internos præcipere poßit, ſive homines ad actus internos obligare?* Ex eo enim quòd plurimi contrarium ſuſtinuerint, indiſtinctè illatum eſt, quòd Eccleſia non poſſet obligare ad actus aliquos religionis internos in recitatione Horarum Canonicarum: Et hoc igitur principium examinandum eſt. Pro reſolutione hujus dubii repetenda ſunt quæ diximus *Tract. 1. huius Tomi de Eccleſiaſtica poteſtate, & Legibus Eccleſiæ,* quatenus in foro Dei & conſcientiæ obligant, aut non obligant. Vide *Tit. 1. quaſt. 2. in Appendice §. 1. 2. & 3.* Item *Tit. 2. 5. quaſt. 2. §. 2. & in Corollario.* Item *Tit. 6. quaſt. 2.* Quod autem ſpecialiter pertinet ad hoc dubium enodandum, relictis iis quæ in locis allegatis ſunt evidenter demonſtrata, & à quibus omnia quæ ad præcepta Eccleſiaſtica ſpectant, dependent; ex iis

Adverto primò, Eccleſiam in ſuis præceptis diverſimodò ſe habere: Aliquando enim ſe gerit ut mera executrix legum divinarum, tam naturalium, quàm poſitivarum: Aliquando ut determinatrix, ſive etiam ut declaratrix prædictarum earumdem legum divinarum: Aliquando, ut mera rectrix ſuæ politiæ Eccleſiaſticæ, & ſuarum legum ordinatrix.

Adverto ſecundò, Eccleſiam (ut in allegatis locis docui) non ſolere præcepta aliqua obligantia ad culpam imponere, niſi in illis vis aliqua præcepti divini naturalis vel poſitivi includatur.

Adverto tertiò, quòd, ubi eſt mera executrix legum divinarum, totum præceptum ſit juris & Legis divinæ. *Similiter* quòd ubi eſt determinatrix & declaratrix illarum, totum fundamentum obligationis pertineat ad Legem divinam & forum Dei. Vide loca ſupracitata: Pono autem diſtinctas Reſolutiones.

Reſolutio 1.

Eccleſia poteſt obligare ad actus internos.

POteſt Eccleſia obligare, & de facto obligat ad actus merè internos & mixtos, quandocumque eſt mera executrix legum divinarum. Ratio clara eſt: quia poteſtas executiva, declarativa vel determinativa in præceptis agit in vi & virtute poteſtatis principalis Legiſlatoris aut mandatarii: ergo ubi Eccleſia eſt legum divinarum executrix, declaratrix, &c. in omnibus illis in vi & virtute poteſtatis divinæ operatur, &c. Atqui poteſtas divina ad actus internos & mixtos etiam ſub mortali obligat; ergo & Eccleſia in mandatis, in quibus poteſtatis divinæ executrix vel declaratrix eſt, ad illos obligare poteſt, & de facto juxta rationem divini præcepti obligat. Ex his ſtatuo Reſolutionem ſecundam.

Reſolutio 2.

Eccleſia de facto obligat in Lectione Horarum ad actus internos.

ECcleſia ſtatuens ſub præcepto in virtute S. obedientiæ, ut Clerici ad officium divinum obligati illud ſtudioſè & devotè legant, eſt mera executrix & de-

mera executrix & declaratrix, *ſive etiam determinatrix, legis Divinæ naturalis*, *ideò ad actus etiam internos ſub peccato mortali obligare potuit*, *ſicut & de facto obligavit.* Explico : Colere Deum aliquo tempore (etſi tempus non ſit determinatum) eſt juris & legis Divinæ naturalis ſub peccato mortali obligantis : *Item :* Fundationibus ad Horas Canonicas dote ſufficienti poſitâ inſtitutis & acceptatis ab Eccleſia per perſonas ad id deputatas ſatisfacere, eſt etiam obligationis juris & juſtitiæ naturalis : Ergo cùm illa præcipit Eccleſia tanquam executrix Divinæ legis, ſub obligatione ex lege nata præcipit, quam prævaricari non poteſt, niſi alia compenſatio aut cauſa ſuccedat ; atqui obligatio legis Divinæ naturalis eſt ſub peccato mortali : igitur Eccleſia executrix mandati Divini naturalis, obligationem mortalis peccati ad minùs declarat. Ex quo ſequitur, cùm obligatio dictorum præceptorum è re nata, tam in internis, quam externis actibus ſit juris Divini naturalis, futilem eſſe quæſtionem de poteſtate Eccleſiæ ſuper actibus interioribus & obligatione præcepti ; cùm Eccleſia illam tantùm obligationem declaret, & apertiori mandato exequatur.

Nota: *Dices primò* : Hoc concludere ſolùm de ijs, qui beneficio vel præbendâ ſunt adſtricti. *Reſpondeo*, concludere etiam de ijs, qui ſtatu vel voto obligantur : cùm enim eis ſit liberum vel ſtatum non aſſumere, vel voto ſe non adſtringere : eò ipsò quò ſtatui Eccleſiaſtico in ſacris Ordinibus ſe adſtringunt, vel votum Regulæ, ſive Religionis officio Divino obſtrictæ emittunt, eò ipsò obligationem ſubeunt. Fundamentum autem obligationis non tantùm eſt ex parte voventis & voti, ſed ex obligatione legis Divinæ : tùm enim Eccleſia precibus publicis & cultui ſatisfacere primævâ obligatione debeat, illam obligationem deponit & derivat in perſonas, quæ ſacrorum Ordinum dignitati in Eccleſia propriâ voluntate ſe ſubijciunt, vel Regulæ hujuſmodi oneri adſtrictæ ſe voto emiſſo addicunt.

Notà. *Dices ſecundò*, Hoc ipſum concluderetur de omnibus voluntarijs precibus & orationibus, ac alijs Divinis officijs vacantibus. *Reſpond. Negand. Aſſumptum* : Qui enim voluntarijs orationum, ac Divinorum officiorum occupationibus vacant, ſive faciant, ſive non faciant ; nullâ lege ad peccatum obligante ſtringuntur : ſi igitur benè non faciant (modò poſitivam irreverentiam non committant) pro non facientibus reputandi ſunt : & idcircò nullam legem prævaricantur : ſi faciant, meritum habent apud Deum.

Dixi (*modò irreverentiam poſitivam non committant*) ſi enim irreverentiam poſitivam committant, jam ex communi lege juxtà rationem irreverentiæ judicandi ſunt, non ex titulo precum præciſè, ſed ex irreverentia contra Deum in uſu & uſurpatione ſacrarum actionum.

Ex his multùm approbo dictum cujuſdam non vulgaris Doctoris, qui in conſideratione obligationum ad actus internos hanc propoſitionem ſibi veram proponit : *Eccleſiam poſſe actus internos præcipere eo modo, quo ex natura rei externis actibus conjuncti ſunt.* Nota. Hæc eſt enim veriſſima propoſitio. Cùm enim officium Divinum, ut Divinum eſt, neceſſariò actus internos cultui Dei eſſentialiter conjunctos requirat ; ſi officium Divinum præcipiatur ſub mortali peccato, conſequenter & actus eſſentialiter illi conjuncti eodem præcepto & eadem obligatione comprehenduntur ; & illâ obligatione ligabitur quiſquis voluntariè vel beneficium, vel ſacrum Ordinem ſuſceperit, vel Regulæ ad officium obligatæ ſe adſtrinxerit.

Dices tertiò, Eò ipsò quo actum virtutis Religionis facio, teneor benè facere, ergò ſi in aliquo deficio, malè facio, & ſaltem venialiter pecco. *Reſpondeo Negand. Conſeq.* Si enim irreligioſitatem, aut irreverentiam non committo, poſitivè non malè facio ; ſed tantùm negativè ; aut privativè ; Negativè quidem, quia verè non benè facio ; Privativè verò, non quia malè ago, ſed quia ex actu meo bonum aut meritum non habeo.

Et hæc eſt fundamentalis doctrina totius Tractatûs de debita Horarum Canonicarum perſolutione. Cùm enim duo præcepta Divina in Eccleſiæ præcepto contineantur, quorum Primum eſt : *Colendi Deum actu interno ; externoque.* Alterum. *Satisfaciendi fundationibus pijs, ſive intentionibus eorum, qui beneficia, præbendas, portiones præſtationes fundârunt*, eâdem vi obligationis remanente, quæ eſt juris divini naturalis ; Eccleſia edito præcepto jus Divinum exequitur & declarat, mandans ijs, qui ſacris Ordinibus conſecrantur, tanquam in ſortem Domini aſſumptis, ut nomine univerſalis Eccleſiæ Horas Canonicas legant ; illis verò, qui fructibus & titulis beneficiorum fruuntur ; ratione fructuum, quos percipiunt, eiſdem incumbant ex debito juſtitiæ, cui ex virtuali contractu obligati ſunt ; acceptante & velut ſpondente pro eis Eccleſiâ.

Qualiter Eccleſia obliget ad culpam. Ex quibus omnibus, *infero primò* ; Eccleſiam per ſe non tam obligare ad culpam, quàm obligationem primam, quam in ſe tùm Sacris initiati, tùm Beneficiati ſuſceperunt, exequi ; ſive obligationem declarare & mandare ; ut executioni mandetur. Præceptum enim de Deo colendo determinavit ad Horas Canonicas perſolvendas a perſonis ad hoc deputatis ; ſive ex vi ſtatûs, ſive ex vi beneficij, aut voti ; Quòd autem *ſtudioſe & devotè* dici debeat, ex natura actûs Religionis naſcitur ; ut autem hæc obligatio executioni mandetur, executoriale præceptum addit, cujus obligatio ad principale refertur, quod eſt juris naturalis & Divini.

Nota. *Infero ſecundò* : Axioma illud : *Eccleſiam de internis non judicare*, intelligendum eſſe de judicio externo, & in foro fori : qui enim materialiter tantùm Horas legit, in exteriori homine & foro externo Eccleſiæ non judicatur; nec externis pœnis urgetur. In foro autem Sacramentali & conſcientiæ, ſi actus internus Religionis cum interno conjunctus non fuit (qui ſic Horas legit) judicatur, convincitur, & condemnatur peccaſſe mortaliter, ſi in hoc culpabilis fuit, etſi fortè nec in foro interno ad reſtitutionem fructuum teneatur, quia coram Eccleſia ſaltem opus & laborem ſubijt, cui ſtipendium debebatur.

Et hanc puto eſſe veriſſimam interpretationem illius communis Axiomatis : non enim dicitur Eccleſia non judicare de interioribus, quia actus interiores non præcipit, aut præcipere non poſſit (cùm multis præceptis obliget ad peccatum mortale in foro conſcientiæ interno) ſed dicitur non judicare de interioribus, quia merè interna cùm ſibi non innoteſcant, non poteſt aut in judicium ſuum externum per ſe deducere, aut pœnis ſui fori punire.

Generalis doctrina. Ex quibus generaliter *Dico* : Quòd quotieſcunque actus externus poſitivus ab Eccleſia præceptus actum internum neceſſariò conjunctum habet, illi præcepto in foro Dei ſatisfieri non poſſe per ſolum actum externum; etſi in foro Eccleſiæ, qui externum actum peregit, pro præcepti obſervatore habeatur. *Explico* in alia materia : Eccleſia præcipit cuilibet fideli in peccatis exiſtenti, ut ſemel in anno confiteatur, cenſetur etiam præcipere, ut bene & legitimè confiteatur : ſi igitur voluntariè Confeſſionem nullam faciat, peccavit mortaliter, non tantùm quia Confeſſionem nullam fecit, ſed quia præceptum annuæ Confeſſionis, quod obligabat in foro conſcientiæ, non ſatisfecit. Non punitur tamen externis pœnis in foro Eccleſiæ, quia intrinſecè præceptum adimpleſſe putatur, & actus ille hominis interioris in foro externo Eccleſiæ non judicatur.

SECTIO V.

De Devotione in Horis Canonicis requiſita ex præcepto *Cap. Dolentes.*

QUÆSTIO I.

Quid importet particula devotè, *in Cap. Dolentes.*

Quid Devotio. REpetendum eſt quod *Sectione 3, in præambulo* annotatum eſt : virtutem præcepti in virtute S. Obedientiæ *Cap. Dolentes*, exeri ſingulariter in particulas *ſtudioſè*, & *devotè*. Sicut igitur expendimus particulam *ſtudioſè*, ſic reſtat & altera particula *devotè*, expendenda.

Advertendum autem eſt *primò*, Doctores paſſim devotionem univerſaliter definire : *Motum mentis in Deum*; ut habet Doctor ſubtilis in Quæſt. Quodl. quæſt. 20. § *Poteſt dici* num. 7. ſive ut particularius ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 82. art. 1. *Devotio nihil aliud eſſe videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Cujus quidem duplicem cauſam ponit. *Externam*, Deum : *Internam*, voluntatem hominis, quatenùs conſideratione divinæ bonitatis, & propriæ infirmitatis, in nobis devotio excitatur, ut habet ibidem art. 3. Alij definiunt, *Elevationem mentis in Deum* : ſumitur hæc ex ipſa Etymologia verbi *Devotio*, quod eſt : *Deo voveo*; undè *devoti* dicuntur, qui ſeipſos quodammodo Deo devoverunt, & ei ſe totaliter ſubdunt. *Scotus Quodl 20 S Thomas 2. 2. q 82. art. 1.*

Advertendum ſecundò, Aliquem *devotè* dici orare, qui cum affectu quodam cordis orationem fundit, ſive cum elevatione mentis in Deum.

CONCLUSIO I.

Quid ſit devotè orare. P*Articula* devotè in Cap. Dolentes, *importat pium cordis affectum in Deum, quatenùs Horis Canonicis colendus eſt.* Colligitur ex prænotatis. Hoc enim ad minùs continet nomen *devotionis* : prompta enim & parata voluntas exequendi ea, quæ ad Divinum cultum pertinent, ad minùs in ſe pium in Deum, ſeu Dei cultum affectum includit, & comprehendit.

Dixi (*pium cordis affectum*) Hîc enim diſtinguenda eſt *devotio ſenſibilis à devotione cordis*: neque enim devotio ſenſibilis, quæ cum gaudio, lætitia, vel dulcedine ſenſibili conjuncta eſt, ad Horas Canonicas, ſicut nec ad orationem ullam per ſe requiritur; ſufficit enim ut homo interiùs moveatur in Deum non ſenſibili motu, ſed vero & ſolido quantumcunque duro & ſterili ac ſenſibili affectu, ut poſteà dicetur.

Dixi (*quatenùs Horis Canonicis colendus eſt*) Talis enim devotio requiritur, quale præceptum eſt : ideoque cum præceptum reſpiciat Divinum officium, nocturnum pariter ac diurnum, eoque concludatur : devotio etiam in capite illo demandata reſpicit ſolùm Horas Canonicas & Miſſæ Sacrificium, ſive cultum Dei, quatenùs Divino officio adimpletur.

CONCLUSIO II.

Triplex devotio. T*Riplex eſt devotio reſpectu Horarum Canonicarum : alia Externa & corporalis : alia Interna & ſpiritualis : alia Mixta.* Devotio *Externa & corporalis* dicitur : quæ ſitu, geſtu, & compoſitione corporis exhibetur : ut cùm quis per modum devotè orantis in externo homine ſe continet. *Devotio* verò *Interna*, ſeu *ſpiritualis*, eſt interna cordis ad Deum affectio: *Mixta devotio dicitur* : interna cordis *Devotio externa quid? Quid devotio interna. Quid mixta devotio.*

ad

ad Deum affectio, quæ externæ etiam devotioni eſt conjuncta.

CONCLUSIO III.

Devotio mixta præcipitur.

P*Ræceptum devotè recitandi Officium divinum* in cap. dolentes, *devotionem internam ſimul cum externa importat & præcipit*. Concluſio clara eſt ex ipſo textu & naturâ actus cultûs divini ſive religionis virtutis: ſola enim externa devotio, ſi omni actu interiori careat, non eſt actus religionis & verus Dei cultus; ſed ſimulatus, fictus & pictus, prout aliàs oſtenſum fuit: Et cùm cultus externus præcipiatur, ſola devotio interior non ſufficit, niſi etiam externus actus, quo colendus eſt Deus ſuis obſervantiis, adhibeatur.

QUÆSTIO II.

Quibus actibus conſtet devotio, quæ in Horis Canonicis ſub præcepto impoſita eſt?

CONCLUSIO UNICA.

Tres devotionis actus.

T*Ribus actibus conſtituitur devotio in Horis ex præcepto requiſita.* Nimirùm: *Intentione, actione & attentione. Intentionem* voco: actum voluntatis, quo quis vult religiosâ actione hujus officij divini Deum colere. *Actionem* autem dico: Ipſam religioſam & actualem officij divini in forma & modo præſcriptis, recitationem. *Attentio* verò: eſt actus quidam intellectûs reflectentis ſuper actione quæ fit, quatenus religioſa eſt, ſive quatenus per illam Deus colitur. Ita ut *intentio* ſit velut cauſa actionis, *actio* verò illius effectus, *attentio* autem tum intentionem tum actionem concomitetur, ſive ut reputetur in ſua continuatione humana, ſive ut ſit religioſa.

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit intentio, & quæ requiratur & ſufficiat ad debitam Horarum recitationem?

CONCLUSIO I.

Triplex intentio.

T*Riplex ordinariè aſſignatur intentio: nimitùm: *Actualis, Habitualis, & virtualis*: *Actualis intentio* dicitur actus ipſe à voluntate elicitus, quo quis actualiter vult & intendit Horas Canonicas ſive officium divinum recitare, eſtque ipſum actuale velle. *Intentio habitualis* eſt: habitus quidam in voluntate ex frequentibus actualibus intentionibus remanens, inclinans ad Horarum recitationem, qualem retinet etiam dormiens vel ſemiſomnis. *Intentio virtualis* eſt: quæ ex virtute actualis intentionis præhabitæ procedit, ſeu potiùs eſt virtus actualis intentionis in effectum influens, & cauſa religioſæ recitationis Horarum, & cenſetur toto tempore recitationis remanere, niſi interrumpatur. Ad hanc ſpectat *intentio interpretativa*, quæ eſt, quando quis conſideratis circumſtantiis & conditionibus actionis, interpretatur illam virtualiter & velle & intendere.

CONCLUSIO II.

Intentio actualis ſive virtualis duplex.

D*Uplex iterùm *actualis vel virtualis intentio* hic diſtingui poteſt: Alia enim eſt *immediata*, alia *mediata*. *Immediata* dicitur: quæ pro objecto habet principaliter actionem ipſam materialiter ſpectatam: ut eſt: Intentio recitandi tale officium *Ex. gr.* Matutinum de tali Sancto: *Mediata* eſt: quæ pro objecto habet ipſum finem actionis, qui eſt Deum colere hoc actu ſeu divino officio. Et hæ intentiones, etſi plerumque ſint conjunctæ, ab invicem tamen ſeparabiles ſunt, & de facto quandoque ſeparantur.

CONCLUSIO III.

Intentio habitualis non ſufficit ad Horas perſolvendas.

I*Ntentio habitualis tantùm eſt impertinens, nec ſufficit ullatenùs ad ſatisfaciendum præcepto de legendis Horis Canonicis.* Ratio eſt: quia nihil confert ad actum humanum ut humanus eſt, cùm (ut dixi) in dormiente, vel aliàs uſu rationis non utente, inveniri poſſit.

CONCLUSIO IV.

Immediata virtualis ſive actualis non eſt ſufficiens, &c.

I*Ntentio actualis ſive virtualis immediata, quæ reſpicit actionem ut tantùm materialis eſt, non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto de recitatione officij divini.* Explico: Ut ſatisfiat præcepto de legendis Horis Canonicis, non ſufficit alicui intendere ſimpliciter legere officium Matutinum, veſpertinum, &c. prout materialiter ex ſuis Pſalmis, Lectionibus, Hymnis, &c. conſtituuntur, *Ratio eſt*: quia hæc lectio per ſe & præcisè non eſt actio religioſa, cùm officium illud poſſit legi ob ſtudium, delectationem, curioſitatem aut alia ſimili de cauſa, &, ut ſit religioſa, debeat (ut ſtatim dicemus) intentio dirigi in finem, qui eſt Dei cultus.

CONCLUSIO V.

Requiritur intentio tam mediata, quàm immediata.

U*T præcepto de recitatione Horarum ſatisfiat, requiritur non ſolùm intentio actualis vel virtualis immediata actionis ipſius, ſed etiam mediata finis*, id eſt, requiritur intentio colendi Deum per recitationem ſive actum religioſum exercendi. *Ratio* ſuperiùs inſinuata eſt: quia talis requiritur intentio, qualis eſt actus in quem intentio tendere debet: atqui ut actus ſit religioſus, debet ad cultum formalem Dei ordinari: ergo & intentio hunc finem includere debet. Quæ ut clariſſimè intelligantur,

Tria in officio divino.

Advertendum eſt: In officio divino ut ſuprà docuimus, tria ſimul reperiri: *Materiam, formam* & *finem*. *Materia* conſiſtit in verbis, utpotè, Pſalmis, Hymnis, Canticis, Lectioni-

bus, &c. *Forma* conſiſtit in conſtructione officij & ſenſu verborum. *Finis* in cultu divino, ſive elevatione mentis in Deum: Et hunc ultimum duntaxat facit actum eſſe religioſum, ſive religionis virtutis. Igitur etſi priora intendantur, ſi ultimum non intendatur actuali vel virtuali intentione, præcepto ſatisfieri non poteſt.

Dixi in Concluſione: *Requiritur, &c. intentio actualis vel virtualis*, ubi enim actualis deeſt, virtualis ſufficit: virtualis enim intentio in ſe ut ejus effectus continet actualem, & ab actuali aliqua procedit, velut virtus diffuſa à principali cauſa in actionem conſequentem vel ejus continuationem.

Corollarium.

De peccatis provenientibus ex defectu intentionis in lectione Horarum Canonicarum.

Non ſufficit ad intentionem accipere Breviarium. EX dictis *infero primo*, non ſufficere ad intentionem ſatisfaciendi præcepto, ſumere Breviarium ad legendas Horas: ſed perſonam obligatam debere velle & intendere ſaltem virtualiter orare & colere Deum.

Qui aliquid agit omnino oppoſitum divino officio, peccat. *Infero ſecundo*, peccare mortaliter eum, qui tempore divini officij aliquid agit, quod directè vel indirectè orationi vel cultui divino totaliter opponitur. *Ratio eſt*: quia hic cenſetur non habere intentionem finis intrinſeci colendi vel orandi Deum, cum contrarium omninò agat. Unde judico mortaliter peccare obligatos choro, qui tempore quo chorus alter canit, fabulantur & ad alia, quæ orationi & cultui divino adverſantur, voluntariè ſe divertunt in aliqua officij parte notabili, quidquid ſe excuſare conentur. *Item*: Qui extra chorum, tempore quo Horas legunt, aliud orationi planè dubium agunt, etſi enim ſimul fortè verba legere poſſint, aut legentem audire, id tamen religioſè facere non poſſunt tanquam orantes vel colentes Deum, ideoque vere Dei cultum & orationem intendere non cenſentur.

Solâ materiali lectione Horarum non ſatisfit præcepto. *Infero tertio*, Illos etiam præcepto non ſatisfacere, qui materialiter tantum verba pronuntiare volunt, nec internum aliquem affectum ad Deum intendunt. Quales ſunt, qui perfunctoriè & præcipitanter Horas legunt, ſive in choro, ſive extra, putantes hoc ipſum ſatis eſſe ſi materialiter legant. De quibus iterùm poſteà.

Qui ſolum materialiter Horas legit, tenetur repetere. *Petes*: An qui intentionem orandi vel colendi Deum non habuit, Horas autem attentè, quamvis materialiter tantùm legerit, teneatur illas repetere? Ratio dubitandi eſt. *Primo*, quia talis præcepto Eccleſiaſtico reverà, quoad ſubſtantiam præcepti, ſatisfecit. *Secundò*, quia pœnitere poteſt & intentionem, quæ defuit, retrotrahendo renovare. *Reſpondeo*, Talem præcepto non ſatisfeciſſe, ſed teneri Horas repetere, ſi in foro Dei præcepto ſatisfacere velit. *Ratio eſt*: quia (ut ſuperius ſatis declaratum eſt) præceptum de legendis Horis non eſt purè Eccleſiaſticum & mere externi, ſed eſt declarativum vel determinativum Juris divini naturalis, aut etiam poſitivi Eccleſiaſtici: Declarativum quidem obligationis Juris naturalis iis, qui ex fundationibus & ratione fructuum beneficiorum quos recipiunt, obligati ſunt: Determinativum verò obligationis juris poſitivi Eccleſiaſtici iis, qui ex vi ſtatûs in majoribus ordinibus conſtituti ſunt, quos voluit jure poſitivo Eccleſia obligari, ut nomine Eccleſiæ certis temporibus & officiis Deum colerent.

Ad rationem primam dubitandi, *reſpondeo*, eum, qui ſic legit Horas, ſatisfeciſſe quidem materiæ præcepti, non tamen ſubſtantiæ; in hoc enim præcepto de recitatione Horarum cultus Dei & oratio ſunt finis intrinſecus, quem ſupra mediatum diximus, & pertinent ad ſubſtantiam actus præcepti, ut forma ejus principalis actum religionis virtutis conſtituens.

Ad rationem ſecundam *dico*: Si talis nullam habuit intentionem actualem vel virtualem Deum colendi & orandi, ejus pœnitentiam ſive reſipiſcentiam non poſſe dare eſſe formale actui jam præterito, ideoque præſentem intentionem non poſſe retrotrahi, quia actus præteritus verè religioſus non fuit, ſed actus merè materialis & non ſufficiens. Aliud eſt, ſi quis priùs legiſſet officium divinum intentione Deum colendi & orandi, non tamen ſatisfaciendi obligationi, eò quòd intenderet Horas iterùm legere: Ille enim poteſt intentionem remittere, & Horas religioſè priùs lectas, pro obligatione, quaſi replicatâ & innovatâ intentione applicare; non autem alter qui tantùm Horas materialiter legit abſque intentione orandi. *Ratio diſparitatis eſt*, quia intentio ſatisfaciendi debito Horarum non eſt actui intrinſeca, ſed extrinſeca tantùm: ideoque poteſt toto tempore, quo obligationi ſatisfieri debet, etiam præter aut contra primam intentionem poni: Intentio autem colendi Deum in recitatione Horarum ita eſt intrinſeca actui recitandi Horas, ſic ut præcepto ſatisfiat, ut ab illo actu quatenus præcipitur, ſive quatenus eſt religionis actus, non poſſit ſeparari, adeoque actu tranſeunte ſi non exſtat, nunquam reſpectu ejuſdem actûs reparari poſſit. Nota.

Appendix I.

Pro tentatis & ſcrupuloſis.

ADvertendum tamen hic eſt pro ſcrupuloſis: ut judicetur quis habuiſſe intentionem colendi Deum vel orandi, non eſſe neceſſarium ut ſibi hanc propoſitionem explicitè formet:

Digitized by Google

formet: *Ego volo recitare Horas ad colendum vel orandum Deum*, ſed ſufficit intentio virtualis implicita, quâ quis vult legere Horas eo modo, quo ab Eccleſia præceptæ ſunt, ſive in fide & modo Eccleſiæ. Signum autem ſufficiens hujus intentionis virtualis eſt: quando, qui legit Horas, ſe habet per modum orantis & colentis Deum, abſtinendo ab omni actu contrario, vel excluſivo illius intentionis: Quando enim de contraria vel diſparata voluntate ſive intentione non conſtat, cenſendus eſt intendere recitare Horas eo modo, quo Eccleſia præcipit vel intendit: *Adde*: Et ſi ſcrupuloſus vel tentatus agitaretur diverſis argumentationibus intùs, quaſi intentionem debitam non habuiſſet, quamdiu de contrario certò non conſtat, & per modum orantis ſe habuit, judicandum eſt omninò & ſine tergiverſatione in favorem legentis. Undè ſit

Regula Generalis.

Contra Dubia & ſcrupulos. *IN dubio, an quis habuerit intentionem orandi vel colendi Deum in recitatione Horarum, quamdiu de contrario non conſtat, judicandus eſt habuiſſe.* Ratio eſt: quia *in Dubijs melior eſt conditio poſſidentis*: ex parte autem illius, qui ſic dubius eſt, poſſeſſio ſtare cenſetur, quandoquidem certum ſit quòd Horas legerit, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ ad Dei cultum, & ad Deum orandum ſunt inſtitutæ.

QUÆSTIO IV.

Quæ actio in recitatione Horarum ſufficiat & requiratur ad ſatisfaciendum præcepto?

CONCLUSIO UNICA.

AD ſatisfaciendum præcepto de divino officio perſolvendo, requiritur neceſſariò ex parte actionis integra & diſtincta pronuntiatio eorum, quæ ab Eccleſia pro officio divino ſunt ordinata, & eo modo & ordine quo ſunt ordinata. Concluſio ex dictis de integritate, ſtudioſitate & modo Horas legendi, in ſuperioribus manifeſta eſt. Quòd autem actio illa ſic circumſtantionata ſit neceſſaria, *colligitur primò* ex abuſibus, ratione quorum præceptum poſitum eſt: Nam *C. Dolentes de celebrat. Miſſarum. Clement. Gravi eod. Tit.* in *Cap. Dolentes* de celebratione Miſſarum ſingulariter damnatur abuſus eorum, qui *tranſcurrendo* & *continuâ* velut *Syncopâ Matutinum legebant*. Et in *Clementina Gravi eodem titulo*, ſimiliter reprehenduntur, qui Horas Canonicas dicunt aut pſallunt *tranſcurrendo, ſyncopando, extranea & plerumque vana, prophana & inhoneſta colloquia intermiſcendo, tardè ad chorum conveniendo, ante finem officij exeundo*, quæ omnia contra ſubſtantiam actionis, id eſt, recitationis & debitæ pronuntiationis divinorum officiorum militant, *Colligitur ſecundò* ex natura ipſa actionis: Sicut enim ad ſatisfaciendum præcepto, ſufficit ut quis moraliter integrè pronuntiet & recitet officium prout ab Eccleſia inſtitutum eſt, ita quidquid contra ſubſtantiam, integritatem, & moralem conſtitutionem illius actionis pugnat, contra præceptum & præcepti obligationem pugnare cenſendum eſt. Unde pono regulam generalem.

Regula generalis.

Peccata contra legitimam recitationem. *QUicumque obligatus ad Horas tranſcurrendo, ſyncopando, aut aliqua ad divinum officium impertinentia miſcendo in re gravi, actionem recitandi divini officij in ſua ſubſtantia aut diminuit, aut perturbat, peccat mortaliter.* Ratio clara eſt ex dictis: quia præceptum obligans ad mortale in re gravi tranſgreditur. Quandonam autem cenſeatur actio illa diminui, alterari aut perturbari in re gravi, id morali judicio prudentis relinquitur.

Corollarium.

De peccatis contra actionem recitationis Horarum Canonicarum.

De Syncopis. *DIco itaque primò*, Syncopas illas, quæ non ex defectu naturæ (ut in balbo) ſed ex mero defectu voluntario oriuntur, ut in ebrio, ſemiſomno, crapulâ gravato, ſi per aliquam notabilem partem officii quæ æquivaleat alicui Horæ perſeverent, peccatum mortale inducere. *Ratio eſt*: quia pars æquivalens Horæ cenſetur gravis, & conſequenter officium divinum cenſetur in parte notabili diminutum.

De fabulis & colloquiis. *Dico ſecundò*, Qui in choro per integram horam officii, ratione colloquiorum vel aliorum ad officium non ſpectantium, modò aliquot verſus interrumpit, modò aliquot recitat, modò altero choro canente aliis ſe impedit, &c. quamvis talis ſtatim interruptos verſus recitet, ſi (ut dixi) in integra hora quæ eſt pars notabilis, id faciat, peccare mortaliter. *Ratio eſt*: quia actionem ſacram verè in re gravi alterat & perturbat: imò ne quidem dici poteſt ſubſtantiæ actionis ſatisfacere, cùm ipſa actio ſive recitatio Horarum ex natura ſuæ inſtitutionis ſit continuum quoddam, quod continuâ actione morali & ſacrâ perficiendum eſt.

Nota. Dixi (*vel aliorum ad officium divinum non ſpectantium*) ſi enim quis pro neceſſitate officii, ut ad vertendos libros, ad lumen accendendum, aut ad aliquid hujuſmodi miniſterium officio neceſſarium vel conveniens interdùm aliquot verſus omitteret, non peccaret, etſi omiſſa non repeteret; quia chorus cenſetur in talibus officii continuationem pro ipſo ſupple-

re, undè in his caſibus aliquot verſuum repetitio cenſenda eſt voluntaria & ſcrupuloſa.

Dixi (*quamvis tales interruptos verſus ſtatim recitet*) ſi enim totum officium poſteà repetat, ſatisfacit præcepto lectionis Horarum, etſi non ſatisfaciat obligationi chori, ſi tales interruptiones fuerint contra aſſiſtentiam religioſam in choro, de qua in ſuperioribus ſatis.

De interpolationibus.

Dico tertiò, omnem interpolationem, quæ gravem irreverentiam cauſat in actione illa recitationis Horarum, quæ ex ſua inſtitutione eſt ſacra, eſſe peccatum mortale. Colligitur ex rationibus ſuprà ſufficienter deductis.

QUÆSTIO V.

Quid & quotuplex ſit attentio, & quæ ad ſatisfaciendum præcepto recitationis Horarum requiratur & ſufficiat?

CONCLUSIO I.

Quid Attentio.

A*Ttentio in Horis recitandis eſt actus intellectûs ſe reflectentis ſuper ipſa Horarum recitatione, quatenùs eſt actio religioſa, & ad Dei cultum ordinatur.*

Dixi (*actus intellectus*) Reflectio enim illa ab intellectu procedit, etſi voluntatis imperio ſubjacet. Quod indicaſſe videtur Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. dum ait: *Si orem linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt: Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* In quo contextu per *ſpiritum* ſignificat pium voluntatis affectum, per *mentem* intellectum ſive potentiam cognoſcitivam deſignat, ut ſit ſenſus: *Si orem linguâ*, id eſt, ſi orem idiomate mihi incognito, *ſpiritus meus*, id eſt, voluntas pro affectu orat, *mens autem*, id eſt, intellectus *ſine fructu eſt*, id eſt, non fruitur orationis ſenſu, quia non intelligit quid idioma ſignificet. *Orabo igitur* (inquit) *ſpiritu*, id eſt, voluntatis affectibus, *orabo & mente*, id eſt, conabor intellectu concipere quæ dicuntur, *pſallam ſpiritu*, id eſt, voluntatis affectu, *pſallam & mente*, id eſt, actibus cognitionis. Ex quo, applicando textum illum ad attentionem, nil aliud indicatur, quàm quòd, præter actus internos voluntatis affectus ſuos exprimentis, ad orationem concurrat actus quidam intellectûs ad ſenſum & affectus orationis ſe reflectentis, & ſuâ iſtâ reflexione fructu orationis perfruentis, qui actus propriiſſimè *attentio* nuncupatur.

1. Cor. 14. verſ. 14. 15.

Ibid.

CONCLUSIO II.

TRiplex attentio in Horis communiter à Doctoribus aſſignatur. 1. *ad verba.* 2. *ad ſenſum verborum.* 3. *ad finem orationis intrinſecum*, qui eſt colere & orare Deum.

Addo ego diviſionem alteram, quæ magis videtur illius attentionis ſufficientiam & neceſſitatem explicare: Alia eſt enim *attentio eſſentialis* actui Horas recitandi, quatenùs eſt actus religioſus, ſive quatenùs eſt actus virtutis religionis: alia eſt *attentio perfectionalis.* Illa dicitur *attentio eſſentialis*, ſine qua actus ille exiſtere non pôteſt ſive ut ſit humanus & moralis actus, ſive ut ſit actus religioſus. Et hæc *attentio* nihil eſt aliud, quàm reflectio mentis ſive intellectûs, quâ *primò*, adverto me legere officium & Horas Canonicas juxta inſtitutionem Eccleſiæ. *Secundo*, quâ adverto me colere & orare Deum iſto actu præſenti, quo recito Horas Canonicas: ita, ut in hac reflexione duo ſint reſpectus: alter ad actionem in ſubſtantia ſua materiali, nimirùm ad recitationem Horarum: alter ad finem illius actionis, qui eſt colere & orare Deum.

Attentio eſſentialis.

Attentio perfectionalis eſt: quâ attenditur ad ſenſum, myſterium, vel affectum, &c. qui in verbis & ſententiis Horarum, vel in earum inſtitutione comprehenditur. Undè ſit

Attentio perfectionalis.

CONCLUSIO III.

A*Ttentio perfectionalis non eſt de neceſſitate præcepti in Horis perſolvendis*, ſive, ut communiter loquuntur Doctores: *In recitatione Horarum non eſt neceſſarium attendere ad ſenſum verborum, myſteria, vel affectus in verbis*, &c. *comprehenſos.* Ratio per ſe manifeſta eſt in illitteratis & idiotis, nec non monialibus ad officium Horarum Canonicarum obligatis, quas conſtat idioma latinum non intelligere: Quinimò tanta eſt interdùm Scripturarum, quæ in officio divino leguntur, obſcuritas, ut etiam multis doctis tum earum ſenſus, tum myſteria abſcondita ſint: aliis autem mediocribus nauſeam & tædium potiùs pariant, quàm devotionem.

Dixi (*non eſſe de neceſſitate præcepti, ſive, non eſſe neceſſarium attendere ad ſenſum verborum*, &c.) eſt tamen valde utile & ſanctum, & eam attentionem debet homo conari habere ſi velit cum majori fructu interiori orare: undè eam volui vocare attentionem perfectionalem, qoia ad perfectionem ſpectat, non ad neceſſitatem: Quòd ſi autem quandoque declament Sancti (ut inter alios facit ſanctus Bernardus ſermone 47. in cantica) contra illos, qui ſenſui verborum, & myſteriis ſacris, quæ in verbis continentur, non attendunt, conciones ſunt & declarationes negligentiam infructuoſam condemnantis, & ad meliora exhortantis, ut Pſalmodia magis animo proſit. Quo ſenſu intelligendum eſt illud ejuſdem ſancti Doctoris ibidem: *Undè vos moneo, dilectiſſimi, purè ſemper ac ſtrenuè divinis intereſſe laudibus. Strenuè quidem, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes*, &c. *purè verò, ut nihil aliud dum pſallitis, quàm quod pſallitis cogitetis*, &c. *Spiritus enim Sanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris*, &c. id eſt, etiamſi

Qui intelligendi ſint ſancti Patres circa hoc.

S. Bern. ſerm. 47. in cant. in fine.

etiamſi meliores cogitationes & affectus offeras, gratum tamen eâ horâ non habet niſi affectus Pſalmis, quos recitas, congruentes offeras, quod intellige quoad congruitatem & meritum operis ut ſic; ſed de his infrà. Utilitatem ſanè attentionis ad ea, quæ verbis officij Divini ſignificantur, energicè oſtendit ſanctus Auguſtinus in lib. Confeſſ. lib. 9. cap. 6. & 7. Et lib. 10. cap. 33. de quibus in ſuperioribus, quæ, nè longior debito ſim, non repeto.

S. Aug. l. 9. Confeſſ. cap. 6. & 7. Et lib. 10. cap. 33.

CONCLUSIO IV

Qua attentio neceſſaria.

A*Ttentio ſingularis ad ſingula verba non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti ad perſolvendas Horas Canonicas, ſed tantùm requiritur & ſufficit moralis quædam, & generalis attentio, qua moraliter ſcio & perpendo me verba & verborum ſententias proferre, etſi ſingulariter ſuper ſingulis verbis & ſententijs non reflectam.* Ratio prioris partis eſt: Quia hujuſmodi reflexa intentio ad ſingula verba eſt impoſſibilis naturæ ad diverſa per ſe diſtractæ, & quæ facilè cogitationibus etiam bonis à verborum animadvertentia diſtrahitur. *Ratio verò poſterioris partis eſt:* Quia qui ex obligatione recitat Horas Canonicas, debet ad minùs advertere ſe recitare, & moraliter ſe debito & integritati Horarum ſatisfacere, quod advertere non poteſt, niſi generali quâdam & morali attentione & reflectione ad recitationem ſuam, etſi non ad ſingula, quæ pronunciantur, advertat.

CONCLUSIO V.

Attentio generalis qualiter requiſita.

A*D Horas Canonicas, & quamlibet orationem obligatoriam lègitimè perſolvendam, eſt neceſſaria & ſufficit attentio eſſentialis, quæ eſt attentio ad totam actionem.* Hæc in duobus conſiſtit, nimirùm in attentione generali ad verba, qua quis moraliter advertat ſe debitè omnia pronuntiare: & in attentione ad finem orationis intrinſecum, qua attendit quis, & advertit, ſe hoc actu, ſive hàc recitatione Divini officij Deum orare & colere. *Ratio eſt*: Quia ſine hac attentione Horæ Canonicæ, ſicut & omnis oratio, non ſunt vera oratio, ſed ſimulatio potiùs & fictio perſonæ, quæ per modum orantis ſe habet, ipſaque recitatio abſque hac attentione facta, eſt materialis tantùm recitatio, & inutilis verborum ſonus.

Petes: Quid ſit meliùs: Piam aliquam ſibi meditationem, & affectus devotos, prout menti magis opportunum fuerit, formare, dum officium Divinum legitur; an omnem devotionem & affectum ex ſenſu verborum, & ipſorum myſterio piâ ruminatione elicere? *Reſpondeo primò*, Orationi, & Eccleſiæ intentioni conformius eſſe cor & animum ſenſui & myſterijs officij Divini accommodare, quàm alijs diſparatis mentis affectibus, & quantumvis devotis meditationibus indulgere. *Ratio* petenda eſt ex natura Divini officij: ut quid enim Pſàlmis, Hymnis, Canticis, Lectionibus, Reſponſorijs, &c. concinnatum eſt, niſi ut animus recitantis eò dirigeretur, quò ſancta verba & illorum diſpoſitiones ducunt? maximè cùm in illis fides & intentio Eccleſiæ principaliter agat, eoque titulo ſpecialiter orationes illæ à Deo acceptentur. Nec eſt quòd dicatur major devotio in ſingularibus devotionibus excitari: hoc enim fit, quia in pſalmodia & officiorum Divinorum ſenſu & guſtu pauci exercitati ſunt, nec laborem piæ illius exercitationis ſubire volunt: aut quia proprijs exercitijs nimiâ ſenſualitate, quantumvis ſpirituali, adhærent. Audeo dicere Spiritum ſanctum ordinariè fructuoſiùs influere in unam communem orationem in fide & ſenſu Eccleſiæ recitatam, quam in multiplicibus orationibus & mentis conceptibus ſpecialibus, quæ ex proprio motu & affectu, quantumvis bono, excitantur aut procedunt; idque propter aſſiſtentiam ſingularem Eccleſiæ promiſſam, & propter obedientiam ejus, qui Eccleſiæ preces recitat, ac communionem univerſalem cum omnibus juſtis, quorum orationis & charitatis in unitate fidei eſt particeps.

Melior eſt attentio ad ſenſum verborum, quàm diſparata meditatio.

Nec refert quòd ſic ad ſenſum verborum attendens minori dulcedine perfundatur: neque enim orationes illis dulcedinibus & delectationibus interioribus, quoad meritum & dignitatem, menſurandæ ſunt, ſed in fundamento fidei & veritatis, cui Eccleſiæ oratio innititur. *Addo*: Quòd ſi in Eccleſiaſticis officijs minor affectus ſentiatur, id inexercitationi & infirmitati noſtræ attribuendum eſſe: certum eſt enim pſalmodiam, & univerſum Eccleſiaſticum officium plùs ſaporis realis & veri affectûs in ſe continere, quàm contineant univerſæ meditationes, quas ſibi homo aſſumere poteſt. Dico (quas ſibi homo aſſumere poteſt) excipio enim Divinas præventiones & viſitationes ſingulares, quibus homo à Deo interdùm abſorbetur, aut miris modis abripitur, ita ut gratâ quâdam neceſſitate ſequi debeat: tunc enim Spiritui obediendum eſt. Undè ſanctus Bernardus Serm. 47. in Cant. *Vos moneo* (ait) *dilectiſſimi, purè ſemper ac ſtrenuè Divinis intereſſe laudibus.* Infrà: *ut nihil dùm pſallitis, quàm quòd pſallitis, cogitetis. Nec ſolas dico vitendas cogitationes vanas & otioſas: vitanda ſunt & illa illâ duntaxat horâ, & illo loco, quas officiales Fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur: ſed nè illa quidem profectò recipere tunc conſuluerim, quæ fortè paulò antè in clauſtro ſedentes in codicibus legeratis, qualia & nunc me vivâ voce diſſerente, ex hoc auditorio Spiritûs-Sancti recentia reportatis, ſalubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum revolvitis.* Hæc ibi. Ex quibus conſtat non expedire etiam ſanctiſſima mente revolvere, quando ad ſenſum officij attendere poſſumus.

S. Bernard. Serm. 47. in Cant.

Utilior inexercitatis pia conſideratio, quàm attentio ad verborum ſenſum.

Reſpondeo ſecundò, Illiteratis & inexercitatis in ſenſibus & myſterijs Divinorum officiorum, donec exercitio & labore ſibi intelligentiam parent, utilius eſt piâ aliquâ conſideratione & affectibus, vel interioribus gemitibus ad Deum, dùm officium Divinum recitatur, aſpirare, quàm nudæ verborum pronuntiationi inhærere. *Ratio eſt* : Quia potior eſt in qualiber oratione elevatio mentis in Deum, quàm tædioſa abſque intellectu pronuntiatio verborum; in illa enim elevatione præcipua vis orationis conſiſtit. Illa verò conſideratio tunc ex omnibus utilior erit, quæ officio Divino eſt magis accommodata, utpotè conveniens myſterijs in qualibet Hora repræſentatis. Undè in triplici *Nocturno Matutinorum* nonnulli tres orationes à CHRISTO in horto fuſas ſibi repræſentant. Et in *Lectionibus primis*, excitationem primam Diſcipulorum à ſomno ſibi imaginantur, dum CHRISTUS dixit Petro : *Simon dormis?* In *ſecundis Lectionibus* regreſſum ſecundum ad Diſcipulos recogitant, in quo, quia CHRISTUS illis locutus non eſt, ex aliquo Doctore Lectiones promuntur: In *Lectionibus tertij Nocturni ex Evangelio*, tertium regreſſum CHRISTI poſt tertiam orationem ſibi proponunt, cùm dixit : *Surgite, eamus*, &c. Demùm ſub *Te Deum, & Laudes*, omnes pœnas & opprobria, quæ nocte iſtâ CHRISTUS paſſus eſt, ſibi repræſentant, tanquam Dei laudibus Judæorum opprobrium vincere cupientes. Tandem in *Prima*, deductionem CHRISTI ad Pilatum. In *Tertia*, flagellationem, conſputionem, coronationem, & ſententiam mortis. In *Sexta*, crucifixionem. In *Nona*, obtenebrationem Solis, & CHRISTI mortem. In *Veſperis*, depoſitionem de cruce. In *Completorio*, ſepulturam meditantur. Verùm (ut dixi) qui poſſunt & intelligunt, multò ſalubriùs ad verborum ſenſum, & intima Spiritûs-Sancti arcana in verbis contenta attenderent. Qui autem fructuoſiſſimos modos pſalmodiæ vult ſibi conquirere, legat Procemium Ludolphi à Saxonia in *Pſalmos Davidicos*, nè excedamus terminos inſtituti noſtri.

Appendix.

De diſtractionibus & peccatis contrà attentionem in officio Divino requiſitam.

Diſtractio actionis deſtructiva.

Ex dictis inferendum eſt: Quòd ſicut datur *Attentio* quædam *eſſentialis* actioni recitandi officium Divinum eſſentialiter annexa, tùm ut actus ſit moralis & humanus, tùm ut ſit actus religioſus, ut ſuperiùs eſt dictum ; ità etiam dari diſtractionem, quæ eſſentiæ actionis illius deſtructiva eſt, faciendo ut actus non moralis & humanus, vel non ſit religioſus : adeoque hominem ſic diſtractum præcepto de Horis Canonicis perſolvendis non ſatisfacere. Ut autem plenior habeatur diſtractionum notitia, & quælibet diſtractio reſpectivè ad attentionem, cui contraria eſt, plenè intelligatur, advertendum eſt : *Diſtractionem* triplicem dari, ſicut & *attentionem* : nimirùm: *diſtractionem in verbis*, *in ſenſu verborum*, *& in fine*, ſive reſpectu *finis intrinſeci orationis*. Qui enim ad verba ſive ad verborum ſenſum, aut ad ipſam actionem orandi non attendit, cenſetur uno ex illis modis, vel omnibus ſimul diſtractus.

Triplex diſtractio.

Secunda diviſio diſtractionis.

Rursùs, *Diſtractio* dividi poteſt in *diſtractionem eſſentiæ actionis contrariam*, ejuſque deſtructivam, & in *diſtractionem contrariam tantùm perfectioni actionis*, ſive *orationis*. Illa dicitur *diſtractio eſſentiæ actionis* ſive *orationis contraria* & deſtructiva, quæ, ut dixi, facit ut actio vel oratio non ſit actus humanus, vel ut non ſit actus religioſus : talis eſt diſtractio ejus, qui non attendit, vel advertit ſe etiam materialiter orare, vel legere Horas ; ſed velut ex habitu quodam remanente orat, vel legit, ut in ebrio, ſomniante, vel ſemiſomni, imò in amente contingere poteſt. *Item* illius : qui etſi attendat ad lectionem, ſive recitationem, ità tamen diſtractus eſt, ut nullatenùs attendat ad finem intrinſecum orationis, qui eſt orare; ſive Deum colere : qui enim ſic diſtractus eſt, verè actum Religioſum, ſive virtutis Religionis non facit : ut ille, qui officium Divinum legeret ad ſtudendum, vel curioſè aliquid ad rem impertinens inveſtigandum, vel tantùm ſimulatoriè.

Tertia diviſio diſtractionis.

Tertiò : *Diſtractio* dividenda eſt in *Naturalem*, *Immiſſam*, & *Acquiſitam*. *Naturalis* eſt : quæ ex ipſa natura & hominis imaginatione, aut cogitatione de ſe vaga & vana oritur abſque alterius adminiculo, & cooperatione. *Immiſſa* dicitur : quæ vel à Dæmone ſpecies movente etiam intrinſecùs, vel aliundè forinſecùs excitatur. *Acquiſita eſt* : quæ ab ipſomet recitante alijs vacante velut accerſitur.

Quarta diviſio diſtractionis.

Tandem : Diſtractio alia eſt *Voluntaria* : alia eſt *Involuntaria*, quæ & ab aliquibus *Violenta* dicitur. *Voluntaria* eſt : cui voluntas in ſe, vel in cauſa formaliter, vel interpretativè aſſentitur. *Involuntaria* eſt : quam etſi voluntas patiatur, nullatenùs tamen ei aſſenſum præbet. His ſic prænotatis pono aliquot propoſitiones per modum reſolutionum capitalium.

Propoſitio 1.

Diſtractio involuntaria non eſt peccatum.

Nulla diſtractio involuntaria in officio Divino poteſt eſſe peccatum. Propoſitio manifeſta eſt: nihil enim peccatum reputari poteſt, niſi ſit voluntarium : ſupponitur autem diſtractio eſſe involuntaria.

Propoſitio 2.

Diſtractio perfectioni oppoſita eſt tantùm venialis.

Diſtractio, quæ ſoli perfectioni orationi debitæ ineſſe adverſatur, peccatum veniale non excedit : &, ſi eſſentia orationis obligatoria nulla-

tuitatenus adverſetur , peccatum mortale eſſe non poteſt. Ratio eſt : quia præceptum primario tantum reſpicit eſſentiam moralem rei præceptæ ; cum igitur ſupponatur , non obſtante dictâ diſtractione , orationem in ſuis eſſentialibus manere integram , conſequenter dicendum eſt , tranſgreſſionem illam , cùm non ſit contra eſſentiam , ſubſtantiam , & latitudinem præcepti , non poſſe dici mortalem.

Dixi (*perfectiones orationi debita ineſſe*) propter aliquas perfectiones orationis, quæ nullatenus cadunt ſub præceptum ; ideoque, etſi quoad illas homo diſtrahatur , nequidem peccat venialiter. Tales ſunt perfectiones , quæ dicunt tantùm majorem fervorem, extraordinariam diligentiam , affectus vehementiores, &c.

Dixi (*eſſentia orationis obligatoria*) Ubi enim oratio eſt planè voluntaria, etſi quis diſtrahatur omnino voluntariè , etiam in iis, quæ actui orandi vel colendi Deum eſſentialia ſunt, modò abſit gravis & poſitiva irreverentia , non poteſt peccare mortaliter : venialiter tamen ſemper peccat, qui in oratione voluntaria, voluntariè, & a propoſito diſtrahitur : quia, etſi ad orationem illam non teneatur , eo ipſo tamen, quo vult Deum orare , tenetur religiose orare, ideoque ſi diſtrahitur voluntariè , venialiter peccat. Nec refert quòd aliquando dixerimus , talem haberi pro non orante , ſufficit enim , quod aſſumat ſacra orationis ſigna cum aliquali irreverentia, ob hoc ut ratione irreverentiæ peccatum veniale incurrat.

Ex his *Infero* : Eum , qui circa ſingularia verba & ſenſum verborum duntaxat diſtrahitur, non peccare mortaliter , nollem tamen à veniali excuſare eum, qui poſitive attendere nollet. *Ratio prioris partis* eſt: quia , ut ſuprà docuimus , nemo tenetur attendere ad ſingularia verba, nec ad ſenſum verborum , modò attendat ſufficienter ad complexum recitationis eorum, quæ recitat, & ad ipſam orationem & cultum Divinum , quæ ſunt intrinſecus finis. *Ratio poſterioris partis* eſt : quia etſi diſtrahi voluntariè circa verba, aut verborum ſenſum, non ſit totaliter contra præceptum, eſt tamen contra intrinſecam perfectionem præcepti ; ſive contrà præcepti latitudinem, & qui poſitive illis abſque cauſa legitima renueret attendere , exponeret ſe periculo ulterioris evagationis.

Dico (ſine cauſa legitima) poteſt enim quis juſtè nolle illis attendere ob debilitatem cerebri, infirmitatem, aut ſimiles cauſas.

Propoſitio 3.

Diſtractio actione r actiones offensam deſtructa...

QUi voluntariè diſtrahitur in recitatione Horarum, ita ut nec ad recitationem ipſam , nec ad finem intrinſecum , qui eſt iſtâ recitatione Deum orare vel colere, attendat, ſi materia ſit gravis , peccat mortaliter ; nec cenſetur ſatisfacere obligationi perſolvendi Horas Canonicas. Citat Marchinus Tractat. 2. p. 6. difficultate 2. inſignem S. Chryſoſtomi homil. 29. ad populum Antiochenum, ſententiam : quam etſi in loco ſito non inveniam , nè tamen deperea, & vitium ſit Typographi , hîc appono : *Quæ enim* (inquit) *excuſatio aut venia dabitur nobis, ſi cum amicis loquentes adjunimus animo , mentemque adhibemus : cum Deo vero colloquentes , animo in rebus indignis peregrinamur. Poſſetque tam fœda ac turpis eſſe peregrinatio illa mentis , ut duplicis ſceleris, ſeu lethalis culpa labem haberet. Unam , verbi causâ , cogitati, optatique ſtupri, vel homicidij : alteram , reſignus injuriæ, quæ Divinæ preces, Pſalmi, ſacraque Scripturæ verba tunc aſſiciuntur.* In quibus verbis S. Chryſoſt. ei, qui voluntariè in Horis per pravam cogitationem , cui conſentiret, diſtraheretur , duplicem culpam mortalem infert : alteram mali optati, ſive cogitati : alteram injuriæ Divini officij. Alia habes loca S. Chryſo. non minùs efficacia hom. 33. circà finem in Matthæum , & hom. 79. ad populum Antiochenum, quæ rogo Lector vide. Ratio propoſitionis eſt : quia in *primo caſu* is , qui non attendit ſaltem in genere ad recitationem Horarum , præterquàm quòd ſe exponat proximo periculo non legendi , non cenſetur facere actum moralem ; ſed tantùm materialem & indifferentem : In *ſecundo* autem *caſu*, ſi ad finem intrinſecum orationis, ſive recitationis Horarum voluntariè non attendat , ſed à propoſito diſtrahatur , non cenſetur actum Religionis exercere, & conſequenter non perſolvere officium Divinum : quia officium Divinum eſſentialiter eſt actus virtutis Religionis. De *tertio caſu* à majori , & ſufficienti declaratione partium conſtat.

S. Chryſoſt. hom. 29. ad populum Antioch.

Ex qua propoſitione *Infero* : Eos, qui à propoſito aliquid , ſive interiùs , ſive exterius agunt, quod morali recitationi Horarum , vel etiam ipſi orationi, vel cultui Divino (quæ intendere debent) contrariatur in materia gravi, hoc eſt, in aliqua parte notabili officij, peccare mortaliter. Quæ autem ſit pars notabilis officij Divini, alias determinavimus. Patet illatio ex natura propoſitionis.

Petes primò , Quis cenſeatur voluntariè diſtractus ? *Reſpondeo* , Tripliciter hominem in Horis Canonicis cenſeri voluntariè diſtractum. *Primò, in ſe*, per actum formalem , ut qui à propoſito & deliberatâ voluntate aliquid facit , vel ad aliqua ſe divertit , ſive aliquibus ſe occupat, quæ ſunt contraria eſſentiali attentioni. *Ex. g.* Qui fixâ imaginatione , vel cogitatione in aliud intendunt, qui fabulantur, denique qui externum vel internum aliquod opus agunt , quod ab attentione ex ſua natura abſtrahit.

Signa voluntariè diſtracti.

Secundò , *In cauſa poſitiva* : Ut ſi ante orationem , vel Horarum recitationem diſtractioni cauſam dedit per actiones contrarias attentioni, quæ virtute adhuc durare cenſentur , aut de facto diu ante tempore , quo Horas recitat : ut qui immediatè à luſu , confabula-

bulationibus, negotijs animum diſſipantibus abſque ulla animi recollectione, vel præparatione officio Divino recitando ſe applicat, vel in media ſocietate & fabulis, ac negotiorum tractatione ſuas Horas legere tentat: ſi diſtrahatur, nec animum revocet, aut actu vehementi diſtractioni reſiſtat, cenſetur ratione cauſæ immediatè præcedentis vel continuatæ, voluntariè in diſtractiones conſentire.

Tertiò, in cauſa negativa, utpotè, ex diſſimulatione & negligentia: quando diſtractionibus immiſſis, ſive à Dæmone intrinſecè, ſive ab alio externo objecto abſque noſtra formali cooperatione, homo reſiſtere, aut animum ad Deum convertere, aut alio pio modo ab ijs divertere non curat; ſed permittit diſtractionibus ſe agitari: in his juxtà rationem diſtractionis vel cauſæ, aut cooperationis vel negligentiæ, diſtractio voluntaria cenſenda eſt, & juxtà præcedentes propoſitiones de gravitate vel levitate peccati in ijs judicandum erit.

Petes ſecundò, An teneatur quis poſitivè diſtractionibus reſiſtere, aut cogitationes advenientes repellere, & qualiter quis ſe in ſimilibus gerere debeat? Pro clariori reſolutione:

Volubilitas naturæ. *Advertendum eſt primò*, Hominem (ut aliquando diximus) interdùm varias diſtractiones pati ex ipſa volubilitate naturæ & potentiarum, quæ velut rotæ in perpetuo motu ſunt, ità ut (*teſte S. Gregorio Nyſſeno*) noſter intellectus & imaginatio ſit velut molendinum, quòd, ſi non frumentum, quiſquilias & paleas molas neceſſe eſt. Undè S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 55. diſtractiones naturales cordis humani deflens: *Quid* (inquit) *cùm me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit*, &c. Intrà: *Cùm enim in hujuſcemodi rebus conceptaculum ſit cor noſtrum, & portet copioſæ vanitatis catervas: hinc & orationes noſtræ ſæpè interrumpuntur atque turbantur, & ante conſpectum tuum, dùm ad aures tuas voce cordis intendimus, neſcio unde irruentibus nugatorijs cogitationibus res tanta præſciditur.* Hæc ibi: & alia multa habet de memoria & ejus volubilitate capite 13.

S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 35.

Immiſſio Dæmonis. *Advertendum ſecundò*: Diſtractiones aliquandò oriri ex immiſſione Dæmonis, qui ſive ſpecies per objecta immittat, ſive ſpecies in memoria reconditas diverſimodè moveat, tantis interdùm animam replet phantaſijs & cogitationibus, & ita violenter ipſum hominem exagitat, ut in poteſtate illius non ſit illas cogitationes fugare, aut illis poſitivè reſiſtere.

Culpa hominis. *Advertendum tertiò*: Diſtractiones aliàs dari, quas homo ſibi ipſi parit, & acquirit quodam ſtudio, & humanæ curioſitatis inſtinctu: tales ſunt, quæ adſpectibus fixis & curioſis, fabulis, internis conſiderationibus ad rem non ſpectantibus, actionibus aliquibus externis, quæ attentionem divertunt, acquiruntur.

Reſpondeo igitur: Nunquam tenetur homo diſtractionibus poſitivè reſiſtere, quando aliâ viâ ſedari poſſunt, aut abſque periculo conſenſûs tolerari. *Ratio eſt*: quia poſitiva reſiſtentia plùs turbare ſolet hominem, quàm quietare, & vix ſine aliquo mentis vel corporis detrimento adhibetur ob quandam repaſſionem & violentiam.

Dixi (*quando aliter ſedari poſſunt*) Interdùm enim contingit, quamvis raró, hominem diſtractionibus non poſſe efficaciter reſiſtere ſine aliqua poſitiva reactione: ut verò praxis repellendarum diſtractionum penitiùs addiſcatur, pono ſequentes propoſitiones per modum Regularum. *Diſtractiones poſſunt interdum fugari abſque reſiſtentia poſitiva.*

Propoſitio 1.

Qvando diſtractiones ex noſtra culpa, aut à propoſito quæſita ſunt, aut eis cauſam dedimus, ſive ipſo facto damus, tenemur cauſam tollere, & ſi alia via non pateat, poſitivè reſiſtere in materia gravi ſub peccato mortali. Ratio eſt: quia qui periculo ſe voluntariè expoſuit, tenetur periculum vitare, & illius cauſam tollere; atqui cauſa diſtractionum iſtarum fuit ipſa voluntas & poſitiva concurrentia voluntatis, ergò illa ſaltem voluntas debet revocari, & cauſa diſtractionis auferri. *Explico*: Joannes ex aſpectu voluntario mulierum in templo ſibi cauſavit diſtractiones graves ex cogitationibus & motibus varijs inſurgentibus: tenetur primò cauſam auferre, aſpectum tollendo, & cogitationes illas deponere etiam per poſitivam diverſionem, ſi alia via non pateat. *Quid agendum circa diſtractiones noſtrâ culpâ quæſitas.*

Dico (*ſi alia via non pateat*) ſi enim totaliter poſſit à cogitationibus & diſtractionibus illis ceſſare, vel aliâ viâ ad attentionem neceſſariam redire, ſufficiet primam voluntatem revocâſſe, & ad Deum viâ magis commodâ per diſparatos actus abſque pugna poſitiva reverti.

Propoſitio 2.

Qvando diſtractiones proveniunt ex naturali diſperſione ſenſuum & intellectûs, conſulitur ut potiùs contrarijs actibus poſitivis illis diſtractionibus occurratur, quàm inerte patientiæ & ceſſatione ſimplici à conſenſu. Ratio eſt: quia inclinationes naturales & potentiarum diſſipationes à naturali complexione, genio, vel conſuetudine provenientes, non poſſunt benè ſeparari, niſi habitibus contrarijs, qui non acquiruntur, niſi per actus poſitivos contrarios, & ſtrenuam exercitationem. Et hæc eſt cauſa, cur tam pauci in officio Divino religiosè attenti reperiantur: quia in actibus, motibus, exercitijs ad Deum nunquam exercitati fuerunt, ſed tepiditate, inertiâ, & otio conſumpti, omnem libertatem potentijs tam ſenſuum externorum, quàm internorum, quæ ad evagationes inclinantur, dederunt, *Quid agendum in diſtractionibus naturalibus.*

derunt, ita ut ad omnem ventum moveantur, omnique vel modico flatu transferantur, juxta ea quæ ex S. Auguſtino ſuprà notata ſunt.

Propoſitio 3.

Quod cum diſtractionibus à dæmone immiſſis.

QVando diſtractiones à dæmone ſunt immiſſæ vel ſuſcitatæ, aut etiam ab eo continuantur, meliùs eſt ſubſiſtere ab actu ceſſando, vel ſimpliciter abſq; ulla argumentatione aut diſtractionum & cogitationum oppugnatione, ſuſpirio aliquo vel aſpiratione ad Deum converti, quàm poſitivè repugnare: Quinimò experientiâ conſtat periculoſiſſimum eſſe poſitivè repugnare. Ratio eſt: quia cùm diabolus ſit potentiſſimus & ſagaciſſimus, reſiſtentes ita commovet & exagitat, & reſiſtens poſitivè agendo & reſiſtendo tantam vehementiam repatitur, ut, procurante id ſuis fraudibus Dæmone, in graves infirmitates, capitis dolores, crebri turbationes, ſcrupulos, melancholias & id genus miſerias irreparabiliter devolvatur: ideoque cuilibet ſic diſtractionibus afflicto, meliùs eſt cum quiete interiori pati diſtractiones per modum afflictionis, & probationis à Deo permiſſæ, gemendo interiùs, & ſuſpirando, ſive affectu quodam etſi duriori per modum patientis ad Deum recurrendo, quàm poſitivè eas repellere, aut ſeipſum turbare. Conſtat enim experientiâ iſtis modis Dæmonem à tentationibus ceſſare, animam autem hominis etiam in mediis diſtractionibus & exagitationibus quietam remanere & corroborari: Denique corporeis ſenſibus, & organis integris manentibus, ſolidiori affectu Deo adhærere.

Signa diſtractionis à Dæmone immiſſæ vel continuatæ.

Inquires: Unde ſciam diſtractiones à Dæmone ſuſcitari vel continuari? *Reſpondeo*: Quamvis primò à naturali complexione, vel genio emanent, vel etiam à propoſito ſint quæſitæ: ſi tamen in principio, ubi advertuntur, aliqua repugnantia & reſiſtentia adhibita fuerit, & nihilominus non tantùm non cedant, ſed graviùs & vehementiùs inſurgant & multiplicentur, cenſentur actione Dæmonis continuari, & tunc ad remedium ſuperiùs recurrendum eſt, ceſſandumque ab omni poſitiva illarum oppugnatione, & ſimpliciter recurrendum ad explicatam ceſſationem, cum interna patientia & affectuoſo aliquo gemitu & ſuſpirio ad Deum. Nec debet quis turbari & timere, etiamſi totâ aliquâ horâ, imò die hujuſmodi diſtractiones continuentur & increſcant: quamdiu enim ſentit ſe pati, & averſionem aliquam in ſe advertit cum triſtitia & dolore proveniente ex eo quòd intricetur iſtis diſtractionibus, aut quamdiu ſentit querulosùm aliquem gemitum ad Deum, ſecurus ſit, quia diſtractionibus deliberatè non conſentit. Ex his ſecurè debent conſolari ſcrupuloſi & afflicti in Horis recitandis: Pro quibus ſit

Nota.

Regula generalis.

Nota pro ſcrupuloſis.

SCrupuloſi, tentati, afflicti diſtractionibus in officio divino, quamdiu afflictionem, triſtitiam, anxietatem animi in diſtractionibus ſentiunt, tamdiu debent abſolutè judicari non conſentire: adeoque prohibendi ſunt aut Horas repetere, aut moroſè diſtractiones examinare & confiteri: Ratio petenda eſt ex dictis: Triſtitia enim, afflictio & anxietas, oriuntur ex iis, quæ nobis nolentibus accidunt: Et ſi permittantur ſic afflicti Horas repetere, aut diſtractiones illas examinare vel confiteri, in perpetua turbatione permanent cum magno detrimento animæ & corporis.

Appendix 2.

De repetitione Horarum ob diſtractiones.

HIc porrò aliquid addendum fuit ſuper repetitione Horarum, quæ tentatos & afflictos frequenter torquet. Pono igitur propoſitiones ſequentes.

Propoſitio 1.

De repetitione verſiculorum in Choro.

ETſi in Choro ex aliqua diſtractione vel impedimento contingat aliquem duos vel tres verſus, aut aliquam Antiphonam omittere, non debet illa repetere. Ratio eſt: quia, cum totius chori ſit actio una, chorus ſupplere cenſetur pauculum, quod à particulari ex aliqua infirmitate omittitur. Unde à repetitionibus prohibendi ſunt, qui moroſè & ſcrupuloſè dimiſſo uno aut altero verſu, illos incongruè repetunt, & continuationem ſuam in choro interrumpunt.

Propoſitio 2.

De dubio in ratione diſtractionum.

QVandocumque quis non poteſt certò affirmare ſe voluntariè & deliberatè cum plena advertentia fuiſſe diſtractum in officio, vel in notabili ejus parte, non tenetur ullatenùs officium vel notabilem partem repetere. Ratio eſt: quia *in dubiis* & anxietatibus illis, *melior eſt conditio poſſidentis*: Nec pia Mater Eccleſia ex ſua parte cum tanto gravamine, in tantis anxietatibus cenſetur velle ad Horas obligare. Poſſidet autem quis ſuam libertatem, quamdiu (ut dixi) de diſtractione voluntaria certò ſibi non conſtat.

Dixi (*certò affirmare*) ubi enim quis id certò affirmare poteſt, tenetur ſine dubio officium repetere, quia verè non ſatisfecit, cùm ei pars eſſentialis, quæ eſt attentio ad actum & finem (ut ſupponitur) defuerit. Ex his verò colligitur, quàm malè faciant Confeſſarij, qui ſuis pœnitentibus vel permittunt, vel ſuadent diverſas illas repetitiones. Quinimò, *afferendo dico*: non tantùm impediendos eſſe ſcrupuloſos aut afflictos à ſimilibus repetitionibus; ſed

Remedium generale pro afflictis.

ſed etiam, quando gravem afflictionem, turbationem cerebri, dolores capitis, inſomnia, anxietates graves circa repetitiones & lectiones Horarum ſimiles patiuntur, liberè poſſe & aliquando debere cum illis in lectione Horarum diſpenſari. *Ratio eſt:* quia hæ afflictiones prævalent morbis corporeis, imo morborum & delirii ſæpè ſunt cauſa: Igitur cùm ob morbos corporales licita ſit diſpenſatio, multo magis in hujuſmodi afflictionibus ſpiritualibus.

TITVLVS IV.

De ſacrificio Miſſæ.

Intentio Authoris.

CUm nullum in vera Eccleſia Catholica ſacrificium agnoſcamus præter illud diviniſſimum & tremendum Miſſæ ſacrificium, in quod omnes figuræ antiquorum ſacrificiorum deuenerunt, velut in ipſam veritatem quam præſignificabant, abſorptæ (omnes enim ſacrificiorum oblationes unicâ Corporis & Sanguinis ſui oblatione conſummavit Chriſtus) hinc ſuperflua duximus ea de ſacrificio, ſacrificiorum diverſitate, ritibus, cauſis, partibus diſſerere: cùm enim omnia ſacrificiorum Legis naturæ, tum Moſaicæ finem acceperint; ſolius actualis tantùm ſacrificij obligationes, prout in tribunali judicandæ ſunt, doctrinâ practicâ declarare propoſui.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Miſſa?

OMiſſis iterùm variis derivationibus nominis *Miſſa* ſive dicatur à *mittendo*, eò quòd, ut veri ſacrificii actio ad Deum mittatur, ſive ut eſt *miſſa & tranſmiſſa* ad Patrem, ſive derivetur ab Hebræo *Miſſach* quod *ſpontaneam oblationem* ſignificat, ſive aliam originem & uſurpationem habuerit (de quibus videndi ſunt Doctores tam ſcholaſtici, quàm poſitivi, & controverſiarum Scriptores) procedo ad aliquam Miſſæ deſcriptionem.

CONCLUSIO UNICA.

Definitio Miſſæ.

M*iſſa eſt verum & unicum novæ Legis ſacrificium, in quo à Sacerdote legitimè ordinato Corpus & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ex eius inſtitutione, certo ritu pro ſalute vivorum & defunctorum Deo offertur, immolatur & ſumitur.*

Dixi (*verum ſacrificium*) in hoc enim ſacrificio Miſſæ omnia continentur, quæ ad eſſentiam veri ſacrificij ſpectant: Eſt enim ſignum ſacrum & ſenſibile, ad proteſtandam Dei ſupremam excellentiam legitimè inſtitutum, quod ſoli Deo à Sacerdote legitimo offertur per alicujus rei immutationem, nimirùm, per tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti & vini in Sanguinem.

Dixi (*unicum*) ſi enim aliquando orationes & divina officia nuncupentur *ſacrificia*, improprie & analogicè nomen *ſacrificij* uſurpatur.

Dixi (*novæ Legis*) ut contra ſacrificia legis naturæ & Moſaicæ diſtinguatur, nec non contra illud Sacerdotis Melchiſedech, quod hujus præfigurativum tantùm fuit.

Dixi (*à Sacerdote legitimè ordinato*) ſolus enim ille ſacrificium hoc conficere & offerre poteſt, ſolique in ordinatione ſua illa poteſtas confertur. Per *legitimè* autem *ordinatum* intelligo eum, qui validè ordinatus fuit, etſi forte in ejus ordinatione fuerit peccatum.

Dixi (*in quo Corpus & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini Deo offertur, immolatur & ſumitur*) his enim tribus ſacrificium conſtat tamquam partibus ſuis: *oblatione* ſcilicet, *immolatione* & *ſumptione*. Duabus quidem partibus prioribus tamquam eſſentialibus; tertiâ autem tamquam integrali, ad integritatem tamen neceſſariâ.

Immolationem porrò cenſeo compleri in ipſa actione tranſubſtantiationis panis in Corpus, & vini in Sanguinem Chriſti tamquam actionis ſacrificantis terminos: hæc eſt enim realis immutatio, quæ ad ſacrificij eſſentiam ſpectat, & in qua ſacrificium eſſentialiter completur, adjuncta myſtica ſignificatione quâ Corpus ſeparatim, & Sanguis velut effuſus incruentè repræſentatur.

In quo verò conſiſtat ipſa *oblatio*, variè loquuntur Doctores: aliis requirentibus oblationem illam materiæ, quæ fit in offertorio: aliis requirentibus oblationem, quæ fit immediate poſt utriuſque ſpeciei conſecrationem, cum Sacerdos dicit: *Vndè & memores Domine nos ſervi tui*, &c. Verùm neutram harum oblationum exiſtimo pertinere ad eſſentiam ſacrificij, ſed oblationem eſſentialem in ipſa actione conſecrationis ſive immolationis compleri: quam ſignificant verba, quæ de Chriſto pronuntiat Sacerdos: *Accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit*, &c. Illæ enim declarationes & modus loquendi indicat actiones Chriſti internas, ex quibus oblatio eſſentialis conſtituitur, & tandem in ipſa conſecratione ſive immolatione completur. Ipſâ enim actione conſecrativâ Chriſtus ſive Chriſti corpus & Sanguis Patri offertur. *Ratio mea eſt:* quia illa dicitur eſſentialis oblatio, quâ Chriſtus ipſe uſus eſt, cùm in ultima cœna conſecravit: Nulla autem alia repetitur oblatio à Chriſto facta, quàm illa quæ verbis illis & operativâ ac conſecrativa formâ ſignificatur. Undè & S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Omnia quæ in Miſſa dicuntur, cœrimonialia reputat, totam autem vim in confectione Sacramenti, quæ etiam eſt ſacrificij immolationi oblatio, reponit: *Nam* (inquit) *reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacer-*

In quo conſiſtat oblatio.

S. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Sacerdos; ſed utitur ſermonibus Chriſti: *Ergo* (inquit) *ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* Ex quo infertur, quòd, ſicut conſecratio ſive confectio Sacramenti conſtituitur in verbis Chriſti, quæ ipſius denotant actionem: ita idem dicendum ſit de actionibus pertinentibus ad ſacrificationem, ſive ſit oblatio, ſive ipſa immolatio, quæ etiam perficiuntur verbis Chriſti, & actione quam fecit & fieri præcepit: Non poteſt autem deſignari alia oblatio & immolatio quam fecit Chriſtus, niſi ea quæ refertur in ipſa conſecratione.

Dixi (*ex ejus inſtitutione*) poteſtas enim ad offerendum hoc ſacrificium non communicatur Sacerdotibus, niſi ex inſtitutione & mandato Chriſti expreſſo ſub his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Luc. 22. v. 19. 1 Cor. 11. v. 24.

Ritus multiplices in ſacrificio Miſſæ.

Dixi (*certo ritu*) duplices porrò ſunt ritus in ſacrificio Miſſæ: alij enim ſunt planè eſſentiales vel pertinentes ad integritatem ſacrificij, ut ſunt ea, quæ in conſecratione à Chriſto dicuntur facta & ordinata, & quæ ſumptionem ſpectant tamquam partem integralem: alii ſunt ritus cœrimoniales; qui ad decorem & modum ſacrificii explicatiùs ab Eccleſia ordinati ſunt, ſive per modum præcepti, ſive per modum congruæ directionis. Sed hi poſteriores ad eſſentiam & diffinitionem præcisè non ſpectant, ſed tantùm priores. De quibus omnibus poſteà.

Triplex Miſſæ fructus.

Dixi (*pro ſalute vivorum & defunctorum*) triplex enim eſt ſacrificii Miſſæ fructus, nimirùm: *meritorius, impetratorius* & *ſatisfactorius*. *Meritorius* dicitur: quo celebrans vel Miſſæ aſſiſtens gradum aliquem ſpecialem gratiæ & gloriæ ſibi promeretur ex vi illius actionis. Hic autem fructus eſt perſonalis & celebranti aut aſſiſtenti ſpeciali aſſiſtentiâ tantùm cedit. *Impetratorius fructus* eſt: quo alicui bona ſalutaria impetrantur. *Satisfactorius* eſt: quo pœna peccatis debita, virtute hujus ſacrificii compenſatur: Et hi duo fructus poſteriores alii applicantur juxta intentionem Sacerdotis, qui pro aliquo vel aliquibus in Miſſæ ſacrificio orat, vel portionem ſatisfactionum Chriſti in virtute oblationis Corporis & Sanguinis ejus certo modo illis applicat. De qua applicatione infrà.

Dixi etiam (*Deo*) etſi enim ſacrificia in honorem & memoriam Sanctorum offerantur, nullateoùs tamen Sanctis offerri poſſunt, eſt enim ſacrificii oblatio, recognitio & proteſtatio quædam ſupremæ poteſtatis & dominij, & exhibitio ſupremi honoris latriæ, quæ ſoli Deo debentur.

Omnes verò particulæ aſſignatæ exprimuntur in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. tam in prologo, quàm in Decretis & Canonibus, cujus verba ſuperfluum foret hic attexere. Quæ autem majorem requirunt explicationem, requirantur apud ſcholaſticos & poſitivos Theologos: Nos ea, quæ ad conſcientiæ judicium & directionem pertinent, juxta inſtitutum noſtrum proſequemur.

QUÆSTIO II.

Quæ Præcepta concernant ſacrificii Miſſæ celebrationem legitimam, & qualiter contingat contra illa peccari?

MUlta reperiuntur præcepta de Miſſarum celebratione, modis & circumſtantiis, utpotè, de Sacerdotibus, Sacerdotum diſpoſitione & munditia tum ſpirituali, tum corporali, de Sacerdotis intentione, attentione, applicatione, obligatione Miſſas recitandi, de ritibus in Miſſa obſervandis, de ſacris indumentis, de tempore quo Miſſæ celebrari debent, de loco, de altari, de miniſtro, &c. Quæ, ut diſtinctiùs proponantur, ſingula ſubjectis paragraphis expendemus.

§. I.

De perſona Sacerdotis Miſſam celebrantis, & ejus diſpoſitionibus.

Dubium I.

Quæ diſpoſitiones in celebrante requirantur ad hoc ut validè Miſſam celebret?

Tres conditiones in celebrante requiſita ad valorem ſacrificii.

R*Eſpondeo*, tres potiſſimùm requiri conditiones in celebrante, ut ſacrificium Miſſæ validè celebret.

Prima conditio: ut ipſe ſit ritè ordinatus Sacerdos, ſive ut Ordine & charactere ſacro presbyteratus ſit inſignitus. Ratio clara eſt: quia Chriſtus ſolos Sacerdotes tamquam Apoſtolorum in ſacerdotio ſucceſſores hujus ſacrificii miniſtros inſtituit, eiſque ut illud offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit, ut (inquit) Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. vide etiam ſeſſ. 23. cap. 1. & Can. 1.

Luc. 22. verſ. 19. 1. Cor. 11. v. 24.

Secunda conditio eſt: ut Sacerdos impotentiâ ad eſſentialia ſacrificij peragenda non laboret: undè mutus, vel ita balbus, ut formam verborum ſacrificii pronuntiare nequeat, Miſſam celebrare non poteſt, cùm non poſſit quis conſecrare, niſi debitâ verborum pronuntiatione: *Similiter*: Verba conſecrationis ignorans, aut legere non valens, vel materiam ſacrificii moraliter diſtinguere neſciens à celebrando repellitur.

Tertia conditio: ut voluntatem & intentionem habeat celebrandi & conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, adhibendo eſſentialia ad validè ſacrificandum.

Corollarium.

De peccatis ex defectu diſpoſitionis ad valorem ſacrificii requiſita.

Peccata defectu neceſſariæ diſpoſitionis.

EX his conſtat. *Primò*, ſummum ſacrilegium committere eos, qui non ordinati Sacerdo-

cerdotes præſumunt Miſſas celebrare: Qui, præter graviſſimum ſacrilegium & peccatum mortale quod committunt, pœnis etiam maximis ab Eccleſia & jure civili puniuntur per degradationem clericalis ſtatûs vel Ordinis, ſi quem habent, & pœnam ignis. *Secundò*, Peccant etiam mortaliter: qui tantâ ignorantiâ vel errore laborant, ut formas eſſentiales conſecrationis non norint, aut ex contemptu, negligentia, vel mentis evagatione illas adhibere non curant; cujus peccati etiam rei ſunt, qui permittunt tales celebrare: nec minùs, qui permittunt Miſſas celebrare Sacerdotibus illis, qui infatuitatem vel amentiam inciderunt, aut oblivione tantâ laborant, ut vix ſuper actibus ſuis reflectere poſſint. Rursùs *tertiò*, peccant mortaliter: qui, cùm præ ſenectute vel alia de cauſa ita oculis caligant, ut ritè legere aut ad materias Sacramentorum advertere non poſſint, nihilominus celebrant, quos certum eſt ſummis periculis in celebratione Miſſarum exponi, non tantùm in accidentalibus cœrimoniis, ſed etiam in eſſentiali ritu. *Similiter quartò*, peccant mortaliter: quicumque in ſe incapacitatem aliquam ex ſupradictis vel periculum grave advertentes, ſe non ſubtrahunt à celebratione, & qui permittunt hujusmodi celebrare. Tandem *quintò*, peccant mortaliter: qui non dant operam ut virtualem ſaltem intentionem in celebrando habeant, & ii nefandiſſimè, qui ex malitia intentionem habere nolunt: quorum non defuerunt interdùm aliqui in his regionibus, maximè qui hæreſi infecti erant.

Nota ſingula.

Dubium 2.

Quæ diſpoſitiones ex parte celebrantis requirantur, ad hoc ut legitimè & ſine peccato, quantùm eſt ex parte ſua, celebret?

Diſpoſitiones requiſitæ in celebrante ut licitè celebret.

RESPONDEO: Quinque ferè diſpoſitiones requiruntur ad hoc ut Sacerdos poſſit miſſam celebrare abſque peccato. Prima, ut ſit abſque peccato mortali in anima. Secunda, ut ſit abſque aliquo impedimento cenſuræ vel pœnæ canonicæ. Tertia, ut abſit omnis immunditia vel indecentia gravis & ſcandaloſa corporis. Quarta, ut ſit jejunus. Quinta, ut nullâ ignorantiâ vel impotentiâ laboret reſpectu eorum, quæ ad legitimè celebrandum ex præcepto vel ordinatione Dei & Eccleſiæ requiruntur.

Examen 1. diſpoſitionis.

Ut ſit ſine peccato mortali.

DE prima diſpoſitione conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 7. ubi S. Synodus determinat & decernit ex illo Apoſtoli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, &c. Et ex communi ſenſu Eccleſiæ non modo: *Ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Sed ſingulariter idem declarat de Sacerdotibus: *Etiam* (inquit) *iis, quibus ex officio incubuerit celebrare*, &c. *modò non deſit illis copia Confeſſoris.* Et addit ſingulariter pro Sacerdotibus: *Quòd ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit; quamprimum confiteatur.* Ubi in quolibet quantumvis contrito requirit S. Synodus confeſſionem non tantùm ratione Communionis, ſed etiam ratione ſpecificâ celebrationis: ita ut Sacerdos non tantùm teneatur eſſe in gratia, ſive extra ſtatum peccati mortalis, quando ſacram Euchariſtiam in Miſſa ſumit, ſed etiam in ipſo actu ſacrificij, quando conſecrat: ut indicant illa verba (*Etiam* (inquit) *ab iis, quibus ex officio incubuerit celebrare*, &c.) Item (*quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit*, &c.) Quod & indicat datâ ratione urgentiſſimâ ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ: ubi cùm ex cap. 48. Jer. attuliſſet: maledictum eſſe qui facit opus Dei negligenter: ſubjungit: *Quòd ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum ac divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quantâ maximâ fieri poteſt interiori cordis munditiâ & puritate*, &c. *peragatur.* Nota illud: *Quantâ maximâ fieri poteſt interiori cordis munditiâ & puritate*, &c. Quæ verba ad minùs mortale peccatum in celebrante excludunt. Nec refert, quòd Apoſtolus in illo loco: *Probet autem ſeipſum homo*, de communicantibus ſolùm loqui videatur: cùm enim de tota inſtitutione ſacrificij mentionem faceret, potiſſimùm de puritate ad manducandum locutus eſt, non quia ſola illa puritatem requireret, ſed quia in manducatione, de qua loquitur, ultima ſacrificij actio conſiſtebat.

Petes primò, an qui vult Miſſam celebrare, teneatur certitudinem habere, quòd non ſit in ſtatu peccati mortalis, ſive quòd ſit in ſtatu gratiæ, & conſequenter dignus miniſter ſacrificij Miſſæ? *Reſpondeo primò*, non teneri habere certitudinem infallibilem & evidentem, quàm nonnulli vocant theologicam. *Ratio eſt*: quia illa non poteſt haberi abſque divina revelatione ſpeciali. *Reſpondeo ſecundò*, teneri habere aliquam certitudinem moralem, id eſt, certitudinem, quâ, factâ morali diligentiâ & examine, Sacerdos non appareat ſibi conſcius alicujus peccati mortalis. *Adverte* tamen hanc certitudinem moralem non excludere levem ſuſpicionem aut formidinem de oppoſito: quamdiu enim Sacerdos non eſt certus de aliquo peccato commiſſo, etſi teneatur habere averſionem generalem ab omni peccato mortali, non tenetur tamen aliquod peccatum ante Miſſæ celebrationem confiteri, de quo non conſtat

1. Cor. 11. verſ. 28. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.

Idem.

Nota.

Sacerdos undè peccet mortaliter in peccato mortali celebrans.

Trid. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & vitand. in celebrat. Miſſæ.

1. Cor. 11. v. 28.

An Sacerdos debeat eſſe certus de ſtatu gratiæ.

Vota pro ſcrupuloſis.

conſtat, aut non eſt vehemens, gravis & fundata ſuſpicio, quòd ſit peccatum mortale. Undè pro ſcrupuloſis & tentatis eſt advertendum: quòd quamdiu non poſſunt aſſirmare certò, aut ex vehementi ſuſpicione & fundamento gravi, ſe peccâſſe mortaliter, etſi angores, formidines, vacillationes, indevotiones, diſtractiones, aut diſſipationes ſpiritûs (quæ taliter afflictis & ſcrupuloſis ſolent evenire) patiantur, non debere à celebratione abſtinere, nec teneri, imò ſæpè bonum eſſe taliter afflicto ſe mortificare, & non confiteri.

De dubitante, an ſit in peccato mortali.

Dices: Quid ſi practicè dubius ſit? *Reſpondeo* vel *dubium eſt facti*, hoc eſt, dubitat: an fecerit vel conſenſerit in peccatum: vel *dubium eſt juris*, hoc eſt, etſi ſciat ſe feciſſe aliquem actum, dubitat tamen: an ille actus præcepto aliquo ſub peccato mortali prohibeatur: aut ſi ſciat actum prohibitum, dubitat: an deliberatè conſenſerit actui, vel an materia ſit ſatis gravis ad incurrendum peccatum mortale.

Dico igitur primò, ſi ſit *dubium facti*, non tenetur quis confiteri: *Quia melior eſt conditio poſſidentis*, ille autem tam diu poſſidet innocentiam ſuam, quamdiu ſibi non probatur illam perdidiſſe. Similiter dicendum eſt, ſi dubitet: an ſit aliquod præceptum, vel lex prohibens actum ſub mortali. Quamdiu enim ſibi de lege non conſtat, liber eſt à ſervitute legis.

Dico ſecundò, Quando ſibi conſtat de facto, & lege, ſive præcepto illud prohibente ſub mortali, ſi de ſolo conſenſu, aut ſufficientia materiæ ad mortale dubitet, quamdiu dubium verè practicum remanet, & illud legitimè non deponit, maximè ubi eſt vehemens contrà illud ſuſpicio, tenetur confiteri. *Ratio eſt*: Quia admiſſo facto contra legem, *lex poſſidet*, & prævalet contrà *dubitantem*. Vide quæ latè diximus, & exemplis probavimus *Tom. 1. Tract. 5. Tit. 4. Quæſt. 4. Concluſ. 1. & 2.*

Quando cenſeatur Confeſſarij copia abeſſe?

Petes ſecundò, Quando dicatur Sacerdoti deeſſe copia Confeſſarij, ad hoc ut ante celebrationem non teneatur actualiter confiteri? *Reſpondeo*. Varijs modis poſſe dici deeſſe copiam Confeſſarij. *Primò*, quando de facto nullus Confeſſarius adeſt. *Secundò*, quando nullus adeſt in tali Epiſcopatu approbatus. *Tertiò*, quando, etſi in vicinia ſit, non poteſt tamen celebrans ſine gravi incommodo illum adire, aut illum ad ſe vocare. *Quartò*, ſi ſine nota, vel detrimento ſpirituali, aut temporali, quis etiam præſenti non poſſit confiteri, utique: quia veniet Confeſſarius in notitiam alicujus complicis, vel quia celebrans veniet in ſuſpicionem alicujus peccati commiſſi apud videntes ipſum confiteri. *Item*: quia celebrans habet inimicitias cum Confeſſario, de quibus non poteſt illi commodè confiteri, &c. *Quintò*, ſi Confeſſarius præſens, ſit excommunicatus, aut ſit ignatus vel imprudens, ita ut juſtè celebrans timeat illi confiteri. *Sextò*, ſi peccata reſervata habeat, à quibus Confeſſarius præſens abſolvere non poteſt: non enim tenetur cum onere iterùm coram ſuperiore comparendi, peccata ſua confiteri, ut latè docuimus *Tom. 1. Tit. 4. Tract. 2. Quæſt. 10.* Et alij hujuſmodi caſus de facto occurrere poſſunt, in quibus, etſi aliquis Confeſſarius vere ſit præſens, aut adiri poſſit, cenſetur tamen moraliter abſens, quia non expedit illi confiteri ob cauſas legitimè excuſantes.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. De Confeſſione poſt Miſſam audienda.

Petes tertiò, Quomodo intelligendum ſit illud: *Quamprimùm* in Concilio Tridentino, cùm dicit: *Quòd ſi Sacerdos urgente neceſſitate abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur. Reſpondeo*, illud *Quamprimùm* debere moraliter intelligi, nimirùm, quando abſque aliqua incommoditate, imò quando cum devotione & fructu poterit. Undè hic non eſt ſcrupulizandum, quaſi ad primam occurrentiam Confeſſarij quis confiteri teneatur, ſed id accommodè intelligendum eſt: quando tibi occurrerit providus & prudens; imò ordinarius Confeſſarius, cui cum devotione & fructu ritè confiteri poſſis in caſu, quo ante confeſſionem iterùm celebrandum non eſſet; caſu quo enim celebrandum aliàs eſſet, recurrunt omnes conditiones ſuprà requiſitæ. Ità ut illud, *Quamprimùm*, excludat tantùm ſocordiam, negligentiam, vel inutilem, aut damnoſam, ſive periculoſam tergiverſationem.

Examen 2. Diſpoſitionis.

Vt Sacerdos non ſit impeditus Cenſurâ, vel pænâ Canonicâ.

HÆc diſpoſitio clara eſt ex Jure. Si enim Sacerdos excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus celebret Miſſam, præter peccatum mortale, quod committit, ſit irregularis, & quoties in Irregularitate celebrat, mortaliter peccat. Lege *Tit. 27. lib. 5. de Clerico excomm.* &c. *celebrante.*

Examen 3. Diſpoſitionis.

Vt abſit omnis immunditia vel indecentia gravis, vel ſcandaloſa corporis.

PRopter hanc indiſpoſitionem ſeu immunditiam aliqui à celebratione arcent pollutos pollutione nimirùm voluntariâ vel procuratâ, aut quæ alias gravem indiſpoſitionem cauſat. *Item*: Omnem Sacerdotem poſt coitum carnalem: qua ratione etiam conjugatos prohibent communicare ſequenti die poſt nocturnam copulam conjugalem, & à fortiori poſt illicitam.

Ratione indecentiæ, prohibent mulieres fucatâ facie, ementitis capillis, nudo pectore & collo, veſtimentis & ornatu nimis vano & mundano communicare. Verùm hæc tantiſper preſſiùs examinanda ſunt, ſit itaque:

Dubium 1.

An pollutio nocturna, ſive diurna impediat à Communione, vel celebratione Miſſa?

Reſponſio 1.

Quid de pollutione voluntaria nocturna vel diurna.

R*Eſpondeo primò*, Pollutionem nocturnam, vel diurnam, quæ voluntaria eſt, & voluntariè procurata, quatenùs talis eſt, & per Confeſſionem ac veram pœnitentiam non eſt eluta, impedire Sacetdotem à celebratione, & quemlibet fidelem à communione ſub mortali peccato. *Ratio clara eſt*; Quia (ut ſupponitur) qui illà infectus eſt, antè debitam pœnitentiam & abſolutionem eſt in peccato mortali, qui autem ſcienter in mortali peccato celebrat, aut communicat, peccat mortaliter. Undè dixi (*quatenùs talis eſt*) id eſt, quatenùs eſt voluntaria, ſive per procurationem voluntariam, ſive per conſenſum in illam. Addidi etiam (*quatenùs per Confeſſionem & veram pœnitentiam non eſt eluta*) aliud enim eſt dicendum, ſi jam ab illo peccato quis abſolutus ſit.

Reſponſio 2.

Quid de pollutione inculpabili.

R*Eſpondeo ſecundò*, Nullum datur ſpeciale ptæceptum, quo quis poſt pollutionem nocturnam inculpabilem, ſive quæ ex hominis culpa aut voluntate non provenerit, communicare prohibeatur. Quod & dicendum eſt de communione poſt copulam licitam & conjugalem præcedenti nocte habitam. Reſponſio iterùm manifeſta eſt ex negativo argumento: neque enim tale præceptum, vel ptohibitio à Doctoribus aſſignatur, quamvis in aliquibus caſibus diſſuadeant; ità ut abſtinere ſit magis conſilij, quàm præcepti. Undè cùm quis poſt pollutionem præcedentis noctis prohibetur celebrare, id intelligendum eſt: vel de pollutione culpabili & voluntaria, ob cauſam ſuperiori Reſponſione allegatam, vel ob aliquam indiſpoſitionem gravem ex illa ortam. Pro quibus ponam Reſponſionem tertiam claram; ſed ante illam quædam prænoto.

Prænotata ante Reſponſionem 3.

Triplex pollutio.

N*Otandum igitur primò*, Triplicem dari pollutionem: alia eſt *Culpabilis*, ut illa, quæ effectivè ac voluntariè eſt procurata; vel cui, qui polluitur, dedit cauſam voluntariam ex turpibus aſpectibus, cogitationibus, vetbis, tactibus priùs habitis, aut ex crapula, ebrietate, &c. Alia eſt *Inculpabilis*, utporè, quæ vel ex natutæ ſuperfluitate & infirmitate, vel ex diabolica illuſione ptovenit. Experiuntur enim perſonæ etiam ſpirituales & auſteritatibus addictæ, poſt jejunia ſæpè naturam ſubtiliorem ſe per humores illos ſeminales exonerare. Experiuntut etiam Sancti in ſolemnitatibus majoribus, ubi quis ſe ad Divina majori affectu diſponit, Dæmonem homini inſidiari, & in illo hujuſmodi fœdas conſpurcationes & immunditias cauſare, ut illarum horrore à celebratione, vel Sactamenti ſumptione abſtineant: ut conſtat de Monacho, qui ſingulis ferè diebus feſtis procurante Dæmone, polluebatur, ut habetur in collationibus SS. Patrum Collat: 22. cap. 6. & refertur paſſim à Doctoribus ſanctis. Alia eſt *Pollutio* quædam *analogica*, ſive *ſimilitudinaria*, quæ verè pollutio non eſt, ſed tantùm fluxus humoris cujuſdam ſeminali ſimilis, prout contingit in menſtruis, Vide S. Gregorij diſcurſum apud Gratianum in Decreto Diſt. 6. in principio.

Collat. Patrum Collat. 22. c. 6.

Grat. in Decreto Diſt. 6 in princ p.

Effectus varij pollutionis.

Notandum ſecundo, Ex pollutionibus illis varios generari in corpore & anima effectus: aliquando enim pollutio corporalis animam inficit immunditiâ ſpirituali, utpotè carnali affectu, cogitationibus impuris, ſenſualitate quadam ad impudicitiam tendente: ut fit in ijs, qui voluntariè ſe polluunt, vel ipsâ pollutione exiſtente delectantur, aut poſt eam ipſius delectationis ruminatione & memoriâ inficiuntur: aliquando vetò, etiam poſt inculpabilem pollutionem, corpus quadam intemperie & torpore, ac carnalitate infectum cauſat in anima, ob conformitatem & conjunctionem potentiarum, hebetudinem quandam mentis & indevotionem: aliquando etiam pollutio, quantumvis inculpabilis, in anima, ob puritatem timoratarum & ſcrupuloſarum conſcientiarum, cauſat quandam iſtius immunditiæ (etſi tantùm corporalis) horrorem: undè naſcitur timor, nè immundi ad ſacrificium vel Sacramentum accedant: denique aliquando pollutio in ſedatis & ſolidis animabus cauſat humilitatem, & quendam affectuoſum recurſum ad Deum & ſacrificium ſanctum, cujus virtute ſperant etiam ab illis fœditatibus, maximè ſi ex illuſione Dœmonis proveniant, liberari, aut ſaltem contrà Dœmonis inſidias liberari.

Reſponſio 3. ex prænotatis.

Quando pollutio non impediat celebrationem.

E*X his Reſpondeo tertiò, & Dico primò*: Nullus ob ſolam pollutionem, etiam culpabilem, ſi aliàs per debitam pœnitentiam & Confeſſionem ſacramentalem peccatum ſibi remiſſum confidit, ſecluſo ſcandalo, tenetur ſub peccato mortali illâ die à celebratione, vel communione abſtinere. *Ratio eſt*: Quia ſupponitut eſſe in ſtatu gratiæ: nulla autem immunditia corporalis per ſe & ex natura ſua impedit à digna perceptione Sacramentorum: undè fœminis menſtrua patientibus, & illis, quæ poſt partum ſanguines ſuos & ſordes naturæ patiuntur, non denegatur Euchariſtia, ut habetut in Decreto Gratiani Diſt. 5. N. 5.

Grat. in Decret. Diſt. 5.

Dixi (*ſecluſo ſcandalo*) ex ſcandalo enim ab extrinſeco poſſet peccatum mortale incurri: ſcandalum autem generaretur: ſi

quis

quis à pluribus ſciretur hujuſmodi inquinationibus infectus, quibus non conſtaret de ejus vera pœnitentia, aut qui putarent ex communi inſtinctu, ratione reverentiæ ſacrificio debitæ, dicto Sacerdoti non licere celebrare.

Conſilium Doctorum ſanctorum

Hanc reſolutionem docent etiam Doctores ſancti, qui, etſi conſulant omninò, & dicant: hominem ſic pollutum teneri à ſacrificio vel communione, ob reverentiam Sacramenti, abſtinere. Excludunt tamen caſus neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, utpotè ſi ex eo, quòd quis abſtineret, generaretur aliquod ſcandalum, aut ipſe aliquam notam, vel maculam, ſive detrimentum incurreret, aut, ſi devotione magnâ hebetudinem carnis & mentis ſuperante, ſacra communio, vel Miſſæ celebratio ipſi in magnam utilitatem animæ cederet. Ex quo colligitur illos docere, non ſub præcepto, ſed ſub conſilio à celebratione abſtinendum eſſe, ubi illa corporalis fœditas contigit, modò tempore actualis celebrationis mens infecta non ſit: nullâ enim neceſſitate, aut utilitate diſpenſari poteſt, ut quis in peccato mortali exiſtens Miſſam celebret, aut S. Euchariſtiæ communicet. Videndus eſt ſanctus Gregorius epiſtolâ ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum apud Gratianum in Decreto Diſt. 6. ubi eum, qui ex nimia gula in alimentorum ſumptione pollutionem paſſus eſt, docet non prohiberi ſacra myſteria percipere, vel Miſſarum ſolemnia celebrare: *Ubi, aut dies feſtus exigit, aut exhibere myſterium pro eo, quòd Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellat.* Suppoſito utique, quòd vel mortaliter non peccaverit, vel pœnitentiam debitam egerit.

Grat in Decreto Diſt. 6.

Quando ob pollutionem abſtinendum à celebratione.

Dico ſecundò, Ubi ex pollutione præcedenti remanet quædam intemperies, & gravedo corporis, juncta cum hebetudine mentis & indevotione, ſi neceſſitas aut cauſa multùm rationabilis in contrarium non urgeat, à celebratione Miſſæ, & communione ſacra abſtinendum eſt. *Ratio* petenda *eſt* ex dignitate ſacrificij & Sacramenti, quæ requirit reverentiam & munditiam, quantùm fieri poteſt, maximam, à qua divertit hujuſmodi indevotio & hebetudo cauſata per pollutionem carnis. Et hæc eſt ratio, cur conſulat Eccleſia etiam à debito conjugali nocte diem communionis præcedente abſtinendum. Undè in Concilio Elibertino (ut habetur apud Gratianum de Conſecr. D. 2. cap. *Omnis*) ſancitur: *Omnis homo ante ſacram communionem à propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Quòd quidem conſilium eſt, non præceptum: nam reddere debitum nocte præcedente communionem non eſſe peccatum, docent paſſim etiam Patres ſancti: *ut S. Bon. in 4. D. 12. P. 2. Q. 3. ad* 2. & alij, etſi ſuadeant magis poſt copulam, quamvis licitam, ſequenti die à communione abſtinere, maximè durante illâ mentis hebetudine & indevotione conjunctâ gravedini corporis.

De conjugatorum communione.

Gra. de Conſecr. Diſt. 2. c. Omnis.

S. Bonav. in 4. Diſt. 12. p. 2. art. 2. q 3. ad ſecundum

Dixi (*durante illâ mentis hebetudine*) &c. Quia ſi ex pollutione talis hebetudo vel indevotio non remaneat, poteſt pollutus etiam celebrare. Undè ibidem S. Bonav. in corp. q. 3. *Quòd ſi* (inquit) *ſentit inquinationem illam multum animam inclinâſſe, quia in actu illo fit homo caro, ſive in ſomnu, ſive in vigilijs, conſulendum eſſet ei facere reverentiam Sacramento. Si autem ſentit naturam magis expeditam, & ulteriùs devotio trahat ad perceptionem, & ſolemnitas trahat, vel aliquid, quod multùm recompenſet, tunc arbitrarer ipſum ſine remorſu poſſe accedere.* Hæc S. Bonav. Qui & ibidem infert: ſolùm propter carnis immunditiam neminem teneri à celebratione abſtinere.

Nota ſingularem doctrinā.

S. Bonav. in corp. Q. 3. ſup.

Dico tertiò, Ubi ex mera illuſione Dæmonis, vel ſuperfluitate, ſeu ex infirmitate naturæ pollutio orta eſt, magis ſuadenda eſt Miſſæ celebratio & communio ſacra, quàm ut quis ab illa eâ ratione ſe ſubducat. Et quidem in mera illuſione Dæmonis reſolutio clara eſt: cùm enim tunc illa non tantùm abſque culpa, ſed etiam abſque ulla cooperatione excitetur; ſi Dæmonis actum per contemptum & actionem contrariam homo non reijciat, illius illuſionibus frequentioribus locum præbet, & magno bono ſe privat. De ea etiam pollutione, quæ ex mera ſuperfluitate & infirmitate naturæ oritur, noſtra reſolutio facilè ſuaderi poteſt, cùm enim illa ex nulla culpa noſtra proveniat; cur homo aliàs liber, bono communionis, aut ſacrificij deſtituetur ob ſolam naturæ infirmitatem, maximè ſi excitatâ devotione poſſit miſeriam carnis ſuperare. Undè S. Gregorius epiſtolâ ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum apud Gratianum Diſt. 6. *Cùm ex naturæ* (ait) *ſuperfluitate vel infirmitate pollutio evenerit, omninò hæc illuſio non eſt timenda, quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe.* Et hæc de pollutione ſint dicta.

De pollutione ex illuſione Dæmonis, &c. contemnenda.

S. Greg. D. 6. apud Grat.

Dubium 2.

An alia immunditia corporalis impediat Sacerdotem à celebratione?

Reſpondeo univerſaliter: Omnem & ſolam immunditiam corporalem, quæ ſpiritualem aliquam immunditiam, aut irreverentiam conjunctam habet, impedire per ſe à celebratione Miſſæ, ſive etiam à perceptione S. Euchariſtiæ. Vide S. Bonaventuram ſuprà clarè de immunditia corporali tractantem, & de conjunctione, quam habere poteſt de immunditia ſpirituali. Undè impedimentum, quod immunditia corporalis præſtat celebranti, aut communicanti, ponderari debet ex ratione immunditiæ ſpiritualis: ſi enim immunditia ſpiritualis illi conjuncta ſit peccatum mortale, cum illa accedere eſt peccatum mortale; ſi verò tantùm veniale, venialis culpa tantùm incurritur: ſi verò tantùm ſit imperfectio quædam naturæ, modò

Immunditia ſ. la corporalis non impedit celebrationem Miſſæ

De variis peccatis ex immunditia ſpirituali.

modò abſit irreverentia, nullum peccatum erit.

Dico (*modò abſit irreverentia*) Irreverentiam autem voco, qua quis interpretativo aliquo neglectu vel contemptu voluntariè negligit etiam externam honeſtatem, quæ in re tam ſancta ex natura ſacrificij vel Sacramenti requiritur. Undè qui immediatè poſt fœdum vomitum abſque neceſſitate ad Euchariſtiam accederet: aut qui cum periculo vomitûs illam ſumeret, juxtà rationem irreverentiæ vel periculi, mortaliter vel venialiter peccaret.

De vomitu.

Dico (*abſque neceſſitate*) Ubi enim eſt neceſſitas, *Ex. g* ſumendi viatici, vomitus præcedens non impedit, quò minùs viaticum ſumatur: aliud eſt de vomitu ſubſequente, quando ſpecies nondùm conſumptæ eſſent, etſi enim talibus ipſum CHRISTI Corpus non inquinetur, magna tamen ſpeciebus Sacramentalibus irreverentia culpabiliter inferretur, ſi præviſo vomitu, aut ejus imminenti periculo, quis ſacram hoſtiam etiam pro viatico ſumeret: ideoque propter Sacramenti reverentiam tunc abſtinendum eſſet.

De tabaco.

Huc etiam referri debet ſumptio tabaci in ore ante celebrationem, vel ſacram communionem, ob fœtulentum oris halitum, qui ſummum cauſat cuivis honeſto horrorem, conſequenter irreverentiam gravem Sacramento. Undè hujuſmodi ſumptionem antè Miſſam & aliàs in Eccleſia, prohibuit Urbanus VIII. ſub pœna excommunicationis, datâ Bullâ ad inſtantiam Cleri Hiſpalenſis Anno 1642. 30. Januarij, Bulla incipit *Cùm Eccleſiæ*. Quod autem ſpectat ad extremas ſordes faciei, manuum, &c. etſi, quantùm in nobis eſt, ob externam reverentiam debeamus etiam mundo corde accedere: qui tamen in caſu neceſſitatis vel anguſtiæ gravis, ſordibus & ſanie reſperſus Euchariſtiam ſumeret, non peccaret. *Similiter:* Qui, non habens ad manum aquam, illotâ facie aut manibus ad ſacrificium, aut Sacramentum accederet. Aliud eſt de eo, qui ex neglectu vel contemptu aliquo debitæ honeſtatis, id faceret: ille enim, ſi gravis contemptus eſſet, mortaliter peccaret; ſi tamen tantùm eſſet levis aliqua negligentia abſque rei ſacræ contemptu, tantùm veniale peccatum eſſet, &c, ut dixi, ex occaſione vel cauſa nullum.

Dubium 3.

Quæ Indecentia corporis prohibeatur à celebratione Miſſæ?

Ornatus Sacerdotū ſuperfluus prohibetur

RESpondeo primò, Indecentiam corporalem dupliciter conſiderari poſſe: Uno modo: In exceſſu & ſuperfluitate ornatûs & diſpoſitionis externæ corporis: Altero modo in defectu, & quadam inhoneſtate externa. De primo, Concilium Nicænum 2. C. 16. apud Gratianum 21. Qu. 4. C. *Omnis*, ſic quoad Sacerdotes decernit: *Omnis jactura & ornatura corporalis à ſacrato ordine aliena eſt.* De quo Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 18. & Viennenſe ſub Clemente V. necnon noviſſimè Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. de Reformatione legantur. Undè & S. Gregor. homil. 6. ex 40. *Sacerdotibus* (inquit) *totis viribus elaborandum eſt, ut & indumenta virtutum habeant interius, & per immoderatum cultum caveant dehoneſtare Religionis dignitatem exteriùs.* Quod pro illis Sacerdotibus dictum eſt, qui vano ornatu ſæculari, capillati, calamiſtrati, &c. ad Sacra accedunt. Vide Concilium Lateranenſe ſuprà. Altero extremo laborant Sacerdotes, qui inhoneſto & ſordido corporis & habitûs cultu ac diſpoſitione ſuæ dignitatis Sacerdotalis & tanti ſacrificij miniſterio contemptum & neglectum generant. Quæ omnia pondere ſanctuarij & Chriſtianâ prudentiâ ſunt examinanda, ut de peccato judicetur conſideratis Decretis SS. Conciliorum.

Grat. 21. q. 4. C. Omnis.

S. Gregor. Homil. 6. ex 40.

Sordidus etiam habitus Sacerdotum condemnatur.

Mulierum communicantium fuci & nuditates prohibentur.

Huc referri debent indecentiæ communicantium mulierum, quæ in fucatiſſimo ornatu & nuditate colli ac pectoris ferè uſque ad mamillas audent accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ, quas à ſacra communione repellendas nuper decrevit SS. D. N. Urbanus VIII. per ſacræ Congregationis decretum. De quibus aliud hoc loco dicendum nil reſtat: niſi (quòd ubi eis hoc præceptum, ſive prohibitio innotuit) cùm ſit res de ſe gravis, & quæ pudico cordi verecundiam gravem parit, ipſas debere, illo ſaltem tempore, quo accedunt ad ſacram Synaxin, in Chriſtiano veſtitu accedere, & ſi aliter accedant, peccati mortalis periculo ſe exponere ob præcepti finem & cauſas indico. Habitus enim ille, & modus ornatûs non eſt Chriſtianus. Unde S. Petr. 1. Epiſt. cap. 3. mulieres Chriſtianas deſcribens: *Quarum* (ait) *non ſit extrinſecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*, &c. Et S. Paulus 1. ad Timoth. 2. indulgens ut in habitu ornato mulier compareat, addit: *Cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non intortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Quòd ſi dictus habitus Chriſtianus ſit, ſaltem cùm ad ſacra myſteria acceditur uſurpandus eſt: indignum enim eſt Chriſtianum ad ſacram menſam accedere in habitu non Chriſtiano, imò in habitu, qui diſplicet CHRISTO. Certè apud me ſtat firma ſententia, quam ſumo ex S. Auguſtino Epiſt. 73. ad Poſſidium: quòd etſi mulieribus permiſſum eſſet fucis, aut aliquâ nuditate uti *ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium* tempore & loco, ut placeant viris ſuis (quod omninò non admittit) non tamen aliàs, nec aliter: *Niſi* (inquit) *quòd capillos nudare fœminas* (*quas etiam caput velare jubet Apoſtolus*) *nec maritatas decet.* Quicunque igitur ornatus fucatus, aut quævis nuditas, quæ immediatè ad maritum non ſpectat, mulieri Chriſtianæ prohibita eſt. Neque enim cenſendus eſt maritus poſſe juſtè velle, ut notat S. Auguſtinus, ut alienis oculis uxor placeat & appetatur, aut ut fucatâ facie decipiatur: qua ergò conſcientiâ in publico diſcooperta, aut fucata mulier Chriſtiana appa-

1 Pet. 3. verſ. 3.

1. Timoth. 2. v. 9. 10.

S. Auguſt. Epiſt. 73. ad Poſſid.

apparet, cui ob ſolius viri ſui in particulari complacentiam aliquis ornatus ſuperfluus eſt permiſſus? Iterùm, ſi 1. Corinth. 11. prohibeatur ab Apoſtolo mulier non velato capite orare Deum, quomodo permittetur revelata nuditate pectoris coram omnibus parere, & incautos oculos decipere, & ad ſacratiſſima myſteria in profano & prohibito ornatu vel nuditate accedere? Apage meretrice magis digna vanitas, quàm Chriſtianâ muliere. Si quis ob conſuetudinem ſe excuſare voluerit: Sciat

1 Cor. 11. v 16.

dictum Apoſtoli ibidem: *Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*: Et conſuetudo illa eſt corruptela contra mores Chriſtianos & legitimæ honeſtatis amictum: Quâ verò fronte Chriſtiana in abominando habitu accedit ad Deum Judicem ſuum & Sacramenta puritatis, niſi ut provocet iram Dei ſuper ſe?

S Auguſt. de doctr. Chriſtian. l 4. cap. 21.

Lege S. Auguſtinum ibidem ad Poſſidium: Et lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 21.

Nota.

Petes quartò: Super quo fundentur illæ tam graves prohibitiones immunditiæ aut indicentiæ corporalis? cùm enim conſtat hoc ſacrificium & Sacramentum ſpirituale magis eſſe & ſpiritum, non corpora reſpicere: Quid nocent corporeæ ſordes, ſi modò ſpiritus ſit purus? *Reſpondeo*, Fundari ſuper interpretativo contemptu & irreverentia: Qnod benè expenditur Malachiæ 1. ubi, cùm reprehenſi eſſent Sacerdotes, quòd offerrent ſuper altare Dei panem pollutum, & ipſi replicarent: *In quo polluimus te?* Reſpondens Deus per Prophetam:

Malach 1. v 7 Verſ. 12.

In eo (ait) *quòd dicitis, menſa Domini deſpecta eſt*, infrà: *Et vos polluiſtis illud* (id eſt altare) *in eo quòd dicitis: Menſa Domini contaminata eſt, & quòd ſuperponitur, contemptibile eſt.* Non quòd ore illud dicerent; ſed quòd facto id declararent, ob interpretativum contemptum, quo ſacra deſpiciebant.

Examen 4. diſpoſitionis.

Vt Sacerdos ſit ieiunus.

PEtes primò, quale jejunium ad Miſſæ celebrationem in Sacerdote prærequiratur? *Reſpondeo*, prærequiri jejunium naturale, ita ut

Jejunium naturale ante Miſſam.

nil in ſtomachum intraverit, id eſt, ut Sacerdos nil poſt mediam noctem actu vitali per modum cibi, vel potûs, aut medicamenti deglutierit ante Miſſæ celebrationem. Hoc præceptum ex Spiritûs Sancti inſtinctu proceſſiſſe (quamvis Chriſtus non jejunus poſt eſum agni paſchalis corpus ſuum Apoſtolis tradiderit) teſtatur ſanctus Auguſtinus epiſtolâ 118. ad Januarium: *Placuit* (inquit) *Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quàm exteri cibi: nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.*

S Auguſt. epiſt. 118. ad Januar. c.6.

Ejuſdem præcepti meminit contemporaneus Apoſtolis *S. Clemens epiſt.* 2. qui & à ſancto Petro ſe id accepiſſe aſſerit. Meminit & vicinus

S. Clem. epiſt. 2.

illis temporibus *Tertull. lib. 2. ad uxorem.* Concilia etiam plurima hujus mentionem faciunt. Vide *c. Ex parte Tit. de Miſſarum celebratione* &c. cap. *Sacramenta* de conſec. D. 1.

Tertul. l 2 ad uxoré. Ex parte Tit. de celebrat. Miſſarum.

Dixi (*ut nil in ſtomachum intraverit*) etſi enim leviter liquor aliquis etiam vini in ore ſumatur, & ſtatim ejiciatur, ſi nihil deglutieris, jejunium naturale non ſolviſti. Undè licet Sacerdoti antequam celebret, vinum ore ſumere ad probandum, an ſit vinum vel aqua, ſive, an ſit acetoſum. *Item*: licet madefacere in ore azyma ad obſerandas epiſtolas, & ſimilia agere.

Nota.

Dixi (*ſive ut nil actu vitali deglutierit*) ſi enim muſca vel aliquid aliud ſubintraret, aut per accidens in fauces & guttur ſe inſerat, modò actus præparatorius vitalis animæ vegetativæ non concurrat, non cenſetur jejunio naturali obeſſe: undè etiamſi aliundè quàm per fauces medicina aut alimentum inferretur, non cenſeretur jejunium ſolvi, quia modus ille vitalis non eſſet.

Nota.

Dixi (*per modum cibi vel potûs*) undè qui os abluens aliquot guttas aquæ deglutiret, non cenſeretur jejunium ſolviſſe; tum quia actus vitalis non eſt; ſed per modum ſalivæ decurrit, tum quia non ſumitur per modum cibi vel potûs, aut medicamenti activi. *Similiter*: Qui globum plumbeum deglutiret ad ſedandam colicam, dolores & contorſiones iliorum: Eſt enim quidpiam purè materiale qnod ad cibum, potum vel medicamentum activum impertinens eſt: Aliud eſſet de eo, qui ad nutrimentum vel medicamentum ſumeret colaturam, aut pulverem auri, quia eſt alimentum vel medicamentum activum. De eo autem qui deglutiret papyrum, aliqui tenent eum jejunium naturale frangere, quia aliquid nutrimenti ex papyro deduci poſſet: *Cenſeo ego*, aliquantulum papyri per accidens deglutire, cùm per ſe ad cibum, vel potum aut medicamentum non pertineat, jejunium illud non ſolvere, quia reverà per modum cibi, &c. non ſumitur. Nolo tamen facultatem ad hoc præbere, ſed ſi per accidens & velut inadvertenter accidiſſet, nollem talem à ſacrificio arcere.

Caſus in quibus licet non jejuno celebrare.

Petes ſecundo, An in aliquo caſu liceat non jejuno Miſſam celebrare, aut ſacram Euchariſtiam ſumere? *Reſpondeo*, licere. Omnes autem caſus ad duo capita reduci poſſunt. *Primum* eſt *neceſſitatis gravis*: alterum eſt *juſtæ congruitatis.*

Caſus neceſſitatis.

Ad primum caput *neceſſitatis* pertinent caſus ſequentes. *Primus*, ratione ſumendi viatici ab infirmo graviter laborante. Vide *Concil. Guam. ſeſſ.* 13. & ſupponitur in *C. Presbyter de conſecr. diſt.* 2. Et *cap. ſi quis de corpore* 26. *quæſt.* 6. dum infirmis indiſtinctè danda Communio demandatur, quem quidem caſum ampliant plures ad hominem damnatum ad ſuſpendium, ſive ad mortem; ſed id limitandum credo: quando ſcilicet non jejuno jam data eſt ſententia, & eâdem die mori debet: non enim tunc privandus eſt viatico: Si autem ſen-

tentiam præſcivit ante jejunium naturale violatum, & uno vel pluribus diebus detinetur, nulla eſt neceſſitas non jejuno Euchariſtiam adminiſtrandi, cùm potuerit jejunus ſumere. Alii etiam addunt in neceſſitate viatici, Sacerdotem poſſe non jejunum celebrare ut miniſtret viaticum infirmo ad mortem laboranti: ſed hæc indulgentia mihi diſplicet: Tunc enim infirmus ſe habere debet tamquam copiam viatici non habens, prout verè non habet, cùm Sacerdos ille pro perſona propria diſpenſatus non ſit ut non jejunus celebret, & in his habenas laxare, ſit periculoſum: In quo exceſſerunt nonnulli aſſerentes: In caſu miniſtrandi viaticum infirmo ad mortem laboranti, licere Sacerdoti in pane fermentato abſque veſtibus ſacerdotalibus Euchariſtiam conficere, quod admittendum non eſt: quia Euchariſtiæ ſuſceptio adultis quidem neceſſaria eſt, ut ſemel in vita ſumatur in re, vel in voto: Quòd autem pro viatico ſumatur, eſt tantùm præcepti Eccleſiaſtici quam vis antiquiſſimi, cui cum tanta incongruitate ſatisfieri non debet, ut ejus ratione Sacerdos totam pervertat celebrandi Miſſam & Euchariſtiæ conficiendæ inſtitutam ab antiquo rationem.

Secundus caſus. *Secundus caſus* neceſſitatis eſt: ubi Sacerdos ante ſumptionem ſpecierum tempore Miſſæ moritur, vel impotens ſit ad ſumendum ſacrum Domini Corpus & ſanguinem: tunc enim, ſi nullus adſit Sacerdos jejunus, aliquis non jejunus debet ſacrificium proſequi, & S. Euchariſtiam ſumere, ut ſacrificium imperfectum non maneat.

Tertius caſus. *Tertius caſus* neceſſitatis: cùm imminet gravis irreverentia ſacramento, ut templi exuſtio, ſacratarum Hoſtiarum profanatio, conculcatio, illuſio ab irruentibus in Eccleſiam hæreticis, infidelibus, &c. Tunc enim cuivis etiam Laico non jejuno, ad præveniendas illas irreverentias, liceret propriis manibus hoſtias remanentes ſumere.

Caſus juſta Congruitatis. Ad caput *juſtæ congruitatis* refertur. *Primò caſus* diuturnioris infirmitatis, quâ durante infirmus ob vomitus, debilitates & alios eventus contingentes longo tempore teneretur à ſacra Communione abſtinere, quia jejunus communicare non poteſt, ſed infirmitas poſtulat, ut aliquid cibi vel potûs præſumat: In hoc enim caſu præſumendum eſt Eccleſiam nolle tanto Sacramento infirmum privare, & ideo prudentis judicio poteſt juxta rationem diuturnitatis morbi vel congruitatis, etiam durante eodem morbo, Euchariſtia infirmo non jejuno pluries præberi. Vide Canoniſtas *Tabienam, Fumum, Armillam & alios*: Apud me iſta ratio

Nota. concludit: piam matrem Eccleſiam in hoc poſitivo præcepto de ſumenda Euchariſtia à jejunis, per prudentem Epikéiam cenſeri diſpenſare in tali eventu, quo maximè infirmus ſpirituali alimento indiget ad animæ robur & confortationem, ſicut & diſpenſat, ut viaticum à non jejuno ſumatur. Solent hîc Auctores dies aliquos intercalares aſſignare, poſt quos liceat infirmo non jejuno Communionem repetere. Ego prudentis Confeſſarii judicio magis relinquendum cenſeo, cui eſt perſpecta infirmi neceſſitas, & congruitas circumſtantiarum.

Secundus caſus. *Secundus caſus* Juſtæ congruitatis eſt: quando ſumptâ ablutione, particula Hoſtiæ fundo calicis adhæret, tunc enim ob reverentiam Sacramenti, non debet, (ſi aliter fieri poteſt) digito extrahi, ſed repetitis vini infuſionibus dilui, ut enatans in vino particula convenienter ore ſumi poſſit.

Tertius caſus. *Tertius caſus* eſt: Quando ſumptâ ablutione, imò poſt diſtributam ſacram Communionem, Sacerdos ad altare revertens invenit reſiduas Hoſtias, quæ ob loci incongruitatem aſſervari non poſſunt, utpotè, ſi ibi non eſt ſacrum Ciborium ubi aſſerventur; aut reliquiæ aliquæ remanent in pixide purganda. Tunc, non obſtante quòd ablutionem ſumpſerit, poteſt non jejunus illas Hoſtias & reliquias conſumere. *Ratio eſt*: quia videntur aliquo modo ſpectare ad materiam ſacrificij, & ejus participationem, vel ad congruam neceſſitatem ne depereant.

Nota. *Advertendum* tamen *eſt* debere illas ſumi, antequam Sacerdos ab altari totaliter receſſerit, & in ſactiſtiam ſe receperit, quia tunc illas amplius ſumere non poteſt, niſi aliqua gravis irreverentia immineret, ut in tertio caſu neceſſitatis dictum eſt: Poteſt autem ſemper ſumere, quando ab altari ſe totaliter necdum ſubduxit, etiamſi multo tempore in diſtribuenda Communione immoratus fuerit. Puto enim Eccleſiæ permiſſionem de ſumendis reliquiis particularum conſecratarum, debere intelligi, à Sacerdotibus poſtquam immediatè celebrarunt, exceptis caſibus neceſſitatis vel irreverentiæ, ſuprà deductis.

De ſomno & digeſt. ante Miſſæ celebrationem. *Petes tertiò*, An liceat Miſſam celebrare antecibum digeſtum, vel etiam antequam quis dormierit? Negarunt aliqui ex quadam Gloſſa *in cap. Nihil 7. quæſt. 1. reſpondeo*, ſtatim a media nocte, ſive quis dormierit, ſive non, ſive cibum digeſſerit, ſive adhuc in ſtomacho remaneat, licere per ſe Miſſam celebrare, & ſacram Euchariſtiam ſumere. *Ratio eſt*: quia jejunium ſive naturale, ſive Eccleſiaſticum, ſicut & dies Eccleſiaſticus, incipit à media nocte, à quo tempore, qui cibum, &c. non ſumpſit, jejunus cenſetur, quia illo die nil per modum cibi vel potûs, &c. deglutivit. Et ita praxis ſe habet in nocte Nativitatis Domini, in qua ſtatim à media nocte celebratur, ſive Sacerdos tardè, etiam circa undecimam, cibum ſumpſiſſet, ſive etiam non dormiviſſet. Quod propter ſcrupulizantes notandum fuit.

Examen

Examen 5. diſpoſitionis.

Vt Sacerdos nullâ ignorantiâ, vel impotentiâ laboret, reſpectu eorum quæ ad legitimè celebrandum ex præcepto, vel ordinatione Dei, & Eccleſia requiruntur.

Tria quæ Sacerdos celebrans ſcire tenetur. Triplicia ſigna in Miſſa.

PEtes primò: Quæ ſunt illa quæ Sacerdos ſcire tenetur antequam ad Miſſam celebrandam accedat? *Reſpond.* Illa, quæ Sacerdos ſcire tenetur, eſſe in triplici differentia. *Prima ſunt eſſentialia:* ut materia, forma, & ea quæ ad conſecrationem Corporis & Sanguinis Chriſti eſſentialiter pertinent.

Secunda ſunt cærimoniæ, quæ ſub præcepto impoſitæ ſunt; ut ſunt illæ, quæ partes integrales Miſſæ conſtituunt, etſi ad eſſentiam conſecrationis non pertineant: ut ſunt, quæ ad Miſſam Catechumenorum pertinent, nimirum, introitus & reliqua uſque ad offerrorium excluſivè, quæ Miſſa Catechumenorum dicuntur, ſive quia Catechumeni illi parti Miſſæ intereſſe poterant, ſive quia quemdam Catechiſmum & inſtructionem continent in Epiſtola & Evangelio ac ſymbolo Nicæno, quando recitatur: *Item:* Quæ ab oblatione ad Canonem: *deinum*, quæ à Canone ad finem Miſſæ ſiunt aut recitantur, ſuntque (ut dixi) velut partes integrales Miſſæ.

Tertia ſunt, quædam magis accidentalia & minoris conſiderationis: ut ſunt ſigna quædam cærimonialia quæ in Rubricis abſque verbis præceptivis imponuntur, & variè per univerſam Miſſam diſtribuuntur, nec pertinent ad eſſentiam & integritatem partium Miſſæ: talia ſunt, quæ genuflexionibus, elevationibus manuum, crucibus perficiuntur, pro quibus pono tres Regulas generales.

Regula 1.

De omiſſione par. tis eſſentialis.

S*Acerdos ignorans aliquam partem eſſentialem Miſſæ, ſi ad celebrationem accedat, peccatum mortale committit; ſi autem illam partem omittat, ſacrilegij crimen incurrit.* Ratio prioris partis eſt: quia ignorantia illa exponit accedentem ad altare evidenti periculo erroris committendi in rè graviſſima. Ratio poſterioris partis eſt: quia de facto mutilum facit ſacrificium, quod eſt ſacrilegum.

Regula 2.

De omiſſione partis integrantis.

Q*Vi omittit aliquam notabilem partem cærimoniarum integrantium ſacrificij celebrationem ab Eccleſia inſtitutam, peccat mortaliter.* Gravem partem reputo, ſi quis Epiſtolam totam cum Graduali & alleluja omitteret. *Item:* Oblationem: *Item:* Aliquam portionem Canonis, &c. *Ratio eſt:* quia, etſi illa ad eſſentiam ſacrificii non pertineant; ſpectant tamen ad integritatem actionis, prout ab Eccleſia eſt inſtituta & S. ſacrificii expreſſiva, ſive quatenùs externum corpus ſacrificii perficit: cujus myſterium notabiliter enervat, qui talem partem omittit.

Regula 3.

Q*Vi aliquam tantùm accidentalem cærimoniam, ut genuflexionem, girationem, aut elevationem manuum ignoraret aut omitteret, ſecluſo ſcandalo, venialiter tantùm peccaret.* Ratio eſt: quia iſta ſigna cærimonialia merè accidentalia ſunt, & faciliùs elabuntur è memoria, & omittuntur ex inadvertentia. *De omiſſione cærimoniarum accidentalium.*

Dixi (*qui aliquam*) ſi enim quis ferè omnes aut plurimas eaſque ſpecialiter, quæ in Canone continentur, aut actioni ſacrificio eſſentiali ſunt conjunctæ, ex culpabili negligentia ignoraret aut omitteret, non excuſarem illum à peccato mortali. *Ratio eſt:* quia multùm conferunt ad ſignificationem myſticam ſacrificij, & plurimas ex iis, maximè quæ eſſentialem actionem circumſtant, omittere, cenſetur materia gravis. Sed de his poſteà, ubi de ritibus agemus. *Nota.*

Petes ſecundò, qui cenſeantur propter impotentiam abſque peccato mortali non poſſe celebrare? *Reſpondeo:* Quandocumque impotentia talis eſt, ut quis propter illam ſe exponat periculo eſſentialia Miſſæ omittendi, aut Miſſam aliquâ notabili parte detruncandi, aut irreverentiam gravem committendi, quicumque cum tali impotentia tentat celebrare, mortaliter peccat. Hinc, qui ita infirmi ſunt, ut vix ſupra pedes ſtare, aut ſe congruè movere poſſint, abſque peccato mortali non poſſunt ſe celebrationi Miſſæ exponere: *Item:* Qui ita balbi ſunt, ut formam conſecrationis debitè, aut non ſine gravi periculo pronuntiare valeant. *Item:* Quibus ita oculi caligant, ut nec cum perſpiciliis legere poſſint: *Item* vertigine laborantes, quibus periculum imminet lapſus aut confuſionis. *Item:* Morbo caduco affecti ſub peccato mortali prohibentur celebrare, ne in contuſiones ſuas tempore Miſſæ dilabantur: *Denique:* Omnes illi, qui aliquâ impotentiâ laborant, ratione cujus vel periculum gravis defectûs vel irreverentiæ immineret, à celebratione arcendi ſunt: quâ ratione in *Cap. Nullus Epiſcopus de conſecr. diſt. 1.* prohibetur Sacerdoti: ne ad Miſſarum ſolemnia celebranda cum baculo introeat, vel velato capite altari aſſiſtat; idque ſub pœna excommunicationis, ſi nimirùm temerè præſumpſerit, *id eſt*, ex temeritate id fecerit. Quod intelligendum venit de baculo, cui ob infirmitatem & impotentiam tempore Miſſæ inniti deberet, ex quo aliqua irreverentia ſacrificio inureretur. Undè graviter errant, qui cùm ita debiles ſint, ut baculi ſuſtentaculo indigeant, nihilominus tentant celebrare. Qui autem, quando *De impotentia celebrantis. Nota. C. Nullus de conſec. diſt. 1.*

quando ſe vertit ad populum aliquo tantùm levi baculi contactu indigeret, credo quod non peccaret. Requirunt tamen hîc nonnulli diſpenſationem, ſicut & pro uſu pileoli ante conſecrationem, quam dare poteſt Epiſcopus alicui, qui ratione Calvitii aut morbi eo deberet uti: Alii ſolam neceſſitatem manifeſtam requirunt, abſque alia diſpenſatione. Omnes tamen negant poſſe diſpenſari in pileoli uſu tempore conſecrationis, ob ſacrificii reverentiam, quibus duobus ultimis aſſentior. *Nota.*

Appendix.

Duo per modum Appendicis ad diſpoſitionem in Sacerdote ad celebrandum prærequiſitam inveſtiganda reſtant.

An Sacerdos poſſit celebrare ante lectum Matutinum. PRimum: An Sacerdos poſſit ante lectum Matutinum, Miſſam celebrare abſque peccato? Plurimi peccarum mortale committi affirmant, ſi quis ante lectum Matutinum & Laudes celebrare præſumpſerit: Alii negant. *Reſpondeo* ego cum poſterioribus: nullum peccatum eſſe, ſi quis Miſſam celebret ante lectum Matutinum, & Laudes. *Ratio eſt*: quia nullam omnioò connexionem habet officium Horarum Canonicarum cum officio Miſſæ, quoad tempus vel ordinem: Quinimò, etſi ex parte ſubjecti, & velut materiæ Miſſa accommodetur officio Horarum, ſæpiſſimè tamen ex libertate celebrantis diſcrepat, dum votivas Miſſas ſibi pro ſua devotione quisque aſſumit: quod ſignum eſt Miſſam cum officio connexionem neceſſariam non habere quoad materiam, ergo minùs quoad ordinem, & horam. Firmum itaque hujus ſententiæ fundamentum eſt: quòd nullo præcepro præcipiatur Matutinum legi ante celebrationem Miſſæ, nec ullo præcepto prohibeatur dici Miſſa ante lectum Matutinum.

Pius V. initio Rubr. Miſſalis. *Dices*: *Pius V.* initio Rubricarum Miſſalis diſtrictè præcipit *in virtute S. obedientiæ* Miſſam juxta ritum Miſſalis celebrari: atqui inter ritus Miſſalis continetur: *Vt Sacerdotes pravià confeſſione, cùm opus fuerit, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulùm vacent, priusquam Miſſam celebrent*; ergo Sacerdos tenetur in virtute S. obedientiæ, ſub peccato mortali Matutinum & Laudes ante Miſſam recitare. *Reſpondeo negando Conſequentiam.* Ad Majorem dico: præceptum S. obedientiæ tantùm cadere ſuper ritus præceptivos & præcipuos ex quibus Miſſa conſtituitur, nil autem haber officium Horarum commune cum ritibus miſſalis vel Miſſæ: Quod autem in Miſſalis Rubricis de recitando Matutinu cum Laudibus ante Miſſam dicitur, id congruitatis eſt, & devotionis, ſicut & illud quod additur; *Orationi aliquantulùm vacent*: Certum eſt enim Sacerdotem non teneri orationi vacare ante Miſſam, nec id obligare ſub peccato, ne quidem veniali: cùm homo poſſit interdùm eſſe ita benè animo recollectus, ut abſque alia præparatione, & ſine ulla inordinatione vel irreverentia immediatè poſſit ad altare accedere abſque prævia oratione. Quod & altero exemplo demonſtratur: In Rubricis decernitur; ut Miſſa conventualis in Duplicibus per annum poſt Tertiam celebretur: Quis verò dicat Sacerdotem etiam publicam Miſſam poſt Primam aut etiam Sextam, &c. celebrantem, peccare? *Nota.*

An Sacerdos debeat ante celebrationem præparationes recitare. *Petes ſecundò*: An Sacerdos ſub peccato teneatur præparationes ad Miſſam in Miſſali præſcriptas recitare? *Reſpondeo*, non teneri: ponuntur enim tantùm pro commoditate Sacerdotum & congruitate, in gratiam illorum, qui alias præparationes ſibi non parantur. Negandum tamen non eſt, has præparationes eò majoris eſſe meriti & efficaciæ, quò publicâ auctoritate Eccleſiæ probatæ & præſcriptæ fuerunt. Idem dicendum eſt de gratiarum actionibus poſt Miſſam. Tota verò ratio hujus reſolutionis eſt: quia nullum extat de iſta recitatione mandatum.

§. II.

De intentione Sacerdotis, & applicatione fructus ſacrificii Miſſæ.

Dubium I.

Qua intentio requiratur in Sacerdote ad Miſſæ ſacrificium ritè celebrandum?

REvocanda eſt hîc in memoriam diviſio intentionis, quam ſuprà retulimus, agentes de Horis Canonicis, quâ intentio dividebatur in *habitualem, virtualem*, & *formalem*.

Diviſio intentionis. Notandum verò eſt: præter hanc intentionis diviſionem, intentionem in Sacerdote Miſſam celebrante in triplicem ſubdividendam & diſtinguendam eſſe. Prima eſt *univerſalis*: quæ in genere totum Miſſæ ſacrificium reſpicit, quæ exprimitur illâ directivâ propoſitione, quam Gregor. XIII. Sacerdotibus pro eorum ſolatio præſcripſit. *Ego volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri* JESU CHRISTI, *juxta ritum ſacræ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe mihi commendarunt in genere & in ſpecie, & pro felici ſtatu ſacræ Romanæ Eccleſiæ.* *Gregor. XIII.*

Secunda

Secunda eſt *Intentio particularis* : quæ reſpicit determinatam materiam in hoc ſacrificio conſecrandam, quam exprimere poſſumus his verbis : *Ego volo conſecrare hunc panem* , ſive *has particulas & hoſtias, & hoc vinum, quod huic calici infuſum eſt.*

Tertia *Intentio* ſimiliter eſt *particularis* : quæ reſpicit applicationem fructus hujus ſacrificij Miſſæ perſonis mente conceptis : ut ; *Ego volo celebrare hanc Miſſam pro Petro, Paulo, pro benefactoribus hu vel illis, vivis vel defunctis*, &c. His ſic prænotatis,

Intentio habitualis non ſufficit. *Reſpondeo primò*, Ad quamcunque harum intentionum tam generalem, quàm particulares, ut legitimè Miſſa celebretur, non ſufficere ſolam intentionem habitualem. *Ratio eſt*: Quia habitualis intentio per ſe ſola non eſt humana, utpotè , quæ in ebrio & dormiente repetiri poteſt , ut de Horis Canonicis adnotavimus.

Intentio formalis vel virtualis ſufficit. *Reſpondes ſecundò* , Ad dictas intentiones in Miſſæ celebratione & applicatione requiri & ſufficere in Sacerdote intentionem formalem , vel virtualem. De *Formali* dubium nullum eſt. De *Virtuali* etiam facilè declarari poteſt : virtualis enim formalem , ſive actualem, ut effectus cauſam continet , cenſeturque formalis intentionis vis & poteſtas in virtualem intentionem diffuſa , ab ea dimanans , & in ea remanens poſt actum.

Intentio virtualis generalis non ſufficit. *Reſpondeo tertiò* , Virtualem intentionem generalem non ſufficere ad particulares actus conſecrationis hujus panis, hujus vini, ſive materiæ hoc actu conſecrandæ , niſi etiam virtualiter ad hanc materiam determinetur , & illam reſpiciat. *Explico* ; Non ſufficit Sacerdoti celebranti generaliter intendere, & velle celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini, &c. niſi etiam illa intentio virtualiter determinetur, & referatur ad hoc ſacrificium , ſive ad conſecrandas has hoſtias præſentes , quæ oblatæ, vel præparatæ ſuper Corporale ſunt, vel loco competenti ad conſecrationem. *Ratio eſt* : Quia hæc actio ſacrificij determinatur per ſe ex natura ſua ad conſecrationem, non in genere, ſed ad conſecrationem hujus materiæ, tùm in ſpecie, tùm in individuo, quæ ad hoc ſacrificium præparata eſt ; ergo ſimiliter intentio debet ſaltem virtute hanc materiam conſecrandam attingere , & ab actuali, ſive formali intentione hanc materiam conſecrandi procedere, & proindè non ſufficit Sacerdoti velle in genere conſecrare , ſed voluntas ejus debet ita determinari , ut hanc in individuo materiam, ſive hanc hoſtiam velit conſecrare. Et ità conjunctim intelligenda eſt illa præſcriptio intentionis ſuprà relata : *Ego volo celebrare Miſſam & conficere*, &c. ut Sacerdos non tantùm Miſſā & conſecrationem in genere intendat, ſed intendat hanc in individuo actionem, quæ circa hanc materiam propoſitam, vel ad punctum conſecrationis proponendam verſatur ; aliàs enim non plùs conſecraret hoſtiam oblatam , quàm non oblatam , nec potiùs hoſtias ad conſecrationem hanc præparatas, quam alias , quæ moraliter Sacerdoti eſſent præſentes in Altari. Sciendum tamen non eſt, ſi quis aliquam evagationem mentis interdùm patiatur, & non ità ſuper hac intentione individua reflectat : eò enim ipsò, quò materiam obtulit , aut quò eam vel in manibus accipit, vel ſuper Corporale advertenter poſuit , aut eò ipsò, quò vaſculum, in quo conſecrantur, aote conſecrationem diſcooperuit ; ſufficienter ex his intentio virtualis ſpecificata cenſebitur , cum omnia illa ad hanc in individuo conſecrationem referantur.

Nota.

Unum ſupereſt Dubium non parvi momenti in re practica non rarò contingente : Caſus autem ſic exponi poteſt : In Rubricis Miſſalis capite 8. de Canone Miſſæ uſque ad conſecrationem num. 5. præſcribitur, ut, *ſi adſit vas cum alijs hoſtijs conſecrandis , antequam accipiat Sacerdos hoſtiam, diſcooperiat manu dexterâ calicem , ſeu vas aliarum hoſtiarum*, &c. Infrà : *Profert verba conſecrationis ſuper hoſtiam , & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ.* Infrà iterùm : *Repoſitâ hoſtiâ conſecratâ*, &c. *Si adſit vas aliorum hoſtiarum, patenâ, vel pallâ cooperit, ut ſuprà.*

Rubr Miſſ. cap 8.

An hoſtia in vaſculo coopertæ conſecrentur, ſi non appareant. *Quæritur* : An ſi Sacerdos ex oblivione, vel inadvertentia ante conſecrationem vas continens alias hoſtias conſecrandas non diſcooperiat , ità ut ipſæ tempore conſecrationis non appareant diſcoopertæ , hoſtiæ illæ virtute prioris intentionis, qua in illo vaſe ſunt reconditæ, vi verborum conſecrationis verè conſecrentur ? *Ratio dubitandi eſt*: Quia ex communibus principijs hoſtiæ illæ, ſi tempore conſecrationis diſcoopertæ non ſint , non videntur Sacerdoti ad rationem conſecrationis actualis hic & nunc moraliter & ſacrificativè præſentes , cùm non modò illas non videat , ſed nec illas, ut coopertæ ſunt, videre aut tangere poſſit : imò quamvis moraliter credat eſſe præſentes , quia illas ibi poſuit : potuerunt tamen evanuiſſe, aut ablatæ eſſe , cùm ſtante operimento videri aut tangi non poſſint. Undè & in iiſdem Rubricis c. 7. *de Offertorio*, & alijs uſque *ad Canonem, num.* 3. iterùm in oblatione ordinatur : *Si fuerunt aliquæ hoſtiæ* , &c. *in alio calice, ſeu vaſe pro Communione populi conſecrandæ , calicem illum ſeu vas Sacerdos diſcooperit, & intentionem ſuam ad illas offerend.*[?] *& conſecrandas dirigens dicit*, &c. In quibus verbis providet Eccleſia , ut viſibiles vel tactiles reddantur. Rubr Miſſ. cap. 7

Nec obſtat quòd Sacerdos cæcus , etſi hoſtiam non videat, nec ipſa ei, ut cæcus eſt, viſibilis ſit, ſi tamen conſecret, verè conſecrat ; ſufficit enim ad præſentiam iſtam quævis moralis ſenſibilitas , undè etſi cæcus non poſſit videre , poteſt tamen hoſtiam tangere , & in calice vinum odorari , vel aliquo ſenſu percipere ; ità ut moraliter cenſeatur illi vinum præſens, *Similiter*, Sacerdos, qui plurimas hoſtias

hoſtias ſuper corporale, vel in vaſe diſcooperto videt, etſi ob cumulum ſingulas non videat; viſibiliter tamen & ſenſibiliter in ratione cumuli præſentes ſunt.

Reſpondeo nihilominùs, Primò. Si Sacerdos hoſtias primò poſuit, aut primò vidit, & ſciat eas in vaſe poſitas, & ex circumſtantijs ſuper corporale ad conſecrationem poſitas advertat, etſi cooperto vaſculo conſecret, eas cenſeri conſecratas. *Ratio eſt*: Quia etſi, ut coopertæ ſunt, hic & nunc in ſenſu compoſito non ſint ſenſibiles, moraliter tamen ſunt ſenſibiles, cùm levi motu manûs diſcooperiri poſſint, & ex circumſtantijs ad actum conſecrationis ſint moraliter factæ præſentes, in quantùm ſenſibiliter à Sacerdote, vel miniſtro, conſcio Sacerdote, priùs præparatæ, vel loco competenti poſitæ ſunt (ut ſupponitur) intentione eas conſecrandi, & in moralibus accidentia extraordinaria, quæ diſparere, aut inſenſibiliter aufferri poſſunt, ſub moralem conſiderationem non cadant. Undè ex his patet facilis ad rationes dubitandi Reſponſio. Ad id verò, quod de cœco adfertur: mihi quidem ſat durum videtur cœci Sacerdotis in miſſa actiones confirmare; ſi tamẽ confirmandæ ſint, alijs rationibus, quàm allatis, non confirmantur: res tamen periculoſa eſt, & quæ gravi oppoſiti formidine non caret in re, quæ tantam certitudinem requirit. Unde:

Nota.

Reſpondeo ſecundo: Periculoſum eſſe Sacerdoti non diſcoopertis vaſis ubi ſunt hoſtiæ, eas offerre, aut conſecrare, & ſi ex negligentia culpabili ſaltem ſub conſecrationem non diſcooperiat juxtà Rubricas nollem eum excuſare à peccato mortali: non ob Rubricæ transgreſſionem; ſed quia non curat habere certitudinem omnimodam moralis præſentiæ hoſtiarum, & intentionis certò terminatæ ad illas, quæ negligentia in tali actione videtur gravis, maximè cùm contraria ſententia ad minùs indicet gravem rei importantiam. De qua monendum duxi Lectorem.

Dubium 2.

Quæ intentio ad applicationem fructûs Miſſæ ſufficiat, & qualis applicatio ex parte Sacerdotis requiratur?

Triplex fructus ſacrificij Miſſæ.

ADvertendum primò, Triplicem hic diſtingui debere fructum ſacrificij Miſſæ, ut in Quæſtione 1. inſinuavimus: nimirùm: *Meritorium*, *Satiſfactorium*, & *Impetratorium*: *alij addunt quartum, Expiatorium.*

Fructus meritorius.

Meritorius dicitur: Ratione cujus, qui Miſſam celebrat, aut Miſſæ aſſiſtit, vel ei cooperatur exiſtens in gratia, augmentum gratiæ, & alicujus portionis gloriæ meretur, tanquam actum ſingularis dignitatis exercens, quamvis illud meritum magis pateat in hoſtiæ reali ſumptione.

Satiſfactorius.

Satiſfactorius dicitur: Qui per Miſſæ ſacrificium tùm celebranti, tùm ei, pro quo celebratur, ſive cui Miſſa applicatur, obvenit ad ſatisfactionem partis pœnarum ex præcedentibus peccatis in foro Dei debitarum, vel etiam totius pœnæ.

Impetratorius.

Impetratorius dicitur: Ratione cujus, virtute ſacrificij, remiſſio peccatorum, auxilia gratiæ, dona ſpiritualia; imo bona & beneficia temporalia ijs, pro quibus ſacrificium offertur, impetrantur.

Qui fructum *Expiatorium* aſſignant, in eo expiatorius expiationis vim ponunt, quòd virtute ſacrificij Miſſæ peccata venialia expientur & remittantur: ſed cùm ſine bono motu cordis id non fiat, cùm impetratorio fructu expiatio illa concurrit, quia bonus ille motus, qui ad venialia peccata remittenda requiritur, per modum impetrationis virtute ſacrificij acquiritur.

Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2.

Hunc fructum triplicem complectitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. dum ait: *Hujus quippe* (ſcilicet ſacrificij) *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Intrà: *Quare non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in* CHRISTO *nondùm ad plenum purgatis, ritè juxtà Apoſtolorum traditionem offertur.* In quibus cùm dicit, *Gratiam*, fundamentum meriti intelligit. Cùm verò dicit: *Donum pœnitentiæ concedere, & peccata ingentia dimittere*, impetratorium fructum indicat. Tandem cùm de *Pœnis & ſatisfactionibus etiam pro defunctis* loquitur, ſatisfactorius fructus apertiſſimè declaratur.

Fructus Miſſæ ex opere operato.

Advertendum ſecundò, omnes illos fructus, quatenùs virtute ſacrificij procedunt, vim operis operati inferre (quidquid Theologi non pauli de opere operantis dicant quoad fructum impetratorium) Certum eſt enim apud me, cùm impetrationis virtus, quæ ſacrificio tribuitur, ejuſque efficacia non dependeat à devotione operantis, aut à bonitate Sacerdotis, ſed ex natura ſacrificij, & dignitate principalis offerentis CHRISTI, procedat (maximè cùm ſacrificium etiam à peſſimo Sacerdote oblatum, vim habeat impetrandi) non operi operantis, ſed operi operato illam adſcribi debere, ità ut & gratia, & donum pœnitentiæ, & remiſſio ingentium criminum virtute ſacrificij impetrentur, & donentur, non ex devotione operantis, ſed ex virtute ipſius ſacrificij: præſertim cùm ipſamet operantis devotio ab ipſo ſacrificio proveniat.

Duos tantùm fructus applicat Sacerdos.

Advertendum tertiò, Sacerdotem celebrantem duos tantùm fructus ſacrificij Miſſæ applicare poſſe: nimirùm, *Impetratorium*, & *Satisfactorium* (*fructus* enim, qui eſt *Meritorius*, *perſonalis* eſt) undè Sacurdos in hoc dicitur ſacrificij fructum applicare ei, pro quo celebrat, quia illi, pro quo ſacrificium

Digitized by Google

cium offertur, auxilia gratiæ, donum pœnitentiæ, remiſſionem peccatorum, &c. impetrat; & ſatisfactiones CHRISTI pro pœnis peccatis debitis virtute ſacrificii illi attribuit, quantùm eſt ex parte ſacrificij infallibili effectu.

Portione fructuum varia.

Advertendum quartò, Miſſæ diverſimodè triplicem fructuum iſtorum portionem reſpondere. Alia enim *perſonalis* eſt quæ *ſacrificanti*, prout eſt particularis perſona, cedit: alia *univerſalis*: quæ *Eccleſiæ* in cujus nomine Sacerdos offert, debetur: alia denique: quæ ſpecialiter *huic actioni*, quatenus in perſona CHRISTI offertur, correſpondet: & ipſa eſt quam Sacerdos ſpeciali diſtributione ut Dei Diſpenſator applicat, ſive per modum ſatisfactionis pro pœnis peccatis debitis, ſive pro impetratione alicujus boni, vel doni, quod curans Miſſam celebrari à Deo expectat, & obtinere intendit.

Triplex offerens in Miſſa.

Advertendum quintò, Triplicem in Miſſa offerentem inveniri. *Principalem*: qui eſt CHRISTUS Dominus: *Miniſterialem*: qui eſt Sacerdos perſonam CHRISTI repræſentans, ut ejus vicarius: *Mandatarium* denique, qui eſt Eccleſia cujus nomine, fide ac mandatu Miſſa celebratur. Unde de principali & miniſteriali offerente agens Concil. Trident. ſuprà: *Una* (inquit) *eademque eſt Hoſtia: idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſa.* De Eccleſia verò idem *Concilium cap.* 1. Teſtatur: à CHRISTO *hoc ſacrificium viſibile Eccleſia tanquàm ſponſa ſua dilecta relictum, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur*, &c. his ſic prænotatis, ad dubium propoſitum pono ſequentes propoſitiones.

Côc. Trid ſeſſ. 22. c. 2.

Idem ibid. cap. 1.

Propoſitio 1.

Fructus Eccleſiæ non eſt in diſpoſitione Sacerdotis.

S*Acerdos quâvis occaſione, ſtipendio vel obligatione celebrans, nõ poteſt fructus Eccleſiæ correſpondetes excludere, aut de illis pro ſuo libitu diſponere.* Ratio eſt: quia fructus illi Eccleſiæ debiti ſunt, cujus fide, nomine ac mandato Miſſa offertur, quorum diſpenſator Sacerdos non eſt, ſed merus Eccleſiæ vel pro Eccleſia legatus.

Ex quo *Infero primò*, omnia Eccleſiæ membra aliquid participare de fructibus cujuslibet Miſſæ, quæ in Eccleſia celebratur. Viva quidem membra de fructu impetratorio & ſatisfactorio: peccatores autem in peccato mortali exiſtentes, de impetratorio tantùm. Hoc indicant omnes ferè orationes, præſertim quæ in toto Canone recitantur. Undè mirùm eſt aliquos Theologos hanc diſtributionem communi Eccleſiæ reſpondentem interpretari in genere de Eccleſiæ ſtatu, & non de membris particularibus: cùm tamen noſtram illationem probet apertè *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 22. *cap.* 6. ubi docens Miſſas privatas eſſe communes, etſi privatim dicantur (ait) *Illa quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent, partim quòd in eis populus ſpiritualiter communicet: partim verò, quòd à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus* CHRISTI *pertinet, celebrentur.* Nota (*pro omnibus fidelibus celebrentur.*)

Trid. ſeſſ. 22, cap. 6.

Ex Miſſæ fructu ſinguli fideles participant nec poſſunt excludi.

Infero ſecundò, Sacerdotem celebrantem neminem poſſe excludere, quâvis intentione, à tali participatione: quòd ſi tentet aliquem poſitive excludere odio aliquo, vel inimicitiâ peccat mortaliter contra charitatem in re gravi, & contra obligationem quam habet ex vi Sacerdotalis ordinis, cui ab Eccleſia tamquam publicus miniſter eſt deputatus.

Propoſitio 2.

Fructus Miſſæ concedendus pro quibus Miſſa celebranda.

S*Acerdos celebrans tenetur tam impetratorium, quam ſatisfactorium fructum*, CHRISTO *ut principali offerenti, & merita ac ſatisfactiones ſuæ paſſionis per Sacerdotem applicanti, extra portionem debitam communi Eccleſiæ correſpondentem, applicare intentione ſingulari illi vel illis, à quibus vel in quorum utilitatem ſtipendium accipit.* Hæc propoſitio fundatur in contractu & pacto virtuali, quod fit cum iis qui ſtipendia donant: Eò ipſò enim quo ſtipendium pro Miſſa acceptaſti, ſimul te obligaſti; & qui ſtipendium dedit, Miſſæ fructum virtuali contractu fecit ſuum, ſi illius capax fuit. Dico (*ſi illius capax fuit*) ſi enim aliquis fructus ſacrificij; utpotè ſatisfactorii, capax non fuerit, quia forte in ſtatu peccati mortalis tunc erat: aut ſi ſacrificium poſtulabatur pro anima, quæ jam damnata erat tunc Miſſæ fructus ſatisfactorius, ſi perſonæ illi (ut dixi) non applicetur ob incapacitatem, proximiori alicui ejus parentis, vel perſonæ in judicio Dei illi aliquo jure conjunctæ, aut cui alias iſta perſona ſimili debito obligabatur, veriſimiliter applicatur: prout in chronicis noſtri ordinis legitur de quodam defuncto Sacerdote, qui quia Miſſas ex conſtitutionibus ordinis fratribus defunctis debitas in vita ſua non applicaverat, Deus juſto judicio illarum Miſſarum fructum; quæ pro ipſo poſt mortem dicebantur, animabus deſi ardatis applicavit, illo ob negligentiam ſuam neglecto.

Notâ

Notandum autem eſt: fructum impetratorium Miſſæ ſemper viventi pro quo offertur ſivè qui ſtipendium dedit; prodeſſe ut donum pœnitentiæ, & alia auxilia ſalutaria ſuo tempore recipiat. Fructus enim impetratorius provenit hominibus non ſemper ipſo tempore quo pro eis offertur ſacrificium ſed pro tempore illis juxta divinam diſpoſitionem magis opportuno, utique pro tempore, quo ipſis dona poſtulata magis ſalutaria ſunt.

Fructus impetratorius ſemper prodeſt tempore opportuno.

Dices: Quid ſi ſit injuſtum & nimis diminutum ſtipendium? *Reſpondeo primò*, ſi ſit injuſtum & diminutum ſtipendium, Sacerdos non tenetur illud acceptare ad integram Miſſam. *Reſpondeo ſecundò*, ſi acceptet, ex virtuali pacto & conventione, teneri totum fructum ſatisfactorium

Quid de diminuto ſtipendio?

factorium Miſſæ applicare. Dico (*ſatuſa-ctorium*) impetratorius enim , cùm reſpiciat divinam liberalitatem in miſericordia & largitionibus ſuis, eſt negativè, ſeu, ut alij loquuntur , ſincategorematicè infinitus , ſicut enim CHRISTUS pro communibus fidelium orationibus terminum non poſuit , ſed univerſaliter promiſit exanditionem juxta illud Luc. 11. *Omnis qui petit, accipit & qui quærit invenit*. Item,

Fructus impetratorius infinitus. Marc. 11. *Dico vobis , omnia quæcumque orantes petitis , credite quia accipietis , & evenient vobis.* Item Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis*. Sicut (inquam) quoad orationes communes terminum non poſuit ſuæ promiſſionis : ſic multò magis aſſirmandum eſt, nullum poſitum terminum in impetrationibus quibus in iſto diviniſſimo & univerſaliſſimo ſacrificio beneficia à Deo impetrantur. Quia verò de ſtipendijs Miſſarum nonnulla videntur ſatis difficilia , pono ſequentem appendicem.

Luc. 11. verſ. 10.
Marc. 11. verſ. 24.
Joan 16. verſ. 23.

Appendix Doctrinalis.

De ratione , juſtitia , & injuſtitia ſtipendiorum, quæ pro Miſſis celebrandis dantur vel fundantur.

PRo clara declaratione juſtitiæ ſtipendiorum , quæ pro Miſſis celebrandis donantur vel fundantur , pono ſequentes doctrinales reſolutiones.

Reſolutio 1.

STipendium , *quod Sacerdoti celebranti datur, non afficit fructum ſacrificij, qui à dante illud, vel fundatore illius acquiritur, ſed reſpicit & afficit Sacerdotis celebrantis, ratione ſui operis , congruam ſuſtentationem & alimenta*. Ratio prioris partis eſt: quia nec ſacrificium nec fructus ſacrificii eſt pretio æſtimabilis aut æſtimandus , & cùm utrumque ſit res planè divina & ſpiritualis , ſimonia juris divini indiſpenſabiliter committeretur à paciſcentibus , ſi fructus ſacrificij vel ipſum ſacrificium in contractum veniret. *Ratio* poſterioris partis ſumitur ex juſtitia operis, quam declarans Apoſtolus 1. ad corinth. 9. ait : *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam , & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem , & de lacte gregis non manducat ?* Infrà: *Neſcitis quoniam, qui in ſacrario operantur , quæ de ſacrario ſunt , edunt? & qui altari deſerviunt , cum altari participant? ita & Dominus ordinavit ijs qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Idem enim argumentum , eademque ordinatio divina concludit de Sacerdotibus Miſſam & ſacrificium celebrantibus, ut nimirùm de altari vivant: quia enim altari deſerviunt, juſtum eſt ut de eleëmoſynis & ſtipendiis fidelium alantur: ità ut ſtipendium non ſit merces fructus ſacrificij quem fideles percipiunt, ſed Sacerdotis pro exercitio cui vacat, juſta ſuſtentatio & alimentum. Lege ſanctionem claram Domini *Deuter.* 18. *& num.* 18.

Stipendium de ure pro ſuſtentatione.

1 Cor. 9. verſ. 7.
verſ. 13.
verſ. 14.

Reſolutio 2.

TOtum alimentum , *totaque ſuſtentatio Sacerdotis non debet ſumi præciſe ex ſtipendio quod pro Miſſarum celebratione offertur*. Ratio eſt: quia alijs adhuc actionibus tum ſacris , tum honeſtis civilibus, poteſt ſibi partem ſuſtentationis promereri Sacerdos. Unde in *cap. presbyter de celebr. Miſſarum* permittitur presbytero, ſi voluerit , exire ad opus rurale poſt peractum divinum officium: & alias, inhibetur clericis omne otium. Reſolutionem etiam probat Eccleſiæ univerſalis conſuetudo, quâ Epiſcopus nullum ordinat, niſi aut patrimonij ſufficientis, aut beneficij titulum habeat, aut ex ſtatu, utpotè religioſo, conſtet eum qui ordinatur , ex laboribus , eleëmoſynis & alijs medijs vivere poſſe, quod manifeſtum ſignum eſt ſuſtentationem Sacerdotis non limitari ſolo ſtipendio celebrationis Miſſæ , ſed tantum partialiter juxta judicium prudentis.

Tota ſuſtentatio non debet ſumi ex ſtipendio.

Reſolutio 3.

JUſtitia ſtipendij menſurari debet ex circumſtantiis temporalibus , quæ celebrationem Miſſæ circumſtant*, ex. g. Ex occupatione , obligatione miniſterij , impenſis quæ miniſterium conſequuntur, ex modo celebrandi, &c. Ex *occupatione*. Plus enim occupatur, qui ad extremum civitatis , vel ad unam leucam proficiſci debet ut Miſſam celebret , quàm qui juxta Eccleſiam habitat. *Item*: Qui Miſſam cantare debet, quã qui privatim legere. Ex *obligatione miniſterij*: Plùs enim ſtipendij meretur qui certo loco, certis horis certis diebus, perſonaliter obligatùr celebrare, quã qui pro beneplacito quandò vult, quomodo vult, & etiam per interpoſitam perſonã, ſi velit, celebrarè poteſt. Ex *impenſis*. Majus enim ſtipendium illi Sacerdoti celebranti debetur, qui de ornamentis, vino, pane, luminaribus , miniſtro ſibi proprijs expenſis providere tenetur , quàm ille cui omnia iſta gratis ſuppeditantur. Ex *modo celebrandi*. Plùs etiam ſtipendij meretur, qui Miſſam ſolemnem cum adjunctis , horarum cantu , litanijs, proceſſionibus , aut alijs cærimonijs (*Ex. g.* in feſto palmarum, in purificatione , in vigilia paſchæ, in rogationibus) celebrare debet, quam qui ſimpliciter Miſſam communem cantat aut legit.

Unde ſumenda ſtipendij juſtitia?

Reſolutio

Reſolutio 4.

Summi pontificis & Epiſcoporum eſſe ſtipendia Miſſarum determinare.

SUmmi Pontificis & Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus eſt ſtipendia Miſſarum (conſideratis terrarum, regionum, perſonarum, occupationum, modorum, & omnium quæ occurrunt circumſtantijs) determinare, juxta Epikëiam & conſiderationem rationabilem. Et quidem mirum eſt: opificum & Mechanicorum ſtipendia ſingulis diebus, conſideratâ calamitate temporum & caritate annonæ, augeri: Sacerdotes autem Domini cogi diminutâ ſtipe velut mendicare.

Hæc autem reſolutio non tantùm tangit ſtipendia communia & tranſitoria Miſſarum; ſed etiam fundationes ſivè ſint Capellaniarum cum miſſarum onere, ſivè præbendarum, anniverſariorum vel certi numeri miſſarum perpetuarum: ut ſcilicet Epiſcopi, pro fundationibus illis certum ſtipendium aſſignent, abſque quo hujuſmodi fundationes non ſubſiſtant, idque ad evitandam confuſionem quæ ſingulis diebus oritur, tum ex avaritia fundatorum, tum ex vilitate Sacerdotum, & eorum ad quos res pertinet, qui quaslibet fundationes recipiunt in onus ſucceſſorũ, ut ſibi viliter pauca corradant. Certe in decreto ſacræ congregationis de celebratione miſſarum, prohibetur: ne ſæculares ſine licentia Epiſcopi vel Vicarij Generalis in ſcriptis obtenta: regulares verò ſine ſui Generalis vel Provincialis ſimiliter facultate, onera perpetua miſſarum deinceps recipiant, idque ſub graviſſimis pœnis, quæ ibidem referuntur.

Decret ſacræ congr. de celebr. miſſ.

Petes: An poſſint de ſtipendio paciſcentes obligare ſuos ſucceſſores, & gravare injuſtis ſtipendijs? *Reſpondeo*, abſolutè non poſſe: & ſucceſſores, cognitâ injuſtitiâ ſtipendij & gravaminis, ſtatim poſſe renunciare fundationi, quaſi facta non eſſet, niſi ipſi fundatores vel etiam Hæredes ſtipendium augeant juxta temporis & conſtitutionum ab Epiſcopis factarum rationem. *Ratio eſt*: Quia iſtud gravamen eſt contra juſtitiam. Unde his injurijs & gravaminibus per Concilium Tridentinum proviſum eſt, reductione miſſarum ad certum numerum & ſtipendium Epiſcopis & Generalibus ordinum in capitulis ſuis generalibus commiſsâ: pro qua pono alteram reſolutionem.

Non poſſũt paciſcentes iniquũ ſtipendio ſuos ſucceſſores gravare.

Reſololutio 5.

Epiſcopi, Abbates & ordinũ Generales qualiter poſſint miſſas reducere.

EPiſcopi in ſynodo pro ſuis diœceſibus univerſaliter, & Abbates ac Generales Ordinum in Capitulis ſuis Generalibus, poſſunt Miſſarum onera & fundationes reducere, alterare, diminuere & de ijs pleno jure diſponere, attentâ ratione ſtipendij, proventus, obligationum, & alijs circumſtantijs. Ità Concil. Trident. ſeſſ. 25. De Reform. cap. 4. Circa quod decretum tam multa mota ſunt (tum ex reſponſionibus S. Congreg Cardin. tum ex interpretationibus varijs Doctorum) ut pigeat illa referre: quinimo illius decreti Concilij revocatio dicitur facta per decretum S. Congreg. De celebratione miſſarum auctoritate Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. editum *an.* 1625. 21. *Iunij*, in quo hæc reductio miſſarum prohibetur Epiſcopis in diœceſana ſynodo, aut Generalibus ordinum in ſuis Capitulis generalibus, & reſervatur S. Sedi Apoſtolicæ quoad miſſas in limine ſivè principio fundationis aut poſt Concilium impoſitas. Quod quidem decretum vidi & ex plano ipſius contextu adverti illud *intra Italiam* tantùm obligare: quamvis poſtea eadem congregatio, nullâ factâ decreti ampliatione, per ſimplicem reſponſionem quibuſdam ſuperflue interrogantibus, reſponderit etiam *extra Italiam* decretum debere vim habere: ratione cujus reſponſionis aliæ controverſiæ ſunt exortæ ſuper illius decreti obligatione *extra Italiam*, quia cum principale decretum pro ſola Italia, ut patet ex ipſius contextu, datum fuerit, non videtur *extra Italiam* legitimè promulgatum fuiſſe aut obligaſſe: & allegata declaratio non potuit *extra Italiam* illius obligationem inducere, cùm ipſum decretum *extra Italiam* ampliatum aut promulgatum non fuerit, utpote, *pro ſola Italia* datum, & declaratio legitime non cenſeatur fuiſſe poſtulata, cùm non dicatur requiſita à perſonis *extra Italiam* exiſtentibus, ſed ab ipſis Italis, quos res externæ non contingebant.

Decretum S. Cong. de celebr. miſſa.

Quid de decreto Urbani VIII.

Donec igitur aliquid certiùs decernatur in hac opinionum diverſitate, ſtandum cenſeo capitalibus decretis S. Concilij Tridentini, & & probatæ praxi cujuslibet Eccleſiæ. Sanè Concilium Tridentinum relatis difficultatibus, quæ in numero & multitudine miſſarum relictarum occurrebant, in hunc modum ſtatuit: *Sancta Synodus cupiens hac ad pios uſus relicta, quo plenius & utilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo diœceſana: Itemque Abbatibus & Generalibus ordinum, ut in ſuis capitulis Generalibus, re diligenter perſpectâ, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hac, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire: ità tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt.* Ex quo Concilij decreto

Trid. ſeſſ. 25. cap. 4. de reform.

Colligo primò, Concilium voluiſſe æquitati & juſtitiæ providere, ne vel Eccleſiæ, vel Sacerdotes nimiâ multitudine miſſarum gravarentur, & ne piæ defunctorum vel fundatorum voluntates & legata defraudarentur.

Explicatio Concilij Tridentini ſuper reductione miſſarum.

Colligo ſecundò, Concilium Juri & Juſtitiæ in nullo derogaſſe, ſed tantùm ordinaſſe: ut, ubi nimia multitudo miſſarum in Eccleſiis fundata vel cum onere relicta eſſet (ſuppoſito quod relictum ſive legatum eſſet ſufficiens) de earum perſolutione bono modo provideret Epiſcopus. In caſu verò quo Eleëmoſyna nimis tenuis eſſet, ut pro illis celebrandis facile non

inveniretur, qui huic muneri ſive oneri ſe ſubjicere vellet: Epiſcopus ſimiliter, vel Generales ordinum, re diligenter perſpectâ, pro ſua conſcientia ſtatuerent quidquid ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiæ utilitatem (reducto rationabiliter jure quod legantibus & fundatoribus juxta rationem remanentis eleëmoſynæ competit) magis videretur expedire.

Ex quibus *Infero primò*, omne illud quod Concilium ſtatuit in hoc negotio, fuiſſe juris divini naturalis, tam ex parte Eccleſiæ, quam eorum qui miſſarum onera legarunt aut reliquerunt. Neque enim minoris injuſtitiæ eſſet Eccleſiam aut Sacerdotes ultra modum gravari, quam legata & fundationes juxta eorum qualitatem non ſervari: utrique igitur providendum erat.

Infero ſecundò, Idipſum, quod ordinavit Concilium, pertinuiſſe jure ordinario ad Epiſcopos, vel etiam ordinum Generales quorum intereſt omnem injuſtitiam ab Eccleſiis & gregibus ſibi commiſſis propulſare.

Infero tertiò, Facultatem hanc Epiſcopis factam cum conſilio Synodi, non fuiſſe liberam, ſed cum onere conſcientiarum, ut nemo juſtè conqueri poſſet. Salvo itaque meliori judicio, cenſeo decreto Concilij ſtandum eſſe, donec aliter per S. Sedem certò & clarè fuerit proviſum, & non particularibus reſponſionibus & declarationibus, quibus toties S. Sedes derogavit, eò quòd plurimæ obreptitiæ eſſent.

Quid de ordinum miſſarum reductione Conceſſ. Julii II. & Leonis X.

Petes: Quid de privilegijs aliquibus ordinibus factis, circa ſtipendia miſſarum ſit cenſendum? & quidem referuntur duæ conceſſiones, una Julij II. Conſtit. 7. altera Leonis X. Conſtit. 8. Correctori Generali Minimorum factæ, quibus Minimis permittit pontifex ut novem collectis vel ſeptem in una miſſa recitatis, ſatisfaciant pro ſeptem aut novem miſſis ad quas obligantur etiam perſonis diverſis: quas conceſſiones paſſim incauti & imprudentes vendicant tamquam legitimas, quaſi ipſi non ſolùm illis, ſed etiam eorum privilegiis communicantes, uti poſſint. Verùm etſi breviter reſpondere poſſim illas & ſimiles conceſſiones eſſe revocatas per nuper allegatum decretum ſacræ congregationis de celebratione miſſarum: ne tamen iterùm in controverſias ingenia incauta relabantur: *Reſpondeo primò*, nunquàm ſimpliciter & abſolutè tale privilegium emanaſſe velut privilegium, quo quilibet pro ſuo libitu uteretur. *Reſpondeo ſecundò*, allegatas conſtitutiones fuiſſe proviſiones Apoſtolicas, & reductiones ſpeciales.

Explicantur privilegia de quibus allegata dicenda.

Primò, ob abuſus qui obvenerant ex multitudine miſſarum quæ oblatæ & acceptatæ erant. *Secundò*, ob paucitatem fratrum, qui iſtis oneribus ſati facere non poterant. *Tertiò*, ob tenuitatem ſtipendij, ex quo nullatenus fratres ſuſtentari aut vivere potuiſſent, ut latius in dictis conſtitutionibus continetur. Unde in ſecunda Leonis X. quæ eſt confirmativa alterius Julij II. exponitur; quòd in partibus Boëmiæ & Alemaniæ (pro quibus expedita eſt conſtitutio) tantùm pro una miſſa offerentur duo Baioci, ſive ſeptem quatrini monetæ Juliæ, qui omnes ad dimidium aſſem vel tres liardos monetæ belgicæ vix perveniunt. Itaque pontifex, ſtantibus dictis conditionibus & rationibus allegatis, permittit ſoli Generali, ut (ubi ſub allegatis modis repererit ratione fabricæ aut victus fratrum, tantam multitudinem miſſarum accreviſſe, quibus fratres ſatisfacere non poſſent) per ſeptem aut novem collectas in una miſſa ſatisfacerent ſeptem aut novem miſſis; addito tamen illo onere; ut dictus Generalis perſonis, quæ eleëmoſynam illam pro dictis miſſis obtuliſſent, ne aliqua illis injuſtitia fieret, applicaret & concederet participationem omnium ſuffragiorum, orationum, ſacrificiorum, jejuniorum, vigiliarum, diſciplinarum, & aliorum quorumcumque bonorum operum, quæ in toto ordine *Minimorum* fiebant. Ex quibus conſtat non fuiſſe nudum privilegium, ſed proviſionem Apoſtolicam, tum ut dictis fratribus de neceſſitatibus provideretur, tum ne injuria aut injuſtitia miſſas poſtulantibus fieret: quod fuit juſtitiæ & æquitatis.

Proviſio Apoſtolica

Privilegiũ ſingulare pro reductione miſſarum.

Certius & clarius mihi apparet privilegium (quod refert Marchinus Tractat. 2. de ſacrificio miſſæ p. 2. cap. 20. num. 7. ex Laurentio de Pyermis ad conſtit. 5. Urbani VIII. Tom. 1. privilegiorum ordinis Minimorum) quo *SS. D. N. Urbanus VIII. anno* 1626. *die* 13. *Iulij*, ad petitionem Deodati Lomellini Procuratoris Generalis Minimorum, conceſſit fratribus ejuſdem Ordinis Cœnobij Januenſis, ut legata miſſarum perpetua, exigua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet Miſſa quotidiana annua reducerentur, decernitque celebrationem Miſſarum ſic reductarum ſaluti animarum eorum, quorum intentione miſſæ ſic reductæ fuerunt, ſuffragari, perinde ac ſi omnes miſſæ antiquorum legatorum verè ac realiter, & cum effectu celebrarentur; dictæque domus pro tempore Priorem & fratres deſuper à quocumque, quâvis auctoritate moleſtari, perturbari & inquietari non poſſe. Quod privilegium omnibus ordinibus qui communicant cum Minimis, per communicationem competere affirmat, non ſine fundamento, Marchinus. Et hoc privilegium eſt virtualis quædam & Apoſtolica Miſſarum reductio determinans certum earum ſtipendium, quod poſt dictum decretum de celebratione miſſarum emanavit, ſicque extra omnem controverſiam valet,

Conſtit. Urbani VIII. in favorem Minimorum.

Reſolutio

Reſolutio 6.

QUicumque ſimpliciter & ſine adjecto, ſponte acceptat Miſſas exiguo ſtipendio dicendas, tenetur fructum totum Miſſæ applicare ei, qui ſtipendium dedit. Ratio eſt: quia ſcienti, volenti & liberè conſentienti non fit injuria; atqui talis more ordinario abſolutè & ſpontè ſtipendium illud acceptavit; ergò abſolutè tenetur pro illo celebrare.

Quid de petitione de exiguo ſtipendio.

Dices: Qui petit miſſam pro ſe celebrari, cenſetur juſtè petere, nec velle contra juſtitiam Sacerdotem obligare: atqui, dato exiguo ſtipendio, injuſtè exigeret totum Miſſæ fructum; ergo non cenſetur illum exigere. *Reſpondeo*, eum, qui petit exiguo pretio Miſſam celebrari, nil injuſtè exigere; quia in Sacerdotis poteſtate eſt ſtipendium non acceptare, & conſequenter Miſſam recuſare aut alio modo paciſci: poteſt enim dicere quòd pro rata ſtipendij ſatisfaciet, aut hujuſmodi verbis mentem ſuam aperire; quòd ſi acquieſcat poſtulans & ſtipendium det, cenſetur beneplacito Sacerdotis pro ratione eleëmoſynæ applicationem relinquere: Si verò urgeat pro Miſſa integra, & Sacerdos conſentiat, tunc illi tenetur totum fructum applicare, quia voluntariè ad illius inſtantiam ſe obligavit ex virtuali pacto ſivè compromiſſo.

Reſolutio 7.

Quid, quando fundatio perit?

SI fundatio vel in totum vel in partem, abſque culpa Sacerdotis, vel eius qui illam obtinet, omninò perierit, vel ſtipendium Miſſarum recipi non poſſit, Sacerdos non tenetur Miſſas celebrare niſi ad ratam partis fructuum ſivè ſtipendij, quæ remanet ſivè quam recipere poteſt. Ratio ſumenda eſt ex juſtitia & correlativo obligationis: non enim tenetur Sacerdos celebrare, niſi quia recipit: ergò ubi non recipit nec ſtat per illum quò minùs recipiat, celebrare non tenebitur, aut non niſi juxta rationem ejus quod recipit. Dixi (*omninò perierit*) ſi enim tantùm ad aliquod tempus breve, Ex g. ob vaſtationem aliquam patriæ, ſtipendium ordinarium non recipiat, tenetur: quia hi caſus includuntur communiter in iſtis pactis & conventionibus.

Nota ſequentia ſingulariter.

Pro quo *Advertendum* eſt: in fundationibus & conventionibus diuturnis vel perpetuis, pro celebratione Miſſarum in loco, Capella, vel certis diebus, ſemper includi rationabiles Epikeias, ob communia accidentia quæ contingere vel evenire poſſunt loco, bonis, perſonæ Sacerdotis, &c. Ex quo *Inferunt* multi: Capellanum, qui ratione Capellaniæ quotidiè celebrare debet, poſſe interdùm (occurrente neceſſitate vel occaſione honeſtâ) unâ aut alterâ die vacare: imò aliquoties pro ſe offerre. *Ratio eſt*: quia hoc eſt rationabile & velut Epikeia rationabilis quæ in fundatione continetur. Unde in Concilio Provinciali Mediolanenſi 7. Tit. de Miſſa, decernitur: *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco; ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleemoſynam judicio Epiſcopi, accipere poteſt.* Et in Cap. *ſignificatum de præbendis*, expreſsè apponitur iſta conditio, de Capellano qui Præbendam acceperat, ut quotidiè celebraret: *Niſi infirmitate corporis fuerit impeditus:* Additurque: *Et quantò frequentius poteſt (ſalvâ honeſtate ſuâ & debitâ devotione) Miſſarum ſolemnia celebrare debeat*; Quod ſemper intelligendum eſt, quandò ratione Beneficij obligatio perſonalis eſt, quâ qui Capellaniam vel Beneficium poſſidet, tenetur perſonaliter reſidere & per ſe celebrare. Aliud dicendum eſſet: quandò obligatio perſonalis non eſſet, ſivè perſonam non afficeret, ſed tantùm ad ſacrum celebrandum obligaret, ſivè per ſe id Sacerdos faciat, ſivè per alium: tunc enim ille, qui ſic obligatus eſt, etſi perſonaliter à celebrando ſe poſſit eximere, tenetur tamen procurare ut Miſſa per alium celebretur: Quia verò eſt res admodum intricata quænam obligatio perſonam, aut terminum, ſive etiam locum afficit? pono reſolutionem ultimam tamquam Regulam generalem.

Conc. prov. Mediola. 7. Tit. de Miſſa.

C. Significatum de præben.

Nota.

Reſolutio 8. & ultima.

VT quis obligetur alicui applicare fructum ſatisfactorium Miſſæ, debet illi conſtare de titulo juſtitiæ vel fidelitatis, attentâ in utroque titulo intentione illius, qui Miſſam fundavit, vel ſtipendium præſtitit. Ex hac reſolutione ferè omnia dubia pendent, pro quibus pono ſequentes Regulas generales.

Regula 1. Generalis.

QUotieſcumque ſtipendium Miſſarum eſt communi ordinatione & uſu ſufficiens, ſi conſtat de intentione obligatoria ejus qui ſtipendium dedit, celebrans tenetur illi applicare titulo juſtitiæ totum fructum ſatisfactorium Miſſæ, juxta portionem quæ communiter applicatur. Regula ex terminis clara eſt. Illis enim poſitis, ſequitur quidam contractus juſtitiæ, qui his verbis exprimi poteſt: *Do ſtipendium, tu mihi Miſſæ ſacrificium applicabis*, ità ut contractus termini ſint ſtipendium, & labor ſivè occupatio Sacerdotis in celebratione Miſſæ: applicatio autem fructus oriatur ex obligatione concomitante, ſivè ſubſequente ob debitum ſuſtentationis legitimæ. Unde qui non celebrat, tenetur ex juſtitia ad reſtitutionem ſtipendij quod accepit. Dixi (*ſi conſtat de intentione obligatoria*) ſæpè enim contingit ut ſtipendium detur quidem, ſed à donante ſivè fundatore tantùm intendatur ut locus vel Capella aliqua honoretur, vel ut pro honore & commoditate Eccleſiæ aut perſonarum, quæ con-

Nota.

concurrunt tali loco, vel tali horâ Miſſa celebretur, aut etiam ratione alicujus ſolemnitatis, ut duntaxat Miſſa ſolemnior in honorem alicujus Sancti decantetur: in quibus & ſimilibus caſibus qui Miſſam celebrat, illius fructum non tenetur ſolventi ſtipendium applicare, quia intentio illius fuit pro ſupradictis tantùm finibus Miſſæ ſtipendium ordinare. Quæ omnia ex verbis fundationis vel ejus qui Miſſam celebrari poſtulat, colligi debent, attentis aliis circumſtantiis quæ Miſſarum hujuſmodi inſtitutionem comitantur.

Regula 2. Generalis.

Nota.

QUotieſcumque conſtat de reali promiſſione & acceptatione promiſſionis, Sacerdos, qui promiſit, tenetur fructum totalem Miſſæ juxta ſuam promiſſionem applicare titulo fidelitatis, etſi ſtipendium ſufficiens non eſſet; niſi juſta cauſa reſcindendi promiſſum, illum à fidelitate abſolvat. Hæc ſimiliter regula eſt manifeſta ex materia de fidelitate in promiſſis ſervanda: fidelitatis enim obligatio oritur ex vero, reali, & libero promiſſo.

An Sacerdos ſatisfaciat per ſtipendij reſtitutionem.

Petes: An qui omiſit Miſſam celebrare pro aliquo, ſatisfaciat obligationi ſi ſtipendium reſtituat? *Reſpondeo primò*, ſi ſtipendium ſcienti reſtituat, ſatisfacere: Ille enim poteſt, ſi velit, curare illo ſtipendio per alium Miſſam celebrari. *Reſpondeo ſecundò*, non ſatisfacere ſi ignoranti, aut pauperibus ſtipendium acceptum reſtituat. *Ratio eſt*: Quia illum gravi damno afficit, utique privatione fructus Miſſæ cujus applicationem in ſe ſuſcepit. Tenetur itaque ei qui dedit ſtipendium, dum illud reſtituit, intimare Miſſam non celebratam: vel curare ut Miſſa per alterum iſto ſtipendio celebretur, ut ſic perſona indemnis ſervetur: per ſolam enim eleemoſynam in pauperes, non poteſt reſtaurari damnum, quo donans ſtipendium, fructu Miſſæ privatus fuit.

Dubium 3.

Quandò fructus Miſſæ à Sacerdote debeat applicari, ut effectus ſequatur?

ALiqui volunt debere applicari ante conſecrationem, ſuſtinentes in ipſa conſecratione fructum ſatisfactorium ſacrificij applicari.

Reſpondeo primò, Ego, ſufficere ſi ante ſumptionem, in qua poſui complementum ſacrificij, applicetur: moveor: quòd ſicut ante conſecrationem fit memoria vivorum, ſic poſt conſecrationem fit memoria defunctorum, quæ quidem memoriæ non ſunt puræ orationes, ſed ſunt applicationes utriuſque fructus tum ſatisfactorij, tum impetratorij ipſius ſacrificij, ita ut ſi Sacerdos prius ſatisfactorium fructum illi vel illis quibus obligatur, non applicaverit, tunc cenſeatur applicare, quamvis, ut dixi, etiam poſtea uſque ad communionem poſſit applicare.

Reſpondeo ſecundo, Suadendum eſſe, ut dum quis format ſibi intentionem celebrandi ante Miſſam, tunc etiam ad majorem certitudinem conetur fructum ejus applicare.

Modus applicandi Miſſæ fructum.

Petes: An ſpecificanda ſit perſona, vel perſonæ quibus Miſſa applicanda eſt? *Reſpondeo*, dupliciter ſpecificari poſſe: aut nominatim: aut generali circumlocutione, ità tamen ut applicatio ad illas terminetur, Ex. g. Offero tibi Domine Deus hoc ſacrificium pro Petro, Joanne, &c. Aut, ut Doctor ſubtilis: quodlib. 20. num. 19. *Digneris Domine oblationem iſtam ſpecialiter acceptare pro illis, pro quibus noſti me teneri ſpecialiter offerre, & in illo gradu, in quo noſti me teneri, pro eis.* Addit quoque Scotus. *Et ſi in ſpeciali determinetur ad aliquem vel aliquos, tutius eſt quod fiat ſic ſub conditione, ſi tibi placet.* Et hæc applicatio utilis eſt pro Religioſis & alijs, qui ad intentionem ſivè ad applicationem ſuorum ſuperiorum celebrant. Quarum occaſione alterum dubium moveo.

Scotus quodl. 20. num. 19.

Dubium 4.

An applicatio Miſſæ facta à ſuperiore religioſi ità arctet religioſum celebrantem, ut non poſſit alteri efficaciter Miſſam applicare?

Sententia negans.

NEgant plurimi: aſſerentes: quòd renitente Prælato Regulari, & prohibente formali præcepto nè ſubditus ſuam miſſam alicui applicet, niſi perſonæ cui eam Prælatus addixit: ſi ſubditus alteri miſſam applicet, ſubditi applicationem prævalere, & efficaciter ei cui applicat prodeſſe: applicationem autem Prælati in iſto caſu caſſam & inutilem manere: quamvis agnoſcant ſubditum ratione inobedientiæ peccare, agendo contra mandatum Prælati. Auctores obvij ſunt, quos non cito inhærens meo principio non citandi Auctores. Omnes vero hujus ſententiæ Auctores innituntur libertati Sacerdotis, quâ Sacerdos ut Miniſter CHRISTI, nulli quoad oblationem & applicationem ſacrificij eſt ſubditus: ideoque cuicumque applicat ſuam Miſſam, etiam renitente quocumque, cenſetur validè applicata.

Sententia affirmans.

Alij econtrà affirmant obedientiam ſuperioris ita arctare applicationem Miſſæ à ſubdito faciendam, ut ſi ſuperior regularis applicet miſſam ſubditi, maneat applicata, & ſi ſubditus tentet alteri illam applicare, nullam eſſe illius applicationem contra obedientiam ſuperioris factam: rationem ſumunt ex voto obedientiæ, quo quis ità Religioni & ſuperioribus ſe addixit, ut nil legitime & validè operari poſſit contra Prælati poſitivam obedientiam

tiam, nequidem votum obligatorium emittere.

Duo in applicatione Miſſæ concurrunt.

Pro reſolutione *Noto*: duo in applicatione fructus ſacrificij Miſſæ conſiderari poſſe: unum eſt applicatio ipſa ſacrificij, prout ab omni ſtipendio & obligatione juſtitiæ, vel fidelitatis ſive promiſſionis abſtrahit: alterum eſt eadem applicatio ut obligationi juſtitiæ vel fidelitatis ſivè promiſſionis eſt conjuncta. Hoc prænotato,

Applicatio Miſſæ per inferiorem per ſe non dependet à ſuperiore.

Reſpondeo primò, Simpliciter & abſolutè applicationem Miſſæ Sacerdotis ſubditi non dependere ab obedientia vel voluntate ſuperioris Regularis; *Ratio eſt*: quia ut in fundamento primæ ſententiæ aſſumitur, ſubditus in ijs quæ ſunt ſimpliciter Sacerdotij, ſivè quatenus eſt Sacerdos & Miniſter CHRISTI, non eſt ſubditus, ſed liber & alterius fori. Unde licet Prælatus præcipiat ſubdito nè celebret, nè abſolvat à peccatis; ſi celebret verè celebrat & conſecrat, & quamvis peccet, Miſſa tamen fructum ſuum habet ex opere operato in ijs, qui obicem non poſuerunt, ſi eis applicetur: *Similiter*: ſi abſolvat, modò juriſdictionem habeat in pœnitentem, validè abſolvit.

Applicatio per contractum dependet à ſuperiore.

Reſpondeo ſecundò, Si applicatio conſideretur quatenus ex contractu & obligatione juſtitiæ vel fidelis promiſſionis procedit, ſuperiorem ſubditi applicationem, quatenus talis eſt, invalidare poſſe, ità ut applicatio à ſuperiore facta, ſi illius fuerit conſcius ſubditus Sacerdos, etiam in foro Dei præponatur applicationi ſubditi. *Ratio eſt*: quia inferior legitimè paciſci non poteſt, ſicut nec promittere, ſivè promiſſione ſe obligare contra voluntatem ſuperioris: Unde ſicut vota Deo nuncupata à Religioſo contra voluntatem ſuperioris, nulla etiam in foro Dei cenſentur, ſic nec contractus aut promiſſiones cum hominibus, aut hominibus factæ: unde (ut dixi) ſi ſciat inferior ſuperiorem priùs miſſam illam in individuo applicaſſe, non poterit paciſci, etiam quovis ſtipendio, de illius poſteriori applicatione, & ſi applicet, applicatio non modo injuſta, ſed etiam invalida erit. Dixi notanter (*quatenùs applicatio illa ex contractu & obligatione juſtitiæ, vel fidelis promiſſionis procedit*) ubi enim Sacerdos inferior abſtrahit ab omni contractu, & ſuam miſſam de plenitudine poteſtatis ſuæ applicat, videtur, juxta primam ſententiam, applicatio valida, & ſuperior hoc ſciens, tenetur aliam miſſam applicare. Peccaret tamen mortaliter inferior, qui obedientiæ ſuperioris ſic contraveniret, non tantùm ratione obedientiæ (ſi ipſi ſub obedientiæ præcepto eſſet demandatum) quam tranſgreditur, ſed etiam quia bono communi, cujus adminiſtrationem habet ſuperior, gravè damnum inferret: tenetur enim inferior, ut membrum corporis, ad contractus quos facit ſuperior de operibus communibus, ex quibus ſivè ex quorum ſtipendio corpus ſuſtentatur.

Adnotatio.

De Attentione in ſacrificio Miſſæ.

Hic aliqua dicenda fuiſſent de attentione obligatoria in celebratione Miſſarum, ſed meo judicio eadem eſt ratio attentionis in celebrante, quæ in Officium Horarum Canonicarum perlegente, ideòque recurrendum eſt ad ea quæ diximus ſuprà de attentione in Horis Canonicis neceſſaria.

§. III.

De obligatione Miſſam celebrandi.

Dubium I.

An Sacerdos teneatur aliquando Miſſam celebrare.

Tenetur Sacerdos aliquando celebrare. Luc. 22. verſ. 19.

Respondeo primò, Sacerdotem teneri ſaltem aliquando celebrare, niſi juſto impedimento excuſetur. Deducitur ex verbis CHRISTI Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba exponens *Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1.* ait: CHRISTUM his verbis (*Hoc facite in meam commemorationem*) *Apoſtolis, eorùmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepiſſe.* Unde hoc præceptum quoad obligationem aliquando celebrandi, eſt juris divini. Dixi (*niſi juſto impedimento excuſetur*) juſtum autem impedimentum eſt impotentia, ſivè ſpiritualis ſivè corporalis ſuperveniens: excellens etiam aliqua humilitas & reverentia, quâ quis abſque multo tremore, & non niſi cum aliquo periculo celebrare poſſit. Dixi (*aliquandò*) non enim ſatis conſtat quandò vel quibus diebus teneatur Sacerdos celebrare, cùm id per ſpeciale præceptum ſpecificatum non ſit.

Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1.

Sacerdotes tenentur ſæpius in anno celebrare

Reſpondeo ſecundò, Præcepto implicito Eccleſiaſtico Sacerdotes (quos juſta cauſa non impedit) teneri ſæpius in anno celebrare. Ità decernere videtur Concil Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. de Reform. per hæc verba: *Curet Epiſcopus ut* (Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus; ſi autem curam animarum habuerint, tam frequenter ut muneri ſuo ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* Cùm enim Epiſcopis Concilium hanc curam imponat, implicitè & ex conſequenti videtur præſupponere Sacerdotibus præceptum impoſitum eſſe, illoſque teneri: & quamvis, quoad dies omnes Dominicos & feſta ſolemnia pro Sacerdotibus curam animarum non habentibus, monitio tantùm eſſe videatur; ex ijs tamen benè infertur eos aliquoties ſaltem in anno debere celebrare. Undè, *Cap. dolentes de celebrat. Miſſarum*, graviter reprehenduntur nonnulli Sacerdotes, quòd *vix quater in anno* celebrarent, ubi & ſuſpenſione à divinis, cum alijs ibidem recenſitis, plectuntur. Quando verò ſit culpa mortalis; & an ſcandalo ſit menſuranda? hoc poſterius indicare videtur *Cap. dolentes*: ſecluſo

Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. de reform:

C. Dolentes de celebr Miſſarum.

autem ſcandalo nulla lex Eccleſiæ expreſſa reperitur.

Quoties parochi teneantur Miſſam celebrare.

Reſpondeo tertiò, Parochos & animarum curam habentes toties teneri celebrare, quoties parochiani tenentur Miſſam ex communi Eccleſiæ præcepto audire, ſi non ſit qui eorum muneri ſatisfaciat. *Ratio eſt*: Quia illa ſunt correlativa: tenetur populus ex præcepto audire Miſſam, ergò aliquis tenetur celebrare: nullus eſt autem in quem illud præceptum cadere poſſit, niſi ipſe parochus, ità ut ille ſaltem providere teneatur ut miſſa celebretur. Et hoc indicat *Concilium Trident. ſuprà.*

An teneatur parochus fructum Miſſæ parochianis applicare?

Dubitant verò hic aliqui: an quoties tenetur populus audire Miſſam, toties teneatur parochus illi fructum ſatisfactorium Miſſæ applicare? ad quod reſpondetur negativè: Etſi enim verum ſit parochum aliquando ad id teneri: grave tamen onus foret ipſum obligare ad illam applicationem fructus parochianis, totiesquoties celebrat in diebus obligationis ut populus Miſſam audiat. Unde rem indeterminatam relinquit *Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.* licet dicat illos aliquando jure divino obligari celebrare Miſſam pro populo. Verba Concilij ſunt hæc: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro eis ſacrificium offerre*, &c. Rurſus aliqui exiſtimant ſaltem ad id teneri ſolemnioribus diebus; ſed nec hi dies aliquo præcepto ſpecificati ſunt: conſcientiæ itaque illorum relinquitur: niſi aliundè ex fundationibus, vel pactis, ſivè conventionibus teneantur: prout interdùm tenentur ex ſimilibus obligationibus pluries in Hebdomada celebrare, etſi non teneatur populus Miſſam audire.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.

Dubium. 2.

An pluries unâ die poſſit Sacerdos Miſſam celebrare?

C. Conſuluiſti de celebr. Miſſ.

HOc dubium reſoluit ſatis apertè *Cap. conſuluiſti, de celebratione Miſſarum*, ubi ad conſultationem Epiſcopi Vigorenſis: utrùm presbyter duas Miſſas in eadem die celebrare valeat? Reſpondet Innocentius III. *Reſpondemus quod excepto die nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare.* Ubi verbum (*ſufficit*) ponitur pro (*poſſit*) Interrogatio enim erat, an valeret, ſivè poſſet? Unde & *cap. ſufficit de conſecrat. Diſt. 1.* dicit Alexander Papa, *ſufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia CHRISTVS ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit*, infrà cùm caſum neceſſitatis excepiſſet. *Qui* (inquit) *vero pro pecunijs aut adulationibus ſæcularium unâ die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo evadere damnationem.* Quæ ultima verba indicant non poſſe fieri, & ſi fiat, peccatum mortale committi.

Qualiter poſſit plures in die celebrari. C. ſufficit de conſec. diſt. 1.

Dies nativitatis. C. Nocte ſancta de conſecr. diſt. 1.

De die nativitatis in honorem trium CHRISTI nativitatum habetur decretum *Teleſphori Papæ de conſecratione diſt. 1. cap. nocte ſanctâ.* Caſus autem neceſſitatis non ſunt ità in jure expreſſi, ſed ex quadam *gloſſa in cap. ſufficit, plures referuntur*, & apud diverſos auctores duodecim ferè recenſentur, quos non refero, quia reverà pauci ex illis apud me concludunt, idcircò lectoribus relinquo, ut de ijs judicent.

Dico verò hanc licentiam uſurpandam non eſſe niſi juxta *Cap. conſuluiſti*, cauſa neceſſitatis ſuadeat, quam credo concludi ſequentibus terminis.

Cauſa neceſſitatis celebrandi pluries in die.

Prima cauſa: Ne populus, aut illius pars notabilis, in Dominica vel Feſto ſolemni Miſſâ careat. In quo tamen cautelam adhibent Belgij Epiſcopi ſatis ſcrupuloſam, dum, ubi parochiæ vicinæ ſunt, alternis hebdomadibus nunc in una, nunc in altera parochia alternatim celebrari ordinant, ut alternatim illuc utraque parochia confluat, quod exiſtimo nimis ſcrupuloſum eſſe, & poſſe Epiſcopos liberè duas Miſſas eâdem die parocho permittere, ut in aliquibus Epiſcopatibus fit.

Secunda cauſa: Ubi eſt ſolemnis peregrinatio, nec peregrinorum multitudini unâ Miſsâ ſatisfieri poteſt: quod & in dedicatione alicujus Baſilicæ, ubi tantus eſt populi concurſus ut in eadem non poſſit totus populus Miſſam audire, admittit. *S. Leo Epiſt. 81. cap. 2.*

S. Leo Ep. 81. cap. 2.

Tertia cauſa neceſſitatis cenſetur: quandò in Paſchate ex aliqua inadvertentia non eſſent ſufficienti numero Hoſtiæ conſecratæ ad populum communicandum. *Alij* addunt: quandò infirmus abſque viatico decederet, quia deeſt Hoſtia conſecrata. His enim caſibus urget moralis neceſſitas bis celebrandi, ſi tamen Sacerdos ſit jejunus.

Quarta cauſa neceſſitatis petitur à ſcandalo, quod aliter evitari non poteſt abſque gravi populi perturbatione.

Quinta cauſa in regionibus, ubi eſt penuria Sacerdotum, ut in Anglia & alijs regionibus hæreſi infectis, ubi maximè Sacerdotes non admittuntur. Alij caſus parùm concludunt: ut ad faciendam ſepulturam: ad nuptias ſivè matrimonium celebrandum. *Item*: Quandò princeps vel perſona gravis vellet audire Miſſam, quæ omnia neceſſitatem adjunctam communiter non habent, quam tamen Canones ſupponunt. Nolo interim cauſis ſuprà numeratis totam neceſſitatem concludi: ſed ſi quæ alia ex circumſtantijs ſpecialibus neceſſitas occurrat, puto in poteſtate viri boni eſſe de illa judicare, & juxta illam reſolvere: an hic & nunc plures Miſſæ ſint celebrandæ.

Advertendum tamen eſt *primo*, Eccleſiam non permittere pluralitatem Miſſarum niſi Sacerdoti jejuno.

Adver-

Digitized by Google

Nota.

Advertendum ſecundò, Eccleſiam ordinariè non permittere niſi duo ſacra eadem die celebrari, aut ſaltem tria, ut in die nativitatis Domini. Undè non facilè uſurpanda eſſet ulterior facultas, quia reverâ vix etiam ad hoc poteſt neceſſitas excogitari. Et hoc ſancitum fuit in Concilio Saleguntadienſi cap. 5. ſub Benedicto VIII. *Ne amplius quàm tres Miſſas in una die presbyter celebrare præſumat.*

Concil. Saleguntſ. Cap. 5.

§. VI.

De ritibus in miſſa obſervandis.

QUia varij ritus in miſſa occurrunt, ut diſtinctiùs de illis judicium ferri poſſit, ſuis velut cellulis, ſinguli diſtinguendi ſunt.

Ritus varij in miſſa.

Ritus itaque miſſæ: alij ſunt *Eſſentiales*: Illi nimirum, qui eſſentiam ſacrificij ſpectant, & à CHRISTO inſtituti ſunt: alij *Accidentales* ſunt: qui ab Eccleſia ſuperadditi fuerunt ad ſacrificij ſolemnitatem & decorem. Ritus *Accidentales* iterum triplices ſunt: *Alij* enim actionem ſacrificij externam viſibilem velut partes integrantes componunt: *Alij* concomitanter velut ex neceſſitate requiruntur: *Alij* merè directivi ſunt, & neque ad actionis integritatem ſpectant, neque ex neceſſitate concomitantur. De his, ſingulis dubijs agendum erit.

Dubium 1.

Qui ſint ritus eſſentiales, & qualiter Sacerdos ad illos obligetur?

RE*ſpondeo primò*, Ritus eſſentiales ſunt, qui contingunt materiam, formam, conſecrationem ſive immolationem hoſtiæ, ordinem & intentionem Sacerdotis. De his ſat ſuperque diximus ſuprà hoc *Titulo Quæſt.* 2. §. 1. *Dubio* 1, & *Dubio* 2. *in examine* 5. *diſpoſitionis.*

De obligatione ratione ritus eſſentialium.

Reſpondeo ſecundò, ad illos ritus obſervandos teneri Sacerdotem ſub peccato graviſſimo ſacrilegij, non tantum ut licitè, ſed etiam ut validè ſacrificet & miſſam celebret. Vide ibidem *Reg.* 1.

Reſpondeo tertiò, Ad eſſentiales ritus reduci ſacrificij ſumptionem, etſi enim præcisè pars eſſentialis non ſit, eſt tamen integralis, & ad ipſummet ſacrificium ex inſtitutione CHRISTI pertinet,

Dubium 2.

Qui ſint ritus accidentales actionem externam ſacrificij ex inſtitutione Eccleſiæ componentes, & ſub qua culpa obſervandi?

DE his egimus ſuprà in examine 5. diſpoſitionis ex parte Sacerdotis, tum in reſp. ad primam petitionem, tum in Regula 2, immediatè ſequenti: tantum hic breviter notandum eſt, inter partes illas integrantes, præcipuam eſſe *Canonem Miſſæ*, quem tanti æſtimant Concilia ſacra, ut nefas putent aliquid in eo mutare, utporè quod in ſe puriſſimam totius Sacramenti & ſacrificij actionem contineat. Unde Concilium Tridentinum ſeſs. 22. cap. 4. *Cùm* (inquit) *Sancta ſanctè adminiſtrari conveniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium, Eccleſia Catholica, ut dignè reverenterque offerretur ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſeculis inſtituit ità ab omni errore purum; ut nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem ac pietatem quandam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat: Is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque pontificum pijs inſtitutionibus:* Hæc Concilium. Similia & ampliora habentur *de celebratione Miſſarum cap. cùm Marthæ*, quæ præcitata ſunt, & S. Canonis declarativa.

Canon Miſſæ pars præcipua

Trid. ſeſſ. 22. cap. 4.

Ex quibus *Colligo*: Tantam eſſe Canonis auctoritatem, ut ſi quis aliquam ejus partem alicujus momenti omittat vel immutet, mortaliter peccet: quia in re gravi Eccleſiæ præſcriptum tranſgreditur: quæ gravitas expendi poteſt ex hoc: *Quòd* (ut ait Concil. ſextus, &c.) *Primò*, *Hic Canon conſtat ex verbis Domini & Apoſtolorum traditionibus*, &c. *Secundò*, quòd inſtitutus eſt, ut dignè & reverenter ſanctiſſimum hoc ſacrificium offerretur, quæ rei gravitatem indicant & demonſtrant. Ceteræ partes quæ in miſſa catechumenorum continentur, minoris ſunt conſiderationis: majoris verò proportionaliter, quæ ab offertorio dicuntur, quia etſi illa dignitatem Canonis non obtineant, ad illũ tamen approximant: inter illa autem magis quidem obſervandum eſt, ut tota materia ſacrificij ritè offeratur; ſed maximè, ut aqua vino miſceatur: præterquam enim quòd CHRISTUM aquã vino miſcuiſſe antiquæ liturgiæ profiteantur, id ſpeciali præcepto injunctum eſſe tradit *S. Synodus Tridentina ſuprà cap. 7. monet* (inquit) *deinde S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent, tum quod* CHRISTUM *Dominum ità feciſſe credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cùm aquæ in Apocalypſi beati Ioannis, populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite* CHRISTO *unio repræſentatur.*

Omittens aliquam Canonis partem peccat mortaliter

Trid. ſeſſ. 22. cap. 7.

Ex quibus iterùm, & ex Concilij verbis *Colligo*: quòd, qui omitteret deliberatè vel ex culpabili negligentia, aut offerre, aut aquam vino miſcere, peccaret mortaliter; quia ſunt res graves, & de aquæ mixtione, præceptum ſaltem Eccleſiaſticum obligatorium eſt.

Dubium

Dubium. 3.

Qui ſint ritus qui concomitanter velut ex neceſſitate ad miſſæ celebrationem requiruntur, & ſub qua culpa obſervandi?

Quid de ritibus concomitantibus.

RESpondeo primò, Ritus illos concomitantes, eſſe *Locum ſacrum altare*, cum ſuis paramentis, *vaſa ſacra* & *ornamenta ſacerdotalia*, ac *miniſtrum*.

Reſpondeo ſecundò, peccare mortaliter, qui loco non ſacro abſque juris diſpoſitione, privilegio vel diſpenſatione ſingulari celebrat. Sumitur *ex cap. nullus presbyter* 1. *de conſecr. diſt*, 1. Ubi ex Silveſtro Papa decernitur: *Nullus presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſini particeps de cætero voluerit eſſe Sacerdotij*, quæ ultima verba, ſuſpenſionem aut degradationem inſinuant, & conſequenter mortale peccatum. *Item* ibidem *c. hic ergò*, ex Clemente Romano *Ep.* 3. *in alijs locis ſacrificare & miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius juſſerit, aut ab Epiſcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, conſecrata fuerint, aliter enim non ſunt hæc agenda, nec ritè celebranda.* Nota verba ultima (*rite celebranda*) eadem habentur diſtinctiſſimè ibidem *cap. ſicut non alij*: Legatur & *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *in decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ.*

C. nullus presbyter 1. de conſecr. diſt. 1.

Ibidem C. Hic ergo.

Epiſcopi poſſunt loca deſignare ut in iis Miſſa celebretur.

Dixi (*abſque juris diſpoſitione, privilegio*, &c. Poſſunt enim Epiſcopi ex juris communis diſpoſitione aliqua loca deſignare, & permittere ut ibi miſſa celebretur, etiam in particularibus ac privatis domibus, modò illa loca ita ad divinum cultum deputentur, ut profanis uſibus non deſerviant. Id habetur *cap.* miſſarum ſolemnia *de conſecr. diſt.* 1. ex Concilio Triburienſi. *miſſarum* (inquit) *ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſentus.* Et in *Concil. Trid. loco citato*, decernit S. Synodus Epiſcopis. *Neve patiantur in privatis domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem ordinarijs deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus aut regularibus quibuſcunque peragi, non obſtantibus privilegijs, aut exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.* Ex quibus verbis

Ibidem C. Miſſarum ſolemnia.

Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſerv. & vitandis in celebr. miſſa.

Colligo primò, Ubi Epiſcopus aliquem locum ſivè oratorium deſignaverit, & divino tantùm cultui deputaverit, etiam in privata domo licere celebrare, talemque locum Epiſcopum poſt Concilium Tridentinum deſignare poſſe.

Colligo ſecundò, Non licerè Epiſcopo dare licentiam, ut in locis communi, qui adhuc deputatur uſibus ſæcularibus, celebretur.

Colligo tertiò, Privilegiatos etiam exemptos non poſſe celebrare, ex antiquis Privilegijs ante Concilium Tridentinum conceſſis, in locis non ſacris, niſi ſint loca tantùm cultui divino deputata, & à communibus uſibus ſeparata. Clara ſint verba textus: unde qui aliter ſivè de poteſtate Epiſcoporum, ſivè de facultatibus illis antiquis regolarium ſentiunt, videant quid ſentiant: allegantur portò aliquæ prohibitiones factæ Epiſcopis quoad locorum privatorum ad miſſam celebrandam deputationem, ſed nullam lego pro univerſali Eccleſia factam, aut pro lege communi receptam.

Poteſtas privilegiatorum pro celebr. in locis privatis.

Dixi de privilegiatis notanter (*ex antiquis privilegijs ante Concilium Tridentinum conceſſis*) ſi enim privilegia fuerint confirmata, aut alia conceſſa poſt Concilium ut nimirum: poſſint in quolibet decenti loco celebrare cum altari portatili, ſine dubio poterunt: ſic conceſſum fuiſſe patribus Jeſuitis à Greg. XIII. derogando Concilio Tridentino, referunt privilegiorum competendia, quorum privilegijs gaudent per communicationem ordines mendicantium, & alij iiſdem communicationibus communibus fruentes.

An in quocumque loco honeſto, et ſi non ab uſibus humanis ſeparato.

Petitur verò ab aliquibus: an virtute harum conceſſionum liceat celebrare miſſam in mari? *Reſpondeo*? Extra periculum effuſionis Sanguinis licere: hanc enim ſolam cauſam prohibitionis adferunt Doctores. Undè Clemens VIII. & Paulus V. dicuntur navigantibus in Indiam ſereno cœlo & tranquillo mari in onerarijs navibus id permiſiſſe, ſed privilegio aliquo opus non eſſe reor, ſi nullum omninè ſit periculum effuſionis ſpecierum, de quo ſecurè providendum eſſet, antequàm quis celebrare poſſit. Et hæc quidem de *loco*.

Dubium 4.

Quid ſi Eccleſia aut locus prius conſecratus, pollutus fuerit?

REſpondeo, extra caſum neceſſitatis non licere celebrare in Eccleſia publico crimine polluta, antequam ſit reconciliata. Hæc reſponſio ſumitur ex omnibus canonibus qui docent Eccleſias varijs criminibus pollui: nihil enim aliud eſt Eccleſiam pollui, quàm ob horrorem criminis in ea commiſſi, prohiberi ibidem miſſam & alia divina celebrari. Cum autem res ſit gravis contra reverentiam Eccleſiæ & Sacramenti, æſtimatur peccatum mortale committere, qui in locis pollutis ante reconciliationem abſque facultate Eccleſiæ celebrat. Dixi (*in Eccleſia publico crimine polluta*) non enim polluitur abſque publico crimine & peccato.

Eſt peccatum mortale in Eccleſia polluta celebrare.

Pollutionem verò illam inducit *primò*, injurioſa & gravis effuſio Sanguinis, aut occiſio hominis in Eccleſia, quæ ſit peccatum mortale: ſi enim levis ſit percuſſio, aut Sanguis tantùm ad modicum effluat, Eccleſia non polluitur. *Item* etſi Sanguis non effluat, ſi tamen aut ſuſpendio, aut ſuffocatione homo in Eccleſia occidatur, polluitur Eccleſia, quia ſolus horror peccati ad Eccleſiam polluendam ſufficit, propter quem horrorem Eccleſia indignum judicat, ut locus ubi remiſſio peccatorum datur, peccatis iſtis horrendis velut inficiatur. Undè iterum, debet peccatum fuiſſe commiſſum

Quibus modis Eccleſia polluatur.

miſſum intra Eccleſiam, ſi enim quis percuſſus aut vulneratus fuerit extra Eccleſiam, etſi intra Eccleſiam ſanguinem effundat & moriatur, Eccleſia non polluitur.

Secundò, Pollutionem Eccleſiæ inducit illicita & peccaminoſa ſive libidinoſa & carnalis humani ſeminis effuſio voluntariè excitata, quocumq; actu fiat, ut concubitu, excitatione per tactus aut oſcula: patet ex *cap. ſi Eccleſia de conſecratione Eccleſiæ vel altaris*: Si verò non ſit illicita & cum peccato, ut inter conjuges actui conjugali legitimè & in caſibus licitis vacantes, aut in aliquo ſeminifluo fluxum ſeminis contra voluntatem patiente, Eccleſia non polluitur: quia (ut dixi) ipſe ſolus materialis fluxus ſeminis non polluit, ſed peccati abominatio & horror pollutionem per Eccleſiæ decreta induxit.

C. Si Eccleſia de conſecr.

Tertiò, Polluitur Eccleſia, cùm excommunicatus ſepelitur in illa, ſuprà *cap. conſuluiſti.* Quod de nominatim & publicè excommunicato aut notorio percuſſore clerici intelligendum eſt; Hi enim ſoli à tempore concilij conſtantienſis vitandi ſunt, & conſequenter à ſepultura Eccleſiaſtica ratione excommunicationis repelluntur.

Quartò, polluitur Eccleſia, ſi Paganus aut infidelis non baptizatus in ea ſepeliatur *cap. Eccleſiam 1. & 2. De conſecr. diſt.* 1. Pagano & infideli adjungitur puer abſque baptiſmo defunctus, ſi ejus cadaver in Eccleſia ſepeliatur. Dixi verò in reſponſione (*publico crimine*) cùm enim, quæ decreta ſunt de Eccleſiarum pollutione, in horrorem criminis ſint decreta, ſicut quæ occulta ſunt horrorem non cauſant, ſic nec polluere cenſentur Eccleſiam, quod in omnibus caſibus ſupradictis advertendum eſt.

Quando liceat in Eccleſia polluta celebrare.

Dixi (*extra caſum neceſſitatis*) in caſu enim veræ neceſſitatis licebit celebrare: ſi non pateat facilis aditus ad Epiſcopum qui reconciliet, vel ad aliquem, qui reconciliandi facultatem habeat, & diù deberet populus manere abſque auditione miſſæ aut officiis divinis, vel ſi eſſet celebrandum ad infirmum pro Viatico communicandum, & non ſit altare niſi in tali Eccleſia. *Advertendum* tamen eſt, quemlibet Sacerdotem vel parochum poſſe Eccleſiam ſuam reconciliare de licentia ſpeciali Epiſcopi, ſi Eccleſia necdum ab Epiſcopo fuerit conſecrata; ſi verò fuerit conſecrata, de licentia ſedis Apoſtolicæ tantùm, obtentâ *aquâ Gregorianâ*, ut vocant, ſivè aquâ per Epiſcopum benedictâ cum vino & cinere. Vide *Rituale Romanum.* Quod & poſſunt facere in ſuis Eccleſiis conſecratis Prælati Regulares ex privilegio Apoſtolico Ubi tamen Eccleſiæ non ſunt conſecratæ, ſed tantùm benedictæ, non requiritur niſi aqua ſimpliciter benedicta à Sacerdote ſimplici.

Qualiter & à quibus Eccleſia polluta reconciliari poſſit.

Licet baptizare in Eccl. ſia polluta.

Advertendum eſt etiam, licere in Eccleſia polluta baptizare & Sacramentum euchariſtiæ conſervare pro infirmis: cujus rationem reddunt, quia hue etiam tempore Interdicti licet.

Dubium 5.

Quid de altarium Ritu & ornatu?

Altare duplex fixum & mobile.

R*Eſpondeo* primò, duplex ex communi uſu reperiri altare: aliud eſt *portatile* ſivè *mobile*, aliud eſt *fixum*. *Fixum ſive ſtabile* dicitur quod alicui baſi ad hoc priùs erectæ, calce vel aliâ ratione per modum unius connectitur: *portatile* vero ſivè *mobile* dicitur: quod pro voluntate amovetur, & de loco ad locum transfertur.

Altare debet eſſe lapideum.

Reſpondeo ſecundò, altare ſivè *fixum* ſivè *portatile primo*, debere eſſe *lapideum*: ita ſancivit S. Silveſter Papa, & habetur *Cap. altaria* 1. *de conſecratione D.* 2. *ex conc. Hyponenſi c.* 26.

Ab Epiſcopo conſecratum.

Secundò, Debet eſſe ab Epiſcopo legitimè *conſecratum*: Ità habet antiquiſſimus *S. Dionyſius l. de Eccl. Hierarchia cap.* 5. *p.* 2. Et Concilium Agathenſe *cap.* 43. *&* 44. apud Gratianum 26. *qu.* 6. *c. miniſtrare*: *conſecrare* (ait) *altare presbyter non præſumat.*

D. Diony. de Eccleſ. Hierach. c. 5. p. 2.

Capax.

Tertiò, debet eſſe tantæ *capacitatis*, ut poſſit totam Hoſtiam cum majori parte pedis Calicis in ſe continere. Cujus ratio eſt, quia debet ſuper illud conſecratio Panis & Calicis fieri, non cenſetur autem ſuper eo fieri, ſi pro ſui majori parte illa non poſſint ſuper altari collocari.

Celebrare in altari non conſecrato peccatum eſt mortale.

Reſpondeo tertio, Peccatum mortale eſſe celebrare abſque altari conſecrato. Eſt communis totius Eccleſiæ traditio & doctrina, prout ex canonibus & antiquiſſima traditione clarè elicitur: vide *S. Dionyſium lib. de Eccl. Hierarchia cap.* 4. *parte* 3. & *conſtitutionem Higinij* apud Gratianum *de conſecr. diſt.* 1. Porrò nonnullæ reſtant incidentales quæſtiunculæ.

An requirantur in altari Reliquiæ.

Petes itaque *primò*, an ad conſecrationem altaris lapidei requirantur neceſſariò reliquiæ Sanctorum recluſæ ſub ſigillo illius? & an quis poſſit tutâ conſcientiâ celebrare in altari portatili cui non ſunt infixæ reliquiæ, aut in altari fixo, in quo ſigillum eſt effractum?

Reſpondeo primò, etſi in locis ubi reliquiæ Martyrum ſepultæ vel aſſervatæ erant, ordinariè ſacra altaria conſtruerentur & aliquandò reliquiæ ibi deponerentur: non fuit tamen ſemper in uſu, ut ipſis altaribus ſacræ Reliquiæ infigerentur. Conſtat ex argumento negativo: neque enim tale præceptum in antiquo jure reperitur, ſed tantum ordinatum erat, ut altare chriſmate vngeretur & benedictione Sacerdotali, id eſt Epiſcopali, cujus ſolius eſt chriſmate uti, conſecraretur. Nec obſtat *Conc. Carth. V. cap.* 14. Et habetur apud Gratianum *c. placuit de conſecr. d.* 1. ubi ſic legitur: *Placuit ut altaria quæ paſſim per agros & per villas tamquam memoria Martyrum conſtruuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Epiſcopis qui eiſdem locis præſunt: ſi fieri poteſt, evertantur.* Ibi enim non agitur de infixione Reliquiarum

C. Placuit de conſec. Diſt. 1.

liquiarum Martyrum in altari: ſed de altaribus, quæ in memoriam Martyrum, quaſi ibi eſſent ſepulti aut reliquiæ eorum reconditæ, erigebantur: in quibus, quia multæ falſitates, & infinitæ ſuperſtitiones reperiebantur: mandat Concilium talia altaria erui, niſi probentur reliquiæ Martyris, in cujus memoriam erecta ſunt, ibi reconditæ. Quæ omnia patent textum legenti: ſolum enim voluit Concilium prohibere falſam & ſuperſtitioſam religionem. Undè & uſque ad hæc tempora omnia ferè Altaria portatilia ſigillo & reliquijs carebant, in quibus abſq; ſcrupulo uſquè modo ſemper celebratum eſt, & ubi ſunt integra, ſemper celebrare licet.

Reſpondeo ſecundò, Modernis temporibus ſacras reliquias ab Epiſcopis in altaribus congruè ex Eccleſiæ præcepto reponi, ad expreſſiorem ſignificationem orationis Sacerdotis ad altare aſcendentis & altare oſculantis cùm dicit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic ſunt*, &c. Illa tamen reliquiarum infixio non eſt de neceſſitate conſecrationis altaris, ità ut ſi in illo non ponerentur, non idcirco non eſſet conſecratum, quamvis hoc tempore Epiſcopus peccaret, qui ſacras reliquias non imponeret, ratione præcepti. Ratio verò, cur impoſitio reliquiarum non ſit de eſſentia conſecrationis altaris, eſt: quia, ut dictum eſt, antiquitùs multa altaria abſque reliquijs Sanctorum conſecrata ſunt, & in Eccleſia permiſſa.

Qualiter altaria violentur.

Petes ſecundò, Quomodò contingat altaria violari, ità ut ſuper illis non liceat celebrare? *Reſpondo primò*, altare fixum dupliciter ſuam conſecrationem amittere, nimirùm: aut per fractionem lapidis, ſivè tabulæ ſuperpoſitæ, ità ut nulla pars ſufficiens ad capiendum calicem & hoſtiam, integra maneat: aut ſi à ſua baſi totaliter amoveatur. Patet ex *c. Quod in dubiis de conſecratione Eccl. ſiæ vel altaris*, ubi Innocentius III. Nidroſienſi Epiſcopo ſic ſcribit: *Altare, in quo tabula cui conſecrationis benedictio pontificali miniſterio adhibetur, ſi mota vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò conſecrari.* Hæc ibi. Ad violationem autem debet ità moveri, ut à ſua baſi totaliter ſeparetur, aliàs non violatur.

C. Quod in dubiis de confec. Eccleſ. vel alia.

Reſpondeo ſecundò, altare portatile ſolâ gravi fractione perdit conſecrationem ſuam. Ita ibidem ſuprà. Gravis autem fractio intelligitur ſi, ut dixi, calicis pedem ſecurè & firmiter cum hoſtia continere non poſſit. Tunc verò cenſetur continere non poſſe, quandò eſſet vel modicum periculum caſûs. In his enim ſumma ſecuritas requiritur.

Ex quibus *infero primò*, altare non profanari per ſolam ablationem ſigilli aut reliquiarum. *Ratio eſt*: quia, ut ſuprà diximus, illæ non ſunt de eſſentia & neceſſitate conſecrationis. Nec obſtat quòd *cap. Ad hæc*, de conſecratione Eccleſiæ, dicatur: *Ad hæc ſi altare motum fuerit, aut lapis ille ſolummodo ſuprà poſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò conſecrari*: nihil enim dicit de ruptione ſigilli aut de ablatione reliquiarum; ſed tantùm de confractione lapidis, in quo ſigillum eſt, quod etiam ſuprà docuimus.

C. Ad hæc de confec. Eccleſiæ.

Infero ſecundò, altare portatile non profanari per amotionem marginum ex ligno, quia tantùm circumponuntur ad decorem & conſervationem, aut etiam ad commoditatem, nec pertinent ad integritatem altaris.

Quis ornatus altaris ſufficiens? de numero tobaleará.

Petes tertiò, quæ requirantur ad ſufficiens ornamentum altaris? *Reſpondeo*, ad ſufficientem ejus ornatum requiri. *Primò*, tres *lineas tobaleas*, aut ſaltem duas, vel unam plicatam, quæ omnes debent eſſe benedictæ. Et quidem de tribus mentionem facit Pius Papa, & habetur apud gratianum *cap. ſi per negligentiam aliquid, de conſecr. Diſt.* 2. ubi de ſtillatione ſanguinis uſque ad tertium linteum meminit, ſed ex communi uſu moderno ſufficere duas aut unam plicatam, praxis docet: quibus tamen propter nimium humorem lapidis groſſior aliqua tobalea ſupponi ſolet: Quam cenſeo debere eſſe benedictam, ubi ſupponitur: nè, nimirùm, ſuper ipſo lapide altaris, ſuper quo Corpus & Sanguis CHRISTI conſecrantur, aliquid reperiatur quod benedictum non ſit.

C. Si per negligentiam de conſecr. diſt. 1.

Corporale.

Secundò, Præter tobaleas lineas requiritur ſimiliter *corporale* ab Epiſcopo, vel eo qui poteſtatem habet, benedictum, quod quidem ex puro lineo, terreno ſcilicet lino procreato atque contexto, abſque ſerico eſſe debere, decrevit Euſebius Papa *cap. conſulto de conſec. diſt.* 1.

C. cõſulto de confec. diſt. 1.

Miſſale.

Tertiò, Requiritur *Miſſale*: abſque Miſſali enim Miſſam celebrare, periculoſum eſt: crederem tamen eum, qui tenaciſſimæ memoriæ eſſet, ſi in caſu neceſſitatis celebraret abſque Miſſali, mortaliter non peccaturum.

Lumen.

Quartò, Requiritur *lumen*: & quidem ordinariè in duabus candelis cereis, quamvis de neceſſitate ſufficeret una, in qua etiam neceſſitate non negarem celebrari poſſe cum lumine ex oleo vel cevo: cùm canones tantùm ignem ſivè lumen requirant, ſine quo celebrare, peccatum mortale eſſe conſtet ex *c. ult. de celebratione Miſſarum*, ubi perpetuo privatur officio & beneficio, qui ſine igne & aqua ſacrificabat, additâ ratione malitiæ & nimiæ deſipientiæ.

Dubium 6.

Quid de vaſis ſacris?

Calix & patena requeruntur.

RESpondeo, vaſa ſacra ad ſacrificium neceſſaria ſunt Calix & patena, quæ quidem *Primò* debent eſſe aurea vel argentea, aut in vera neceſſitate & penuria paupertatis, ſtannea. Ita habetur Cap. ut Calix de conſecr. Diſt. 1. ex Concil. Rhemenſi. c. 6. *Ut Calix* (inquit) *Domini cum patena, ſi non ex auro, omninò ex argento fiat: ſi quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum Calicem habeat. De ære aut ex aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem*

C. ut Calix de conſecr. diſt. 1.

æruginem facit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare. Hæc ibi. Et quidem lignum ratione poroſitatis, vitrum autem ratione fragilitatis congruè prohibetur: Quod vero de auro vel argento dicitur, ſufficit ut cuppa calicis ſit ex illis. De forma calicis nîl invenimus ſingulariter præceptum, debet tamen illius formæ eſſe, ut non ſit periculum effuſioni ſacrarum ſpecierum.

Calix & patena debent eſſe conſecrata

Secundò, Tam calix, quàm patena debent eſſe ab Epiſcopo conſecrata per unctionem Criſmatis, *&* ſingularem benedictionem, ut habetur *Tit. de ſacra Unctione* ſub finem. Quod verò aliqui dicunt: ſi quis in calice non conſecrato ex inadvertentia celebret, illum cenſeri conſecratum ob contactum ſacrarum ſpecierum, mihi non probatur, cùm nullo Jure vel Canone exprimatur.

Quid de pixide.

De pixide etiam, in qua reconduntur ſacræ hoſtiæ, diſputant Theologi; an conſecrari aut benedici debeat? ſed abſque diſputatione ſervanda eſt forma Eccleſiæ, qua benedicuntur pixides, ut habetur ad finem Miſſalis.

Palla benedicta.

Palla etiam, quo calix operitur, pertinet ad Corporale, & ejuſdem materiæ eſſe debet, eodemque modo benedici: antiquitùs enim tantùm fuit uſus unius Corporalis, quod calici ſuperinducebatur ad illud operiendum: addita verò eſt ſeparata palla tanquam Corporalis ob commoditatem, ut faciliùs calix amovendo vel removendo diſcooperiatur, vel cooperiatur. Cur verò ejuſdem materiæ debeat eſſe, eſt, quia ex primaria ſignificatione corporale repræſentat ſyndonem, qua corpus JESU CHRISTI involutum fuit: ideoque debent tolli omnes aliæ pallæ ſericæ, vel ex altera materia confectæ: nam (ut dixi) palla eſt pars Corporalis ab illo diviſa ſolùm ob commoditatem, & ad avertenda pericula alicujus incongruitatis & effuſionis calicis.

Quomodo calix profanetur.

Petes Qualiter contingat calicem profanari? *Reſpondeo primò*, Ubi eſt fixus calix cum ſuo pede & baſi, ipſum profanari per fractionem & diviſionem à pede. *Ratio eſt*: Quia per modum unius cum illo conſecratus fuit: ſi verò fuerit calix tornatilis, niſi frangatur cuppa, aut immutetur notabiliter, non cenſetur profanus. *Ratio eſt*: Quia quidquid in pede, vel medio ſtipite eſt, adjectitium eſt, cùm ad libitum removeri poſſit.

Reſpondeo ſecundò, Calicem conſecratum, ſi poſtquàm conſecratus fuit, deauretur intùs ſive primò, poſt detritionem auri primi, cenſetur ſecundò profanatus, & iterùm conſecrari debet. *Ratio eſt*: Quia calix juxtà ſuperficiem extremam concavi conſecratur; undè deauratio, quæ ſuperficiem extremam afficit, quia immediatè ſacras ſpecies contingit, primò conſecrata cenſetur, etſi tamen verè totus calix ſic conſecratus, quòd ſi illa deauratione in interiori concavo calicis abraſâ, nova ſuperinducatur, cenſetur novum continens, quod ſacras ſpecies immediatè contingit, ideoque conſecrari denuò debet. Aliud eſt, ſi detritâ deauratione priore, quam conſecratio immediatè attingebat, maneat calix immutatus; cenſetur enim manere conſecratus conſecratione, quæ per modum unius in totum calicem virtute ferebatur.

Tactum ſacrorum vaſorum.

De tactu ſacrorum vaſorum & corporalium nil aliud dicendum occurrit, niſi Eccleſiam ob reverentiam Corporis & Sanguinis Domini prohibuiſſe Laicis, & alijs perſonis Deo non ſacratis uti vaſis ſacris, & illa tangere. Quod & Soter Papa virginibus Deo dicatis prohibuit. Undè conſuetudo hæc retinenda eſt, quam abſque veniali peccato nemo extrà caſum neceſſitatis, vel cauſæ rationabilis prævaricari poteſt. In caſu tamen neceſſitatis, vel cauſæ rationabilis, credo nullum eſſe peccatum; ut ſi Sacriſta, ſive Laicus, ſive Clericus, debeat de loco ad locum movere calicem, aut corporale levare de terra, aut ex ſimilibus cauſis rationabilibus expediat illa tangere. Profanus itaque tactus, & non neceſſarius, vel rationabilis tantùm videtur prohiberi. Undè C. *In Sancta de Conſecratione* D. 1. quando Sixtus Papa ſic loquitur: *In Sancta Apoſtolica Sede ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab alijs, quàm à ſacratis, Dominoque dicatis hominibus contrectentur, nè pro talibus præſumptionibus Dominus iratus plagas imponat populo ſuo, & hi etiam, qui non peccaverunt, pereant*, &c. De profana contrectatione intelligendum eſt, non de neceſſaria & rationabili. Quod & ex ſeq. cap. *Veſtimenta Eccleſiæ*, colligitur, ubi etiam præcipitur, nè veſtimenta ſacra ab alijs, quàm ſacratis hominibus contingi poſſint: *Nè* (ut ait) *ultio, quæ Balthaſar Regem percuſſit, ſuper hoc tranſgredientes veniat, & corruere eos faciat ad ima.* Conſtat verò veſtimenta ſacta modò poſſe à quocunque reverenter tangi, conſtat & Balthaſarum non fuiſſe punitum, niſi ob profanos ſacrorum vaſorum uſus. C. In Sancta de Cõſec. Diſt. 1. C. Veſtimenta Eccleſ. ibid.

Mea igitur ſententia eſt: In aliqua neceſſitate vaſa illa transferendi (modò ſacræ ſpecies non ſint in illis) vel rationabili aliquâ cauſa, ſine peccato illa tangi poſſe, maximè ab ijs, qui curam illorum habent. Quod enim de lotione levi corporalium per Subdiaconos vel Diaconos mandatur *Cap. Nemo* 2. ſuprà, id fit ratione particularum hoſtiæ, quæ interdùm adhærere poſſent. Undè & in *Cap. Non liceat* 2. *D.* 23. apud Gratianum permittitur *Acolutho in Secretario vaſa Dominica tangere*. C. Nemo 2 de Conſec. Diſt. 1. C. Non liceat. 2. Diſt. 23.

Dubium 7.

Quid de ornamentis Sacerdotalibus?

Veſtimenta ſacra Sacerdotalia

R*Eſpondeo*, Hic unicum eſſe præceptum: ut Sacerdos non poſſit celebrare abſque veſtibus ſacris, ab eo, qui poteſtatem habet, benedictis. Et habetur *Cap. Veſtimenta de Conſer. D.* 1. Quod quidem præceptum ex reverentia debita ſacrificio ſumitur, eſtque in ſe ità grave, ut qui ſine ulla neceſſitate deliberatè, & ex advertentia abſque aliquo ex Sacerdotalibus C. Veſtimenta de Conſecr. Diſt. 1.

bus indumentis celebraret, mortaliter peccaret ob irreverentiam ſacrificij. Certè fuit antiquitùs tanta reverentia *orarij*, id eſt *ſtola*, ab utroque humero dependentis & ante pectus in modum crucis diſpoſitæ, ut Sacerdos illam omittens excommunicationi ſubjaceret, ut habet *Concilium III. Bracarenſe cap. 3.* allegatum à Gratiano *D. 23. Cap. Eccleſiaſtica.* Quod & pro ſingulari ornamento deferebant Sacerdotes in proceſſionibus & Litaniis. Undè & Fortunatus Pictavienſis in vita ſancti Marcelli refert S. Marcellum Epiſcopum Pariſienſem, dum immanis draco propè civitatem deliteſceret, ad locum proceſſionaliter proceſſiſſe: *Miſſoque* (inquit) *in collum ſerpentis orario, triumphum ſuum ante oculos civium extrahebat.*

C. Eccleſiaſtica D. 23.

Dixi ſuperiùs (*qui ſine neceſſitate abſque aliquo ex indumentis ſacerdotalibus celebraret*) In caſu enim neceſſitatis abſque cingulo, vel manipulo benedicto celebrantem peccati mortalis non condemnarem, quia illa vix apparent, & illorum defectus non videtur gravem irreverentiam ſacrificio inferre.

Veſtimenta lacera & ſordida.

De laceris & ſordidis veſtimentis judicandum eſt juxta irreverentiam & ſcandalum, ac negligentiam ſordidi Sacerdotis. Certum eſt enim ex illis graves irreverentias oriri, & ratione immunditiæ aut ſcandali peccatum mortale incurri poſſe.

Calceamenta.

De calceamentis res non videtur tanti momenti, ut celebrans abſque calceamentis peccatum incurrat: decentiſſimum tamen eſt illis uti.

Dubium 8.

Quid de miniſtro in ſacrificio Miſſæ.

R*Eſpondeo primò*, Fœminam etiam puellam virginem non debere miniſtrare in Miſſa aquam & vinum porrigendo, aut aliter ad altare accedendo. Ita expreſsè cap. 1. de cohabitatione clericorum & mulierum. *Prohibendum* (inquit) *quoque eſt, ut nulla fœmina præſumat ad altare accedere, aut presbytero miniſtrare, aut infrà cancellos ſtare, vel ſedere:* ſine dubio propter periculum aliquod alicujus motûs vel incontinentiæ in altari. A longè tamen reſpondere non eſt illis prohibitum. Et ſanè vix occurrit neceſſitas, quâ (ſi habeat vinum & aquam ad altare præparatum) non poſſit Sacerdos ſibi ipſi ea miniſtrare. An autem ſine miniſtro poſſit quis in caſu neceſſitatis celebrare? Diſputant Auctores: Ego nullam ſpecialem prohibitionem huc uſque inveni: Scio tamen indecens eſſe, nec ob caſus qui contingere poſſunt, debere facilè hoc abuſu præſumi.

C. inhibendum de cohabitat. clericorum & mulierum

Dubium 9.

Qui cenſeantur ritus merè directivi, & qualiter obligent?

Ritus merè directivi qui?

R*Eſpondeo*, Ritus illos merè directivos cenſeri, qui nullo ſpeciali præcepto Canonum, vel Conciliorum demandati ſunt, ſed ſolis Miſſalis Rubricis, nec in aliquo eſſentiæ aut integritati ſacrificii notabiliter advertantur. Tales ſunt aliquæ ad populum verſiones, cruces, elevationes manuum, tunſiones pectoris, &c. Quæ advertentem ſaltem ſub veniali peccato obligant: undè ſi quis ex inadvertentia inculpabili omitteret, nullius peccati reus teneretur. *Ratio eſt:* quia etſi præſcriptionem illorum inveniam: præceptum tamen præciſum de illis non reperio: unde ſi quod peccatum ſit in illorum omiſſione, negligentiæ & irreverentiæ contra modos ab Eccleſia in tanto ſacrificio præſcriptos, erit imputandum.

Advertendum tamen eſt: tripliciter Sacerdotem poſſe peccare mortaliter occaſione illorum ſacrorum rituum. *Primo*, ob contemptum & gravem incuriam in illis addiſcendis & practicandis. Si enim notabiliter in illis ſit incurius, cenſebitur interpretativus contemptus ſacrorum, & ſacrarum inſtitutionum, ac irreverentia notabilis.

Quando cenſeatur Sacerdos mortaliter peccare omittendo cæremonias.

Secundò, Cùm non tantùm negligit ſacras cæremonias, ſed hiſtrionum more pro libitu geſtus & modos ſibi fingit, vel ab aliis efficctos efformat: ut, proh dolor! plurimos videmus, qui in S. ſacrificio hiſtriones magis apparent, quàm Sacerdotes, etiam cum ſcandalo videntium & ſacrificii non mediocri irreverentiâ.

Tertiò, Cùm quis novos ritus introducit, ex quibus indebiti cultus, aut falſi vel ſuperſtitioſi in Miſſa inducuntur, dum diverſa ſigna aut orationes Sacerdotes immiſcent. De quibus poſteà cùm agemus de irreligioſitate.

Dubium 10.

Quid de hora Miſſam celebrandi?

R*Eſpondeo primò*, Eccleſiæ antiqua ordinatio fuit, ut ab aurora uſque ad meridiem Miſſas celebrare liceret, & non extra illud tempus. Undè & Ordini noſtro & aliis participantibus datum eſt privilegium celebrandi, de licentia Superiorum, poſt mediam noctem, & poſt meridiem. Quod privilegium in ſuo vigore permanere probat Roderiquez tom. 1. qq. Reg. q. 23.

Hora celebrandi.

Reſpondeo ſecundò, In Belgio & aliis vicinis regionibus videtur quoad tempus illud matutinum, eſſe conſuetudine contrariâ præſcriptum contra ordinationem communem Eccleſiæ: Solent enim Sacerdotes ubique pluribus etiam horis ante auroram celebrare, maximè in hyeme, cùm Sol tantùm circa octavam oritur. Quoad meridiem tamen antiqua ordinatio communiter ſervatur.

Præſcriptio Belgij.

Reſpondeo tertiò, Ubi eſt neceſſitas vel cauſa juſta, licet ex Epikéia rationabili, abſque ſcrupulo, unâ ſaltem horâ poſt meridiem celebrare. *Explico*: Si in Paſchate impeditur parochus in audiendis Confeſſionibus, ita, ut

Quo caſu liceat poſt meridiem celebrare.

vix

vix Miſſam poſſit inchoare ante meridiem . quia forte diſtribuenda eſt ſacra communio ob frequentiam populi , & caſus occurrentes. *Similiter* : Ob ſolemnitatem, & quia concio eſt habenda , aut alia notabilis actio inter Miſſarum ſolemnia celebranda, ut Profeſſio religioſa. *Item* : Ubi ſolemnes exequiæ tractum temporis majorem requirunt. *Item* : Ratione neceſſarij itineris in die Dominica vel Feſto obligante, cùm Sacerdos non poteſt pertingere ad locum celebrationis , niſi circa meridiem , iſtis & ſimilibus caſibus licebit celebrare etiam poſt meridiem, modò hora non excedatur. Quinimò , modò in ipſa meridie incipiatur Miſſa, nullum eſt peccatum , ſi poſt meridiem perficiatur.

Appendix.

Sacrificij Miſſæ & Cæremoniarum ejus ſacroſancta & auguſtiſſima myſteria.

C*Andide Lector* dùm prælum progrederetur , amici urgent & cogunt, ut ſignificationes myſticas ſacrificij Miſſæ & cæremoniarum ejus, quas privato meo uſui à principio ſuſcepti ſacroſancti Sacerdotij collegeram , huic operi ad calcem Titulorum de *Miſſæ* ſacrificio inſererem. Pareo precarijs mandatis : Tu needùm omninò limatam Appendicem ſuſcipe, ſi non diſpliceat , reviſam & correctam SS: Patrum, ac Sanctorum citationibus ornabo, & recudi curabo eâ formâ , quæ ad manum eſſe poſſit.

§ I.

De Sacrificio Miſſæ in genere, & partibus ejus.

Sacrificiũ Miſſæ idem cum ſacrificio cruento,

S*Acrificium Miſſæ*, cruenti ſacrificij Dominicæ paſſionis in cruce oblati, *incruentam & mundam oblationem* eſſe à CHRISTO inſtitutam , Catholica fatetur Eccleſia , in qua idem CHRISTUS JESUS Sacerdos & Hoſtia & Altare eſt. Undè & hoc ſacrificium *mortis* CHRISTI *celebrationem* nuncupavit S. Chryſoſt ipſo etiam inſtitutore CHRISTO teſtimonium perhibente, dùm oblationem illam conſecraret , offerretque : quia (inquit) *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur.* Et iterùm : *Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Sive ut S. Lucas. *Hic eſt Calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Luc. 22. verſ. 19. Matth. 26. verſ. 28. Luc. 22. verſ. 20.

Miſſa totius vitæ Chriſti compendium.

Porrò : Quia à puncto Incarnationis tota CHRISTI Domini vita fuit una *oblatio* continua , qua ſeipſum CHRISTUS Patri immolavit ; ideò ſancta Mater Eccleſia inſpirante Spiritu ſancto totam CHRISTI vitam , totum itinerarium Filij Dei à puncto Incarnationis uſque ad aſcenſionem ejus in cœlum ſymbolico compendio in ſuis cæremonijs expreſſit,

Diviſio Miſſæ prout in hac Appendice explicatur.

Dividemus itaque Miſſam in *Præambulam* , quod eſt uſque ad Introitum , & in alias quinque partes, quarum 1. *Ab Introitu uſque ad Evangelium.* 2. *Ab Evangelio uſque ad Offertorium.* 3. *Ab Offertorio uſque ad Canonem.* 4. *A Canone uſque ad Communionem.* 5. *A Communione uſque ad finem.*

§. II.

Præambuli in Miſſæ myſteria.

Amictus.

S*Acerdos* itaque *Primò* induit ſe ſacris veſtibus, quæ CHRISTI Domini humanam veſtem ſignificant, & incipit ab AMICTU , qui *galeam ſalutis*, ſive *galeam ſpem ſalutis*, Incarnationem utique ſignificat, in qua Divinitas humanitatis amictu velata eſt, ut CHRISTUS fieret *Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium , primogenitus ex mortuis : Ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. In* CHRISTO *enim inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatûs & poteſtatis*, in cujus capitis velati virtute & fide , tanquam galeâ ſalutis protectus Sacerdos procedit ad expugnandos Diabolicos incurſus.

Ad Epheſ. 6. verſ. 17. 1. Theſſ. 5. verſ. 8. Ad Coloſſ. 1. v. 18. 19. Ad Coloſſ. 2. v. 9. 10.

Alba.

ALBA demùm induitur, quæ innocentiam & juſtitiam CHRISTI indicat , quaſi *induens Dominum* JESUM CHRISTUM , ut juxtà promiſſionem Propheticam in CHRISTO *Induatur ſalutari*, vel *Induantur juſtitiam* : prout & illi , qui viſi ſunt in Apocalypſi aſſiſtere throno Dei in veſtibus & ſtolis albis : utique quas *dealbaverant in ſanguine agni* immaculati. Undè dicit Sacerdos : *Dealba me Domine , & munda cor meum , ut in ſanguine agni dealbatus, gaudijs perfruar ſempiternis.*

Rom. 13. verſ. 14. Pſal. 131. verſ. 169. Apoc. 4. verſ. 4. Cap. 7. verſ. 14.

Cingulum.

CINGULO deindè ſe præcingit ad honeſtam altitudinem , & ad modum illius: qui apparebat in Apocalypſi : *Præcinctus ad mamillas zonâ aureâ* ad caſtitatem ſignificandam , quaſi defluentem concupiſcentiæ veſtem præcingens & conſtringens , nè ad terrena defluat monente Domino : *Sint lumbi veſtri præcincti* , &c. Vndè & orat Sacerdos : *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.*

Apoc. 1. verſ. 13. Luc. 12. verſ. 35.

Manipulus.

MANIPULUM exindè in ſiniſtra ſumit : quo ſe perferendis CHRISTI doloribus adaptat , ut particeps ſit tribulationis & laborum, ac tentationum: undè dicit: *Merear Domine portare manipulum fletûs & doloris*, &c. utique , *Euntes ibant & flebant* communicantes paſſionibus CHRISTI : *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*: ſi enim compatimur , & conregnabimus.

Pſal. 125. verſ. 6.

Stola.

STOLAM poſteà aſſumit , quæ reſtitutæ gratiæ & immortalitatis ſignum eſt , ſperans Sacerdos in virtute ſacrificij illam ſibi & omnibus recuperare : undè illam circà collum gyrat , & antè pectus in modum crucis componit , teſtificans collum Eccleſiæ monilibus

immortalitatis circumdandum, in virtute ſacrificij crucis, quod hic repræſentatur: hinc eſt illa oratio : *Redde mihi Domine ſtolam immortalitatis, quam perdidi*, &c.

PLANETAM tandem, ſive *Caſulam* ſuperinduit totius paſſionis CHRISTI figuris decoratam, in qua & figura columnæ, & figura crucis ordinariè formata eſt, ut oſtendat ſe non in perſona propria, ſed in perſona Chriſti accedere, & in ſanguine ac paſſionibus ejus. Undè & *Iugum* vocat dicens : *Domine, qui dixiſti, jugum meum ſuave*, &c. quaſi obediens CHRISTO dicenti : *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Matth. 16. verſ. 24.

Sacerdotis deſcenſus ad infimũ gradum Altaris.

His igitur indutus Sacerdos, deſcendit ad infimum gradum Altaris, ubi profundè inclinans, vel ſi ibi ſit venerabile Sacramentum, genuflexus adorans, ſignat ſe ſigno crucis, *In nomine Patris*, &c. quaſi CHRISTUM repræſentans Patri ad redemptionem generis humani ſe offerentem, juxtà illud Pſalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi, holocauſtum & pro peccato non poſtulâſti : tunc dixi : ecce venio.* Formar autem crucem planâ manu à fronte uſque ad pectus, & à ſiniſtro humero ad dextrum, ut indicet Sacerdos, *corde & opere* ſe confiteri CHRISTUM à Deo deſcendiſſe in uterum Virginis, ut nos à ſiniſtra damnationis dextræ ſalutis reſtitueret. Quod in omni ſimili ſigno per univerſum ſacrificium ſignificatur.

Pſalm. 39. verſ. 7.

Hebr. 10. verſ. 5.

Iudica.

Incipit autem Sacerdos manibus junctis ante pectus (extremitate manuum tantiſper elevatâ, pollice dextro premente ſiniſtrum per modum crucis) Pſalmum, *Iudica me Deus*, &c. præmiſsâ Antiphonâ, *Introibo ad Altare Dei.* Ubi *Iunctio* illa *manuum* cum planitie utriuſque palmæ cum elevatione extremitatis in altum, deſignat elevationem ſinceram *cordis & operis* in Deum ſecundùm omnes animæ potentias, eaque in virtute CHRISTI, qui dextrâ fortitudinis ſuæ quaſi preſſit & oppreſſit ſiniſtram Dœmonis potentiam : quod in duobus pollicibus, dextro per modum crucis ſiniſtrum premente, exprimitur. Antiphona, *Introibo*, obedientiam CHRISTI deſignat : *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Pſalmo, *Iudica*, tota virtus & efficacia hujus ſacrificij deſignatur : nimitùm Primò, *Iudicium mundi*, quod factum eſt, quando *Princeps hujus mundi* ejectus eſt foras. Secundò, *Lux & veritas*, quæ in mundum introivit, qua illuminatur omnis homo in hunc mundum veniens. Tertiò, *Gaudium & exultatio*, quæ reddita eſt per juſtificationem noſtram, ibi, *Confitebor tibi*, &c.

Introibo. Pſalm. 42.

Joan. 1. verſ. 9.

Confiteor.

Procedit Sacerdos ad *Confeßionem* : Per quam Sacerdos iterùm admonetur puritatis & innocentiæ juxtà illud Malach. 1. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum*, &c. *Offertur nomini meo oblatio munda*, &c.

Malach. 1. verſ. 11.

Inclinatio profunda & tunſio pectoris.

Profundè verò inclinans, & pectus percutiens, CHRISTI perſonam repræſentat, de quo Iſaias ait : *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Item Pſalm. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo*, &c. Undè & monet Apoſtolus : *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in* CHRISTO JESU, *qui cùm in forma Dei eſſet*, &c. *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, &c. ſimul in ſua humili confeſſione proteſtans Sacerdos : *Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.*

Iſai. 53. v. 4.

Pſalm. 21. verſ. 7.

Philip. 2. v. 5. 6. 7.

Dan. 9. verſ. 18.

Aſcenſus ad Altare.

Poſt confeſſionem & abſolutionem datam iterùm inclinatus orat, demùm orans ad Altare aſcendit, ut indicet ſpem & fiduciam ex humili oratione conceptam.

Accedens ad Altare (*in medio manibus junctis ſuper eo poſitis, ità ut digiti parvi duntaxat frontem, ſeu medium anterioris partis tabulæ, ſeu menſa Altaris tangant, reſiduo manuum inter Altare & ſe retento, pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum crucis poſito. Quæ omnia ſemper obſervantur, cùm manus junctæ ſuper Altare ponuntur. &c.* Secretò dicit : *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt*, &c. & oſculatur Altare, &c. Cur ſolis digitis parvis frontem Altaris tangat Sacerdos, reſiduo manuum inter ſe & Altare retento, duobus pollicibus deſuper crucem formantibus? Accipe hoc myſterium : Quòd à cruce versùs nos incipiant opera noſtra, id per pollices in modum crucis decuſſatos, & per reſiduum digitorum manus ſignificatur : quia verò opera noſtra in CHRISTO finiuntur & uniuntur, extremitas digitorum id oſtendit digiti autem parvi noſtræ manûs fronti Altaris inhærent, demonſtrantes diminutam adhuc charitatem, donec in CHRISTO perficiatur, & in patria adimpleatur.

Rubrica.

Cur ſolis digitis parvis frontem Altaris Sacerdos tangat?

Oratio Sacerdotis in Altaris medio.

Orat Sacerdos *per merita Sanctorum*, quorum reliquiæ ſunt in Altari, ut in charitate ſe cum Sanctis illis jungat, quos Deo unitos novit, & ut participet cum animabus interfectorum, quas Joannes in Apocalypſi *ſubtùs Altari vidit* rogantes conſumptionem malitiæ, & conſummationem ſuam, & Sanctorum, quibus reſponſum eſt, ut expectarent, donec numerus Electorum compleretur, qui numerus hoc ſanctiſſimo ſacrificio completur quàm maximè. Undè & hâc ratione antiquitùs ſacrificia celebrabantur ſuper cryptis & memorijs Martyrum.

Apoc. 6. verſ. 9.

Oſculum Altaris in medio : eſt proteſtatio reconciliationis factæ per CHRISTUM, & in CHRISTO, qui eſt Altare ſimul & hoſtia.

§. III.

De Introitu uſque ad Evangelium.

Introitus.

INTROITUS ſignificat adventum CHRISTI in mundum ipſo per Pſalmiſtam dicente : *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Undè ſumitur ordinariè ex aliquo Pſalmo vel Scriptura, ut oſtendatur ille venire

Pſalm. 39. verſ. 9.

Apoc. 13. verſ. 8.

venire, *qui occiſus eſt ab origine mundi*, & ab Abel juſto in omnibus juſtis regnavit. Undè & *Verſus* per modum gratiarum actionis ſubjungitur, & *Gloria Patri*, &c. ut ſignificetur ſanctiſſima Trinitas ab origine mundi noſtræ creationi, conſervationi, & ſaluti cooperata, etſi non omnibus cognita.

Verſus & Gloria Patri.

Kyrie Eleiſon.

Per KYRIE ELEYSON teferuntur ſanctorum Patrum adventum CHRISTI expectantium deſideria & fides in CHRISTUM venturum; quæ ter pro perſona *Patris*: ter pro perſona *Filij*: ter pro perſona *Spiritus ſancti* repetuntur, & quidem KYRIE, id eſt *Domine*, Patri & Spiritui ſancto attribuitur: CHRISTE, Filio, qui pro nobis unctus, oleum miſericordiæ abundè in nos effudit. *Ter* repetuntur, contrà triplicem miſeriam humanam, *Ignorantia* ſcilicet, *Culpa* & *Pœna*: *Ter* tertiò ducta, *Novem* faciunt: ut novem chori Angelorum deferendis Patrum, & noſtris votis deſerviſſe, & deſervire, ſignificetur.

Gloria in excelſis Deo.

HYMNUS, GLORIA IN EXCELSIS DEO (quem ab Angelis inchoatum, ab Apoſtolis perfectum traditio oſtendit) ſubjungitur, ut ſignificetur hymnus Angelorum Incarnationem & nativitatem CHRISTI annuntiantium: ut gaudium de CHRISTI Incarnatione & nativitate in cordibus fidelium renovetur.

Dominus vobiſcum. Ruth 2. verſ. 4. Matth. 1. verſ. 23.

Subſequitur Salutatio populi per ad precationem ſumptam ex cap. 2. Ruth DOMINUS VOBISCUM, quaſi Sacerdos ſimul congratuletur populo, quia Dei Filius factus eſt *Emmanuel nobiſcum Deus*, utique frater & caro noſtra, in quo adoptionem filiorum recepimus: oſculato autem Altari, vertit ſe Sacerdos à ſiniſtra ad dextram, ut in oſculo pacis convertat peccatores, & recolligat ad Dominum: unde & per eandem viam revertitur. Deindè manus extendens & jungens ad orationem exhortatur, dicendo, OREMUS, & orationem illam pronuntiat, ut omnes petitiones & orationes populi in unum colligat, tanquam legatione fungens ad Deum pro populo, & ad illum populi preces per CHRISTUM & in CHRISTO referens. Vnde concludit communiter: *Per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, &c. in quo eſt ſalus noſtra.

Oſculum Altaris.

Oremus.

Extenſio manuum Sacerdotis quid?

Myſterium declarant particulares cæremoniæ manuum. Extendit enim Sacerdos manus, & aliquantulum elevat, ut nec altitudine excedant extremitatem humerorum, nec latitudine profundum corporis, ut oſtendat omnes & ſolos in communi oratione complecti, qui intrà corpus CHRISTI, quod eſt Eccleſia, ſubſiſtunt & permanent: nullamque extrà corpus Eccleſiæ eſſe ſalutem. *Palmæ manus* extenſæ, ſe invicem reſpiciunt, ut ſignificetur *amor* & *charitas* mutua, ſine qua oratio non exauditur.

Cur palmæ ſe reſpiciant.

Epiſtola.

EPISTOLA prædicationem ſancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris ſignificat, quæ finem legi dedit, & peccatores per pœnitentiam ad CHRISTUM deſtinavit. Undè vel ex veteri Teſtamento, vel ex Epiſtolis & Actibus, ſive Scripturis Apoſtolorum ſumitur: quia ſicut Joannes CHRISTI prædicationem prævenit ad pœnitentiam eorum, qui CHRISTI adventum præceſſerunt, ſic Apoſtoli ad converſionem populorum *antè* CHRISTI *faciem* miſſi ſunt *in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus.* Epiſtolam ſubſequitur GRADUALE, quod deſignat pœnitentiæ lamentum, quo peccatores primò per baptiſmum Joannis, deindè per CHRISTI baptiſmum ad lamenta pœnitentiæ converſi ſunt. Graduale ſequitur ALLELUIA, vel TRACTUS. *Alleluia*, conſolationem indicat, quia, ut inquit Pſaltes: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam tuam.* *Tractus*, qui in Quadrageſima legitur, gemitum S. Eccleſiæ miſeriam præſentis incolatûs lugentis aperit.

Luc. 10. verſ. 1.

Graduale.

Alleluia. Pſalm. 93. verſ. 19.

Tractus.

§. IV.

De Evangelio uſque ad Offertorium.

TRanſlato libro à cornu Epiſtolæ ad latus Aquilonis, oratione præparatoriâ, *Munda cor meum*, interpoſitâ, Evangelium legitur.

Quid libri tranſlatio.

Tranſlatio illa libri ſignificat induratis cordibus Judæorum, CHRISTUM etiam ad Gentes, quæ erant in Galilæa, tranſiiſſe & illis prædicâſſe: quod & Judæis prædixerat: *Dico autem* (inquit) *vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, &c. *Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Undè qui præceperat primò Apoſtolis: *In viam Gentium nè abieritis*, &c. poſtmodùm & ipſe Gentibus prædicavit, & *miſit illos in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus.* Undè & Paulus Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes.* Priùs enim & CHRISTUS totam Judæam peragraverat *benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo.*

Matth. 8. v. 11. 12.

Matth. 10. verſ. 5. Luc. 10. verſ. 1. Actor. 13. verſ. 46.

Actor. 10. verſ. 38.

Evangelium ad Aquilonem, legitur.

Versùs Aquilonem EVANGELIUM legitur: quia non venerat vocare juſtos, ſed peccatores. Signat Sacerdos initium Evangelij ſigno crucis, ut indicet virtutem Evangelij proceſſiſſe ex merito crucis & paſſionis. Demùm frontem, os, & pectus ſignat, ut Evangelij efficacia oſtendatur in cogitationibus, verbis, & operibus. Omnes ad Evangelium ſurgunt (Apoſtolo monente) *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te* CHRISTUS. Lecto Evangelio Sacerdos oſculatur librum, ut ab Evangelio noſtram pacem provenire teſtetur.

Cur librū & ſe ſignet Sacerdos.

Ad Evangelium ſurgitur. Ephes. 5. verſ. 14.

Oſculum libri.

Adverte verò ab Epiſtola ad Evangelium manus ſuper libro poni: Evangelium autem junctis manibus legi: quia pœnitentiæ baptiſmus, & Joannis prædicatio laborioſa fuit, CHRISTI autem gratioſa, & donis ſpiritualibus referta, quæ orantes in Spiritu humilitatis recipimus.

Cur manus in Epiſtola ponātur & ſuper libro in Evangelio jungantur.

Credo.

Evangelio dicto, altâ voce SYMBOLUM NICÆNUM, CREDO legitur (antiquitùs tamen Symbolum Apoſtolorum) ad deſignandam fidem ſuſceptam, & toto orbe diſſeminandam: eſt enim profeſſio fidei Evangelicæ per CHRISTUM prædicatæ.

§. V.

De Offertorio uſque ad Canonem.

Dominus vobiſcum. *Offertorium.*

EVangelio lecto, & confeſſione fidei factâ per *Credo*, Sacerdos vertens ſe ad populum, iterùm dicit DOMINUS VOBISCUM, & Oremus ut ſuprà, ut præparet omnes ad oblationes & ſacrificium. Undè iterùm OFFERTORIUM altâ voce legitur.

Quid ſilentium ab Offertorio ad Præfationem. *Joan. 7. verſ. 1.*

Offertorio dicto, cætera ſub ſilentio fiunt, & dicuntur uſque ad *Præfationem*, ad deſignandum tempus antè paſſionem, quo CHRISTUS *jam non palàm ambulabat apud Iudæos, quia Iudæi volebant illum interficere*, necdùm verò venerat hora ejus. Utique ſe in ſilentio iſtis diebus ad paſſionem præparabat.

Cur velū aufferatur ab offerendis.

Statim autem ab Offertorio dicto, OFFERENDA velo tecta diſcooperiuntur in Altari, ad ſignificandum: hanc oblationem fuiſſe quidem ab æterno præparatam, ſed ſub velamine figuratum & Prophetiarum, uſque ad tempus illud latuiſſe, donec CHRISTUS verus Sacerdos myſteria aperiret.

Quid panis? Quid patena?

Demùm elevatis oculis, & ſtatim demiſſis, offertur *hoſtia panis* ſuper *patena*: *panis* quidem *Corpus* CHRISTI, *patena* autem rotunda & deaurata *Divinitatem* indicat; junguntur ſimul, quia *Homo-Deus* pro peccatis noſtris oblatus eſt, & humanitas ſemper manſit conjuncta Divinitati. Demiſsâ hoſtiâ, ſigno crucis cum illa facto ſuper corporali, patena partim ſub corporali, partim ſub purificatorio abſconditur, ut oſtendatur CHRISTI Divinitas ſub infirmitatibus noſtris, abſque tamen peccato, uſque ad mortem latuiſſe.

Cur patena cooperiatur?

Oblatio vini aquâ mixti.

Deiodè *Vinum* & *aqua* mixtum in calice offertur ad Sanguinis conſecrationem, ut memoria paſſionis in duabus ſpeciebus pleniùs exprimatur: aquæ verò mixtio, oratione, quæ legitur, ſatis declaratur. Significat enim populum totum cum CHRISTO ſpirituali commiſtione miſceri: *Ut* (inquit) *Divinitatis ejus ſimus conſortes, qui humanitatis noſtra dignatus eſt fieri particeps* JESUS CHRISTUS *Filius tuus Dominus noſter.*

Ablutio digitorum.

ABLUTIO DIGITORUM puritatem etiam à venialibus exquirit: qui enim lotus eſt à mortalibus, indiget ut & pedes laver, utique à venialibus affectibus, qui pedes animæ vocantur. Undè & extremitates digitorum communiter tantùm lavantur.

Ablutione digitorum factâ, & iterùm oratione ad ſanctiſſimam Trinitatem directâ cum Sanctorum invocationibus, Sacerdos oſculato Altari, vertens ſe ad populum omnium orationibus ſe commendat dicens: ORATE FRATRES, & circulum perficit, ut oſtendat & commune omnibus ſacrificium eſſe, & omnes ſuis orationibus debere illi cooperari, ſimul repræſentans CHRISTI actionem, qua ad inchoationem paſſionis ſuæ in horto properans, Apoſtolos ad orandum excitavit, & exhortatus eſt: *Sedete* (inquit) *hic, donec vadam illuc, & orem, vigilate & orate*, &c.

Orate fratres.

Matth. 26. verſ. 36. *Marci 14: verſ. 38.*

Secreta Collecta.

Exindè SECRETAS COLLECTAS ſubmiſsè legit, iterùm latentis CHRISTI affectus deſignans.

Præfatio.

Finitis orationibus ſecretis, Sacerdos ſubitò erumpit in vocem altiorem, dicens: PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM, & reſpondente populo, præfationem proſequitur, ad cujus finem cantatur, ſive legitur *Trilogium*, illud *Angelorum* ad SS. Trinitatem, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, &c. juncto puerorum Hebræorum cantico: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* Quo deſignatur: qualiter CHRISTUS poſtquàm aliquo tempore latuiſſet, tandem in publicum erumpens, quinque ante mortem diebus ſolemni pompâ Hieruſalem ingreſſus eſt, acclamante toto populo & pueris: *Hoſanna Filio David*, &c. quem triumphum Eccleſia repræſentat.

Matth. 21. verſ. 9.

§. VI.

De Canone uſque ad Communionem.

Canon.

DIctâ Præfatione, & finito trilogio, incipit Sacerdos manibus elevatis, junctis, & poſteà disjunctis, ſecretò, & cum magno fervore CANONEM, cujus verba ſingula energiam habent, nos ſingula myſteria proſequemur.

Quid tres primæ cruces?

Oſculato igitur Altari ad verba illa, *uti accepta habeas & benedicas*, ter ſignum crucis integrum planâ manu ſuper oblata format, dicens: *Hæc dona* † *hæc munera* † *hæc S. ſacrificia* †. Quæ triplex ſignatio indicat totam Trinitatem in hoc myſterio cooperari, ut ſit ſenſus: *Hæc dona*, à Patre æterno miſſa, *hæc munera*, à Filio ad Patrem tranſmiſſa, *hæc ſancta ſacrificia*, a Spiritu ſancto ſanctificata.

Demùm proſequitur orare pro Eccleſia, & Eccleſiæ capitibus hierarchicis, & pro commendatis, additâque communicatione cum beata Virgine, Apoſtolis, & nominatis Martyribus, protensâ manu utrâque ſuper oblata, non disjunctis tamen pollicibus ſupereminentibus; qua protenſione manuum ſignificatur totius Eccleſiæ in hoſtiam conſenſus; hoc enim modo ſuper caput hoſtiæ ponebant Sacerdotes manus: iterùm quinque crucibus oblata ſignat, tribus quidem utraque, ſeparatim verò unâ cruce factâ ſuper pane, alterâ ſuper calice his verbis: *Benedictam* † *adſcriptam* † *ratam* † *rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus* † *& Sanguis* † *fiat, &c.*

Quid quinque cruces ante conſecrationem?

Qui-

Quibus crucibus quinque dies deſignantur, qui à Dominica Palmarum incluſivè, uſque ad diem Paſſionis fluxerunt in quibus Chriſtus addixit ſe futuræ Paſſioni. Et quidem verba illa nil aliud ſignificant, quàm perfectionem ſacrificii quod in terris *benedictum*, in cœlis *adſcriptum*, apud Patrem æternum pro hominibus *ratum, rationabile & acceptabile*, ſive cui divina potentia & miſericordia cooperata eſt, ut & *Corpus* Chriſti in altari traderetur, & *Sanguis* incruentè effunderetur in remiſſionem peccatorum.

Conſecratio. Tota Conſecratio quæ ſequitur, refert actionem Chriſti prout in Scriptura refertur, & in cujus perſona à Sacerdote perficitur, eſtque vera *hoſtiæ immolatio*. Poſteà ſequitur conſecratæ hoſtiæ Corporis & Sanguinis nova *oblatio*: *unde & memores*, &c. Quam ſtatim conſequuntur quinque cruces, quarum tres ſuper utraque ſpecie, quarta ſuper Hoſtia, quinta ſuper Calicem his verbis: *Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram*, † *Hoſtiam ſanctam*, † *Hoſtiam immaculatam*, † *panem ſanctum* † *vitæ æternæ & Calicem* † *ſalutis perpetuæ*: Quæ quinque vulnera Chriſti diſtribuunt in noſtram conſummationem, ita ut primo vulneri *puritatem*, ſecundo *ſanctitatem*, tertio *completam juſtificationem*, Pani & Calici *vitam & ſalutem æternam* attribuant. *(Quid quinque Cruces poſt conſecrationem.)* Deindè poſtquam oſtendit hoc ſacrificium fuiſſe complementum, & veritatem omnium ſacrificiorum tum in Abel juſto, tum in Abraham Patriarcha, & Melchiſedech Sacerdote, profundè inclinatus orans, & iterùm oſculato altari exurgens, tres cruces format, unam ſuper Hoſtia, alteram ſuper Calice, tertiam à fronte uſque ad pectus ſuper ſe, his verbis: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacro-ſanctum Filii tui Corpus* † *& Sanguinem* † *ſumpſerimus, omni benedictione* † *cœleſti, & gratiâ repleamur*. *(Quid tres cruces ante memoriam Defunctorum.)* Quibus fructum ſacrificii diſtribuit in tria Eccleſiæ membra, nimirùm in *Beatos*, in cœlo, *animas* in purgatorio, *viventes* in mundo, ita ut prima crux ſuper Hoſtia cùm dicit *ut Corpus*, ſit *ad gloriam Beatorum*. Secunda *& Sanguis*, referatur *ad refrigerium animarum* in purgatorio exiſtentium. Tertia cùm ſeipſum ſignat dicens: *omni benedictione cœleſti & gratiâ repleamur*, referatur *ad omnes viventes* in hoc mundo, qui de fructu ſacrificii participant.

Memento Defunctorum. Proſequitur memoriam Defunctorum, ut oſtendat Sacerdotem medium ſtare ut olim Aaron inter vivos & mortuos.

Nobis quoque peccatoribus. Tandem iterùm pro peccatoribus orat: NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS & Sanctos in commemorationem adducit, ac ſancta myſteria proſequitur, & ad finem tres cruces communiter ſuper Hoſtiam & Calicem format dicens: *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas* † *vivificas* † *benedicis* † *& præſtas nobis*: ac deindè amovet pallam à Calice. *(Quid tres cruces cùm dicitur per quem hæc omnia, &c.)* Tres cruces ſignificant tres horas quibus Chriſtus vivus in cruce pependit, à ſexta nimirùm hora, uſque ad nonam quando expiravit. Undè aufertur *Palla*, ad ſignificandum velum templi ſciſſum medium, & figuras in expiratione Chriſti tranſiiſſe in veritatem. Quapropter Pallâ ablatâ, & acceptâ Hoſtiâ, & elevatâ ſuper Calicem diſcoopertum, Sacerdos cum illa tres cruces facit intra labia Calicis dicens: *Per ipſum* † *& cum ipſo* † *& in ipſo* † quæ ſignificant tres horas quibus Corpus Chriſti in cruce mortuum manſit. *(Tres cruces cùm dicitur per ipſum, &c.)* Poſt quas tres cruces, duas alias format intra labium exterius Calicis, & inter pectus ſuum dicens: *Eſt tibi Patri omnipotenti* † *in unitate* † *Spiritûs-Sancti*, quibus denotatur *effuſio Sanguinis & aqua* de latere Chriſti ad irrigandam univerſam Eccleſiam. *(Quid cruces duæ inter Calicem & Sacerdotem.)*

His completis, elevat tantiſper Calicem cum Hoſtia dicens: *Omnis honor & gloria*: Quo ſignificetur redemptionem noſtram in totius Sanguinis effuſione eſſe completam.

Undè rupto diuturno ſilentio, Sacerdos altâ voce dicit: PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM, & orat *Pater noſter*, deprecans effectum redemptionis omnibus efficaciter applicari. *(Pater noſter.)*

Dicto *Pater noſter*, iterùm ſub ſilentio orat, ut deſignetur ſilentium Tridui, quo Apoſtoli manſerunt abſconditi uſque ad Reſurrectionem. *(Suppoſitio patenæ ſub Hoſtia.)*

Ad finem orationis, *libera nos*, Sacerdos acceptâ patenâ, illam oſculatur, ac deindè ſupponit Hoſtiæ. *Patena* divinitatem ſignificat, *oſculum* reconciliationem mundi cum æterno Patre, quia nos velut oſculans inclinato capite Chriſtus Patri nos reconciliavit. *Patena* ſupponitur Hoſtiæ, ut innuatur corpus Chriſti triduo jacens in ſepulchro, non fuiſſe ſeparatum à divinitate. Sacerdos iterùm poſt adorationem accipit Hoſtiam de patena, & in tres partes dividit, ac dimidiam integram ponens ſuper patena dicit: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*. Deindè alteram dimidiam in duas dividit, ſuperiorem ponens & conjungens dimidiæ ſuper patenam poſitæ, dicit: *Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus*, idque totum voce ſecretâ. Tandem tertiam particulam manû dextrâ elevans ſuper calicem, altâ voce dicit: *Per omnia ſecula ſeculorum*: Et ter ſignum crucis ſuper Calicem producens, ait: *Pax Domini* † *ſit ſemper* † *vobiſcum* † quo dicto, immittit & immergit tertiam partem Sanguini. *(Quid Cruces ante Agnus Dei.)*

Hoc iterùm ſanctiſſimo myſterio indicatur diſtributio fructuum ſacrificii Miſſæ in tres ordines ſive in tria membra Eccleſiæ. *Dimidia* itaque *particula integra* ſignificat primum ordinem *Beatorum* in cœlis, quæ idcircò ſtatim ſuper patena reponitur, ut denotetur Beatos in cœlo perpetuò Deo junctos, & de ſua beatitudine ſecuros: Quæ pars quidem dimidia eſt, quia necdum completus eſt Electorum numerus, ſed expectant conſummationem noſtram. *(Quid de tribus partibus Hoſtiæ fractæ.)* *Secunda pars Hoſtiæ* quæ eſt velut *dimidia dimidiæ*, indicat ſecundum ordinem *animarum in purgatorio* exiſtentium, quæ iterùm reponitur ſuper patena, quia animæ purgatorii ſecuræ ſunt de ſalute ſua; Sumpta verò eſt ex parte reſiduæ parti-

particulæ quæ remanet : quia animæ in purgatorio exiſtentes ad Eccleſiam vivorum adhuc pertinent, quippè quæ de theſauro indulgentiarum, de ſacrificiis & piis operibus vivorum participant. *Tertia pars* tertium ordinem putè *viatorum* in vita mortali degentium deſignat, quam cùm dicit Sacerdos *per omnia, &c.* & elevatam tenet, demonſtrant reſurrectionem vivis annuntiatam fuiſſe : cum qua etiam tres cruces format dicens *Pax Domini*, quibus triplex pax à Chriſto poſt reſurrectionem in medio Diſcipulorum annuntiata eſt, nimirùm *pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum ſeipſo, pax in cœlo, pax in terra, pax ſub terra.* Quòd illam tertiam particulam immittat in Sanguinem Chriſti, deſignat faſciculum vivorum & commendatorum ſe Sanguini in ablutionem peccatorum immergere.

Agnus Dei. Exindè Sacerdos convertit ſe ad *Agnum Dei* poſtulans miſericordiam & remiſſionem peccatorum & pacem : Duplicem quidem miſericordiam, à culpa ſcilicet & pœna, pacem autem unicam & perpetuam. Undè iterùm in Miſſis ſolemnibus *pax* datur, quia bis ad diſcipulos Chriſtus intravit januis clauſis eis pacem annuntians.

Cætera uſque ad poſtcommunionem ſeipſa explicant ; Pertinent enim omnia ad devotam ſumptionem, & participationem Corporis & Sanguinis Domini, per quam Chriſto unimur, & vitâ vivimus propter illum, juxta illud : *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* *Joann. 6. v. 58.*

§. Vltimus.

De Communione ad finem.

Poſtcommunio. COmmunione factâ, dicitur *poſtcommunio* quæ eſt Antiphona repræſentans gaudium Apoſtolorum poſt Reſurrectionem viſo Domino. *Orationes ultimæ.* Orationes ſequentes declarant perpetuam interceſſionem Chriſti pro nobis apud Patrem, donec compleatur numerus Electorum, & perſeverantiam Apoſtolorum in oratione uſque ad Aſcenſionem. *Quid Benedictio.* Omnibus completis, Sacerdos dicit : *Ite Miſſa eſt*, populum dimittere volens : Et demùm benedicit populo : *Benedictio illa* ſignificat benedictionem Chriſti aſcendentis in cœlum. Lectio ultima Evangelij prædicationem Apoſtolorum per univerſum mundum poſt Chriſti aſcenſionem indicat : Sic finiuntur myſteria totius *itinerarij Filij Dei* in hoc auguſtiſſimo ſacrificio repræſentata ad laudem & gloriam illius. *Amen.*

TITVLVS V.

De Sacramentorum ac ſacramentalium ritibus, & aliis obſervationibus ſacris.

QUÆSTIO I.

Quid in Sacramentorum ritibus obſervandum, & qualiter obligent?

HÆc doctrina coincidit cum illa, quæ de ſacrificii Miſſæ ritibus eſt data. *Advertendum* itaque! Triplices ritus in Sacramentorum miniſterio reperiri : Alii ſunt *eſſentiales* : alij *actionem miniſtery velut integrantes* : alij merè *accidentales*. *Triplices ritus in adminiſtratione Sacramentorum.*

Eſſentiales ritus ſunt : qui ad eſſentiam Sacramenti ſpectant, ut ſunt quæ materiam, formam, intentionem, inſtitutionem ſingularem miniſtri concernunt.

Illi verò dicuntur *actionem miniſtery integrare* : qui ſpecialiter ab Eccleſia ad actionis ſolemnitatem ſunt inſtituti, ut in Baptiſmo Exorciſmi, Aqua fontis baptiſmalis, impoſitio nominis, &c. Illi dicuntur merè *accidentales* : qui nec ad eſſentiam, nec ad actionem per ſe pertinent, ſed tantùm ad aliquam cœremoniam decentem.

CONCLUSIO I.

Omiſſio ritus eſſentialis, eſt peccatum mortale. E*Sſentialem ritum in Sacramentis omittere, eſt ſacrilegium, & mortale peccatum.* Concluſio per ſe manifeſta eſt.

CONCLUSIO II.

Quid de ritu integrali. E*Xtra caſum neceſſitatis vel magnæ congruitatis, omittere aliquem ritum notabilem pertinentem ad actionem miniſtery, eſt peccatum mortale.* Vide quæ diximus ſuprà de actionibus ſacrificii.

CONCLUSIO III.

Quid de accidentali. L*Evem aliquam cœremoniam merè accidentalem omittere in adminiſtratione Sacramentorum, ad ſummum veniale peccatum eſt.* Vide ſimiliter ſuprà quæſt. 2. §. 1. dub. 2. in examine 5. conditionis Reg. 3. Eſt enim eadem ratio, quæ de cœremoniis merè accidentalibus in ſacrificii actione, ideoque utræque ſimili trutinâ expendendæ ſunt.

QUÆSTIO II.

Quid de aliis ſacramentalibus & obſervationibus ab Eccleſia inſtitutis?

MUltatum ſacramentalia, tum ſacrarum obſervationum ſolemnia, & ſacræ actiones inſtitutæ ab Eccleſia reperiuntur:

tur: ut ſunt *benedictio aquæ & ſalis* in Dominicis; *Benedictio fontis baptiſmalis, cerei paſchalis* Sabbatho ſancto,& aliorum *cereorum* in purificatione B. Virginis: *Exorciſmi*,&c.

Item obſervationes *Proceſſionum, Litaniarum, Rogationum, Peregrinationum* & aliæ hujusmodi. De quibus omnibus aliud hîc dicendum non habeo, niſi unicum quod in ſequenti propoſitione continetur.

Propoſitio univerſalis.

Quicumque ſacramentalibus ab Eccleſia inſtitutis, vel ſacris obſervationibus aliquid de privato judicio vel addit vel diminuit quod ſacramentalem actionem & ſacras obſervantias notabiliter alterat vel immutat, exponit ſe periculo peccati mortalis, ob cultum ſuperſtitioſum aut inordinatum, qui in ſimilibus mutationibus intervenire ſolet. De quibus ſtatim Titulo ſequenti.

S C H E M A

Reductionis moralis peccatorum contra primam partem primi præcepti Decalogi, in quantùm eſt affirmativum.

EX dictis clarum eſt primum præceptum Decalogi affirmativè explicatum, duo præcipere, Nimirùm: *Habere unum, ſolum, verum Deum*: Et *unum, ſolum, verum Deum colere*, quæ duo ſequenti ſchemate demonſtrantur.

Iuxta primam præcepti partem.

Habetur Deus verus { *Fide,*
Spe,
Charitate.

Primò, Deum verâ Fide dicuntur non habere. } Qui { *Articulorum fidei culpabili ignorantiâ laborant.*
Articulos fidei firmâ fide non credunt.
Fidem exteriùs, tempore opportuno, ore vel opere non confitentur.

Secundò, Deum verâ Spe convincuntur non habere. } Qui { *In creaturis ſpem ponunt.*
De Dei bonitate deſperant, & diffidunt.
De Dei bonitate præſumunt.

Tertiò, Deum verâ Charitate convincuntur non diligere. } Qui { *Aliquam creaturam affectu Deo æquiparant, vel præferunt.*
Odio poſitivo aut interpretativo in Deum feruntur.
Sibi aut proximo malum volunt, aut bonum nolunt, aut quovis modo verum ad illum affectum habere detrectant.

Hæc omnia habes diſtinctè explicata, & ad ſua principia reducta.
De Fide quidem *Tractatu 2. toto Titulo 2.*
De Spe autem *toto Titulo 3.*
De Charitate Dei, ſuipſius & proximi *toto Titulo 4.*

Iuxta ſecundam partem præcepti.

Colitur Deus religionis virtute, cujus partes } ſunt { Oratio.
Horæ Canonicæ.
Sacrificium Miſſæ.
Sacramentorum miniſterium.
Sacramentalia & obſervationes ſacræ.

Peccata verò quæ contra cultus illos ſpecificos committuntur, diſtinctè habes ſuis titulis & partitionibus explicata.

De Horis Canonicis & aliis officiis orationum ab Eccleſia inſtitutis *Titulo 3. per totum.*
De ſacrificio *Tit. 4. per totum.*
De Sacramentorum ac ſacramentalium ritibus & aliis obſervationibus ſacris *Tit. 5.*

Digitized by Google

TRACTATUS SECUNDI
PARS TERTIA.

TITVLVS I.

De irreligioſitate & ejus ſpeciebus.

Exod. 20. v. 3. 4.

QUoniam initio hujus Tractatus ſecundi Tit. 1. quæſt. a. docuimus ſubſtantiam hujus primi præcepti primæ tabulæ: *Non habebis Deos alienos coram me*: *Non facies tibi ſculptile, ut adores illud*, habere duas partes generales: Alteram *præceptivam*: De attribuendo Deo quidquid illi ſpecialiter debetur; Alteram *prohibitivam*: ne nimirùm creaturæ vel ejus ſimilitudini aliquid Deo debitum, attribuatur: Explicatis iis quæ ad partem *præceptivam* pertinebant: Modò deſcendendum eſt ad ea, quæ ad partem *prohibitivam* ſpectant: Ad quam pertinet ſpecialiter irreligioſitas, quæ tribus membris continetur: Irreligioſitate enim: aut *cultus Deo debitus* alicui creaturæ veræ vel fictæ indebitè attribuitur: aut *cultus falſus, ſuperfluus, inordinatus* Deo exhibetur: aut *ſacrilegium* poſitivè committitur, & poſitiva Deo injuria infertur. De his igitur tribus agendum erit.

Tres ſpecies irreligioſitatis.

QUÆSTIO I.

Qualiter cultus Deo debitus indebitè creaturæ attribuatur, & quæ indè peccata oriantur?

Quid nomine creaturæ intelligatur.

ADvertendum eſt *primò*, nomine *creaturæ* hîc intelligendum eſſe, non tantùm creaturã veram, ſive ens creatum verum; ſed etiam ens creatum fictum, ſive creaturam fictam, quam dicimus *ens rationis*: Non enim minùs peccat, qui honores divinos & cultum ſoli Deo debitum alicui Chymæræ, Hypocentauro, ſimilitudini fictæ, cui in rebus creatis nulla correſpondet veritas; quàm qui alicui creaturæ rationali vel irrationali, ſenſitivæ vel inſenſibili, cultum exhibet qui ſoli Deo debetur.

Dupliciter honor Deo exhibetur.

Advertendum ſecundò, Dupliciter honorem & cultum Deo deberi & exhiberi. Primò, Deo in ſe abſolutè & irreferibiliter, quatenùs eſt ſuprema & infinita eſſentia infinitis eſſentialibus attributis à nobis concepta. Secundò, ut in ſuis creaturis per ſupernaturalia dona elucet. Et hic quidem honos & cultus terminatur ad creaturam, quatenùs divina & ſupernaturalia dona participat, non tamen irreferibiliter, ſed referibiliter ad Deum; ita ut honor & cultus ille, reduplicativè quatenùs in Deum refertur, vel actu referibilis eſt, creaturæ deferatur. Quomodo coluntur Sancti, ut Dei amici, in quibus divina dona ſupernaturalia clariùs reſplendent.

Duplex cultus.

Advertendum tertiò, Cultum alium eſſe *explicitum*, alium *implicitum*. *Explicitus* eſt: Qui exteriori actu & objecto cognito & expreſſo defertur: quomodo colitur verus Deus, Perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſtus Deus & Homo aperto & manifeſto cultu. *Implicitus* cultus eſt: qui ex parte ſigni, vel ex parte objecti, vel ex utraque parte manifeſtus non eſt: ut qui ſuperſtitionibus & vanis obſervantiis ac magicis ſignis utitur, cenſetur colere Dæmonem cultu implicito: quia nec ſigna illa manifeſtè ſunt ad cultum ordinata, & quis colatur ignoratur; interim tamen à parte rei iſtis ſignis alicui Dæmoni, vel Dæmonis ſimulachro honor Deo debitus exhibetur. His ſic animadverſis, ſit

CONCLUSIO I.

Idololatria.

Q*Vicumque honorem ſive cultum ſoli Deo debitum creatura vera vel ficta exhibet, ſive quòd credat illi divinitatem ineſſe, ſive metu, adulatione, aut alio ſimili motivo id faciat, peccat mortali peccato idololatriæ.* Tales fuerunt omnes, qui ſtatuis, ſimulachris vel hominibus divinos honores decreverunt; ſive crederent divinitatem in ipſis ſimulachris reſidere, eò quòd Dæmon per illa reſponſa ederet, & alia multa ſigna faceret, ſive quòd in ſimulachris Dæmonem apparentem, vel creaturas repræſentatas tali cultu honorarent, quæ ſimulachra falſò Deorum nomine & virtute cenſerentur. Tales similiter fuerunt, qui aſtra, plantas, animalia, bruta, Dæmones, Angelos, animas Defunctorum & id genus pro Diis habuerunt.

Triplex cultus.

Dixi (*qui honorem ſive cultum ſoli Deo debitum creaturæ exhibet*) triplex enim cultus in hac materia religionis diſtinguitur à Theologis: nimirùm cultus *Latriæ*: qui ſoli Deo exhibetur, propter ſupremam & infinitam ejus excellentiam. *Duliæ*: qui exhibetur Sanctis & Beatis, propter participatam aliquam ſupernaturalem excellentiam à Deo, quæ in illis eſt. *Hyperduliæ*: qui exhibetur Beatæ Virgini, propter ſupereminentem quamdam excellentiam gratiarum & gloriæ, quibus ſuper alios Sanctos enitutit: Undè ſoli Deo cultum Latriæ exhibemus. Alios autem cultus B. Virginis & Sanctorum non ut divinos, neque ut divinitatis Proteſtationes adhibemus, ſed ut multò inferiores, propter creatam aliquam excellentiam, ſupernaturalem tamen, illis à Deo conceſſam. Quinimò ſtatuas & imagines quas Deo & Sanctis erigimus, ne quidem abſo-

abſoluto honore & veneratione proſequimur; ſed tantùm reſpectivo, propter excellentiam prototyporum, prototypa ipſa per imagines venerantes, juxta ordinem & dignitatem ſuam.

Qualiter cultus Dei determinetur.

Porrò cultus ſoli Deo debitus in aliquibus eſt per ſe determinatus, ut in ſacrificiis, altaribus, templis, ſacerdotiis & id genus, quæ ſoli Deo decernuntur; etſi ſimilia nomen & titulum alicujus Sancti ſecum interdùm ferant, propter Sancti invocationem & commemorationem: Non enim ipſis Sanctis eriguntur Altaria & templa, ſed Deo cum invocatione & memoria Sanctorum. Aliquando cultus ille determinatur ex intentione actuali colentis, ut per genuflexiones, preces, inclinationes, &c. quæ etſi ex ſe ſint indifferentia ad triplicem cultum aſſignatum, applicantur nihilominus ex intentione colentis ad certum aliquem, utpotè; *Latria* cùm Deo fiunt. *Hyperdulia* cùm B. Virgini, *Dulia* cùm Sanctis exhibentur.

Dixi (*creatura ficta vel vera*) propter Antiquos qui etiam monſtra & Chymæras, quæ in rerum natura nunquam fuerunt, pro Diis ſibi finxerunt.

Tres actus in idololatria.

Dixi (*ſive quòd credat aliquam divinitatem illi ineſſe*) propter ſupremam illam idololatriam internam & externam, quæ tribus actibus abſolvitur. Primò, exiſtimatione falsâ divinitatis & perfectionis Deo propriæ in eo quòd adoratur. Secundò, affectu reverentiæ, quo creaturæ tamquam ſupremo Numini idololatra ſe ſubjicit. Tertiò, externo ſigno, quo hanc ſubmiſſionem & reverentiam proteſtatur.

Dixi (*ſive adulatione, metu vel alio motivo id faciat*) Multi enim ſunt, qui etſi divinitatem aliquam ineſſe non credant, metu tamen vel adulatione creaturæ cultum ſoli Deo debitum exhibent, ideoque non minùs idololatriæ vitio laborare cenſentur, imò eò magis malitioſo laborant, quò ex propria malitia contra conſcientiam procedunt.

CONCLUSIO II.

Falſorum Sanctorum ac Reliquiarum falſarum honor indebitus.

QVi falsò excellentiam aliquam participatam ſupernaturalem, & cultum tali excellentiæ debitum, creaturæ tribuunt, in qua talis excellentia non reperitur, peccant mortaliter. Tales ſunt qui falſis Sanctis & animabus damnatis honores veris Sanctis debitos tribuunt. *Item*: Qui falſas Reliquias adorant: qui falſos Prophetas & Martyres pro veris honorant & venerantur, ut Turcæ, qui Mahumetam tamquam Prophetam magnum colunt. Et hoc peccatum ad idololatriam reducitur proportione rationis, poſſetque vocabulo accommodato nuncupari *idoloduliа*. Cui periculo ſe exponunt, qui perſonis necdum beatificatis aut Canonizatis, & quarum miracula necdum approbata ſunt, cultum Sanctis debitum exhibent, & illas cultu ſpeciali colunt. Contra quos nuper providè ſanctiſſimus D.N. Urbanus VIII. Bullam edidit: Ne cum radiis talium imagines pingerentur: ne vota appenderentur eorum ſepulchris, &c. Datum eſt Decretum anno 1625. 4. Aprilis. Quia verò poſteà iterùm dubitatum eſt de tabellis & votis, declaravit idem ſanctiſſimus D. ſuam mentem qualiter reciperentur, & aſſervarentur in ſecreto, eodem anno 30. Octobris.

De Sanctis necdum beatificatis Decretum Urbani VIII.

CONCLUSIO III.

QVi ſupradictos cultus & honores ſibi arrogant, aut exhiberi permittunt, vel procurant, aut alios ad id pelliciunt, mortaliter peccant, eadem ratione & proportione quâ ſuprà. Non defuerunt certè his infauſtis temporibus, qui aliquorum adhuc viventium imagines in Altaribus poſuerunt, & eos velut Sanctos coluerunt. Abominationes graviores referrem, ni pias aures offendere timerem. Gratum fuit aliquando legere exempla Sanctorum, qui tantâ induſtriâ ſanctitatis notas abhorruerunt. Nec minùs gratum ſtatutum Capituli generalis Mechlinenſis Ordinis noſtri anno 1464. celebrati, quo graviſſimis pœnis carceris, privationis actuum legitimorum & ſuſpenſionis ab executione Ordinum prohibitum fuit, ne quovis modo aliquas revelationes ſibi factas, aut ſub titulo alicujus revelati aliqoa ſpargere etiam in privato auderet, aut ſanctitatis, prophetiæ, & donorum ſupernaturalium ſigna prætenderet, ante approbationem Capituli generalis, vel niſi ſe à Deo miſſum ut Moyſen evidentibus ſignis monſtraret.

Nota.

CONCLUSIO IV.

Cultus implicitus Dæmonum.

QVicumque verbo, facto, geſtu, ſcripto, vel quocumque ſigno, aliquem effectum expectat, qui nullam ex prædictis ſequelam vel à natura, vel à Dei ordinatione immediata aut mediata habet, cenſetur tali ſigno cultum vel honorem, aut ſignum amicitiæ Dæmoni exhibere, cum expreſſo vel tacito pacto; & mortaliter peccat. Ratio Concluſionis eſt: quia omnis effectus realis vel cum cauſa naturali ad agendum ſufficienter applicata, vel cum cauſa ſupernaturali conjunctionem habere debet: ſed (ut ſupponitur) effectus ille nec cum cauſa applicata ad agendum, nimirùm, cum ſignis in Concluſione relatis, nec cum cauſa ſupernaturali (Deo ex aliqua divina ordinatione ſua concurrente ad effectum) conjunctionem habet, ergo expectandus eſt à Dæmone cauſas naturales applicante: Infero iterùm: Atqui, qui aliquo ſigno effectum aliquem à Dæmone expectat, illi cultum vel honorem fidei & fiduciæ exhibet expreſſo vel tacito pacto, ergo mortaliter peccat: Concluſionem paſſim Scripturæ docent, dum divinos, Ariolos, Pythones, Magos, Incantatores, &c. condemnant. Vide cap. 18. Deuteronomii & 2. Paralip. 33. Quæ infrà ſuo loco citabuntur.

His

Hic porrò cultus qui ſignis hujusmodi Dæmoni exhibetur, communi nomine *ſuperſtitio* vocatur, à nomine *ſuperſtes*, quia, ut *Iſidorus in Ethymologiis ſuis ex Cicerone* refert, qui ſuperſtitionibus utebantur, erant homines totâ die orantes, ut ſuperſtites redderentur, & incolumes evaderent.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint ſuperſtitionum genera?

GEnera requiro, non ſpecies quæ infinitæ ſunt.

CONCLUSIO UNICA.

Quatuor genera ſuperſtitionum.

SUperſtitioſi cultûs genera ad quatuor membra reduci poſſunt: nimirùm: *Divinatorium, vanam obſervantiam, magiam, maleficium.* Sub his enim omnes ferè ſuperſtitionum ſpecies continentur, aut ad eas reduci poſſunt, ſuntque omnia de ſuo genere peccata mortalia, niſi inadvertentia aut ignorantia inculpabilis aliquem excuſet. Ut verò ſingula membra ſingulariter examinentur, pono ſequentes paragraphos.

§. I.

De ſuperſtitione divinatoria.

Divinatorum ſuperſtitio.

SUperſtitio divinatoria eſt: *Quâ quis inutilibus mediis ſeu impertinentibus modis futura contingentia libera, vel res per ſe occultas vult cognoſcere, ſive prædicere.* Sub nomine *ſuperſtitionis divinatoriæ* non continetur *donum prophetiæ* & ſimiles *gratiæ gratis datæ*, quia verè Dei dona ſunt & non divinatio, ſed certa cognitio. Dicitur autem (*inutilibus mediis & modis*, &c.) ut excludantur media ordinata & efficacia. Dupliciter verò cenſetur medium inutile. *Primò*, quia ex natura ſua nullam virtutem aut efficaciam habet ad finem intentum. *Secundò*, quia nec ex divina ordinatione hoc habere dignoſcitur: quod addo, propter varia quæ revelantur à Deo per inſpirationes & alia ſigna, qualia ſunt ſigna data Prophetis futurorum contingentium liberorum prognoſtica, quibus Scriptura ſacra & hiſtoriæ abundant.

Donum prophetiæ.

Inutilia media divinationis.

Pluviæ & tempeſtates poſſunt prædici.

Dixi (*futura contingentia libera*) ut excludantur alii effectus contingentes, qui velut in cauſis ſuis continentur, & neceſſariò ab illis dimanant, ut ſunt pluviæ, tempeſtates, ſerenitates, quæ probabiliter ex aſtris & aliis cauſis naturalibus educuntur. Per contingentia autem libera intelliguntur ea, quæ à libero arbitrio planè dependent.

Dixi (*vel res per ſe occultas*) ut ſunt cordium cogitationes & alia quæ cognitionem humanam, imò etiam angelicam hic & nunc per ſe effugiunt.

Dixi (*per ſe*) propter nonnulla, quæ etſi videantur occulta, ſignis tamen probabilibus manifeſtantur, ut per inclinationes naturales, & interdùm per ſigna phyſiognomica.

Variæ divinatorū nomina.

Porrò divinatores diverſi admodùm numerantur juxta diverſitatem circumſtantiarum divinationis ſuæ, variiſque nominibus appellantur: ut Aruſpices, Arioli, præſtigiatores, Sortilegi, Geomantes, Hydromantes, Aëromantes, Pyromantes, Chyromantes, Aſtrologi judiciarii, & aliide quorum differentiis videantur Auctores: Divinatoriâ etiam ſuperſtitione damnantur, qui ſignis, cribri verſionibus, obſervationibus tentant divinare fures, latrones, ſagas: *Item*: Qui ex ſignis manuum bonam vel malam fortunam prædicere: Qui ex horoſcopo ſive conſtellationibus nativitatis vitæ hominis ſucceſſum indicare præſumunt. Quæ omnia ex genere ſuo (ut dixi) peccata mortalia ſunt, & ſæpè legibus etiam Eccleſiæ de novo prohibita, cum adjunctis cenſuris & variis pœnis. Videnda eſt graviſſima & doctiſſima conſtitutio Sixti V. quæ apud Chærubinos eſt 17. quam innovavit Urbanus VIII. anno 1631. eſtque Urbani 113. in Bullario.

Verſio cribri.

Chiromantia.

Horoſcopus.

§. II.

De vana obſervantia.

Obſervantia vana.

VAna obſervantia dicitur: *Quæ ex vanis & inutilibus ad effectus ſperatos ſignis, effectus nihilominus illos certò & infallibiliter expectat.*

Diſtinguitur à divinatione vel ſuperſtitione divinatoria, quòd hæc circa cognitionem futurorum contingentium & rerum occultarum ſpeculativè occupetur, tamquam illarum præſcia, & annuntiatrix: Vana autem obſervantia non in ſpeculatione nec in præſcientia, ſed in practica expectatione ſecuturi effectus, quam quis adhibitis vel obſervatis ſignis velut practicè dirigere videtur.

Triplex obſervantia vana.

Porrò variæ ſunt vanæ obſervantiæ ſpecies, quæ ferè ex effectibus deducuntur, quas tribus membris concludo, nimirùm: *Arte notoriâ, obſervantiâ ſanitatum, obſervantiâ futurorum eventuum.*

Ars notoria.

Ars notoria dicitur, cùm per preces, jejunia, profana & amatoria pocula, & alia ſigna ac ritus certò & infallibiliter ſcientiæ alicujus infuſio vel acquiſitio præter naturæ curſum expectatur. Talibus certè mediis ad hoc nonnullos uſus, hiſtoriæ variæ referunt. Et de Anabaptiſtis hujus temporis experientia docuit, illos, deteſtabilis cœnæ ſuæ poculo ſumpto, Scripturarum ſcientiâ in inſtanti ita interdùm repletos fuiſſe, ut illitterati homines Scripturam legere, memoriter & verbotenus recitare potuerint, Dæmone ſine dubio ſuggerente; Undè fit, ut Catholici exorciſmis iſtam ſcientiam interdùm ipſis cum confuſione adimant: quin & converſi ad veram fidem, in primam litterarum ignorantiam revertantur. Ad hanc vanam obſervantiam pertinet, quòd aliqui in nocte ſancti Joannis ſub aviculis ſuis pervi-

pervigilant, expectantes eis garritum & melodiam ſine dubio à Dæmone infundi.

Obſervantia ſanitatum vana.

Obſervantia ſanitatum nimis nota eſt, nimiſque has etiam Belgicas Regiones invaſit, dùm verbis, ſignis, ſcripturis, cæremonijs, ſimilibuſque medijs inutilibus ad effectum, incauti homines ſanitatis conſervationem, recuperationem, vulnerum ſanitatem, mitigationem dolorum, protectionem ab hoſtibus, &c. præſtolantur. Dico ſemper (*inutilibus*) non negamus enim naturalia media & remedia poſſe illis opitulari, ratione virtutum & qualitatum, quæ in lapidibus pretioſis, herbis, & alijs cauſis naturalibus continentur: ſed ſemper cautè procedendum eſt, & attendendum, an nullum ſignum inutile ſit admixtum.

De naturalibus.

Obſervantia futurorum eventuum.

Obſervantia futurorum eventuum etiam non modicam labem Chriſtianæ veritati induxit, dùm ſi quis lævo pede è ſtrato ſurgat, egredienti lepus occurrat, picam ſuper domum piſtitantem audiat, ſibi augurium malum præſagit. De his luculentiſſimè *S. Auguſt.* ſeu Author libri de rectitudine Catholicæ converſationis: *Ante omnia* (inquit) *illud annuntio atque obteſtor, ut nullus Paganorum ſacrilegas conſuetudines obſervet, non caraios, non divinos, non ſortilegos, non præcantatores, nec pro ulla cauſa aut infirmitate eos conſulere & interrogare præſumatis. Qui hoc malum fecit, perdit baptiſmi Sacramentum* (id eſt baptiſmalem gratiam) in quo ſoli Deo & CHRISTO adhærere promiſit & profeſſus eſt, & Satanam abjuravit, cujus cultui tamen per iſtas ſuperſtitiones iterùm ſe addicit: proſequitur: *Auguria vel ſternutationes obſervare nolite, nec in itinere poſiti aliquas aviculas cantantes attendatis.* Infra: *Nullus obſervet qua die domum exeat, vel qua revertatur, quia omnes creavit Dominus.* Et alia plurima congerit de ligaturis arborum, & alijs ſuperſtitionibus infinitis, quæ Lector non ſine utilitate leget. Graviſſimè etiam de illis loquitur, illaque condemnat, ut iterùm videre eſt *Serm. 241. de tempore*, ubi ferè ſupradicta repetit, & addit: *Quicunque fecerit hoc malum, ſtatim peribit baptiſmi Sacramentum, & continuò Paganus & ſacrilegus efficitur* (quod intelligendum eſt, ut ſuprà explicavi) *& niſi grandi eleemoſynâ, durâ & prolixâ pænitentiâ ſubvenerit, ſtatim in æternum peribit.* Hæc S. Auguſt. Quibus ſimilia iterùm habet *Serm. 215. de tempore*: ubi de philacterijs, characteribus, herbis, ſuccis appenſis latè. Et demùm concludit: *Niſi tale ſacrilegium emendaverint, ubi arſurus eſt Diabolus, ibi & ipſi damnandi ſunt.* Advertendum verò, profanas illas & vanas obſervantias ac ſuperſtitiones in ipſa Religionis noſtræ ſanctiſſima ſacraria penetraſſe, etiam uſque ad diviniſſimi ſacrificij & Sacramenti Euchariſtiæ ſacroſanctas cæremonias, quibus homines abutuntur in Evangelio, Offertorio, & uſque ad ſacratiſſimam conſecrationem, imò & ſpecies ipſas. *Væ, Væ, Væ vobis*, &c. Quid dicam de ſacris Reliquijs, de cera benedicta, &c. In omnia ſanè involavit Dæmon, ſimilitudinis Dei reprobus appetitor. Undè S. Auguſt. Tract. 7. in Evang. Joannis: *Fingunt* (ait) *ſpiritus mali umbras quaſdam honoris ſibimet ipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur* CHRISTUM: *uſque adeò Fratres mei, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen* CHRISTI: *quia jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquantùm, ut per id, quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem*, &c.

S. Auguſt. lib. de rectitudine Catholicæ converſ. poſt. init.

Nota peccatum gravitatem.

Idem ſuprà.

Rusa ſuperſtitiones.

Idem Serm. 241 de temp. in init.

Nota.

Et Serm. 215. de temp.

Nota.

Nota graviſſimum.

Idem Tract. 7. in Evang. Joan. poſt init.

Nota.

Et ſuprà lib. de rectitudine Catholicæ converſationis invehitur in Clericos, qui talia ſigna defendebant, quaſi continerentur in ſacra Scriptura. *Nullus* (inquit) *ad colla hominis, vel alicujus animalis ligamina dependere præſumat, & ſi à Clericis fiat, & dicatur quòd res ſancta ſit, & in Divina lectione contineatur, non eſſet dignus nomine Clericorum, ſed Hæreticorum, quia non eſt in eis remedium* CHRISTI, *ſed venenum Diaboli.* Hæc S. Auguſtinus: ex his pono duas Regulas generales.

Idem l. de rectitu. Catho. converſa.

Nota.

Regula 1.

QVicunque utitur verbo, ſcripto, ſigno, re, vel qualibet actione, quantumcunque illa ſint ſacra, effectum certò & infallibiliter expectans, de quo non conſtat, quòd habeant aliquam cum prædictis neceſſariam conjunctionem, aut ſequelam ex rerum natura, vel certa ordinatione Divina, aut publica & conſtanti inſtitutione vel approbatione Eccleſiæ, peccat mortaliter peccato ſuperſtitionis. Regula patet ex dictis.

Dixi (*effectum certò & infallibiliter expectans*) ob nonnulla pia amuleta, & ſacras Reliquias, quæ quidem ex devotione debitis circumſtantijs adhiberi poſſunt, non tamen effectus aliquis certò & infallibiliter ex ijs expectari. De quibus ſtatim.

Regula 2.

QVantumvis ſacra & ſancta adhibeantur, & quæ aliquam ordinationem divinam habent ad effectum aliquem pium impetrandum, ſi vel modica vana, vel inutilis cæremonia, aut ſignum adhibeatur, de cujus approbatione non conſtat, tamquam à ſuperſtitioſis actionibus ab illis eſt abſtinendum. Ratio eſt: quia ſub illis adjectitiis venenum Diaboli ſæpè latet, prout eſt dictum. Undè graviſſimè monet S. Auguſtinus ſuprà Tract. 7. in Joannem: *Ne quæratis alibi Chriſtum, quàm ubi ſe vobis voluit prædicari Chriſtus. Et quomodo vobis voluit prædicari, ſic illum tenete, ſic in cordibus veſtris ſcribite.* Et volens nos ab omnibus vanis obſervantiis liberare, ſuprà lib. de rectitudine Cath. converſ. ait: *Sive iter, ſive quodcumque opus arripitis: ſignate vos in nomine Chriſti, & Symbolum & orationem Dominicam cum fide & devotione dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus.* Quod & repetit ſerm. 241. de tempore, in initio.

Idem Tract. 7. in Joan. poſt init.

Et lib. de rect. Cath. conver.

Nota ſingulare remedium contra omnem Dæmonis proſtratam.

Tria porrò circa prædicta reſtant Dubia breviter expedienda.

Pp

Dubium

Dubium 1.

An liceat geſtare agnos Dei, amuleta, verba ſcripta, Evangelium S. Ioannis, &c. ad ſanitatem tuendam, aut recuperandam, & ad ſimiles effectus?

R*Eſpondeo*, Omninò licere, modò ſuperfluus, indebitus, aut inconveniens cultus, ſive cæremonia alia non adhibeatur, & quis ſimilibus utatur juxtà piam conſuetudinem Eccleſiæ cum fiducia in Deum & Sanctos.

Modus dignoſcendi cultus vanos & ſuperfluos. Ut autem quis meliùs de licito ac illicito ſimilium uſu judicare poſſit, infràſcripta advertenda ſunt. Primò, ut nihil falſi contineant contrà Scripturam, auctoritatem Eccleſiæ, & ſacros Canones. Secundò, nè aliquid in illis ſcribatur, aut proferatur, quod ſapiat invocationem Dæmonis. Tertiò, nè ignota nomina contineant, ut notat *D. Chryſoſt. Hom. 6. in Matth.* (*D. Chryſ. homil 6. in Matth.*) Quartò, ne verbis ſacris vana aliqua ſigna vel verba immiſceantur. Quintò, nè ſpes aliqua in modo ſcribendi, ligandi, aut in inſtrumento ipſo ponatur. Sextò, nè infallibilis aliquis effectus à talibus expectetur, aut promittatur, cùm iſta tantùm operentur ex devotione Eccleſiæ, aut ejus fide, qui ea applicat vel geſtat.

Dubium 2.

Quomodò excuſari poſſint à vana obſervantia nonnullæ cæremoniæ, quæ in diverſis Eccleſiis & peregrinationibus ad Sanctorum Reliquias tolerantur, & velut continuâ conſuetudine, imò certâ auctoritate approbantur?

NOn parùm difficultatis hactenùs moverunt Theologi in quibuſdam modis, & cæremonijs, quæ ſolent fieri in peregrinatione ad Reliquias, vel memoriam S. Huberti pro rabie curanda, S. Quirini pro apoſtematibus, & pro certo morbi genere ad S. Giſlenum in Belgio: ubi ijs, qui laborant, præcipiuntur variæ abſtinentiæ à certis cibis, prohibentur ipſis ſpecula reſpicere, librantur, ac eleëmoſynas dant ad certum pondus, & alia ſimilia faciunt, quæ non videntur ullo modo ordinari ad finem ſanationis, quem prætendunt. Simile eſt de circumductione equorum circà templa S. Eligij, S. Antonij: de apertione venæ jumentorum in die S. Nicolai: de fabricatione annuli, primo nummo imagini Crucifixi oblato in die Paraſceves, contrà contractionem nervorum. *Reſpondeo*, Nos debere fateri multa irrepſiſſe ex negligentia & ignorantia Paſtorum ac Miniſtrorum, & ex vanitate populi ac vulgi, quæ vanam obſervantiam continent, aut ſapiunt, nec poſitivè ab Eccleſia tolerantur, ſed potiùs ignorantur. (*Multa ſuperſtitioſa irrepſerunt in cultu ſacro.*) Alia tamen ſunt, quæ ab Eccleſia approbata, quâdam traditione communi obſervantur, quæ ſine dubio aliquem ordinem dicunt ad effectum, ſive ordo ille ſit naturalis, ſive ſit pietatis & fidei, ac reverentiæ in Deum & Sanctos: (*Aliqua quæ videntur vana ſunt ordinata & licita.*) prohibentur enim talibus cibi nonnulli, quia verè contrarij ſunt morbo, à quo curari deſiderant, illumque fovent: prohibentur iſti rabidi reſpicere ſpecula, vel propriam formam in aquis, quia hic aſpectus fortiùs movet imaginationem, & rabido officit; poteſt etiam fieri, ut eleëmoſynæ taxentur ad pondera actu quodam religioſo, quo quis intelligat, ſe pro beneficio impetrando tantùm, quantus eſt, deberi Deo in obſequium Sancti, & alia ſimilia pias interpretationes admittunt. In pietatem etiam reduci poteſt illa circumductio equorum circa templa Sanctorum, & ſimilia: conſultum tamen eſſet, ut debito examine præmiſſo, ab Eccleſia denuò approbarentur, (*Examen neceſſarium.*) quia reverà ſimplicitate, vel nugacitate eorum, qui talibus præſunt, multa ſine dubio introducta ſunt, quæ non parùm ſuperſtitionis habent admixtum. Dicuntur cæremoniæ peregrinorum ad Reliquias S. Huberti in Ardenna de novo examinatæ, & approbatæ. Quod de fabricatione illa annuli dicitur, pietatem quandam ſapere poteſt ad Crucifixum, qui pro peccatis noſtris totis membris diſtentus eſt in cruce: omnia tamen cum ſobrietate ruminanda ſunt, cavendumque eſt, nè dùm pij fieri volumus, ſuperſtitioſi fiamus.

Qualitates ſuperſtitionis & vanæ obſervantiæ. Porrò tria ſunt univerſim, quæ vanam obſervantiam probant. *Primùm*, Conditio & qualitas cauſæ, ſive operis applicatio, utpotè, ſi in ſe, vel circumſtantia planè ſit inutilis ad effectum. *Secundum*, Conditio operationis, utpote, ſi in inſtanti fiat, quod aliàs longum tempus requirit, aut ſi in diſtantia naturaliter impoſſibili effectus producatur. *Tertium*, Qualitas effectûs, ſi videlicet adhibitam induſtriam longè ſuperet.

Dubium 3.

An uti aliquâ ſuperſtitione ex prædictis, ſemper ſit peccatum mortale?

Quando ſuperſtitio peccatum mortale. R*Eſpondeo primò* (ut ſæpè repetij) ex genere ſuo ſemper eſſe peccatum mortale: quia cultum, affectum, vel honorem ex pacto explicito vel tacito cum Dæmone continet.

Quando veniale. *Reſpondeo ſecundò*, Poſſe fieri veniale ex inculpabili ignorantia, indeliberatione, inadvertentia, aut quia quis potiùs ex irriſione & ſimulatione ſimilibus utitur; modò tamen abſit ſcandalum.

§. III.

De Magia.

Magia quid. MAgia dicitur: *Ratio quædam operandi mira ope Dæmonis, vel pacto tacito, vel explicito cum eo inito.*

Dico

Dico (*mira*) neque enim Magi aut Dæmones vera miracula edere poſſunt.

Dico (*ope Dæmonis*) ad excludendam Magiam quamdam naturalem vel artificialem, quâ occultis naturæ proprietatibus vel artis induſtriâ, mira fiunt & ſtupenda.

Triplex operatio Dæmonis in Magis. Porrò operatur Dæmon per Magos tribus modis, videlicet. Primò, Effectus jam per naturam vel artem productos de loco ad locum transferendo, & quaſi eos produceret, ſupponendo. Secundò, de novo producendo ſimiles effectus, applicando activa paſſivis. Tertiò, Senſus deludendo, ſive illuſio fiat in ipſo ſenſu vel imaginatione, ſive in objecto vel medio per quod ſpecies transmittuntur.

Dixi (*ex pacto tacito vel explicito cum eo inito*) Quæ enim ex pactis ſimilibus non procedunt, ad Magiam non ſpectant. Poſſunt enim homines etiam per Dæmonem multa facere, quæ magica non ſunt, ut de poſſeſſis à Dæmone conſtat.

§. IV.

De Maleficio.

Maleficium quid? Maleficium eſt: *Ratio quædam agendi proveniens ex pacto tacito vel expreſſo cum Dæmone inito, quâ poſitis certis ſignis alicui operâ & poteſtate Dæmonis aliquod nocumentum infertur.* Hoc paſſim indicat nomen *maleficium*, ſic dictum, quia ita proprium eſt maleficis malè facere, ut, ſi quandoque Dæmon aliquid boni videatur maleficis vel maleficio præſtare, illud non niſi ad maleficiendum vel nocendum ordinetur.

Duplex maleficiũ. Duplex porrò *maleficium* diſtinguitur à Doctoribus: Aliud eſt *veneficium*, aliud *amatorium*.

Veneficium quid. *Veneficium* dicitur: *Actio, vel potiùs ſignum, quo mediante Dæmon hominibus vel in eorum rebus, vel in eorum perſonis nocet.* Deduciturque vocabulum à *veneno*, quaſi *veneficium*, quia ut plurimùm Dæmon hominem aliquo veneno inficit, etſi & aliis modis noceat, ut cùm inducit ſterilitates, tempeſtates, pruinas, grandines, &c. quibus ſemina & terræ naſcentia vel conſumuntur, vel impediuntur: quamvis peſtes, animalium mortes, & id genus corruptione & veneno ferè cauſentur.

Amatorium. *Amatorium* maleficium dicitur: *Quo Dæmon immutationem in affectibus cauſat*, utpotè, ad exceſſivos amores carnales, vel etiam ad capitalia odia inducenda filtris, poculis amatoriis, figuris, characteribus, &c. Dicitur verò maleficium *amatorium* à principaliori paſſione animæ, quæ eſt *amor*.

Porrò de maleficiis eorumque ratione multa diſputare, non eſt noſtri inſtituti, ſed videndi ſunt, qui libros integros de illis ſcripſerunt: Ad noſtrum tribunal tantùm ſpectat detegere peccata, quæ in his contingere ſolent, quæ hoc cathalogo ſubjungo.

Peccata, quæ ordinariè maleficis, Magis, aut incantatoribus ſunt communia.

Quia qui in pactis Dæmonum communicant, frequenter iiſdem peccatis inficiuntur, in ſacra Scriptura paſſim omnes ſimul conjunguntur. Sic Deuter. 18. *Nec inveniatur* (inquit Dominus) *in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria. nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit vos in introitu tuo.* Ex quibus verbis *duo colligo*. Alterum: Omnes illos actus eſſe peccata mortalia: Alterum: Non tantùm facientes, ſed etiam hujuſmodi Magos & maleficos conſulentes, aut eis quovis modo conſentientes & cooperantes mortaliter peccare. *Deut. 18. v. 10 11.* *Vers. 12.*

Undè iterùm 2. Paralip. 33. Scriptura agens de peccatis Manaſſe dicit: *Tranſireque fecit filios ſuos per ignem in valle Benennom, obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat, habebat ſecum Magos & incantatores, multaque mala operatus eſt coram Domino, ut irritaret eum.* Multa namque peccata maleficos, Magos & cum Dæmonibus paciſcentes ſequuntur, quæ paucis perſtringo. *2 Paral. 33. v. 6.*

Peccata Maleficiorum & Magorum recenſentur. Primum eſt *cultus Dæmonum*. 2. *Pactum & ſocietas* cum Dæmone, ſive per ſigna, ſive per verba. 3. *Blaſphemia*, quibus pacta communiter confirmantur. 4. *Abjuratio* Dei, & Sanctorum execratio. 5. *Sacrilegia* & abuſus rerum ſacrarum, maximè S. Euchariſtiæ & earum rerum, quæ ad ſacrificium & ſacro-ſanctum Sacramentum pertinent. 6. *Inſidiatio* in partu fœminarum, ut infantes abſque Baptiſmo decedant, quorum oſſiculis ad varia præſtigia & maleficia utuntur. 7. *Traditio ſui* in Dæmonis poteſtatem. 8. *Omne nocumentum* poſſibile proximorum in vita, prolibus, bonis. 9. *Nefarij concubitus*, etiam contra naturam cum Dæmone vel aliis, & execrabiles Sodomiæ. 10. *Hæreſis & infidelitas.* Hæc & plura maleficos, maleficasque peccata conſequuntur, ita ut, delato ad tribunal pœnitentiæ maleficio, omnia illa & alia examinanda veniant, quæ breviter referre volui. Unum ſupereſt dubium.

Dubium.

An liceat Maleficij ſigna tollere abſque peccato?

Ablatio ſimplex ſignorum maleficij licita. Reſpondeo: Simplex ablatio ſignorum maleficij non tantùm licita eſt, ſed etiam meritoria: licet enim diſſolvere opera Diaboli.

Dixi (*ſimplex ablatio ſignorum*) ſi enim altero fortè maleficio primum maleficium ſit tollendum, nullatenùs iſto modo illud tollere licet, quia qui maleficio maleficium tollit, peccatum mortale committit, & Dæmoni cooperatur.

Quando autem ſit ſimplex ſigni ablatio, aut quando aliud maleficium concurrat, res prudenter eſt examinanda, nec periculo interdùm vacat. Certum quidem evadit: ſi maleficæ venenum, characteres, figuras, ligaturas, filtra, & id genus reperias, te ſine ſcrupulo illa tollere poſſe: Difficultas tamen eſt dijudicare de aliquibus aliis: An *Ex gr.* percutientem Sagam repercutere liceat ad tollendum maleficium? *Item*: An à Saga panem petere? Et quidem non infimæ notæ Auctores dicunt id licere: quia in primo caſu repercuſſio eſt tantùm ſigni malefici nuda deſtructio; ſupponunt enim tale pactum cum Dæmone initum: *Inficiam quem percuſſeris, ſi te non repercutiat*: In ſecundo caſu: *Inficiam quem ſigno dato infeceris, ſi ei panem non des*: Qui & referunt Sagas in pane non exercere ſua veneficia ob reverentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, cujus materia eſt panis. Et de his fortè aliquid ex confeſſionibus maleficarum didicerunt. Rei ſecuritatem auctoritati dicentium relinquo, quia aliundè de ea conſtare non poteſt.

An liceat ſagam percutientem repercutere, aut ab ea panem petere.

QUÆSTIO III.

Quis dicatur cultus falſus, & quæ ex cultu falſo peccata naſcantur?

CONCLUSIO I.

Cultus falſus.

CUltus falſus eſt: *Qui in ſeipſo rem falſam, & falſificatam, aut falſam ſignificationem continet.*

CONCLUSIO II.

Peccata falſi cultus.

FAlſo cultu peccare noſcuntur. *Primò*, Qui falſis miraculis, revelationibus, teſtimoniis, ſignis, &c. Res fidei confirmare nituntur. Cùm enim divinæ potentiæ illa ſigna proteſtativa ſint, ad cultum Dei pertinent, & ſi falſa ſunt, cultum falſum introducunt.

Secundò, Qui falſam cœremoniam, quaſi à Deo ſibi dictatam ad Deum colendum, aliis imponunt ut illâ utantur. Quod non rarò facere convincuntur larvati quidam & fictitii ſpirituales, qui ſuis ſomniis modos Deum & Sanctos colendi falſitate plenos comminiſcuntur, & tamquam ſibi revelatos ſuis aſſeclis proponunt. Inter quos horrenda narrat *S. Bonaventura Opuſc. de modo confitendi & de puritate conſcientiæ cap.* 14. De fictionibus quorumdam ſpiritualium ſub titulo devotionis, quæ deſidero magis ut Lector in ipſo ſancto Auctore legat, quàm ut hîc referantor.

S. Bonav. opuſc. de modo bene confitendi cap. 14.

Huc etiam pertinent ſacrilegi quidam cultus, quibus Anabaptiſtæ & alii hæretici Deum colere tentaverunt.

Tertiò, Qui in Sacramentorum adminiſtratione & uſu hæreticas falſitates adhibent: ut de cœna Calviniſtica conſtat.

Quartò, Qui modò Judaicis adhuc cœremoniis & ſacris utuntur, ut Circumciſione, purificationibus, ſacrificiis, &c. Hæc enim continent falſam ſignificationem & cultum falſum, cùm ex ſe ſignificent Meſſiam venturum, qui tamen venit. Et attende omnia ſupradicta eſſe peccata mortalia.

QUÆSTIO IV.

Quis dicatur cultus ſuperfluus, & quæ peccata ratione illius committantur?

CONCLUSIO I.

Cultus ſuperfluus.

CUltus ſuperfluus dicitur: *Qui præter Eccleſiæ morem, auctoritate privatâ, approbatis Eccleſiæ cœremoniis vel immiſcetur, vel ſuperadditur, abſque tamen ſuperſtitione, ſed ſuperfluâ quâdam devotione.* Hic communiter exercetur in orationum numero, candelarum colore, & multitudine, ſitu ac geſtu corporis, genuflexionibus inutilibus, Altaris oſculo per Sacerdotem celebrantem præmiſſo Crucis ſignaculo, inſufflatione ſuper Calice poſt conſecrationem, oſculo pedis Calicis cum poſt elevationem dimittitur, additione quarumdam orationum in Miſſa, & aliis ſimilibus, quæ ſuperflua & inordinata excogitatio adinvenit contra vel præter Eccleſiæ ordinarias præſcriptiones.

Dixi (*abſque tamen ſuperſtitione*) non enim ſimilia agentes aliquem effectum modò expectant ut ſuperſtitioſi, ſed tantùm inutilem devotionem prætendunt.

CONCLUSIO II.

QVi ſuperfluo cultu graviter cultum Dei ab Eccleſia inſtitutum alterat, peccat mortaliter: *Si in minùs, veniale peccatum committit.* Ratio ex propriis terminis declaratur: graviter enim cultum divinum ab Eccleſia præſcriptum alterare, eſt ſe gravibus periculis, & Eccleſiæ cultum ridiculis actionibus & irreverentiæ exponere.

QUÆSTIO V.

Quis dicatur inordinatus cultus, & qualiter illius ratione peccari ſoleat?

CONCLUSIO I.

Inordinatus cultus.

INordinatus cultus dicitur: *Qui etſi ſit verus Dei cultus ab Eccleſia publicâ auctoritate inſtitutus & approbatus, uſurpatur tamen ad finem, ad quem nec ex ſe, nec ex inſtitutione Eccleſiæ ordinatus fuit.* Ad hunc cultum pertinent inordinatæ quædam præſumptiones quorumdam, qui ex ſtulta devotione certam Miſſam de B. Virgine ſingulis Sabbathis celebrari curantes, aut certas orationes etiam ab Eccleſia approbatas, ſingulis diebus recitantes, certò ſibi perſuadent, quòd Beata Virgo ante mortem illis apparebit. Hic enim cultus non tam ſuperſtitioſus eſt, quàm inordinatus, quia verus & ſanctus cultus eſt, ſed inordinato fine aſſumptus.

Hujus-

Digitized by Google

Hujuſmodi etiam ſunt, qui aliqua officia & Miſſas dici procurant, ut de ſtatu animæ Defuncti aliquid diſcant per apparitionem vel ſignum, &c.

CONCLUSIO II.

Cultu inordinato Deum colère ad certos aliquos effectus infallibiliter impetrandos, qui non niſi extraordinariè & miraculosè à Deo conceduntur, eſt ſpecies tentationis Dei, & ex genere ſuo peccatum mortale. Vide quæ diximus de tentatione Dei *Tract. 2. tit. 3. quæſt. 6. concluſione 1. & in coroll.* Alias ſolus cultus inordinatus, modò aliud peccatum adjunctum non habeat, veniale tantùm peccatum eſt, quia gravem irreverentiam aut irreligioſitatem ex ſe non continet.

Dixi (*modo aliud peccatum adjunctum non habeat*) ſæpè enim tentationem Dei, aut ſuperſtitionem vel præſumptionem periculoſam hujuſmodi inordinati cultus ſecum involvunt.

QUÆSTIO VI.

Quid & quale peccatum ſit ſacrilegium?

Sacrilegiũ quid? Tractatum de primo præcepto claudet poſitiva irreligioſitas, quæ *ſacrilegium* dicitur, nihilque aliud eſt, quàm: *Læſio, injuria aut irreverentia facta rei Deo ſacræ, quatenùs ſacra eſt, ſive quatenùs eſt Deo conſecrata.* Dicitur enim *ſacrilegium* quaſi *ſacri læſum*, quia per illud in aliquo læditur & violatur res Deo ſacra.

CONCLUSIO I.

Qui notabili injuriâ vel irreverentiâ afficit perſonam, rem, vel locum Deo ſacratum, ſacrilegii peccato mortaliter peccat. Ratio eſt: quia qui perſonam vel rem Deo ſacram injuriâ afficit, Deum, cui ſacrata eſt, illâ afficere cenſetur; notabiliter autem Deum injuriâ in re ſibi dicata afficere, eſt mortale peccatum irreligioſitatis poſitivæ.

Dixi (*perſonam, rem, vel locum*) ſub iſtis enim tribus continentur membratim omnia, quæ Deo conſecrantur, aut conſecrari poſſunt.

CONCLUSIO II.

Sacrilegiũ circa perſonam variis caſibus. *Perſonam Deo ſacram cenſetur gravi injuriâ afficere, & ſacrilegium committere. Primò,* qui in Sacerdotem aut ſacris Ordinibus inſignitum, perſonam religioſam, vel etiam clericum, qui ſe pro clerico gerit, & clericale ſignum manifeſtè portat, manus violentas injicit, ſive fiat percuſſione, occiſione, mutilatione, ſive aliâ atroci injuria. De quibus aliàs.

Secundò, Qui ad tribunalia ſæcularia laicalia in cauſis privilegiatis clericum indebitè trahit.

Tertiò, Qui Sacerdotem vel ſacris Ordinibus inſignitum, in quantùm talem, graviter inhoneſtat.

Tomus II.

Quartò, Gravis injuria cenſetur omnis concubitus, tactus & actus impudicus exercitus à perſona, vel circa perſonam Deo caſtitatis voto conſecratam.

CONCLUSIO III.

Sacrilegiũ circa res ſacras. *Rem ſacram gravi injuriâ afficere, & mortaliter peccare cenſetur,*

Primò, Qui Sacramentis, ſacrificio & aliis ſacris actionibus abutuntur, indignè in illis miniſtrando, ea recipiendo, profanè tractando, &c.

Secundò, Qui Calices, vaſa ſacra, ornamenta Eccleſiæ profanant, eiſque cum irreverentia abutuntur ad uſus profanos, tragœdias, repræſentationes theatricas. Quò pertinet etiam materiæ, quæ in vaſis, ornamentis ſacris, lignis, altaribus Eccleſiarum præfuit, ad res profanas applicatio, maximè, ſi gravis irreverentia fiat. Vide *cap. Ligna de conſecr. D. 1.*

Dixi (*ſi gravis irreverentia fiat*) vidi ego quandoque lapides altaris ſacri, ſuper quibus facta eſt conſecratio, illius memoriam oſtendentibus adhuc crucibus infixis, in pavimento profano pedibus tranſeuntium indignè teri: Vidi & in mappis ſacris & aliis uſus indignos. Memores ſanè Chriſtiani deberent eſſe: Quòd Judas Machabæus lapides profanati Altaris ex religioſa obſervatione ſeparaverit, donec de eis reſponderet Propheta *1. Mach. 4. verſ. 46.*

Tertiò, Qui ſacras Reliquias furantur, vel aliquâ gravi irreverentiâ afficiunt: Idem dicendum de imaginibus ſacris.

Quartò, Qui abutuntur ſacrâ Scripturâ in mendaciis, irriſionibus, impudicitiis, maximè ſi cum ſcandalo aliorum fiat.

CONCLUSIO IV.

Sacrilegiũ circa loca ſacra. *Locum ſacrum in re gravi inhoneſtant, & mortaliter peccant,*

Primò, Qui Eccleſiam, templum, Altare violant & profanant, quod qualiter fiat, diximus ſuprà.

Secundò, Qui utuntur locis ſacris ad actus profanos, ut judicia maximè criminalia in illis exercendo, mercatus, nundinas, convivia, tragœdias, comœdias in illis celebrando. De quibus ſuis locis.

Tertiò, Qui locorum ſacrorum & Eccleſiarum immunitatem violant, utpotè, fores effringendo, locum ſacrum ſpoliando, refugos ibidem legitimè refugio gaudentes extrahendo, &c. De quibus videantur Decreta utriuſque Juris.

Quartò, Immunitatem Eccleſiarum violare cenſentur, qui rem etiam non ſacram, nec ad aliquid ſacri ordinatam in locis ſacratis furantur, ſive qui committunt furtum in loco ſacro: quia in locis ſacris debet eſſe omnimoda ſecuritas ab omni injuria: undè graviter ab Angelis flagellatus, & divinâ virtute percuſſus legitur Heliodorus, cùm ærarium templi inva- *2. Mach. 3.*

 dere

derevoluit, non quia ærarium illud ad templum pertinebat, ſed quia (ut dicebat Onias) erant depoſita & victualia viduarum & pupillorum, quæ in templo aſſervabantur.

Unde gravitas ſacrilegij attendatur.

Advertendum porrò hic eſt in omni ſacrilegio attendi debere gravitatem rei, ex ratione injuriæ & irreverentiæ, quatenùs in Deum redundat: Etſi enim injuria in perſonas, & loca etiam frequentiſſimè peccata mortalia eſſe poſſint (etiam nullo reſpectu facto ad aliquam conſecrationem vel ſingularem ad Deum reſpectum) nihilominus ſpecialem malitiam participant ex ſingulari ad Deum reſpectu, & quia ſingulari præcepto prohibentur: undè injuria, quæ, facta in rem vel perſonam ratione præcepti communis de non inferenda injuria, eſſet tantùm veniale peccatum; ratione tamen alterius præcepti de non facienda injuria perſonæ vel rei ſacræ, eſt peccatum mortale: quia eſt altioris ordinis. *Ex.gr.* levis percuſſio Petri, quæ in quantùm ipſe homo eſt, veniale peccatum eſſet, fit mortalis, & mutat ſpeciem, in quantum eſt perſona Deo ſacrata, & ita de ſimilibus argumentandum.

Peccatum ſacrilegii per omiſſionem.

Advertendum ſecundò, Nonnumquam peccari peccato ſacrilegii per ſolam omiſſionem, utpotè, quia omiſſio & negligentia eſt cauſa irreverentiæ. *Ex.gr.* Si ob Sacerdotis negligentiam, & quia non benè cuſtodivit, aut non immutavit ſuo tempore ſacra linea, vel ſpecies ſacras, irrepſerint vermes vel corruptio in illas. *Item*: Si ob negligentiam Sacriſtæ, aliquis immiſit ſacrilegas manus in Ciborium vel ad ſacra vaſa, corporalia, &c. ut habetur *C. ſanè. de celebrat. Miſſarum & cap. 1. & 2. de cuſtodia Euchariſtia*, &c. Et hæc quoad ſecundum Tractatum ſint dicta.

C. Sanè 2. de celeb. Miſſar.

Schema & Reductio ultimi tituli de irreligioſitate.

Irreligioſitatis peccatum committitur, Cultu
- Indebito, qui completur
  - Idololatriâ
  - Superſtitione divinatoriâ
  - Vanâ obſervantiâ
  - Magiâ
  - Maleficio.
- Falſo
- Superfluo
- Inordinato
- Sacrilegio poſitivo

Horum omnium ſpecies, modos & peccata vide Quæſtionibus, Paragraphis & Dubiis declarata & redacta.

TRACTATUS TERTIUS
DE
SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI,
Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

TITULUS PRIMUS
DE
SECUNDI PRÆCEPTI DECALOGI
Subſtantia & obligatione.

QUÆSTIO I.
Quibus verbis ſecundum Decalogi præceptum in Scriptura exprimatur?

PLurimùm ad penetrandum ſecundi præcepti Decalogi ſubſtantiam confert illius expreſſio in Scriptura, quæ ſicut varia eſt, ita variam intelligentiam ſubminiſtrat, quâ ipſius obligatio meliùs oſtenditur.

CONCLUSIO UNICA.

Secundi præcepti variæ expreſſiones.

VAriis modis exprimitur ſecundum præceptum Decalogi in Scriptura tam veteris, quàm novi Teſtamenti. Catalogum locorum hîc adnecto.

Exod. 20. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.* Exod. 20. v. 7.

Deut. 5. *Non uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtrà; quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit.* Deut. 5. v. 11.

Levit. 19. *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Levit. 19. v. 12.

Eccleſ. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſceaeris, quoniam non eris immunis ab eis.* Infrà: Eccl. 23. v. 9. 10.

Omnis

Verſ. 11.

Omnis jurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur.

Ieremiæ. 4. *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

Ierem. 4. verſ. 2.

Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò; neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Ieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

Matth. 5. verſ. 33. 34. 35. &c.

Verſ. 37.

Jacobi 5. *Ante omnia autem Fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum: ſit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non, ut non ſub judicio decidatis.*

Jacobi 5. verſ. 12.

Ex qua varietate ſententiarum Scripturæ, multarum Quæſtionum materia ſuppeditatur, quæ tamen ad unam eandemque ſubſtantiam ejuſdem præcepti ſpectant, omneſque in hoc conveniunt, quòd nomen Domini cum veritate, reverentia & honore pronuntiandum ſit, ſive ad juramentum aſſumatur, aut uſurpetur, ſive ex cauſa nominetur, aut quovis modo proferatur. Ut autem omnium Scripturarum vis penetretur, ſequentibus Quæſtionibus ad amuſſim explicabuntur.

QUÆSTIO II.

Quid ſit nomen Domini aſſumere, & quibus modis aſſumatur?

CONCLUSIO I.

Quid aſſumere nomen Domini.

NOmen Dei aſſumere (*in phraſi Scripturæ*) *nihil eſt aliud, quàm ſub invocato Dei nomine aliquid à Deo expetere, vel illius venerationem obteſtari.* Hæc Concluſio facile patebit ei, qui Scripturas ſimiles expendere voluerit. Indè enim paſſim, ubi Scriptura ſingularem Dei ad creaturam affectum, protectionem, auxilium exprimit, utitur hac phraſi: quòd *Invocatum ſit nomen Dei ſuper illam*: aut, *Nomen Dei ſit in illa*; aut *ſuper illam ſcriptum*. Conſule Scripturas.

CONCLUSIO II.

Tribus modis nomen Domini aſſumitur in confirmationem veritatis.

DVobus ferè modis ſolet aſſumi nomen Domini: *altero, ad aliquam confirmationem veritatis: altero, ad obteſtationem bonitatis ejus.*

Tribus porrò modis nomen Domini, aut Dei aſſumi ſolet in confirmationem veritatis. *Primò*, Tanquàm omnis veritatis aſſertor & teſtis. Et indè formatur *Iuramentum aſſertorium*: quo Deus invocatur ut teſtis ad confirmandam dicti vel facti, aut etiam cogitati veritatem, ut cùm dico: teſtis eſt mihi Deus, vel per Deum, &c.

Iuramentum aſſertorium.

Secundò, Uſurpari, vel invocari ſolet nomen Domini in ſponſionem, & velut fideijuſſionem fidelitatis. Et indè formatur *Iuramentum promiſſorium*: quo Deus vocatur ut ſponſor, & quaſi fideijuſſor noſtræ promiſſionis: ut cùm quis dicit: in Deo, vel fide Dei tibi promitto, me tale quid daturum, vel facturum, &c.

Iuramentum promiſſorium.

Tertiò, Aſſumi ſolet nomen Domini in vindictam & judicium, caſu quo dicta veritas abſit, ſeu ſubſit falſitas. Et hoc modo formatur *Iuramentum execratorium*: quo invocatur Deus ut judex & vindex falſitatis. Ut cùm quis dicit: hæc mihi faciat Deus, & hæc addat. *Item*: Deus me confundat. *Item*: Vivit Deus, & vivit anima tua, id eſt, vivit Deus judex & vindex peccati, & animæ tuæ.

Iuramentum execratorium.

Et hos modos jurandi vide ſingulari elegantiâ & virtute declaratos à S. Auguſtino Serm. 28. de verb. Apoſt. c. 6. ſuper illa verba Jacobi Apoſt. *Antè omnia nolite jurare. Non vos* (inquit) *fallant, qui neſcio quomodo volentes ipſas jurationes diſcernere, vel potius non intelligere, dicunt non eſſe jurationem, quando dicit homo: ſcit Deus, teſtis eſt Deus, invoco Deum ſuper animam meam verum me dicere. Invocavit* (inquit) *Deum, teſtem fecit Deum, nunquid juravit? Qui hæc dicunt, nil aliud volunt, niſi invocato Deo teſte mentiri* (nimirùm ſi falſum dicunt) Et infrà: *Quid eſt enim per Deum, niſi teſtis eſt Deus? Aut quid eſt teſtis eſt Deus, niſi per Deum?* Et proſequitur etymologiam verbi *Iurare*: *Quid eſt autem jurare? niſi jus Deo reddere, quando per Deum juras, &c. Maximè autem per Deum cùm ſit, ipſa eſt vera juratio, quia & cùm dicit quiſque per meam ſalutem, ſalutem ſuam obligat Deo; quando dicit per filios meos, oppignorat Deo filios ſuos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ejus, ſi verum, verum, ſi falſum, falſum. Cùm ergò filios ſuos, vel caput ſuum, vel ſalutem ſuam quiſque in juratione nominans, quidquid nominat, obligat Deo, quantò magis quando pejerat per ipſum Deum?*

S. Auguſt. Serm. 28. de verbis Apoſtoli cap. 6.

CONCLUSIO III.

TRibus etiam modis aſſumitur nomen Domini, *ſive nominatur Deus in obteſtationem bonitatis ſuæ.* 1. Ad venerationem. 2. In teſtimonium dilectionis. 3. Ad poſtulationem alicujus favoris. Et hi ſunt tres fines, quos ſpectant, qui nomen Domini ritè proferunt. Aut enim per prolationem Dei nomen & virtutem honorare intendunt: aut ſunt affectus animæ diligentis: aut ſuſpiria orantis. Extrà hos fines Dei nomen proferre eſt irregulare, ut ſtatim explicabo.

Tribus modis aſſumitur nomen Domini in obteſtationem bonitatis.

QUÆSTIO III.

Quid ſit nomen Domini in vanum aſſumere & quibus modis id contingat?

CONCLUSIO I.

ILle dicitur nomen Domini in vanum, *ſive fruſtrà aſſumere, qui vel nullo, vel inutili, vel indebito, aut perverſo fine nomen Dei aſſumit, ſive in juramento id fiat, ſive in Divini nominis pro-*

Quid ſit aſſumere nomen Domini in vanum.

TRACTATUS SECUNDI

PARS TERTIA.

TITULUS I.

De irreligioſitate & ejus ſpeciebus.

Exod. 20. v. 3. 4.

Quoniam initio hujus Tractatus ſecundi Tit. 1. quæſt. 2. docuimus ſubſtantiam hujus primi præcepti primæ tabulæ: *Non habebis Deos alienos coram me*: *Non facies tibi ſculptile, ut adores illud*, habere duas partes generales: Alteram *præceptivam*: De attribuendo Deo quidquid illi ſpecialiter debetur; Alteram *prohibitivam*: ne nimirùm creaturæ vel ejus ſimilitudini aliquid Deo debitum, attribuatur: Explicatis iis quæ ad partem *præceptivam* pertinebant: Modò deſcendendum eſt ad ea, quæ ad partem *prohibitivam* ſpectant: Ad quam pertinet ſpecialiter irreligioſitas, quæ tribus membris continetur: Irreligioſitate enim: aut *cultus Deo debitus* alicui creaturæ veræ vel fictæ indebitè attribuitur: aut *cultus falſus, ſuperfluus, inordinatus* Deo exhibetur: aut *ſacrilegium* poſitivè committitur, & poſitiva Deo injuria infertur. De his igitur tribus agendum erit.

Tres ſpecies irreligioſitatis.

QUÆSTIO I.

Qualiter cultus Deo debitus indebitè creaturæ attribuatur, & quæ indè peccata oriantur?

Quid nomine creaturæ intelligatur.

Advertendum eſt primò, nomine *creaturæ* hic intelligendum eſſe, non tantùm creaturā veram, ſive ens creatum verum; ſed etiam ens creatum fictum, ſive creaturam fictam, quam dicimus *ens rationis*: Non enim minùs peccat, qui honores divinos & cultum ſoli Deo debitum alicui Chymæræ, Hypocentauro, ſimilitudini fictæ, cui in rebus creatis nulla correſpondet veritas; quàm qui alicui creaturæ rationali vel irrationali, ſenſitivæ vel inſenſibili, cultum exhibet qui ſoli Deo debetur.

Dupliciter honor Deo exhibetur.

Advertendum ſecundò, Dupliciter honorem & cultum Deo deberi & exhiberi. Primò, Deo in ſe abſolutè & irreferibiliter, quatenùs eſt ſuprema & infinita eſſentia infinitis eſſentialibus attributis à nobis concepta. Secundò, ut in ſuis creaturis per ſupernaturalia dona elucet. Et hic quidem honos & cultus terminatur ad creaturam, quatenùs divina & ſupernaturalia dona participat, non tamen irreferibiliter, ſed referibiliter ad Deum; ita ut honor & cultus ille, reduplicativè quatenùs in Deum refertur, vel actu referibilis eſt, creaturæ defe-ratur. Quomodo coluntur Sancti, ut Dei amici, in quibus divina dona ſupernaturalia clariùs reſplendent.

Duplex cultus.

Advertendum tertiò, Cultum alium eſſe *explicitum*, alium *implicitum*. *Explicitus* eſt: Qui exteriori actu & objecto cognito & expreſſo defertur: quomodo colitur verus Deus, Perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſtus Deus & Homo aperto & manifeſto cultu. *Implicitus* cultus eſt: qui ex parte ſigni, vel ex parte objecti, vel ex utraque parte manifeſtus non eſt: ut qui ſuperſtitionibus & vanis obſervantiis ac magicis ſignis utitur, cenſetur colere Dæmonem cultu implicito: quia nec ſigna illa manifeſte ſunt ad cultum ordinata, & quis colatur ignoratur; interim tamen à parte rei iſtis ſignis alicui Dæmoni, vel Dæmonis ſimulachro honor Deo debitus exhibetur. His ſic animadverſis, ſit

CONCLUSIO I.

Idololatria.

Quicumque honorem ſive cultum ſoli Deo debitum creaturæ veræ vel fictæ exhibet, ſive quòd credat illi divinitatem ineſſe, ſive metu, adulatione, aut alio ſimili motivo id faciat, peccat mortaliter peccato idololatriæ.* Tales fuerunt omnes, qui ſtatuis, ſimulachris vel hominibus divinos honores decreverunt; ſive crederent divinitatem in ipſis ſimulachris reſidere, eò quòd Dæmon per illa reſponſa ederet, & alia multa ſigna faceret, ſive quòd in ſimulachris Dæmonem apparentem, vel creaturas repræſentatas tali cultu honorarent, quæ ſimulachra falſo Deorum nomine & virtute cenſerentur. Tales ſimiliter fuerunt, qui aſtra, plantas, animalia, bruta, Dæmones, Angelos, animas Defunctorum & id genus pro Diis habuerunt.

Triplex cultus.

Dixi (*qui honorem ſive cultum ſoli Deo debitum creaturæ exhibet*) triplex enim cultus in hac materia religionis diſtinguitur à Theologis: nimirùm cultus *Latriæ*: qui ſoli Deo exhibetur, propter ſupremam & infinitam ejus excellentiam. *Duliæ*: qui exhibetur Sanctis & Beatis, propter participatam aliquam ſupernaturalem excellentiam à Deo, quæ in illis eſt. *Hyperduliæ*: qui exhibetur Beatæ Virgini, propter ſupereminentem quamdam excellentiam gratiarum & gloriæ, quibus ſuper alios Sanctos enitet: Undè ſoli Deo cultum Latriæ exhibemus. Alios autem cultus B. Virginis & Sanctorum non ut divinos, neque ut divinitatis Proteſtationes adhibemus, ſed ut multò inferiores, propter creatam aliquam excellentiam, ſupernaturalem tamen, illis à Deo conceſſam. Quinimò ſtatuas & imagines quas Deo & Sanctis erigimus, ne quidem abſo-

abſoluto honore & veneratione proſequimur; ſed tantùm reſpectivo, propter excellentiam prototyporum, prototypa ipſa per imagines venerantes, juxta ordinem & dignitatem ſuam.

Qualiter cultus Dei determinetur.

Portò cultus ſoli Deo debitus in aliquibus eſt per ſe determinatus, ut in ſacrificiis, altaribus, templis, ſacerdotiis & id genus, quæ ſoli Deo decernuntur; etſi ſimilia nomen & titulum alicujus Sancti ſecum interdùm ferant, propter Sancti invocationem & commemorationem: Non enim ipſis Sanctis eriguntur Altaria & templa, ſed Deo cum invocatione & memoria Sanctorum. Aliquando cultus ille determinatur ex intentione actuali colentis, ut per genuflexiones, preces, inclinationes, &c. quæ etſi ex ſe ſint indifferentia ad triplicem cultum aſſignatum, applicantur nihilominus ex intentione colentis ad certum aliquem, utpotè; *Latria* cùm Deo fiunt. *Hyperdulia* cùm B. Virgini, *Dulia* cùm Sanctis exhibentur.

Dixi (*creatura ficta vel vera*) propter Antiquos qui etiam monſtra & Chymæras, quæ in rerum natura nunquam fuerunt, pro Diis ſibi finxerunt.

Tres actus in idololatria.

Dixi (*ſive quòd credat aliquam divinitatem illi ineſſe*) propter ſupremam illam idololatriam internam & externam, quæ tribus actibus abſolvitur. Primò, exiſtimatione falsâ divinitatis & perfectionis Deo propriæ in eo quòd adoratur. Secundò, affectu reverentiæ, quo creaturæ tamquam ſupremo Numini idololatra ſe ſubjicit. Tertiò, externo ſigno, quo hanc ſubmiſſionem & reverentiam proteſtatur.

Dixi (*ſive adulatione, metu vel alio motivo id faciat*) Multi enim ſunt, qui etſi divinitatem aliquam ineſſe non credant, metu tamen vel adulatione creaturæ cultum ſoli Deo debitum exhibent, ideoque non minùs idololatriæ vitio laborare cenſentur, imò eò magis malitioſo laborant, quò ex propria malitia contra conſcientiam procedunt.

CONCLUSIO II.

Falſorum Sanctorum ac Reliquiarum falſarum honor indebitus.

QVi falsò excellentiam aliquam participatam ſupernaturalem, & cultum tali excellentia debitum, creaturæ tribuunt, in qua talis excellentia non reperitur, peccant mortaliter.* Tales ſunt qui falſis Sanctis & animabus damnatis honores veris Sanctis debitos tribuunt. *Item*: Qui falſas Reliquias adorant: qui falſos Prophetas & Martyres pro veris honorant & venerantur, ut Turcæ, qui Mahumetam tamquam Prophetam magnum colunt. Et hoc peccatum ad idololatriam reducitur proportione rationis, poſſetque vocabulo accommodato nuncupari *idolodulia*. Cui periculo ſe exponunt, qui perſonis necdum beatificatis aut Canonizatis, & quarum miracula necdum approbata ſunt, cultum Sanctis debitum exhibent, & illas cultu ſpeciali colunt. Contra quos nuper providè ſanctiſſimus D.N. Urbanus VIII. Bullam edidit: Ne cum radiis talium imagines pingerentur: ne vota appenderentur eorum ſepulchtis, &c. Datum eſt Decretum anno 1625 4. Aprilis. Quia verò poſteà iterùm dubitatum eſt de tabellis & votis, declaravit idem ſanctiſſimus D. ſuam mentem qualiter reciperentur, & aſſervarentur in ſecreto, eodem anno 30. Octobris.

De Sanctis necdum beatificatis Decretum Vrbani VIII.

CONCLUSIO III.

QVi ſupradictos cultus & honores ſibi arrogant, aut exhiberi permittunt, vel procurant, aut alios ad id pelliciunt, mortaliter peccant, eadem ratione & proportione quâ ſuprà.* Non defuerunt certè his infauſtis temporibus, qui aliquorum adhuc viventium imagines in Altaribus poſuerunt, & eos velut Sanctos coluerunt. Abominationes graviores referrem, ni pias aures offendere timerem. Gratum fuit aliquando legere exempla Sanctorum, qui tantâ induſtriâ ſanctitatis notas abhorruerunt. Nec minùs gratum ſtatutum Capituli generalis Mechlinenſis Ordinis noſtri anno 1464. celebrati, quo graviſſimis pœnis carceris, privationis actuum legitimorum & ſuſpenſionis ab executione Ordinum prohibitum fuit, ne quovis modo aliquas revelationes ſibi factas, aut ſub titulo alicujus revelati aliqua ſpargere etiam in privato auderet, aut ſanctitatis, prophetiæ, & donorum ſupernaturalium ſigna prætenderet, ante approbationem Capituli generalis, vel niſi ſe à Deo miſſum ut Moyſen evidentibus ſignis monſtraret.

Nota.

CONCLUSIO IV.

Cultus implicitus Dæmonum.

QVicumque verbo, facto, geſtu, ſcripto, vel quocumque ſigno aliquem effectum expectat, qui nullam ex prædictu ſequelam vel à natura, vel à Dei ordinatione immediata aut mediata habet, cenſetur tali ſigno cultum vel honorem, aut ſignum amicitiæ Dæmoni exhibere, cum expreſſo vel tacito pacto; & mortaliter peccat.* Ratio Concluſionis eſt: quia omnis effectus realis vel cum causâ naturali ad agendum ſufficienter applicata, vel cum causâ ſupernaturali conjunctionem habere debet: ſed (ut ſupponitur) effectus ille nec cum causâ applicata ad agendum, nimirùm, cum ſignis in Concluſione relatis, nec cum causâ ſupernaturali (Deo ex aliqua divina ordinatione ſua concurrente ad effectum) conjunctionem habet, ergo expectandus eſt à Dæmone cauſas naturales applicante: Infero iterùm: Atqui, qui aliquo ſigno effectum aliquem à Dæmone expectat, illi cultum vel honorem fidei & fiduciæ exhibet expreſſo vel tacito pacto, ergo mortaliter peccat: Concluſionem paſſim Scripturæ docent, dum divinos, Ariolos, Pythones, Magos, Incantatores, &c. condemnant. Vide cap. 18. Deuteronomii & 2. Paralip. 33. Quæ infrà ſuo loco citabuntur.

His

Hic porrò cultus qui ſignis hujuſmodi Dæmoni exhibetur, communi nomine *ſuperſtitio* vocatur, à nomine *ſuperſtes*, quia, ut *Iſidorus in Ethymologijs ſuis ex Cicerone* refert, qui ſuperſtitionibus utebantur, erant homines totâ die orantes, ut ſuperſtites redderentur, & incolumes evaderent.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint ſuperſtitionum genera?

GEnera requiro, non ſpecies quæ infinitæ ſunt.

CONCLUSIO UNICA.

Quatuor genera ſuperſtitionum.

SUperſtitioſi cultûs genera ad quatuor membra reduci poſſunt: nimirùm: *Divinatorium, vanam obſervantiam, magiam, maleficium.* Sub his enim omnes ferè ſuperſtitionum ſpecies continentur, aut ad eas reduci poſſunt, ſuntque omnia de ſuo genere peccata mortalia, niſi inadvertentia aut ignorantia inculpabilis aliquem excuſet. Ut verò ſingula membra ſingulariter examinentur, pono ſequentes paragraphos.

§. I.

De ſuperſtitione divinatoria.

Divinatorum ſuperſtitio.

SUperſtitio divinatoria eſt: *Quâ quis inutilibus mediis ſeu impertinentibus modis futura contingentia libera, vel res per ſe occultas vult cognoſcere, ſive prædicere.* Sub nomine *ſuperſtitionis divinatoriæ* non continetur *donum prophetiæ* & ſimiles *gratiæ gratis datæ*, quia verè Dei dona ſunt & non divinatio, ſed certa cognitio. Dicitur autem (*inutilibus mediis & modis*, &c.) ut excludantur media ordinata & efficacia. Dupliciter verò cenſetur medium inutile. *Primò*, quia ex natura ſua nullam virtutem aut efficaciam habet ad finem intentum. *Secundò*, quia nec ex divina ordinatione hoc habere dignoſcitur: quod addo, propter varia quæ revelantur à Deo per inſpirationes & alia ſigna, qualia ſunt ſigna data Prophetis futurorum contingentium liberorum prognoſtica, quibus Scriptura ſacra & hiſtoriæ abundant.

Donum prophetiæ.

Inutilia media divinationis.

Pluviæ & tempeſtates poſſunt prædici.

Dixi (*futura contingentia libera*) ut excludantur alii effectus contingentes, qui velut in cauſis ſuis continentur, & neceſſariò ab illis dimanant, ut ſunt pluviæ, tempeſtates, ſerenitates, quæ probabiliter ex aſtris & aliis cauſis naturalibus educuntur. Per contingentia autem libera intelliguntur ea, quæ à libero arbitrio planè dependent.

Dixi (*vel res per ſe occultas*) ut ſunt cordium cogitationes & alia quæ cognitionem humanam, imò etiam angelicam hic & nunc per ſe effugiunt.

Dixi (*per ſe*) propter nonnulla, quæ etſi videantur occulta, ſignis tamen probabilibus manifeſtantur, ut per inclinationes naturales, & interdùm per ſigna phyſiognomica.

Variæ divinatorũ nomina.

Porrò divinatores diverſi admodùm numerantur juxta diverſitatem circumſtantiarum divinationis ſuæ, variiſque nominibus appellantur: ut Aruſpices, Arioli, præſtigiatores, Sortilegi, Geomantes, Hydromantes, Aëromantes, Pyromantes, Chyromantes, Aſtrologi judiciarii, & alii de quorum differentiis videantur Auctores: Divinatoriâ etiam ſuperſtitione damnantur, qui ſignis, cribri verſionibus, obſervationibus tentant divinare fures, latrones, ſagas: *Item*: Qui ex ſignis manuum bonam vel malam fortunam prædicere: Qui ex horoſcopo ſive conſtellationibus nativitatis vitæ hominis ſucceſſum indicare præſumunt. Quæ omnia ex genere ſuo (ut dixi) peccata mortalia ſunt, & ſæpè legibus etiam Eccleſiæ de novo prohibita, cum adjunctis cenſuris & variis pœnis. Videnda eſt graviſſima & doctiſſima conſtitutio Sixti V. quæ apud Chærubinos eſt 17. quam innovavit Urbanus VIII. anno 1631. eſtque Urbani 113. in Bullario.

Verſio cribri.

Chiromantia.

Horoſcopus.

§. II.

De vana obſervantia.

Obſervantia vana.

VAna obſervantia dicitur: *Quæ ex vanis & inutilibus ad effectus ſperatos ſignis, effectus nihilominus illos certò & infallibiliter expectat.*

Diſtinguitur à divinatione vel ſuperſtitione divinatoria, quòd hæc circa cognitionem futurorum contingentium & rerum occultarum ſpeculativè occupetur, tamquam illarum præſcia, & annuntiatrix: Vana autem obſervantia non in ſpeculatione nec in præſcientia, ſed in practica expectatione ſecuturi effectus, quam quis adhibitis vel obſervatis ſignis velut practicè dirigere videtur.

Triplex obſervantia vana.

Porrò variæ ſunt vanæ obſervantiæ ſpecies, quæ ferè ex effectibus deducuntur, quas tribus membris concludo, nimirùm: *Arte notoriâ, obſervantiâ ſanitatum, obſervantiâ futurorum eventuum.*

Ars notoria.

Ars notoria dicitur, cùm per preces, jejunia, profana & amatoria pocula, & alia ſigna ac ritus certò & infallibiliter ſcientiæ alicujus infuſio vel acquiſitio præter naturæ curſum expectatur. Talibus certè mediis ad hoc nonnullos uſus, hiſtoriæ variæ referunt. Et de Anabaptiſtis hujus temporis experientia docuit, illos, deteſtabilis cœnæ ſuæ poculo ſumpto, Scripturarum ſcientiâ in inſtanti ita interdùm repletos fuiſſe, ut illitterati homines Scripturam legere, memoriter & verbotenus recitare potuerint, Dæmone ſine dubio ſuggerente: Undè fit, ut Catholici exorciſmis iſtam ſcientiam interdùm ipſis cum confuſione adimant: quin & converſi ad veram fidem, in primam litterarum ignorantiam revertantur. Ad hanc vanam obſervantiam pertinet, quòd aliqui in nocte ſancti Joannis ſub aviculis ſuis pervi-

pervigilant, expectantes eis garritum & melodiam ſine dubio à Dæmone infundi.

Obſervantia ſanitatum vana.

Obſervantia ſanitatum nimis nota eſt, nimiſque has etiam Belgicas Regiones invaſit, dùm verbis, ſignis, ſcripturis, cæremonijs, ſimilibuſque medijs inutilibus ad effectum, incauti homines ſanitatis conſervationem, recuperationem, vulnerum ſanitatem, mitigationem dolorum, protectionem ab hoſtibus, &c. præſtolantur. Dico ſemper (*inutilibus*) non negamus enim naturalia media & remedia poſſe illis opitulari, ratione virtutum & qualitatum, quæ in lapidibus pretioſis, herbis, & alijs cauſis naturaliöns continentur: ſed ſemper cautè procedendum eſt, & attendendum, an nullum ſignum inutile ſit admixtum.

De naturalibus.

Obſervantia futurorum eventuum.

Obſervantia futurorum eventuum etiam non modicam labem Chriſtianæ veritati induxit, dùm ſi quis lævo pede è ſtrato ſurgat, egredienti lepus occurrat, picam ſuper domum pictitantem audiat, ſibi augurium malum præſagit. De his luculentiſſimè *S. Auguſt.* ſeu Author libri de rectitudine Catholicæ converſationis: *Ante omnia* (inquit) *illud annuntio atque obteſtor, ut nullus Paganorum ſacrilegas conſuetudines obſervet, non carcarios, non divinos, non ſortilegos, non præcantatores, nec pro ulla cauſa aut infirmitate eos conſulere & interrogare præſumatis. Qui hoc malum facit, perdit baptiſmi Sacramentum* (id eſt baptiſmalem gratiam) in quo ſoli Deo & CHRISTO adhærere promiſit & profeſſus eſt, & Satanam abjuravit, cujus cultui tamen per iſtas ſuperſtitiones iterùm ſe addicit: proſequitur: *Auguria vel ſternutationes obſervare nolite, nec in itinere poſiti aliquas aviculas cantantes attendatis.* Infra: *Nullus obſervet qua die domum exeat, vel qua revertatur, quia omnes creavit Dominus.* Et alia plurima congerit de ligaturis arborum, & alijs ſuperſtitionibus infinitis, quæ Lector non ſine utilitate leget. Graviſſimè etiam de illis loquitur, illaque condemnat, ut iterùm videre eſt *Serm. 241. de tempore*, ubi ferè ſupradicta repetit, & addit: *Quicunque fecerit hoc malum, ſtatim peribit baptiſmi Sacramentum, & continuò Paganus & ſacrilegus efficitur* (quod intelligendum eſt, ut ſuprà explicavi) *& niſi grandi eleemoſynâ, durâ & prolixâ pœnitentiâ ſubvenerit, ſtatim in æternum peribit.* Hæc S. Auguſt. Quibus ſimilia iterùm habet *Serm. 215. de tempore*: ubi de philacterijs, characteribus, herbis, ſuccis appenſis latè. Et demùm concludit: *Niſi tale ſacrilegium emendaverint, ubi arſurus eſt Diabolus, ibi & ipſi damnandi ſunt.* Advertendum verò, profanas illas & vanas obſervantias ac ſuperſtitiones in ipſa Religionis noſtræ ſanctiſſima ſacraria penetrâſſe, etiam uſque ad diviniſſimi ſacrificij & Sacramenti Euchariſtiæ ſacroſanctas cæremonias, quibus homines abutuntur in Evangelio, Offertorio, & uſque ad ſacratiſſimam conſecrationem, imò & ſpecies ipſas. *Væ, Væ, Væ vobis*, &c. Quid dicam de ſacris Reliquijs, de cera benedicta, &c. In omnia ſanè involavit Dæmon, ſimilitudinis Deì reprobus appetitor. Undè S. Auguſt. Tract. 7. in Evang. Joannis: *Fingunt* (ait) *ſpiritus mali umbras quaſdam honoris ſibimet ipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur* CHRISTUM: *uſque adeò Fratres mei, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen* CHRISTI: *quia jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id, quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem*, &c.

S. Auguſt. lib. de rectitudine Catholicæ converſ. poſt. init.

Nota peccati gravitatem.

Idem ſuprà.

Nota ſuperſtitiones.

Idem Serm 241 de temp. in init.

Nota.

Et Serm. 215. de temp.

Nota.

Nota graviſſimum.

Idem Tract. 7. in Evang. Joan. poſt init.

Nota.

Et ſuprà lib. de rectitudine Catholicæ converſationis invehitur in Clericos, qui talia ſigna defendebant, quaſi continerentur in ſacra Scriptura. *Nullus* (inquit) *ad colla hominis, vel alicujus animalis ligamina dependere præſumat, & ſi à Clericis fiat, & dicatur quòd res ſancta ſit, & in Divina lectione contineatur, non eſſet dignus nomine Clericorum, ſed Hæreticorum, quia non eſt in eis remedium* CHRISTI, *ſed venenum Diaboli.* Hæc S. Auguſtinus: ex his pono duas Regulas generales.

Idem l. de rectitu. Catho. converſa.

Nota.

Regula 1.

Q*Vicunque utitur verbo, ſcripto, ſigno, re, vel qualibet actione, quantumcunque illa ſint ſacra, effectum certò & infallibiliter expectans, de quo non conſtat, quòd habeant aliquam cum prædictis neceſſariam conjunctionem, aut ſequelam ex rerum natura, vel certa ordinatione Divina, aut publica & conſtanti inſtitutione vel approbatione Eccleſiæ, peccat mortaliter peccato ſuperſtitionis.* Regula patet ex dictis.

Dixi (*effectum certò & infallibiliter expectans*) ob nonnulla pia amuleta, & ſacras Reliquias, quæ quidem ex devotione debitis circumſtantijs adhiberi poſſunt, non tamen effectus aliquis certò & infallibiliter ex ijs expectari. De quibus ſtatim.

Regula 2.

Q*Vantumvis ſacra & ſancta adhibeantur, & quæ aliquam ordinationem divinam habent ad effectum aliquem pium impetrandum, ſi vel modica vana, vel inutilis cæremonia, aut ſignum adhibeatur, de cujus approbatione non conſtat, tamquam à ſuperſtitioſis actionibus ab illis eſt abſtinendum.* Ratio eſt: quia ſub illis adjectitiis venenum Diaboli ſæpè latet, prout eſt dictum. Undè graviſſimè monet S. Auguſtinus ſuprà Tract. 7. in Joannem: *Ne quæratis alibi Chriſtum, quàm ubi ſe vobis voluit prædicari Chriſtus. Et quomodo vobis voluit prædicari, ſic illum tenete, ſic in cordibus veſtris ſcribite.* Et volens nos ab omnibus vanis obſervantiis liberare, ſuprà lib. de rectitudine Cath. converſ. ait: *Sive iter, ſive quodcumque opus arripitis: ſignate vos in nomine Chriſti, & Symbolum & orationem Dominicam cum fide & devotione dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus.* Quod & repetit ſerm. 241. de tempore, in initio.

Idem. Tract. 7. in Joan. poſt init.

Et lib. de rect. Cath. conver.

Nota ſingulare remedium contra omnem Dæmonis poteſtatem.

Tria porrò circa prædicta reſtant Dubia breviter expedienda.

Dubium 1.

An liceat geſtare agnos Dei, amuleta, verba ſcripta, Evangelium S. Ioannis, &c. ad ſanitatem tuendam, aut recuperandam, & ad ſimiles effectus?

R*Eſpondeo*, Omninò licere, modò ſuperfluus, indebitus, aut inconveniens cultus, ſive cæremonia alia non adhibeatur, & quis ſimilibus utatur juxtà piam conſuetudinem Eccleſiæ cum fiducia in Deum & Sanctos.

Modus dignoſcendi cultus vanos & ſuperfluos.

Ut autem quis meliùs de licito ac illicito ſimilium uſu judicare poſſit, infràſcripta advertenda ſunt. Primò, ut nihil falſi contineant contrà Scripturam, auctoritatem Eccleſiæ, & ſacros Canones. Secundò, nè aliquid in illis ſcribatur, aut proferatur, quod ſapiat invocationem Dæmonis. Tertiò, nè ignota nomina contineant, ut notat D. *Chryſoſt. Hom. 6. in Matth.* Quartò, ne verbis ſacris vana aliqua ſigna vel verba immiſceantur. Quintò, nè ſpes aliqua in modo ſcribendi, ligandi, aut in inſtrumento ipſo ponatur. Sextò, nè infallibilis aliquis effectus à talibus expectetur, aut promittatur, cùm iſta tantùm operentur ex devotione Eccleſiæ, aut ejus fide, qui ea applicat vel geſtat.

D. Chryſ. homil. 6. in Matth.

Dubium 2.

Quomodò excuſari poſſint à vana obſervantia nonnullæ cæremoniæ, quæ in diverſis Eccleſiis & peregrinationibus ad Sanctorum Reliquias tolerantur, & velut continuâ conſuetudine, imò certâ auctoritate approbantur?

NOn parùm difficultatis hactenùs moverunt Theologi in quibuſdam modis, & cæremonijs, quæ ſolent fieri in peregrinatione ad Reliquias, vel memoriam S. Huberti pro rabie curanda, S. Quirini pro apoſtematibus, & pro certo morbi genere ad S. Giſlenum in Belgio: ubi ijs, qui laborant, præcipiuntur variæ abſtinentiæ à certis cibis, prohibentur ipſis ſpecula reſpicere, librantur, ac eleëmoſynas dant ad certum pondus, & alia ſimilia faciunt, quæ non videntur ullo modo ordinari ad finem ſanationis, quem prætendunt. Simile eſt de circumductione equorum circà templa S. Eligij, S. Antonij: de apertione venæ jumentorum in die S. Nicolai: de fabricatione annuli, primo nummo imagini Crucifixi oblato in die Paraſceves, contrà contractionem nervorum. *Reſpondeo*, Nos debere fateri multa irrepſiſſe ex negligentia & ignorantia Paſtorum ac Miniſtrorum, & ex vanitate populi ac vulgi, quæ vanam obſervantiam continent, aut ſapiunt, nec poſitivè ab Eccleſia tolerantur, ſed potiùs ignorantur. Alia tamen ſunt, quæ ab Eccleſia approbata, quâdam traditione communi obſervantur, quæ ſine dubio aliquem ordinem dicunt ad effectum, ſive ordo ille ſit naturalis, ſive ſit pietatis & fidei, ac reverentiæ in Deum & Sanctos: prohibentur enim talibus cibi nonnulli, quia verè contrarij ſunt morbo, à quo curari deſiderant, illumque fovent: prohibentur iſti rabidi reſpicere ſpecula, vel propriam formam in aquis, quia hic aſpectus fortiùs movet imaginationem, & rabido officit; poteſt etiam fieri, ut eleëmoſynæ taxentur ad pondera actu quodam religioſo, quo quis intelligat, ſe pro beneficio impetrando tantùm, quantus eſt, deberi Deo in obſequium Sancti, & alia ſimilia pias interpretationes admittunt. In pietatem etiam reduci poteſt illa circumductio equorum circa templa Sanctorum, & ſimilia: conſultum tamen eſſet, ut debito examine præmiſſo, ab Eccleſia denuò approbarentur, quia reverà ſimplicitate, vel nugacitate eorum, qui talibus præſunt, multa ſine dubio introducta ſunt, quæ non parùm ſuperſtitionis habent admixtum. Dicuntur cæremoniæ peregrinorum ad Reliquias S. Huberti in Ardenna de novo examinatæ, & approbatæ. Quod de fabricatione illa annuli dicitur, pietatem quandam ſapere poteſt ad Crucifixum, qui pro peccatis noſtris totis membris diſtentus eſt in cruce: omnia tamen cum ſobrietate ruminanda ſunt, cavendumque eſt, nè dùm pij fieri volumus, ſuperſtitioſi fiamus.

Multa ſuperſtitiones irrepſerunt in cultum ſacro.

Aliqua quæ videntur vana ſunt ordinata & licita.

Examen neceſſariū.

Porrò tria ſunt univerſim, quæ vanam obſervantiam probant. *Primùm*, Conditio & qualitas cauſæ, ſive operis applicatio, utpotè, ſi in ſe, vel circumſtantia planè ſit inutilis ad effectum. *Secundum*, Conditio operationis, utpote, ſi in inſtanti fiat, quod alias longum tempus requirit, aut ſi in diſtantia naturaliter impoſſibili effectus producatur. *Tertium*, Qualitas effectûs, ſi videlicet adhibitam induſtriam longè ſuperet.

Qualitates ſuperſtitionis & vanæ obſervantiæ.

Dubium 3.

An uti aliquâ ſuperſtitione ex prædictis, ſemper ſit peccatum mortale?

R*Eſpondeo primò* (ut ſæpè repetij) ex genere ſuo ſemper eſſe peccatum mortale: quia cultum, affectum, vel honorem ex pacto explicito vel tacito cum Dæmone continet.

Quando ſuperſtitio peccatum mortale.

Reſpondeo ſecundò, Poſſe fieri veniale ex inculpabili ignorantia, indeliberatione, inadvertentia, aut quia quis potiùs ex irriſione & ſimulatione ſimilibus utitur; modò tamen abſit ſcandalum.

Quando veniale.

§. III.

De Magia.

MAgia dicitur: *Ratio quædam operandi mira ope Dæmonis, vel pacto tacito, vel explicito cum eo inito.*

Magia quid.

Dico

Digitized by Google

Dico (*mira*) neque enim Magi aut Dæmones vera miracula edere poſſunt.

Dico (*ope Dæmonis*) ad excludendam Magiam quamdam naturalem vel artificialem, quâ occultis naturæ proprietatibus vel artis induſtriâ, mira fiunt & ſtupenda.

Triplex operatio Dæmonis in Magis.

Porrò operatur Dæmon per Magos tribus modis, videlicet. Primò, Effectus jam per naturam vel artem productos de loco ad locum transferendo, & quaſi eos produceret, ſupponendo. Secundò, de novo producendo ſimiles effectus, applicando activa paſſivis. Tertiò, Senſus deludendo, ſive illuſio fiat in ipſo ſenſu vel imaginatione, ſive in objecto vel medio per quod ſpecies transmittuntur.

Dixi (*ex pacto tacito vel explicito cum eo inito*) Quæ enim ex pactis ſimilibus non procedunt, ad Magiam non ſpectant. Poſſunt enim homines etiam per Dæmonem multa facere, quæ magica non ſunt, ut de poſſeſſis à Dæmone conſtat.

§. IV.

De Maleficio.

Maleficium quid?

MAleficium eſt: *Ratio quædam agendi proveniens ex pacto tacito vel expreſſo cum Dæmone inito, quâ poſitis certis ſignis alicui operâ & poteſtate Dæmonis aliquod nocumentum infertur.* Hoc paſſim indicat nomen *maleficium*, ſic dictum, quia ita proprium eſt maleficis malè facere, ut, ſi quandoque Dæmon aliquid boni videatur maleficis vel maleficio præſtare, illud non niſi ad maleficiendum vel nocendum ordinetur.

Duplex maleficii.

Duplex porrò *maleficium* diſtinguitur à Doctoribus: Aliud eſt *veneficium*, aliud *amatorium*.

Veneficium quid.

Veneficium dicitur: *Actio, vel potiùs ſignum, quo mediante Dæmon hominibus vel in eorum rebus, vel in eorum perſonis nocet.* Deduciturque vocabulum à *veneno*, quaſi *veneficium*, quia ut plurimùm Dæmon hominem aliquo veneno inficit, etſi & aliis modis noceat, ut cùm inducit ſterilitates, tempeſtates, pruinas, grandines, &c. quibus ſemina & terræ naſcentia vel conſumuntur, vel impediuntur: quamvis peſtes, animalium mortes, & id genus corruptione & veneno ferè cauſentur.

Amatorium.

Amatorium maleficium dicitur: *Quo Dæmon immutationem in affectibus cauſat*, utpotè, ad exceſſivos amores carnales, vel etiam ad capitalia odia inducenda filtris, poculis amatoriis, figuris, characteribus, &c. Dicitur verò maleficium *amatorium* à principaliori paſſione animæ, quæ eſt *amor*.

Porrò de maleficiis eorumque ratione multa diſputare, non eſt noſtri inſtituti, ſed videndi ſunt, qui libros integros de illis ſcripſerunt: Ad noſtrum tribunal tantùm ſpectat detegere peccata, quæ in his contingere ſolent, quæ hoc cathalogo ſubjungo.

Peccata, quæ ordinariè maleficis, Magis, aut incantatoribus ſunt communia.

QUia qui in pactis Dæmonum communicant, frequenter iiſdem peccatis inficiuntur, in ſacra Scriptura paſſim omnes ſimul conjunguntur. Sic Deuter. 18. *Nec inveniatur* (inquit Dominus) *in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria: nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiusmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.* Ex quibus verbis *duo colligo*. Alterum: Omnes illos actus eſſe peccata mortalia: Alterum: Non tantùm facientes, ſed etiam hujusmodi Magos & maleficos conſulentes, aut eis quovis modo conſentientes & cooperantes mortaliter peccare. Deut. 18. v. 10. 11. Vers. 12.

Undè iterùm 2. Paralip. 33. Scriptura agens de peccatis Manaſſe dicit: *Tranſireque fecit filios ſuos per ignem in valle Benennom, obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat, habebat ſecum Magos & incantatores, multaque mala operatus eſt coram Domino, ut irritaret eum.* Mulra namque peccata maleficos, Magos & cum Dæmonibus paciſcentes ſequuntur, quæ paucis perſtringo. 2. Paral. 33. v. 6.

Peccata Maleficiorum & Magorum recenſentur.

Primum eſt *cultus Dæmonum*. 2. *Pactum & ſocietas* cum Dæmone, ſive per ſigna, ſive per verba. 3. *Blaſphemia*, quibus pacta communiter confirmantur. 4. *Abjuratio* Dei, & Sanctorum execratio. 5. *Sacrilegia* & abuſus rerum ſacrarum, maximè S. Euchariſtiæ & earum rerum, quæ ad ſacrificium & ſacro-ſanctum Sacramentum pertinent. 6. *Inſidiatio* in partu fœminarum, ut infantes abſque Baptiſmo decedant, quorum oſſiculis ad varia præſtigia & maleficia utuntur. 7. *Traditio ſui* in Dæmonis poteſtatem. 8. *Omne nocumentum* poſſibile proximorum in vita, prolibus, bonis. 9. *Nefarii concubitus*, etiam contra naturam cum Dæmone vel aliis, & execrabiles Sodomiæ. 10. *Hæreſis & infidelitas*. Hæc & plura maleficos, maleficasque peccata conſequuntur, ita ut, delato ad tribunal pœnitentiæ maleficio, omnia illa & alia examinanda veniant, quæ breviter referre volui. Unum ſupereſt dubium.

Dubium.

An liceat Maleficii ſigna tollere absque peccato?

Ablatio ſimplex ſignorum maleficii licita.

REſpondeo: Simplex ablatio ſignorum maleficii non tantùm licita eſt, ſed etiam meritoria: licet enim diſſolvere opera Diaboli.

Dixi (*ſimplex ablatio ſignorum*) ſi enim altero fortè maleficio primum maleficium ſit tollendum, nullatenùs iſtô modo illud tollere licet, quia qui maleficio maleficium tollit, peccatum mortale committit, & Dæmoni cooperatur.

Quando autem ſit ſimplex ſigni ablatio, aut quando alıud maleficium concurrat, res prudenter eſt examinanda, nec periculo interdùm vacat. Certum quidem evadit: ſi maleficæ venenum, characteres, figuras, ligaturas, filtra, & id genus reperias, te ſine ſcrupulo illa tollere poſſe: Difficultas tamen eſt dijudicare de aliquibus aliis: An *Ex gr.* percutientem Sagam repercutere liceat ad tollendum maleficium? *Item*: An à Saga panem petere? Et quidem non infimæ notæ Auctores dicunt id licere: quia in primo caſu repercuſſio eſt tantùm ſigni malefici nuda deſtructio; ſupponunt enim tale pactum cum Dæmone initum: *Inficiam quem percuſſeris, ſi te non repercutiat*: In ſecundo caſu: *Inficiam quem ſigno dato infeceris, ſi ei panem non des*: Qui & referunt Sagas in pane non exercere ſua veneficia ob reverentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, cujus materia eſt panis. Et de his fortè aliquid ex confeſſionibus maleficarum didicerunt. Rei ſecuritatem auctoritati dicentium relinquo, quia aliundè de ea conſtare non poteſt.

An liceat ſagam percutientem repercutere, aut ab ea panem petere.

QUÆSTIO III.

Quis dicatur cultus falſus, & quæ ex cultu falſo peccata naſcantur?

CONCLUSIO I.

CUltus falſus eſt: *Qui in ſeipſo rem falſam, & falſificatam, aut falſam ſignificationem continet.*

Cultus falſus.

CONCLUSIO II.

F*Alſo cultu peccare nôſcuntur. Primò*, Qui falſis miraculis, revelationibus, teſtimoniis, ſignis, &c. Res fidei confirmare nituntur. Cùm enim divinæ potentiæ illa ſigna proteſtativa ſint, ad cultum Dei pertinent, & ſi falſa ſunt, cultum falſum introducunt.

Peccata falſi cultûs.

Secundò, Qui falſam cœremoniam, quaſi à Deo ſibi dictatam ad Deum colendum, aliis imponunt ut illâ utantur. Quod non rarò facere convincuntur larvati quidam & fictitii ſpirituales, qui ſuis ſomniis modos Deum & Sanctos colendi falſitate plenos comminiſcuntur, & tamquam ſibi revelatos ſuis aſſeclis proponunt. Inter quos horrenda narrat *S. Bonaventura Opuſc. de modo confitendi & de puritate conſcientia cap.* 14. De fictionibus quorumdam ſpiritualium ſub titulo devotionis, quæ deſidero magis ut Lector in ipſo ſancto Auctore legat, quàm ut hic referantur.

S. Bonav. opuſc. de modo benè confitendi cap. 14.

Huc etiam pertinent ſacrilegi quidam cultus, quibus Anabaptiſtæ & alii hæretici Deum colere tentaverunt.

Tertiò, Qui in Sacramentorum adminiſtratione & uſu hæreticas falſitates adhibent: ut de cœna Calviniſtica conſtat.

Quartò, Qui modò Judaicis adhuc cœremoniis & ſacris utuntur, ut Circumciſione, purificationibus, ſacrificiis, &c. Hæc enim continent falſam ſignificationem & cultum falſum, cùm ex ſe ſignificent Meſſiam venturum, qui tamen venit. Et attende omnia ſupradicta eſſe peccata mortalia.

QUÆSTIO IV.

Quis dicatur cultus ſuperfluus, & quæ peccata ratione illius committantur?

CONCLUSIO I.

CUltus ſuperfluus dicitur: *Qui præter Eccleſiæ morem, auctoritate privatâ, approbatis Eccleſiæ cœremoniis vel immiſcetur, vel ſuperadditur, abſque tamen ſuperſtitione, ſed ſuperfluâ quâdam devotione.* Hic communiter exercetur in orationum numero, candelarum colore, & multitudine, ſitu ac geſtu corporis, genuflexionibus inutilibus, Altaris oſculo per Sacerdotem celebrantem præmiſſo Crucis ſignaculo, inſufflatione ſuper Calice poſt conſecrationem, oſculo pedis Calicis cum poſt elevationem dimittitur, additione quarumdam orationum in Miſſa, & aliis ſimilibus, quæ ſuperflua & inordinata excogitatio adinvenit contra vel præter Eccleſiæ ordinatias præſcriptiones.

Cultus ſuperfluus.

Dixi (*abſque tamen ſuperſtitione*) non enim ſimilia agentes aliquem effectum modò expectant ut ſuperſtitioſi, ſed tantùm inutilem devotionem prætendunt.

CONCLUSIO II.

Q*Vi ſuperfluo cultu graviter cultum Dei ab Eccleſia inſtitutum alterat, peccat mortaliter: Si in minùs, veniale peccatum committit.* Ratio ex propriis terminis declaratur: graviter enim cultum divinum ab Eccleſia præſcriptum alterare, eſt ſe gravibus periculis, & Eccleſiæ cultum ridiculis actionibus & irreverentiæ exponere.

QUÆSTIO V.

Quis dicatur inordinatus cultus, & qualiter illius ratione peccari ſoleat?

CONCLUSIO I.

INordinatus cultus dicitur: *Qui etſi ſit verus Dei cultus ab Eccleſia publicâ auctoritate inſtitutus & approbatus, uſurpatur tamen ad finem, ad quem nec ex ſe, nec ex inſtitutione Eccleſia ordinatus fuit.* Ad hunc cultum pertinent inordinatæ quædam præſumptiones quorumdam, qui ex ſtulta devotione certam Miſſam de B. Virgine ſingulis Sabbathis celebrari curantes, aut certas orationes etiam ab Eccleſia approbatas, ſingulis diebus recitantes, certò ſibi perſuadent, quòd Beata Virgo ante mortem illis apparebit. Hic enim cultus non tam ſuperſtitioſus eſt, quàm inordinatus, quia verus & ſanctus cultus eſt, ſed inordinato fine aſſumptus.

Inordinatus cultus.

Hujus-

Hujuſmodi etiam ſunt, qui aliqua officia & Miſſas dici procurant, ut de ſtatu animæ Defuncti aliquid diſcant per apparitionem vel ſignum, &c.

CONCLUSIO II.

C*Ultu inordinato Deum colère ad certos aliquos effectus infallibiliter impetrandos, qui non niſi extraordinariè & miraculosè à Deo conceduntur, eſt ſpecies tentationis Dei, & ex genere ſuo peccatum mortale.* Vide quæ diximus de tentatione Dei *Tract. 2. tit. 3. quæſt. 6. concluſione 1. & in coroll.* Alias ſolus cultus inordinatus, modò aliud peccatum adjunctum non habeat, veniale tantùm peccatum eſt, quia gravem irreverentiam aut irreligioſitatem ex ſe non continet.

Dixi (*modo aliud peccatum adjunctum non habeat*) ſæpè enim tentationem Dei, aut ſuperſtitionem vel præſumptionem periculoſam hujuſmodi inordinati cultus ſecum involvunt.

QUÆSTIO VI.

Quid & quale peccatum ſit ſacrilegium?

Sacrilegiũ quid? TRactatum de primo præcepto claudet poſitiva irreligioſitas, quæ *ſacrilegium* dicitur, nihilque aliud eſt, quàm: *Læſio, injuria aut irreverentia facta rei Deo ſacræ, quatenùs ſacra eſt, ſive quatenùs eſt Deo conſecrata.* Dicitur enim *ſacrilegium* quaſi *ſacri læſum*, quia per illud in aliquo læditur & violatur res Deo ſacra.

CONCLUSIO I.

Q*Vi notabili injuriâ vel irreverentiâ afficit perſonam, rem, vel locum Deo ſacratum, ſacrilegii peccato mortaliter peccat.* Ratio eſt: quia qui perſonam vel rem Deo ſacram injuriâ afficit, Deum, cui ſacrata eſt, illâ afficere cenſetur; notabiliter autem Deum injuriâ in re ſibi dicata afficere, eſt mortale peccatum irreligioſitatis poſitivæ.

Dixi (*perſonam, rem, vel locum*) ſub iſtis enim tribus continentur membratim omnia, quæ Deo conſecrantur, aut conſecrari poſſunt.

CONCLUSIO II.

Sacrilegiũ circa perſonam votis caſtit. P*Erſonam Deo ſacram cenſetur gravi injuriâ afficere, & ſacrilegium committere. Primò*, qui in Sacerdotem aut ſacris Ordinibus inſignitum, perſonam religioſam, vel etiam clericum, qui ſe pro clerico gerit, & clericale ſignum manifeſtè portat, manus violentas injicit, ſive fiat percuſſione, occiſione, mutilatione, ſive aliâ atroci injuria. De quibus aliàs.

Secundò, Qui ad tribunalia ſæcularia laicalia in cauſis privilegiatis clericum indebitè trahit.

Tertiò, Qui Sacerdotem vel ſacris Ordinibus inſignitum, in quantùm talem, graviter inhoneſtat.

Quartò, Gravis injuria cenſetur omnis concubitus, tactus & actus impudicus exercitus à perſona, vel circa perſonam Deo caſtitatis voto conſecratam.

CONCLUSIO III.

Sacrilegiũ circa res ſacras. R*Em ſacram gravi injuriâ afficere, & mortaliter peccare cenſetur,*

Primò, Qui Sacramentis, ſacrificio & aliis ſacris actionibus abutuntur, indignè in illis miniſtrando, ea recipiendo, profanè tractando, &c.

Secundò, Qui Calices, vaſa ſacra, ornamenta Eccleſiæ profanant, eiſque cum irreverentia abutuntur ad uſus profanos, tragœdias, repræſentationes theatricas. Quò pertinet etiam materiæ, quæ in vaſis, ornamentis ſacris, lignis, altaribus Eccleſiarum præfuit, ad res profanas applicatio, maximè, ſi gravis irreverentia fiat. Vide *cap. Ligna de conſecr. D. 1.*

Dixi (*ſi gravis irreverentia fiat*) vidi ego quandoque lapides altaris ſacri, ſuper quibus facta eſt conſecratio, illius memoriam oſtendentibus adhuc crucibus infixis, in pavimento profano pedibus tranſeuntium indignè teri: Vidi & in mappis ſacris & aliis uſus indignos. Memores ſanè Chriſtiani deberent eſſe: Quòd Judas Machabæus lapides profanati Altaris ex religioſa obſervatione ſeparaverit, donec de eis reſponderet Propheta 1. *Mach. 4. verſ. 46*,

Tertiò, Qui ſacras Reliquias furantur, vel aliquâ gravi irreverentiâ afficiunt: Idem dicendum de imaginibus ſacris.

Quartò, Qui abutuntur ſacrâ Scripturâ in mendaciis, irriſionibus, impudicitiis, maximè ſi cum ſcandalo aliorum fiat.

CONCLUSIO IV.

Sacrilegiũ circa loca ſacra. L*Ocum ſacrum in re gravi inhoneſtant, & mortaliter peccant,*

Primò, Qui Eccleſiam, templum, Altare violant & profanant, quod qualiter fiat, diximus ſuprà.

Secundò, Qui utuntur locis ſacris ad actus profanos, ut judicia maximè criminalia in illis exercendo, mercatus, nundinas, convivia, tragœdias, comœdias in illis celebrando. De quibus ſuis locis.

Tertiò, Qui locorum ſacrorum & Eccleſiarum immunitatem violant, utpotè, fores effringendo, locum ſacrum ſpoliando, refugos ibidem legitimè refugio gaudentes extrahendo, &c. De quibus videantur Decreta utriuſque Juris.

Quartò, Immunitatem Eccleſiarum violare cenſentur, qui rem etiam non ſacram, nec ad aliquid ſacri ordinatam in locis ſacratis furantur, ſive qui committunt furtum in loco ſacro: quia in locis ſacris debet eſſe omnimoda ſecuritas ab omni injuria: undè graviter ab Angelis flagellatus, & divinâ virtute percuſſus legitur Heliodorus, cùm ærarium templi inva- *2. Mach. 3.*

Verſ. 11. *Omnis jurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur.*

Ieremiæ. 4. *Iurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Ierem. 4. verſ. 2.

Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò; neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Ieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Matth. 5. verſ. 33. 34. 35. &c. Verſ. 37.

Jacobi 5. *Ante omnia autem Fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum: ſit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non, ut non ſub judicio decidatis.* Jacobi 5. verſ. 12.

Ex qua varietate ſententiarum Scripturæ, multarum Quæſtionum materia ſuppeditatur, quæ tamen ad unam eandemque ſubſtantiam ejuſdem præcepti ſpectant, omneſque in hoc conveniunt, quòd nomen Domini cum veritate, reverentia & honore pronuntiandum ſit, ſive ad juramentum aſſumatur, aut uſurpetur, ſive ex cauſa nominetur, aut quovis modo proferatur. Ut autem omnium Scripturarum vis penetretur, ſequentibus Quæſtionibus ad amuſſim explicabuntur.

QUÆSTIO II.

Quid ſit nomen Domini aſſumere, & quibus modis aſſumatur?

CONCLUSIO I.

Quid aſſumere nomen Domini.

NOmen Dei *aſſumere (in phraſi Scripturæ) nihil eſt aliud, quàm ſub invocato Dei nomine aliquid à Deo expetere, vel illius venerationem obteſtari.* Hæc Concluſio facilè patebit ei, qui Scripturas ſimiles expendere voluerit. Indè enim paſſim, ubi Scriptura ſingularem Dei ad creaturam affectum, protectionem, auxilium exprimit, utitur hac phraſi: quòd *Invocatum ſit nomen Dei ſuper illam*: aut, *Nomen Dei ſit in illa*; aut *ſuper illam ſcriptum*. Conſule Scripturas.

CONCLUSIO II.

Tribus modis nomen Domini aſſumitur in confirmationem veritatis.

D*Vobus ferè modis ſolet aſſumi nomen Domini: altero, ad aliquam confirmationem veritatis: altero, ad obteſtationem bonitatis ejus.*

Tribus porrò modis nomen Domini, aut Dei aſſumi ſolet in confirmationem veritatis. *Primò*, Tanquàm omnis veritatis aſſertor & teſtis. Et indè formatur *Iuramentum aſſertorium*: quo Deus invocatur ut teſtis ad confirmandam dicti vel facti, aut etiam cogitati veritatem, ut cùm dico: teſtis eſt mihi Deus, vel per Deum, &c.

Iuramentum aſſertorium.

Secundò, Uſurpari, vel invocari ſolet nomen Domini in ſponſionem, & velut fidejuſſionem fidelitatis. Et indè formatur *Iuramentum promiſſorium*: quo Deus vocatur ut ſponſor, & quaſi fidejuſſor noſtræ promiſſionis: ut cùm quis dicit: in Deo, vel fide Dei tibi promitto, me tale quid daturum, vel facturum, &c.

Iuramentum promiſſorium.

Tertiò, Aſſumi ſolet nomen Domini in vindictam & judicium, caſu quo dicta veritas abſit, ſeu ſubſit falſitas. Et hoc modo formatur *Iuramentum execratorium*: quo invocatur Deus ut judex & vindex falſitatis. Ut cùm quis dicit: hæc mihi faciat Deus, & hæc addat. *Item*: Deus me confundat. *Item*: Vivit Deus, & vivit anima tua, id eſt, vivit Deus judex & vindex peccati, & animæ tuæ.

Iuramentum execratorium.

Et hos modos jurandi vide ſingulari elegantiâ & virtute declaratos à S. Auguſtino Serm. 28. de verb. Apoſt. c. 6. ſuper illa verba Jacobi Apoſt. *Antè omnia nolite jurare. Non vos* (inquit) *fallant, qui neſcio quomodo volentes ipſas jurationes diſcernere, vel potiùs non intelligere, dicunt non eſſe jurationem, quando dicit homo: ſcit Deus, teſtis eſt Deus, invoco Deum ſuper animam meam verum me dicere. Invocavit* (inquit) *Deum, teſtem fecit Deum, nunquid juravit? Qui hæc dicunt, nil aliud volunt, niſi invocato Deo teſte mentiri* (nimirùm ſi falſum dicunt) Et infrà: *Quid eſt enim per Deum, niſi teſtis eſt Deus? Aut quid eſt teſtis eſt Deus, niſi per Deum?* Et proſequitur etymologiam verbi *Iurare*: *Quid eſt autem jurare? niſi jus Deo reddere, quando per Deum juras, &c. Maximè autem per Deum cùm fit, ipſa eſt vera juratio, quia & cùm dicit quiſque per meam ſalutem, ſalutem ſuam obligat Deo; quando dicit per filios meos, oppignorat Deo filios ſuos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ejus, ſi verum, verum, ſi falſum, falſum. Cùm ergò filios ſuos, vel caput ſuum, vel ſalutem ſuam quiſque in juratione nominans, quidquid nominat, obligat Deo, quantò magis quando pejerat per ipſum Deum?*

S. Auguſt. Serm. 28. de verbis Apoſtoli cap. 6.

CONCLUSIO III.

Tribus modis aſſumitur nomen Domini in obteſtationem bonitatis.

T*Ribus etiam modis aſſumitur nomen Domini, ſive nominatur Deus in obteſtationem bonitatis ſuæ.* 1. Ad venerationem. 2. In teſtimonium dilectionis. 3. Ad poſtulationem alicujus favoris. Et hi ſunt tres fines, quos ſpectant, qui nomen Domini ritè proferunt. Aut enim per prolationem Dei nomen & virtutem honorare intendunt: aut ſunt affectus animæ diligentis: aut ſuſpiria orantis. Extrà hos fines Dei nomen proferre eſt irregulare, ut ſtatim explicabo.

QUÆSTIO III.

Quid ſit nomen Domini in vanum aſſumere & quibus modis id contingat?

CONCLUSIO I.

Quid ſit aſſumere nomen Domini in vanum.

I*Lle dicitur nomen Domini in vanum, ſive fruſtrà aſſumere, qui vel nullo, vel inutili, vel indebito, aut perverſo fine nomen Dei aſſumit, ſive in juramento id fiat, ſive in Divini nominis prolatio-*

latione. Et hanc iterùm concluſionem confirmant Scripturæ, quæ non tantum in vanum, aut fruſtra fieri dicunt, quod inutiliter fit, ſed etiam quod fit indebito & perverſo fine. Undè eſt illud Iſaiæ 1. *Nè offeratis ultrà ſarcificium fruſtrà,* id eſt, indebitè & perversè, & abſque ullo effectu prætenſo; ſubdit enim: *Incenſum abominatio eſt mihi.* (Iſai. 1. v. 13.)

Dixi (*Qui nullo fine*) Ille autem dicitur nullo fine nomen Domini aſſumere, qui ex loquacitate, prava conſuetudine, inadvertentia abſq; reflexione nomen Domini aſſumit, ſive in juramento aſſertorio, ſive in promiſſorio, ſive in execratorio, aut ſimplici nominis Dei pronuntiatione.

Dixi (*Qui inutili*) Tunc autem inutili fine Dei nomen aſſumi convincitur, quandò nulla eſt cauſa vel ratio congruitatis vel neceſſitatis nomen Domini aſſumendi, etiam in quocunque juramento, aut nominis Dei prolatione. Ut ſi nulla eſt ex parte audientis incredulitas reſpectu juramenti aſſertorij, nulla diffidentia reſpectu promiſſorij, nulla anguſtia reſpectu execratorij, generaliter nulla ratio invocandi ſeu nominandi nomen Domini.

Dixi (*Qui indebito fine*) Ille verò indebito fine aſſumit nomen Domini, qui in aſſertorio juramento ad rem vanam, ridiculam, & levis momenti confirmandam, vel ad leve promiſſum ſtabiliendum in promiſſorio, vel abſque cauſa rationabili in execratorio, aut alias quomodolibet indebite nomen Domini aſſumit.

Dixi (*Qui perverſo*) Ille autem perverſo fine nomen Domini aſſumit, qui id facit ad confirmationem falſi, incerti, dubij: aut ad ſtabiliendum infidele, vel injuſtum promiſſum, vel in execrationem veritatis cognitæ, aut in maledictum, irriſionem & contemptum. De quibus omnibus poſteà: excepto quòd de maledicto, irriſione & contemptu nominis Dei ſufficienter dictum ſit, ubi egimus de blaſphemia *Tract. 2. Tit. 4. Sect. 1. Quaeſt. 3. Concl. 2. & in Appendice per totam*: quia ibi magis opportunus locus erat, cùm blaſphemia non tam ad juramentum, aut aſſumptionem nominis Domini pertineat, quàm ad opprobrium & contemptum. Quod enim in ſecundo præcepto Decalogi prohibetur, eſt: nè ſub titulo religioſæ invocationis nominis Domini, irreligioſitas committatur. Blaſphemia autem nullum titulum habet religioſæ nominationis Domini, ſed maledictionem apparentem continet contrà Religionis virtutem, & Dei debitum cultum ac honorem.

QUÆSTIO IV.

An liceat aliquandò jurare, aut nomen Domini aſſumere, & quandò?

Matth. 5. verſ. 34. verſ. 37. Ratio dubitandi ſumitur ex verbis CHRISTI Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurate omninò, neque per cælum,* &c. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantiùs eſt, à malo eſt.* Jacobi 5. *Antè omnia autem Fratres mei nolite jurare,* &c. (Jacob. 5. verſ. 12.)

CONCLUSIO I.

Tribus comitibus ſive circumſtantijs concomitantibus licet jurare; nimirùm: in veritate: in judicio: & in juſtitia. Ità habetur Jeremiæ 4. *Et jurabis,* &c. *in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Item Deuter. 6. *Per nomen* (inquit) *illius jurabis.* Pſalm. 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Et CHRISTUS ſæpiùs in Evangelio juraſſe legitur more Hebræorum. Verbum enim, *Amen, Amen,* repetitum, affectum jurantis ſub juramento rem adſtruentis exprimit. Et Paulus ad Rom. 1. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo,* &c. 2. Corinth. 1. *Teſtem invoco Deum in animam meam, quòd parcens vobis non veni ultrà Corinthum.* Ad Galat. 1. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Quid verò ſint, & ſignificent tres comites, ſive circumſtantiæ illæ juramentum concomitantes, accipite. (Jerem. 4. verſ. 2. Deut. 6. verſ. 13. Pſalm. 62. verſ. 12. Rom. 1. verſ. 9. 2. Corinth. 1. verſ. 23. Galat. 1. verſ. 20.)

In *Veritate* jurare dicitur: Qui in aſſertorio juramento rem certò, & quam credit omninò veram, veram affirmat, vel falſam negat. *Item:* Qui in promiſſorio nunc & in præſenti habet voluntatem verè adimplendi quod promittit, & ſperat, ſive credit ſe in futuro adimpleturum. *Item* Qui in execratorio juramento falſitatem execratur, quam ineſſe novit ei, quod execratur. (*Quid ſit jurare in veritate.*)

In *Judicio* verò jurare dicitur: Qui jurat juxtà regulas Chriſtianæ prudentiæ, nimirùm: ubi res eſt gravis momenti, & vel Magiſtratus urget, vel propria aut proximi neceſſitas, charitas, vel gravis utilitas id requirit. Undè S. Aug. ſuprà cap. 9. *Quantùm ad me* (inquit) *pertinet, juro, ſed quantùm mihi videtur magnâ neceſſitate compulſus.* Quod explicans ſubdit: *Cùm videro non mihi credi, niſi faciam: & ei, qui mihi non credit, non expedire quod non credit* (id eſt, neceſſarium & bonum eſſe, ut credat) *hâc perpenſâ ratione & conſideratione libratâ, cum magno timore dico: Coram Deo, aut teſtis eſt Deus.* Et infrà reprehendens pravam conſuetudinem aliter jurandi: *Sed tamen* (ait) *aliud habet humana peſſima conſuetudo. Et cùm tibi creditur, juras, & cùm nemo exigit, juras, & horrentibus hominibus juras, non taces jurando, vixes ſanus non pejurando.* (*Quid jurare in judicio.* S. Auguſt. ſuprà c. 9.)

In *Juſtitia* jurare dicitur: Qui rem juſtam, honeſtam & licitam jurat. Si enim promittas aut jures adimplere rem, quæ juſta, honeſta, aut licita non eſt, ſicut tibi non licet illam adimplere, ità injuſtè & impiè cenſeris jurare.

CONCLUSIO II.

Non licet abſque tribus ſupradictis circumſtantijs & comitibus jurare, & qui abſque aliqua illarum jurat, ex natura actûs & rei mortaliter peccat. Ratio eſt: Quia Deum teſtem vocat falſitatis, aut injuſtitiæ ſuæ, aut irreverentiæ & contemptûs ſui. Dixi (*ex natura actûs &* (*Juramentum quandò mortale peccatum?*)

& rei) qualiter autem ex aliqua circumſtantia quis à pe. cato mortali excuſari poſſit, aut quomodò illæ tres circumſtantiæ obſervandæ veniant, meliùs dicemus in examine ſingularum ſpecierum juramenti.

Reſp. ad Objectionem. Ad rationem igitur dubitandi in initio ex verbis CHRISTI & Apoſtoli Jacobi propoſitam (omiſſis multis Doctorum ſententijs, quæ ab Expoſitoribus in cap. 5. Matth referuntur) *Reſpondeo* ex S. Auguſt. ſup. Serm. 28. de verbis Apoſtoli, CHRISTUM non prohibuiſſe juramentum juſtum, & benè circumſtantionatum: ſed tantùm voluiſſe Chriſtianum elongare à perjurio, & ad ſinceritatis humanæ ſimplicitatem reducere. *Iurare* (inquit) *non eſt peccatum, ſed falſum jurare peccatum eſt.* Et exponens verba Jacobi (Antè omnia nolite jurare) *Quare* (inquit) *antè omnia? Iſto verbo, quod ait: antè omnia, cautos nos fecit adversùs linguam noſtram.* Infra: *Vt te adversùs conſuetudinem intentiſſimum redderet, ut omnia tua inſpiceres, omnes motus tuæ linguæ diligentiſſimè cuſtodires, eſſes cuſtos malæ conſuetudinis tuæ.* Et ibidem in ſuperioribus dixerat: *Vis ergò longe eſſe à perjurio, noli jurare, &c. Ne mendacium jures: ergò noli jurare: ipſa eſt anguſtia; perjurium præcipitium, &c. Duo ſunt, inquit, quæ non damnabo nunquam: Veram jurationem, & nullam jurationem, damno autem falſam jurationem: falſa juratio exitioſa eſt: vera juratio periculoſa eſt: nulla juratio ſecura eſt.* Hæc S. Auguſt. S. Auguſt. ſupra c. 5. Qui omnia proſequitur elegantiſſimè. Ubi & exponit illud: *Sit ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non, quod his abundantiùs*, vel ampliùs, *eſt, à malo eſt.* Et notat CHRISTUM non dixiſſe: *Quod abundantiùs eſt*, malum eſt, *ſed à malo eſt*; id eſt (ut inquit idem S. Doctor) *Si non à malo jurantis, à malo eſt non credentis*, hoc eſt, propter infirmitatem ejus, qui exigit juramentum, quia non credit, niſi juretur. Alia ſimilia habet lib. 1. de Sermone Domini in monte. Perſtringit autem CHRISTUS in cæteris verbis Phariſæos, qui ſe jurare non arbitrabantur, ſi per templum, ſi per Jeroſolymam, & hujuſmodi jurarent, imò & conſuetudinem jurandi per hujuſmodi introducebant, & oſtendit, quòd qui per creaturam juraret, cenſeatur Deum, qui creavit illam, in teſtem vocare. Quomodò Matth. 23. illorum hypocriſes condemnans ait: *Qui jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper illud ſunt, & quicunque juraverit in templo, jurat in illo & in eo, qui habitat in ipſo, & qui jurat in cœlo, juret in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum.*

Matth 5. verſ. 37.

Quid ſit à malo?

Matth 23. v. 20. 21. 22.

Appendix 1.

De invocatoria aſſumptione nominis Dei in vanum.

ETſi ſupradicta concludant de juramento: habenda tamen eſt etiam ratio nominationis, ſeu invocationis Dei in vanum, pro qua pono hanc Regulam generalem.

Regula generalis.

QVi nomen Dei & CHRISTI JESU *aſſumit & pronuntiat, non ad venerationem, nec ad teſtimonium dilectionis, nec ad poſtulationem alicujus divini favoris, ſed ex levitate cordis, aut alia ratione inordinata, peccat ad minùs venialiter, & in caſu alicujus gravis irreverentiæ, mortaliter, contrà ſecundùm præceptum Decalogi.* Vide Quæſt. 1. Concl. 3. ubi hos tres fines recenſuimus, quibus ſolummodò licet nomen ſacrum Dei, vel CHRISTI JESU proferre.

Undè advertant: Qui ad ſingula etiam riſûs, ac jocos, & alia vana conſueverunt nomen Dei & CHRISTI JESU proferre, & pronuntiare: hi enim certò certiùs venialiter peccant, & ſe ob rationes circumſtantiarum gravi irreverentiæ, & conſequenter interdum periculo peccati mortalis exponunt.

Advertant & illi: Qui continuis ſibi ſuſpirijs abblandientes, in conſortijs continuò nomen JESU, quod eſt ſuper omne nomen, emittunt: quòd ut plurimùm hypocriſin, aut vanam gloriolam ſpirat, ut dicantur Dei & JESU amantes.

Advertant denique illi: Qui illis ſacris nominibus abutuntur, nè ſint ex illis, qui juxtà Apoſtolum CHRISTO *Domino noſtro non ſerviunt & qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Rom. 16. verſ. 18.

Sanctum eſt nomen illud JESU frequenter invocare & nominare, ſed reverenter, ſed deliberatè, ſed à propoſito, ſed corde, reverentiâ, & amore pleno. Quomodò S. Paulus, quomodò S. Bernardus, quomodò Sancti pronuntiârunt, ità ut ſit JESUS *mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Hæc tantùm ad cautelam ſine ullius ſancti exercitij & pietatis præjudicio addere volui, non tamen ſine cauſa. Bern. Serm 15. ſuper Cant.

Appendix 3.

De juramento per ſanctos & res Deo ſacratas, ut per Reliquias Sanctorum, Codices Evangeliorum, &c.

JUramenta non rarò facta leguntur per *crucem Dominicam*, ut in Concilio Niczno 2. Act. 4. & 22. Q. 5. c. *Qui pejerat.* Item ſuper *ſacras Reliquias*, ut habetur in Epiſtola Eutichiani Papæ ad Siculos. Item ſuper *S. Evangelia*, ut modò communiter. Item in *Fide Sacerdotis*, Item per *Sanctos* & *Sanctorum nomina*, pro quibus juramentis pono unam Regulam generalem.

Regula generalis.

OMne juramentum factum per, aut ſuper S. crucem, S. Scripturam, S. Evangelia, ſacras Reliquias, Sanctorum Sanctarumque nomina, in fide Sacerdotis, innititur Deo & Divinæ veritati, ſcientia, providentia, &c. *quatenùs in iſtis ſingu-*

Iurans per S. Scripturam Sanctos &c. jurat per Deum, & falsò jurans peccat mortaliter.

ſingulari modo Deus agnoſcitur, & Dei veritas, &c. *elucet: ideoque qui ſic in re falſa, vana aut injuſta jurat, vel juramentum in re vera ſic factum tranſgreditur, peccat mortaliter, & perjurus eſt.* Rationem ſecum adfert Regula ipſa, quia qui ſic jurat, in Deo & per Deum jurat, & non in creatura quatenùs talis eſt.

Dupliciter q. iu jurare dicitur per fidem. *Advertendum* tamen hic eſt: dupliciter enuntiationem illam intelligi poſſe, dùm quis jurat per *fidem*, aut in *veritate*: ſi enim per *fidem* intelligat tantùm *fidem humanam*, & non illam fidem Theologicam, quæ eſt fides Dei, ſive in qua relucet veritas Divina, non eſt verum juramentum, & qui aſſertionem ſic factam tranſgreditur, non cenſetur perjurus: ſi verò intelligat *fidem Dei*, juramentum eſt, & in re falſa, eſt peccatum mortale, cujus etiam tranſgreſſio eſt perjurium. Similiter concludendum eſt de eo, qui jurat in *veritate*: ſi enim ſumatur *veritas* pro *veritate*, vel pro eo, qui dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita*, juramentum eſt: S'inde *veritate humana* accipiatur, juramentum non eſt: & alia inferuntur & concluduntur prout de fide dictum fuit. *Joan 14. verſ. 6.*

TITVLVS II.

De Iuramento aſſertorio & execratorio.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Iuramentum aſſertorium?

ETſi ex ſuperioribus in genere explicatis omnes juramentorum ſpecies ſint aliquo modo quoad ſubſtantiam & obligationes ſuas in communi explicatæ, ad ſingularia tamen ordine doctrinæ procedendum eſt, ut peccata ad ſua fundamenta preſſiùs reducantur. Pono igitur primò deſcriptionem acuratam Juramenti aſſertorij.

CONCLUSIO UNICA.

Definitio juramenti aſſertorij. IUramentum aſſertorium eſt; *Affirmatio vel negatio alicujus, confirmata ſub obteſtatione, ſeu invocatione primæ veritatis, vel alicujus rei, quatenùs in ea prima veritas elucet, & ad faciendam alteri fidem ordinata.*

Dicitur (*Affirmatio vel negatio*) ut omnem aſſertionem complectatur, ſive fiat verbo, ſive ſcripto, ſive aliquo ſigno expreſſo, ut digito. Non enim minùs jurat interrogatus: *An affirmet vel neget aliquid ſub obteſtatione Dei, & ſuper S. Evangelia?* Et reſpondet, *Ità*, & ad id expreſsè rogatus ponit manum ſuper Evangelia, quàm ille, qui totam formam juramenti pronuntiat. Undè aliquandò uno juramenti formam legente, alij jubentur levare manum in ſignum quòd jurent.

Dixi (*confirmata ſub invocatione primæ veritatis, vel rei alicujus, quatenùs in ea prima veritas elucet*) ut omnia juramenta comprehendantur, quæ fiunt *per Deum, S. crucem, ſacra Evangelia, Reliquias ſanctas, invocationem Sanctorum, per fidem Dei, in veritate* CHRISTI, *in verbo & fide Sacerdotis*, per tactum pectoris, per tactum *Codicis ſacræ Scripturæ*, &c.

Dixi (*quatenùs in ea elucet prima veritas*) quod quidem intelligendum eſt, etiamſi ſolâ opinione jurantis eluceat; propter juramenta infidelium per falſos Deos, quæ non minùs juramenta cenſentur, quia implicitè invocant primam veritatem in ſe, quàm erroneè putant in Idolo elucere. Deindè per illas particulas excluditur juramentum, quod fit per creaturam ut irreferibilem, id eſt, quod in ipſa creatura ſiſtit, & ad Deum non refertur. Tales enim aſſertiones, quæ fiunt per nudam creaturam abſque relatione in Deum, non ſunt juramenta.

Dixi (*ad faciendam alteri fidem ordinata*) propter aliquas obteſtationes Dei, quæ ab homine affectibus ſuis agitato fiunt, ut ſunt proteſtationes fidei, obteſtationes, confirmationes, quæ ab anima iſtis affectibus acta in oratione, tentatione, & aliàs fiunt ad ſui-ipſius confirmationem, vel Dei laudem, & articulorum fidei confeſſionem, quæ Dei invocationes ſunt, & affectus animæ Deo adhærentis, ideoque juramenta non ſunt, quia ad fidem alteri faciendam non ordinantur, ſed ad intimam ſui-ipſius excitationem, aut confirmationem. Ut ſunt Sanctorum ſacræ obteſtationes: *Tu es Deus, tu es veritas, te adjuro, te invoco, O veritatem!* &c.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Iuramentum execratorium?

CONCLUSIO UNICA.

IUramentum execratorium eſt: *Affirmatio vel negatio alicujus confirmata per imprecationem mali, quod ſibi vel rebus ſuis Deus veritatis contra falſitatem vindex inferat per ſe, vel per ſubordinatam creaturam ad fidem alteri faciendam.* Ut cùm quis dicit: *Hæc mihi Deus faciat, & hæc addat, Diabolus me auferat*, &c. *Definitio juramenti execratorij.*

Ex qua deſcriptione colligitur, juramentum execratorium ab aſſertorio non diſtingui, niſi in eo, quòd Aſſertorium ſimpliciter Deum ut primam veritatem in confirmationem invocet: in Execratorio autem non tantùm ut primam veritatem, ſed ut defenſorem & vindicem veritatis evocant contrà omnem falſitatem, ſi quæ ſubſit juramento, procedentem ex condemnatione imprecatoria, quam ſibi vel rebus ſuis facit ille, qui jurat. Dixi (*ſibi vel rebus ſuis*) utpotè, prolibus, bonis temporalibus, aut alijs quibuſcunque, quæ nominatur, ſic explicat S. Aug. Serm. 28. de verbis Apoſtoli, juramenta illa: *per ſalutem meam, per caput meum, per filium meum, per ſalutem filij*: ſalutem enim filij obligat Deo in condemnationem, ſi, qui tali juramento ſe obſtringit, falſum juret. Undè ſi quis non ſibi, nec ſuis rebus, ſed alteri *S. Auguſt. Serm. 28. de verbis Apoſtoli cap. 6.*

impre-

Nota. imprecatur malum, non cenſetur jurare ; ſed maledicere, malè optare, vel maledicta in alterum conjicere : ut cùm quis dicit : *Diabolus te auferat, ignis ſupernus te conſumat*, &c. Etſi vulgi uſurpatione jurare dicatur, magis tamen maledicere dicendus eſt.

Dixi (*ad fidem alteri faciendam*) propter eos, qui paſſionibus animi & furiis agitati diris ſe devovent, blaſphemias in Deum & Sanctos evomunt, millena ſibi mala imprecantur. Hi iterùm non ſunt inter jurantes computandi, ſed inter blaſphemos, vel ſui-ipſorum perditiſſimos, paricidas. Juramentum enim ordinatur ad confirmationem veritatis, ut fides affirmationi vel negationi deferatur.

QUÆSTIO III.

Qualiter contra juramenti aſſertorii & execratorii rectitudinem peccetur?

HIc juxta tres comites juſti juramenti, qui ſunt *veritas*, *juſtitia* & *judicium*, pono tres Regulas generales.

Regula I.

De Iuramentis contra veritatem.

Iuramenti contra veritat. malitia.

QVicumque falſum ſub ratione veri, aut dubium & incertum, ſub ratione certi, aut incautum quaſi debitè examinatum jurat in quacumque materia ; peccat mortaliter, & peccatum Perjurii incurrit : Si verò fuerit judiciale juramentum, incurrit pœnas perjurii tum Canonicas, tum civiles, niſi invincibilis ignorantia aut inadvertentia illum excuſet.*

Dixi (*falſum ſub ratione veri*) in hoc enim Perjurium maximè conſiſtit, ut nimirùm Deus in teſtem veritatis vocatus, aſſertor fiat falſitatis ex malitia jurantis.

Dixi (*incertum vel dubium ſub ratione certi*) ſi quis enim dubietatis ſuæ cauſam priùs exponat, & tantùm ſub ratione opinionis juret, non cenſetur perjurus, quia tunc Deum vocat in teſtem ſuæ opinionis vel cogitationis, qualis reverà eſt, non autem in teſtem rei, cùm cauſas (ut ſupponitur) ſuæ opinionis vel dubietatis aperuerit. *Explico* : Joannes in judicium vo- Nota. catus ut deponat de furto Petri, aſſerit ſe quidem vidiſſe Petrum intrantem domum in qua furtum commiſſum fuit, quod eſt apparens judicium furti ab illo commiſſi, quamvis dubium & incertum, ideoque dubitare ſe aſſerit : poteſt jurare ſe vidiſſe Petrum intrantem domum, & indè ſe opinionem de furto illius concepiſſe : Non poteſt autem jurare Petrum furtum commiſiſſe : quia reverà ipſe in opinione ſua falli poteſt, & à parte rei opinio dubietatem & incertitudinem adjunctam habet.

Dixi (*incautum quaſi debitè examinatum*) etſi enim tunc juramento veritas ſubeſſet, quia tamen, re non examinatâ, periculum falſitatis ſubeſſe poteſt, gravi injuriâ Deum afficit, qui ipſum primam & infallibilem veritatem in teſtem vocat ejus quod reverà (cùm nullo examine debito aſſecutatum ſit) fallibile eſt, & periculo actualis falſitatis expoſitum. Undè qui ſic incautè jurat, mortaliter peccare cenſendus eſt, ob gravem irreverentiam quam primæ veritati inurit, quamvis poſteà res vera fuiſſe deprehenderetur.

Dixi (*in quacumque materia*) nimirùm, etiam mendacij levis & jocoſi ; (quidquid aliqui hoc excuſare velint) *Ratio eſt* : quia etſi ſit materia levis reſpectu mendacij jocoſi, non reputatur tamen levis, ſed graviſſima in ratione irreverentiæ, quâ prima & ſanctiſſima Veritas vocatur in teſtem & confirmatorem falſitatis : quantumvis enim levis res ſit, falſitas tamen realis eſt, cujus confirmationem petere à prima Veritate, eſt Deo peccatum falſitatis imponere, quod graviſſimæ irreverentiæ & blaſphemiæ eſt.

Dixi (*niſi invincibilis ignorantia vel inadvertentia excuſet*) Hæc autem poteſt contingere in humanis actionibus ; vel ex aliqua illuſione ; vel ex faſcino & gravi deceptione, quibus humanus ſenſus decipi poteſt, etiam ipſe viſus, qui oculatum teſtem conſtituit, & inter ſenſus certiſſimus eſt, dum per Magos, vel etiam per aliam turbationem naturalem illuditur : ut ſi quis certo certius credat videre & velut tangere, quod tamen à parte rei nec videt nec tangit. Vidi aliquando aliquos ita alienam Scripturam imitatos eſſe, ut is qui non ſcripſerat, propriam manum ſuam eſſe jurare paratus eſſet : De hac hominis incertitudine ſanctus Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Apoſtoli : *Inter* (inquit) *iſta tua* (ô homo) *multa cogitata incerta, volatica, conjecturas humanas, &c. quando non ſubrepit tibi quod falſum eſt, poſito in regione falſitatis ? Vis ergo longè eſſe à perjurio ? jurare noli.* S. Auguſt. ſerm 28. de verbis Apoſt. paulò poſt init.

Dixi (*ſi verò fuerit judiciale juramentum, incurrit pœnas perjurij*) quæ ſunt infamia, & pœnitentiæ publicæ : De quibus vide *Canoniſtas & Iuriſtas*.

Regula 2.

De Iuramentis contra juſtitiam.

Iuramenti contra juſtitiam malitia.

QVicumque jurat deliberatè facere quod injuſtum & illicitum eſt, præter peccatum pravæ voluntatis, peccat mortaliter peccato injuſti juramenti, contra ſecundum præceptum Decalogi.* Ratio eſt : quia primam Veritatem Deum invocat in fidejuſſorem & velut complicem ſuæ malitiæ, & perverſæ voluntatis exequendæ. Hoc modo peccant : qui jurant ſe occiſuros hominem, ſe fornicaturos, ſe non condonaturos offenſam proximo etiam ſuppliciter roganti. Peccant etiam mortaliter : qui ſecretum aliquod peccatum, quod celare tenebantur jure naturali divino vel poſitivo, non tantùm revelant, ſed etiam juramento confirmant : Etſi enim

enim verum jurent, illicitè tamen & injuſtè jurant, quia Deum ſuæ actionis injuſtæ velut confirmatorem aſſumunt: Quod (ut ſuperiùs dixi) graviſſimam injuriam Dei continet, ita ut exiſtimem nec levem in his materiam dari.

Regula 3.

De Iuramentis contra iudicij prudentiam.

Iuramenti contra judicij prudentiam malitia.

QVicumque deliberatè jurat, nullâ neceſſitate vel causâ rationabili poſtulante, aut etiam pro re nihili, etſi verum juret, interdùm mortaliter, interdùm venialiter peccat. Ille verò abſque neceſſitate jurare dicitur: qui nec à ſuperiori poteſtate ad hoc urgetur, nec aliquod ſibi aut proximo damnum imminet, ſi non juret. Cauſa autem rationabilis jurandi eſt, quando (ut dicit *S. Auguſt.* ſuprà) expedit ut is, cui juras, credat, utpotè, in aliquam ſui vel proximi, ſi non neceſſitatem, ſaltem utilitatem.

S. Auguſt. ſerm. ſuprà citato paulò ante finem.

Nota.

Dixi (*interdùm mortaliter peccat*) quando ſcilicet res pro qua juratur, eſt adeò vilis, ut non ſine injuria nomen Dei ad illam confirmandam invocetur, aut quando aliquis Dei contemptus cum ſcandalo intervenire ex ratione circumſtantiarum judicatur.

Dixi (*interdùm venialiter*) quia ubi abeſt omnis ratio gravis irreverentiæ vel contemptûs, non cenſetur tanta injuria Deo fieri, cùm nulla juramento ſubeſt falſitas, vel periculum falſitatis.

QUÆSTIO IV.

An ſit licitum in iuramento uti verbis amphibologicis, & per internam mentis intentionem reſtrictis vel alteratis?

Duplex Amphibologia.

ADvertendum eſt primò, *Amphibologiam* hîc duplicem notari poſſe: *Alia eſt:* quæ in verbis ex natura ſuæ inſtitutionis æquivocis aut analogis conſiſtit, quando nimirùm verba ex inſtitutione & uſurpatione ſua, nata ſunt æquivocum ſenſum reddere, ut ſi quis juret ſe *gallum* non occidiſſe, intelligendo de *gallinaceo*, cùm eſſet quæſtio de viro in *Gallia* nato. Alia amphibologia eſt: quæ, ſervatâ verborum proprietate & determinatâ ac univocâ ſignificatione, reſtrictione aliquâ mentali ſenſum verborum divertit, vel alterat. *Ex gr.* Jurat aliquis ſe non commiſiſſe homicidium, etſi hominem occiderit, ſubintelligendo homicidium injuſtum, ſive quatenùs pro peccato & crimine accipitur.

Duplex finis enuntiationum.

Advertendum ſecundò, Enuntiationes in ſignificatione ſua duplicem dicere finem. Alter vocatur *finis immediatus & intrinſecus*, qui non eſt alius quàm expreſſio proprij conceptûs, ſive ipſa conformitas conceptûs quatenùs verbo exprimitur, & correſpondet interno mentis conceptui: Alter *finis* eſt *extrinſecus & mediatus*, quo non tantùm conceptum meum mihi exprimo per verba; ſed etiam ſic expreſſum intendo alteri meâ elocutione manifeſtare. *Explico*: Hujus enuntiationis *Deus eſt omnipotens*, vel Cain *eſt parricida*: *finis intrinſecus & immediatus* eſt, verbo meum conceptum internum illi correſpondentem ita exprimere, ut ipſa enuntiatio verè conceptui ſit conformis. Ita ut quod iſtis propoſitionibus exprimitur, veritati conceptus interni conformetur. Finis verò extrinſecus eſt, ut non tantùm meum conceptum exprimam reſpectu mei, ſed etiam illum communicem, imprimam, & manifeſtem Petro *V. Gr.* audienti. Unde in enuntiatione vera duplex eſt veritatis reſpectus: Alter eſt *veritatis in ſe*: Alter eſt *veritatis in altero*, id eſt, quatenùs alteri imprimitur.

Duplex titulus hominis loquentis.

Advertendum tertiò, Duplicem illum finem & reſpectum ſignificationis, duplici etiam velut titulo hominem loquentem afficere: *Priori* quidem ut eſt animal rationale, quod utique non tantùm conceptu interno, ſed etiam verbo externo ſecum ratiocinari poteſt, & ſibi ſuos conceptus externo verbo exprimere: *Poſteriori*, ut animal ſociale eſt, ita ut etiam ſuos conceptus verbis alteri manifeſtare, & illi velut imprimere poſſit: unde locutio in ſe *actus rationalis* eſt: Locutio ad alterum, *actus ſocialis*.

Nota.

Advertendum quartò, Hominem, ut animal ſociale eſt, teneri ad veritatem cujuslibet edicendam, non ſolùm ut enuntiatio in ſe eſt vera, ſeu ut menti loquentis correſpondet, ſed etiam ut communi uſurpatione intelligitur, ſive obligari audienti illam proponere ſub eadem veritate quâ intelligenda eſt, poſito ſcilicet, quòd ex circumſtantiis velit hic & nunc cum alio ſocialiter loqui. Aliàs nulla ſocietas ſubſiſteret, ſi, qui ſocialiter agit, aliud verbis exprimeret, aliud mente verſaret, omniſque humana converſatio funditùs deſtitueretur.

Duplex Amphibologiæ finis.

Advertendum quintò, Duplici fine hominem uti Amphibologiâ, nimirùm: aut ut conceptum ſuæ mentis ſimpliciter celet: aut ut audientem poſitivè fallat & decipiat, vel decipi & falli procuret.

Duplici ratione utitur quis Amphibologia.

Advertendum ſextò, Amphibologiâ utentem, ſive cum juramento, ſive in ſimplici colloquio, vel ſponte & ex mera libertate illâ uti, vel quia aliquâ juſtâ & rationabili causâ movetur.

Modi juramenti.

Advertendum ſeptimò, Juramentum fieri: Aut in privato, ut coram perſona privata, ſive ut dicunt *extrajudicialiter*: aut *judicialiter* coram legitimo judice juridice interrogante, & ad juramentum urgente.

His omnibus ſic prænotatis, ut omnia ſimul reſolvamus quæ ad Amphibologias in ſermone pertinent, ſive cum juramento ſint conjunctæ, ſive non, pono ſequentes Concluſiones & primò

De

Digitized by Google

De Amphibologia

In ſimplici aſſertione, vel negatione abſque Iuramento.

CONCLUSIO I.

Nota.

N*On poteſt homo abſque veniali peccato in ſociali vita ſine aliquo rationabili fine vel cauſa, uti ſermone actualiter amphibologico, ſive cum intentione amphibologica.* Ratio eſt: Quia ad minùs ſermo ille eſſet verbum otioſum, nam ut ſupponitur, debito fine careret. Sermo enim, qui vitam ſocialem reſpicit, ex natura ſua duos fines habet: unum immediatum, qui eſt manifeſtatio conceptûs loquentis vel ſcribentis: Alter eſt utilitas aliqua ex illa manifeſtatione vel loquenti, vel audienti proveniens. Si autem ſit ſermo quovis modo ex intentione loquentis amphibologicus, primo fine caret: & quia (ut in Concluſione ſupponitur) abſque rationabili cauſa profertur, etiam altero fine deficit. Undè rectè verbum vel ſermo otioſus dici debet, de quo oportet, Domino decernente, reddere rationem in die judicij. Locutio enim ad alterum directa, ex natura ſua eſt conceptûs loquentis expreſſiva, aliàs ſonus fallax vel inutilis eſt dicendus.

CONCLUSIO II.

Quod aliquando liceat amphibologiâ uti.

L*Icet aliquandò ex juſta & rationabili cauſa verbis amphibologicis uti.* Ratio eſt: Quia etſi homo ex natura ſua ſit animal ſociale, tamen extrà actus neceſſariæ charitatis vel juſtitiæ, non tenetur ad actualem ſocietatem, niſi prout vult, quandò vult, & quomodò vult. Undè ex cauſa rationabili ex pluribus conceptibus unum abſque altero communicare poteſt, unum (pro ratione prudentiæ & circumſtantiarum) aut tacere, aut amphibologiarum involucris diſſimulare, maximè cùm ad curioſa interrogata audiens dilabitur.

Hanc Concluſionem paſſim Scriptura exemplis demonſtrat: ſic Jacob patri interroganti reſpondit ſe eſſe Eſau primogenitum, amphibologiâ illâ indicans jus primogenituræ eſſe in ſe per venditionem devolutum. Sic de Iudith adventu ad Holofernem multa ſunt, quæ amphibologiam continent. Sic & CHRISTUS de die judicij loquens Marci 13. *De die autem illa vel hora* (inquit) *nemo ſcit*, &c. *neque Filius*, reſtrictione utiquè mentali (quatenùs Filius hominis eſt) Item Joan. 7. cùm dicit: *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtam*, &c. licet tamen aſcenderit, reſtrictio mentalis fuit in myſterio, nimirùm: non aſcendo vobiſcum, ſive palàm, vel hâc horâ, ſed ſecretò & poſteà.

Marci 13. verſ. 32.

Joan. 7. verſ. 8.

Petes: Quæ dicantur juſtæ & rationabiles cauſæ utendi amphibologiâ? *Reſp.* Non omnes poſſe enumerari: pono verò aliquas.

Quando liceat amphibologiâ uti.

Prima, Cùm ex aperta & clara locutione aliquod detrimentum nobis eveniret, tunc, ſi tacere omninò non poſſumus, amphibologiâ utendum eſt.

Secunda, Quandò interrogamur, nec expedit interroganti ea ſcire, de quibus interrogat, interim honeſte tacere non poſſumus, tunc amphibologia etiam ſocietati conſervandæ neceſſaria eſt.

Tertia, Ut ad inveſtigationem veritatis latentis audiens inducatur: ſic enim Sancti frequenter in myſterijs, quæ amphibologicis figuris exprimebantur, locuti ſunt.

Quarta, Ad exercitationem & recreationem animorum ob ſubtilitates judiciorum in illis contentas, vel ad experimentum capiendum de ingenij & judicij capacitate.

Quinta, Cùm ratio operis aliàs juſti id requirit: ut in ſtratagematibus belli, in explorationibus, in inſidijs, defenſione contrà inimicos: ad adverſos caſus avertendos: ad utilitatē aliquam ſibi vel proximo juſtè conciliandam. Et alij modi infiniti occurrunt. Dixi tamen (*cùm ratio operis juſti id requirit*) nullus enim amphibologiæ uſus fraudi, dolo injuſto, vel injuriæ alicui ſuffragari debet aut poteſt. Undè ſit,

CONCLUSIO III.

Quando non liceat uti amphibologiâ.

N*Vnquam licet uti amphibologico ſermone quovis modo, ex quo aliquod nocumentum injuſtum alicui inferatur vel proveniat.* Undè quicunque in tali caſu amphibologiâ utitur, ſi nocumentum ſit grave, mortaliter peccat. Concluſio ex ſuis terminis clara eſt: nunquàm enim licet injuſtum nocumentum proximo inferre, aut tali nocumento injuſto etiam negativè cooperari: præterquàm enim quòd peccatum ſit proximo nocere; qui etiam nocumento cauſam dant, peccare cenſentur.

Dixi (*injuſtum nocumentum*) ſi enim nocumentum ſit juſtum, & juſtè inferatur (exceptis caſibus prohibitis, & actibus ex natura ſua vel circumſtantia peccaminoſis) licebit ei, qui illud poteſt inferre, amphibologiâ uti, ut inferatur. *Explico*: Poteſt miles amphibologiâ inimicum decipere, ut illi noceat: licebit judici amphibologiâ uti, ut veritatem à reo expiſcetur: licebit amphibologiâ furem deducere, ut à ſatellite capiatur, &c. *Ratio eſt*: Quia in his caſibus amphibologia per ſe mala non eſt, cùm in aliquam utilitatem feratur, & nocumentum ipſum, quod infertur, licitum eſt.

Dixi (*exceptis caſibus prohibitis & actibus ex ſua natura vel circumſtantia peccaminoſis*) propter caſus & actus, in quibus cuivis etiam inimico frangere fidem non licet. *Ex. g.* In caſibus militiæ, in quibus quovis modo hoſti communi uſu fides eſt decreta. Similiter in contractibus cum perverſiſſimo inimico, & in eorum materia & circumſtantijs, in quibus ob publicam & communem ſocietatem nulla amphibologia admittitur.

Dixi etiam (*exceptis actibus ex natura ſua peccaminoſis*) Non enim licet adulterare fornicari, & alia peccata committere, ex quibus damnum etiam juſtum hoſti eveniat. Similiter: Non licet ullo caſu mentiri,

Dices: Omnis amphibologia includit mendacium cum deceptione, ergò nunquàm licebit illâ uti. *Reſpond. Negand. Anteced.* Amphibologia enim ut ſic, mendacium non includit: neque enim qui amphibologicè loquitur, contrà mentem loquitur; ſed ex determinatione mentis quod aliàs erat indifferens, & in utramque partem ſumi poterat, ad unam partem contrahit. Nec refert quòd amphibologia ad fallendum ordinetur. Duplex enim hic oriri poteſt fallacia, ſive deceptio: alia enim eſt merè paſſiva, quæ nihil eſt aliud, quàm paſſivus error decepti, quatenùs unum pro alio ſumit & intelligit, & hic, ubi nullum aliud ſequitur detrimentum, quàm mera privatio intelligentiæ eorum, quæ amphibologus loquitur, ex parte loquentis eſt merè permiſſivus, qui proindè propriè non dicitur decipere; ſed tantùm permittere ut alter decipiatur, & quidem in caſu, quo errorem tollere non tenetur: alia eſt deceptio activa, ſed hæc non eſt formaliter mendacium, cùm decipiens non cenſeatur loqui contrà mentem, undè poteſt potiùs vocari erroris ſive deceptionis inductio: & hæc ſi eſt juſta, utpotè quòd error ille juſtè inducatur, peccatum non eſt. Si verò injuſta, juxtà rationem malitiæ aut nocumenti illati, eſt peccatum veniale aut mortale. Pro omnibus ſupradictis ſit,

Regula generalis.

Nota. *Omnis amphibologia, ſive in verbis, ſive in reſtrictionibus & intentionibus mentalibus conſiſtat, quæ juſtitiæ, fidelitati, vel charitati proximo debitæ in aliqua materia gravi adverſatur, eſt peccatum mortale.*

Juſtitiæ adverſantur amphibologiæ illæ, quæ in contractibus venditionum, emptionum, commutationum, executionibus teſtamentorum, & alijs à propoſito & libera voluntate aſſumuntur.

Nota. *Fidelitati*, quæ in pactis, promiſſionibus, conventionibus, compromiſſis ſimiliter à libera voluntate procedentibus.

Charitati deniquè, quæ in conſultationibus, conferentijs & communicationibus charitativis intermiſcentur.

Dixi ſemper (*à libera voluntate procedentibus*) ubi enim in ſupradictis eſt juſta coactio, vel violentia (ità ut pars cogatur contrà voluntatem & juſtitiam inire pacta, contractus, conventiones, promiſſiones facere) poteſt pars læſa uti amphibologijs, quia (ut ſupponitur) voluntariè ad ſimilia non concurrit, nec ſocialiter; ſed meram patitur injuſtitiam & coactionem: undè vim inferenti non tenetur ad ullam

Nota. fidelitatem. Ex dictis conſtat: quàm pernicioſus ſit uſus reſtrictionum mentalium, & qualiter juri naturali, quatenùs homo eſt animal ſociale, repugnet, omnemque ſocietatem diſſolvat: nihilque eſt aliud, quàm ſentina fraudum & deceptionum, omni animæ Chriſtianæ omnibus modis abhorrenda, tanquàm radix multorum peccatorum mortalium. Quam inter Diabolicam & mundanam ſapientiam à Chriſto reprobatam refert & eleganter explicat S. Greg. lib. 10. Moral. cap. 16. in c. 12. Job. *Hujus mundi (ait) ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, fallacia demonſtrare,* &c. Infrà: *Hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dùm mentis perverſitas urbanitas vocatur,* &c. S. Greg. lib. 10. Moral. cap. 16. in c. 12. Job.

De Amphibologia in Juramentis.

CONCLUSIO I.

Non licet homini privato, qui nullâ cauſâ rationabili ad jurandum urgetur, in re de ſe falſa abſque peccato amphibologiâ uti in juramento ex mera libertate & voluntate aſſumpto. Explico: Joannes nullâ causâ urgetur ad jurandum, ſe pridiè non fuiſſe in taberna, in qua tamen fuit, ſed non bibit: non licet illi jurare ſe ibi non fuiſſe, ſubintelligendo amphibologicè per reſtrictionem mentalem (*ut biberet*) etſi enim poſitâ iſtâ amphibologiâ & reſtrictione mentali verum juret; abſque cauſâ tamen ſicut non licet jurare, ſic non licet amphibològiâ uti, quia abſque cauſa rationabili in juramento amphibologiâ uti, eſt Deum in teſtem ſuæ amphibologiæ vocare. Undè juxtà gravitatem materiæ de peccato mortali vel veniali res expendenda eſt. *Non licet amphibologiâ uti in juramento libero.*

CONCLUSIO II.

Judice legitimè & juridicè interrogante, non licet reo amphibologiâ uti, ſive amphibologicè jurare ſub peccato mortali. Ratio eſt: Quia qui juridicè ad juramentum cogitur, jam perdidit jus ad celandos mentis conceptus, & ea, quæ putabat ſecreta; cùm illa jam ad forum externum ſint ità deducta, ut ad juramentum cogi poſſit; ideoquè ad mentem interrogantis tenetur reſpondere & jurare eâ lege, qua tenetur in ijs, quæ ad forum contentioſum in iſto gradu pervenerunt, poteſtate obedire. *Non licet amphibologia uti Judice juridicè interrogante.*

CONCLUSIO III.

Quoties quis illegitimè, & abſque ſufficienti & legitima cauſa cogitur, vel graviter urgetur ad jurandum: toties poteſt uti amphibologiâ, & congruâ reſtrictione mentali verbis conformi in juramento ſive publico ſive privato, abſque periculo peccati, ſive perjurij. Ratio eſt: Quia poſſidet ſuum jus naturale, quo poteſt mentis conceptus & quodlibet ſuum ſecretum ſervare, & ſe vel proximum contrà omnem injuriam vel injuſtas ac illegitimas inquiſitiones tueri, & aliàs (ut ſupponitur) ſubeſt verborum amphibologiæ & reſtrictioni mentali veritas, & juramentum ex parte, quam intendit, cenſetur verum. *Quandò liceat uti amphibologia in judicio.*

Nota. Illegitimè verò cenſetur quis cogi, aut urgeri ad juramentum: A Judice quidem: quandò quis non eſt de crimine verè infamatus, vel ad ſemiplenam probationem ejus, de quo quæritur, res non pervenit: aut alio modo controverſia finiri poteſt, & in alijs ſimilibus caſibus.

A parti-

A particulari autem & privata perſona quis ad juramentum illegitime urgetur : Quando juramentum abſque Amphibologia factum cederet in jurantis, vel tertiæ perſonæ detrimentum, ſive quando non expedit, ut perſona quæ urget de rei veritate informetur.

Nota.

QUÆSTIO V.

An aliquis poſſit exigere Iuramentum ab eo quem conſtat peieraturum?

CONCLUSIO I.

Nota.

NOn licet ſub peccato inducere aliquem ad jurandum, vel exigere ab eo juramentum, niſi in caſu in quo licet illi jurare. Ratio eſt : quia eſſet cooperari malo & peccato. Cùm enim (ut ſupponitur) Petro non liceat in aliquo caſu jurare, ſi ab eo juramentum exigo, cooperor juramento illicito quod facit. Undè generaliter dico : *Non poſſe exigi juramentum ab aliquo, niſi iiſdem conditionibus quibus licet jurare* : nimirùm : *In re vera, in re juſta, & ex cauſa juſta ac rationabili*; ſive : *In veritate, juſtitia & judicio.* Videant Magiſtratus & Judices, qui ad ſingula, nullâ conſideratâ neceſſitate vel cauſæ rationabilitate, ſtatim juramenta exigunt, maximè à ruſticis & ſimplicibus, qui ſicut cœremonialiter & ut ſatisfaciant ordinationibus jurant, ſic frequenter pejerant, quorum perjurii cauſa alia non eſt, niſi indiſcretio, imprudentia & ſæpè injuſta violentia exigentium, qui eiſdem peccatis, ſi non majoribus, condemnantur.

Nota.

CONCLUSIO II.

Quando liceat exigere juramentum à pjeraturo.

NEmo poteſt exigere juramentum ab eo quem certò pejeraturum novit, niſi in tribus caſibus. Primò, In ratione officii; Quomodo judex poſtulante parte in judicio, ſi alio modo declinare non poſſit, tenetur exigere juramentum, ſicut & advocatus nomine partis in cauſa juſta juramentum exigere poteſt.

Secundo, Quando lex in ſpeciali decrevit, ut aliqua contentio juramento diſſolvatur.

Tertiò, In neceſſitate gravi, ut ad detegendas fraudes & fidem adverſarii infirmandam, ſine quibus tuam juſtitiam & innocentiam probare non potes. *Ex. gr.* Pateris ab adverſario graviſſimum damnum in fama, in moribus quia adverſarius habetur pro fideli : ut oſtendas ejus infidelitatem & perfidiam, exigis ut juret in re, quæ ſcitur ab aliis falſa, etiam ſciens ipſum pejeraturum : uteris tuo jure ut manifeſta appareat adverſarii tui infidelitas & perfidia, & tu evites damnum juſtæ tuæ innocentiæ & famæ.

Nota.

TITVLVS III.
De juramento promiſſorio.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Iuramentum promiſſorium, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Nota. Definitio

JUramentum promiſſorium : *Eſt affirmatio vel negatio quâ quis ſe obligat ad aliquid in futurum faciendum vel omittendum, ſub divinæ fidelitatis vel veritatis obteſtatione.*

juramenti promiſſorij

Dixi (*affirmatio vel negatio*) in hoc enim convenit juramentum promiſſorium cum aſſertorio, quòd affirmativam vel negativam partem enuntiationis ſemper includat.

Dixi (*quâ ſe obligat*) In hoc utique primò diſtinguitur juramentum promiſſorium ab aſſertorio, quòd aſſertorium ſimpliciter & in ſe reſpiciat veritatem ejus quod affirmat vel negat : Promiſſorium autem etiam obligationem practicam inducat ut res quæ affirmatur vel negatur, fiat vel omittatur : undè juramentum aſſertorium poteſt eſſe de veritate merè ſpeculativa : Promiſſorium verò includit in ſe veritatem practicam, ſive quæ reſpicit praxim.

Dixi (*ad aliquid in futurum*) Hæc eſt ſecunda diſtinctio inter juramentum aſſertorium & promiſſorium : quòd aſſertorium ſit de re præterita vel præſenti : promiſſorium autem de re quatenùs eſt futura, ſive quatenùs eſt adimplenda.

Dixi (*faciendum vel omittendum*) ſub faciendo intelligendo id, quod aliquo modo etiam impropriè fieri dicitur : ut ſi promitto me aliquid dicturum, conceptùrum, imò etiam ſub ſilentio ſervaturum, omnia enim ſimilia ſub nomine faciendi ſive adimplendi quod promiſſum eſt, generaliter quamvis interdùm impropriè comprehenduntur : ſicut & ſub omiſſione etiam quælibet negatio intelligitur.

Dixi (*ſub divinæ fidelitatis vel veritatis obteſtatione*) In hoc enim conſiſtit formalitas juramenti promiſſorii, quòd Deus velut fidelitatis vel veritatis promiſſi obſes invocetur, & quaſi à promittente conſtituatur. Porrò divinæ fidelitatis vel veritatis invocatio ſive obteſtatio eodem modo explicari & expendi debet, ſicut in juramento aſſertorio, nimirùm : quòd non ſit neceſſarium formaliter Deum vel Dei nomen aut veritatem obteſtari, ſed ſufficiat illam obteſtari prout in aliqua re ſacra elucet, ut quando promittit alicui ſe aliquid facturum *in fide Sacerdotis, in verbo & veritate Evangelij*, &c. In his enim divina Majeſtas relucet, quæ & in fidelitatis teſtimonium invocatur.

CONCLUSIO II.

Duplex juramentum promiſſorium.

DUplex eſt juramentum promiſſorium : *Aliud promiſſorium propriè & abſolutè : Aliud quaſi promiſſorium.* Promiſſorium propriè & abſolutè eſt illud: quo quis ſub invocatione divinæ Veritatis ſe alicui perſonæ, vel quaſi perſonæ obligat: Quaſi promiſſorium eſt : quo aliquis quidem ſe obligat ad aliquid faciendum vel omittendum ſub invocatione divinæ Veritatis in ſe vel in aliqua re ſacra, nulli tamen perſonæ ſuam fidelitatem addicit. Juramenti propriè promiſſorii exempla ſunt : ut ſi quis ſub juramento promittat ſe Petro daturum centum aureos, ſe collegio vel communitati, aut Eccleſiæ daturum ſuas ædes : Juramenti verò quaſi promiſſorii exempla ſunt; ut ſi quis ſolo

juramento promittat ſe oraturum, jejunaturum, laboraturum, &c. nulli perſonæ in particulari ſe obligando.

Aliæ diviſiones juramenti promiſſorii

Aliæ diviſiones juramenti promiſſorii aſſignantur: nimirùm in juramentum promiſſorium *publicum*, quale eſt illud quod fit Eccleſiæ, Univerſitati, Capitulo, &c. Et in juramentum *privatum* quod fit privatæ perſonæ ut eſt privata, ut Joanni, Petro, &c. Quæ enim fiunt perſonæ publicæ ut Regi, Epiſcopo, &c. quatenùs tales ſunt, juramenta *publica* cenſentur.

Rursùs juramentum promiſſorium: Aliud eſt *abſolutum*, quod nimirùm inducit obligationem abſolutam: Aliud *conditionatum*, quod tantùm poſitâ aliquâ conditione, obligat. Et de his quantùm opus fuerit, in progreſſu tituli hujus.

QUÆSTIO II.

Qualem obligationem inducat Iuramentum promiſſorium?

Duplex obligatio in juramento promiſſorio.

PRo reſolutione *advertendum eſt primò*, In juramento promiſſorio propriè dicto, quo contrahitur obligatio ad aliquam perſonam vel quaſi perſonam, duplicem obligationem reperiri: *Prior* oritur ex juſtitia naturali & ex natura promiſſionis, ſive ex virtute fidelitatis; Ex eo nimirùm, quòd fidem quam quis dedit de aliqua re facienda vel omittenda, jure naturali fallere non poſſit, ſed ſervare teneatur: *Poſterior* oritur ex virtute religionis, quâ quis fidelis eſſe tenetur primæ veritati, quam velut ſponſorem & vadem ſuæ fidelitatis in promiſſo conſtituit.

Duplex in promiſſione veritas.

Advertendum ſecundò, Duplicem in promiſſione veritatem deſignari poſſe: Altera eſt: *Veritas immediata*, quæ in voluntate & propoſito præſenti promittentis conſiſtit, indicans ejus diſpoſitionem præſentem, nihilque eſt aliud, quàm teſtificatio verax præſentis voluntatis, quâ reverà voluntas prout hîc & nunc in inſtanti quo promittit, benè affecta eſt & vellet hîc & nunc exequi id quod promittit. Altera *veritas* eſt *terminativa*, quæ reſpicit executionem futuram, ſive quæ dependet ab executione futura, ita ut promiſſio non cenſeatur vera, niſi pro tempore & inſtanti quo id quod promittitur, adimplebitur.

Ad juramentum promiſſorium requiritur acceptatio.

Advertendum tertiò, In juramento promiſſorio propriè accepto, quo quis ſe alicui perſonæ obligat, obligationem vim nullam habere niſi dicta perſona acceptaverit promiſſionem & obligationem. *Ratio eſt:* quia promiſſio illa ſequitur quemdam modum virtualis contractûs, qui in hac conditionali conſiſtit: *Promitto vel me obligo, ſi promiſſionem acceptes:* Secùs eſt in juramento quaſi promiſſorio; in illo enim obligatio abſtrahit ab omni acceptatione, ut cùm quis dicit: *Iuro per Deum me deinceps caſtitatem ſervaturum, tribus diebus me jejunaturum*, &c. His prænotatis, ſit

CONCLUSIO UNICA.

O*Mne juramentum promiſſorium ſive quaſi promiſſorium legitime factum, ex ſe obligat promittentem ad ſui executionem* Ratio fundamentalis eſt ſumenda tum ex virtute fidelitatis, quâ fidem datam unicuique in promiſſis ſervare tenemur, tum ex obligatione veritatis, quâ dictorum veritatem ſervare debemus, tum & maximè, quia Dei veritatem & fidelitatem in teſtem & ſponſorem in juramentum aſſumpſimus.

Conditiones legitima juramenti promiſſorii.

Dixi (*legitimè factum*) ad quod quinque potiſſimùm conditiones requiruntur. 1. Ut ſit in materia licita & legitima. 2. Ut juramentum ſit liberum. 3. Ut ſit deliberatum, & cum voluntate ſe obligandi. 4. Ut à perſona cui fit, acceptetur. 5. Ut fiat à perſona potente ſive competente. Quas conditiones omnes infrà ſingularibus Dubiis expendemus.

Dixi (*ex ſe*) quatenùs ſcilicet eſt tale juramentum, & ubi aliquâ extrinſecâ excuſatione vel ratione obligatio non extinguitur vel alteratur. De quibus etiam infrà Dubio particulari.

Dubium 1.

Quæ cenſeatur materia licita & legitima, ad hoc ut Iuramentum promiſſorium obliget?

R*Eſpondeo* per tres Regulas ſequentes.

Regula 1.

Materia juramenti promiſſorii eſt res honeſta & poſſibilis.

O*Mnis res bona, ſeu quæ intra fines boni moralis, honeſti ac poſſibilis conſiſtit, eſt materia licita & legitima juramenti promiſſorij, & conſequenter omne juramentum promiſſorium de bono morali honeſto, quantùm eſt ex parte materiæ, jurantem obligat.* Regula ex terminis eſt clara, nec indiget aliâ probatione.

Regula 2.

Iuramentum de re mala non obligat.

O*Mnis res mala ſeu excedens limites boni moralis honeſti, ſive ſit ex natura ſua talis, ſive quia ſpeciali præcepto in conſcientia obligante prohibita, eſt materia illicita:* Et conſequenter: *Omne juramentum promiſſorium de re mala & inhoneſta, ſicut eſt illicitum, ſic nullam obligationem in jurante inducit.* Ratio eſt: quia invocatio divini nominis non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Undè qui jurat ſe facturum rem malam, peccat mortaliter: quia Deum conſtituit vadem & ſponſorem ſuæ iniquitatis & impietatis: quod non tantùm opinor verum in materia mortalis peccati, ſed etiam in materia venialis: Graviſſima enim irreverentia eſt Deum vocare in teſtimonium cujuscumque malitiæ & peccati, prout nuper docuimus de juramento aſſertorio. *Nota.*

Dixi (*excedens limites boni moralis, &c. quia ſpeciali præcepto in conſcientia obligante prohibita*)

eò

Digitized by Google

eò enim ipsò, quò res aliqua præcepro aliquo poſitivo ſive Divino ſive humano in conſcientia obligante eſt prohibita, ſi quis præceptum transgreditur, jam fines honeſti transgreditur, & peccar. Non licet autem, etiam quocunque prætextu, nè quidem venialiter peccare, & conſequenter non licet Deum ſui peccati aſſertorem & ſponſorem invocare.

Regula 3.

Iuramentum promiſſorium in re contrà legem quamcunque, non obligat. **N***Vllum juramentum promiſſorium contrà quamcunque legem, etiam in conſcientia non obligantem, jurantem obligat, ſed hoc ipſo nullum eſt.* Ratio eſt: Quia omnis veræ legis tranſgreſſio eſt quædam inordinatio & civilis inhoneſtas, obligans hominem ſaltem ad aliquam pœnam, ad quam inordinationem rationabiliter homo ſe obligare nequit. Undè iterùm ſaltem venialiter peccar, qui jurat ſe tranſgreſſurum hujuſmodi legem: non quia in conſcientia lex obligat, aut ejus tranſgreſſio culpam venialem inducit; ſed quia Deum aſſertorem & ſponſorem illius inordinationis facit.

Regula 4.

Nota. **N***Vllum juramentum promiſſorium de re ad peccatum pertrahente, vel peccati periculum inducente, aut etiam quodvis bonum ſimpliciter impediente, obligat jurantem.* Ratio eſt: Quia materia illa eò ipsò quò peccati occaſionem, vel boni impedimentum continet, fit mala, & inhoneſti ac inordinati rationem aliquam participat. Tres poſteriores Regulas confirmat Regula Juris 58. in 6. *Non eſt obligatorium contrà bonos mores præſtitum juramentum.*

Regula 5.

Nota. **N***Vllum juramentum promiſſorium alicujus boni meliori repugnantis, jurantem in conſcientia obligat, niſi homini ſit factum, & ab homine acceptatum, ità ut homo, cui juramentum factum eſt, jam acceperit jus ad rem, vel in re.* Explico hanc Regulã: Joannes ſub juramento promitrit ſe initurum Matrimonium in genere; nulli tamen homini ſe obligavit: ſi cælibatum ſervare; aut Religionem ingredi voluerit, non obligatur juramento, *Ratio eſt*: Quia licer inire Matrimonium, ſit actus moraliter bonus & meritorius, ex ea tamen parte, qua repugnat meliori bono & cælibatui, vel ſtatui Religioſo, cenſetur imperfectionem includere, ideoque meliori ſemper bono compenſari poteſt, eò quòd Deus ab homine deſideret ſemper quod melius & optimum eſt. Nec obſtar quòd Deum hujus ſui promiſſi ſponſorem faciat, eò enim ipsò quod melius præſtat, quod minùs bonum erat, cenſetur compenſari, neque enim frangit fidem, qui argentum dare promiſit, ſi aurum ſolvat in qualitate præeminens.

Nota. Dixi (*niſi homini ſit factum, & ab homine acceptatum,* &c.) hoc enim ipsò jam ampliùs res non eſt ipſius, nec remanet in libera ejus poteſtate, ſed in alterius poteſtatem tranſijt. Undè ſi Joannes promiſerit ſub juramento Matrimonium inire cum Margareta, & Margareta acceptaverit, non poteſt Religionem intrare, niſi Margareta permittat, & juri ſuo cedat, aut ſibi alio modo ſatisfieri conſentiat. Et qui juravit Matrimonium alicui puellæ, ſi abſque ejus conſenſu Religionem intret, etſi profeſſio ſit valida, peccat tamen mortaliter non implendo promiſſum, niſi à jure vel ab homine ſit cum illo diſpenſatum. Sed de his poſteà. Ex his generaliter concluditur: quòd quicunque jurat non facere aliquod bonum, ad quod non tenetur, ut non jejunare, non audire Miſſam in die feriato, non mutuare pecuniam, &c. etſi illa omittens non peccet, ſi tamen poſteà velit jejunare, audire Miſſam, mutuare, &c. non tenetur juramento. *Ratio eſt*: Quia illud juramentum eſt impeditivum, ſive retardativum boni & perfectionis; ſi enim juramentum de minori bono, quatenùs meliori repugnat, obligatorium non ſit, multò minùs juramentum de ceſſatione à bono obligabit, quamvis (ut dixi) bonum illud obligatorium non ſit. Undè juramentum de non adimplendo aliquo conſilio Evangelico, vel inſpiratione bona, vel eo quod perfectionis tantùm eſt, nullatenùs jurantem obligat, quin bonum quodcunque juramento oppoſitum poſſit ſectari.

Regula 6.

I*Vramentum promiſſorium de re indifferenti, inutili, & impertinente, quatenùs talis eſt facienda vel omittenda, non tantùm non obligat; ſed etiam abſque peccato ſaltem veniali fieri non poteſt.* Ratio prioris partis eſt: quia invocatio Divini nominis non poteſt eſſe vinculum rei otioſæ & inutilis. Ratio etiam poſterioris partis eſt: quia irreverentiam facit primæ veritati, qui ſuper re inutili illam in fidelitatis teſtem vocat. Nota.

Dubium 2.

An Iuramentum promiſſorium illicitè factum, ſuper re tamen de ſe licita, ſive quæ ſine peccato fieri poteſt obliget jurantem ad ſui impletionem?

SEnſus Dubij exemplis meliùs declarari poteſt. *Quæritur itaque*: An adoleſcens, qui ſub juramento promiſit puellæ centum aureos, ut ejus concubitu fornicario frui liceat, teneatur illi eos ſolvere? *Similiter*: Qui nolentem mutuare pecuniam nè quidem ad uſuram, inducit promittens illi ſub juramento ſolvere uſuram, teneatur poſteà uſuram ſolvere? *Ratio dubitandi eſt*. Quia etſi peccaverit illicitè jurando, poteſt tamen abſque peccato promiſſam pecuniam puellæ ſolvere, & mutuanti dare pecuniâm ultrà ſortem ex liberalitate. Pro Reſolutione;

Advertendum eſt primò, Juramentum tripliciter in hac materia concurrere poſſe. *Primò*, Abſque formali promiſſione obligante: ut ſi quis juret, ſi puellâ potiatur, ſe jejunaturum, peregrinationem Lauretanam ſuſcepturum, aut ſe pauperibus centum aureos daturum. Et tale juramentum eſt quaſi promiſſorium, nulli enim ſingulari perſonæ ſe obligat; ſed ſi quæ obligatio eſt, ex vi ſolius juramenti per ſe oritur. *Secundò*, Iuramentum concomitatur formalem promiſſionem, ità ut obligatio non tantùm oriatur ex juramento, ſive ex virtute Religionis, ſed etiam ex virtute juſtitiæ & fidelitatis, ut in exemplis initio Dubij allatis manifeſtum eſt. *Tertiò*, Promiſſio interdùm præcedit; Iuramentum autem ſequitur, eſtque non tam inductivum obligationis novæ, quàm confirmatorium obligationis prioris per præcedentem promiſſionem inductæ, ſuppoſito quòd verè ſit inducta. *Ex. gr.* Promiſit Adoleſcens in luſu chartarum ſe ſoluturum pecuniam, quam perdidit, poſteà verò rogatus promiſſionem primam juramento confirmat.

Varij modi jurandi.

Advertendum ſecundò, Magnam eſſe differentiam inter juramentum ſolitariè ſumptum abſque formali promiſſione, quod vocavimus quaſi promiſſorium, & inter juramentum, quod formalem promiſſionem conjunctam habet, ſive quod formaliter & per ſe promiſſorium eſt. *Primò* enim juramentum formaliter promiſſorium duplici titulo obligat, nimirùm juſtitiæ & fidelitatis, ac titulo Religionis, ut ſuprà diximus: juramentum autem ſolitarium, ſive quaſi promiſſorium ſolo titulo Religionis. *Secundò*, Promiſſorium formaliter dat actionem in judicio, & ad hæredes tranſit: juramentum autem ſolitarium non. *Tertiò*, Qui ſolitariè juravit abſq; promiſſione ſe daturum alicui rem aliquã, ſatisfacit dando; poteſt autem illam repetere. In juramento formaliter promiſſorio non item: quia ille, cui facta eſt promiſſio, poſito quòd promiſſionem acceptaverit, habet jus ad rem. *Quartò*, A juramento promiſſorio, ſi acceptatum fuit, non datur abſolutio abſque conſenſu tertij, ſive illius, qui promiſſionem acceptavit, à juramento autem ſolitario licet petere & accipere abſolutionem.

Nota.

Differentia inter juramentum promiſſorium, & quaſi promiſſorium.

Advertendum tertiò, Hanc dari differentiam inter Iuramentum *Concomitans*, & Iuramentum *Subſequens*, ſive confirmatorium promiſſionis: quòd Iuramentum *Concomitans* in materia capaci inducat obligationem: *Subſequens* autem ſupponat inductam per præcedentem promiſſionem. Undè, ſi promiſſio præcedens fuerit invalida & inefficax, juramentum *Subſequens* nil obligationis inducit, tùm non aliud jurari cenſeatur, quàm id, quod priùs promiſſum erat, & in ea qualitate, qua promiſſum erat.

Differentia inter juramentum concomitans & ſubſequens.

Advertendum quarto, Promiſſionem factam poſſe reddi inefficacem ratione materiæ duobus modis. *Primò*, Quia fit in materia illicita ex natura ſua, de quo ſuprà, & de hac Quæſtio non eſt. *Secundò*, Quia etſi ſit in materia licita, obligatio tamen, quæ ex tali promiſſione provenit, à Jure eſt reſciſſa: qualiter reſcinditur obligatio ſolvendi, quod quis in luſu chartarum perdidit, & ſolvere promiſit. *Item*: obligatio ſolvendi uſuras promiſſas, & aliæ hujuſmodi reſciſſiones in Legibus reperiuntur.

Promiſſio fit inefficax ex parte materia.

Advertendum quintò, Reſciſſiones obligationum in promiſſionibus à Jure tribus modis decerni. *Primò*, *In favorem promittentis*, nè gravetur, ut in exemplis allatis. *Secundò*, *In favorem communis boni Reipublicæ.* Ex. g. Præcepit Rex nè frumentum extrà Belgium, ad evitandam caritatis annonam, efferatur: interim mercator Belgij promittit alteri mercatori externo, illi ex Belgio frumentum mittere, promiſſio cenſetur inefficax. *Tertiò*, *In favorem tertij*, Ex. g. Prohibet Rex omnibus Bibliopolis, nè libros alibi impreſſos vendant, aut Typographis nè imprimant præter Joannem Moretum, & in ejus favorem: interim alius Typographus promittit alteri illos imprimere, vel Bibliopola de alibi impreſſis promittit Petro providere, promiſſio ſimiliter eſt nulla. His ſic prænotatis, Reſpondeo per ſequentes Regulas generales.

Reſciſſiones promiſſionum à Iure.

Regula I.

O*Mne juramentum verè promiſſorium, etſi ſit illicitè & peccaminosè emiſſum, ſi abſque peccato & injuria Reipublicæ, aut tertij adimpleri poſſit; ex parte materiæ obligat ad ſui adimpletionem.* Ratio hujus Regulæ eſt: Quia in tali juramento Deus non invocatur tanquàm ſponſor & aſſertor peccati; ſed tanquàm ſponſor fidelitatis in adimpletione rei licitæ, etſi ſupponatur in juramento fuiſſe peccatum, quia jurans & promittens peccavit mortaliter ob concomitantiam actûs peccaminoſi, qui antè promiſſionis & juramenti adimpletionem debebat committi. *Explico*: Petrus promiſit & juravit Margaretæ dare centum aureos, ſi ejus fornicarijs amplexibus gaudere poſſit, adimpletâ conditione tenetur ſolvere: non enim juravit fornicarijs amplexibus uti, ſed ſuppoſito quòd ijs uteretur, promiſit & juravit dare illi centum aureos, per ſe autem licitum eſt, & abſque peccato illos ſolvere poteſt; undè & ad hoc obligatus remanet: peccavit tamen jurando occaſione iſtâ malâ ob concomitans peccatum, quod conſequenter jurando intendit, etſi juramentum in illud non cadat. Undè tenetur non fornicari, & hâc reſipiſcentiâ poſitâ à juramenti obligatione liberatur.

Nota.

Nota.

Dixi (*ſi abſque peccato & injuria Reipublicæ, &c. adimpleri poſſit*) ſi enim abſque peccato, vel injuria Reipublicæ, aut tertij promiſſio & juramentum adimpleri nequeant, jam juramentum cadit ſuper materia illicita & mala, ideoque, ut ſuprà docuimus, non obligat. Undè mercator Belga promittens & jurans frumentum mercatori externo mittere poſt prohibitionem Regis in favorem Reipublicæ

factam

factam, non tenetur ad juramentum, quia peccatum eſſet contra legem juſtam, & in injuriam Reipublicæ, in cujus favorem præceptum datum eſt. Similiter exemplificari poteſt in eo qui promitteret libros imprimere contra privilegium datum Moreto, injuriam enim faceret Moreto.

Regula 2.

Iuramentum promiſſorium contra Legem reſcindentem promiſſa in favorem promittentis & jurantis tantùm, non obſtante lege obligat ex parte materiæ ad ſui impletionem. Explico hanc Regulam: Petrus ſub juramento promiſit Paulo ſolvere pecuniam, quam in luſu chartarum amiſit: Etſi lex hujuſmodi promiſſa in favorem eorum qui luſu chartarum perdunt reſciderit, nihilominus tenetur Petrus ſolvere. *Ratio eſt:* quia etſi non teneatur ex vi promiſſionis; tenetur tamen vi juramenti, quia Deum fecit teſtem & vadem ſuæ fidelitatis in adimplendo juramento, quod quidem licitè adimplere poteſt abſque ullo peccato vel ullius injuria, cedendo juri ſuo: Non enim lex illum obligat ut non ſolvat, ſed tantùm ab obligatione immunem facit; obligationem autem juramento concomitante ſuperinduxit Deum invocando infidelitatis ſuæ aſſertorem, ideoque obligatus remanet non obligatione juſtitiæ, ſed obligatione virtutis religionis.

Nota.

Regula 3.

De juramento ſubſequente.

Iuramentum ſubſequens promiſſionem, ſequitur ejus naturam, ita, ut ſi promiſſio ſit inefficax, prohibita, aut illicita, juramentum ſubſequens ſimiliter ſit inefficax, prohibitum, aut illicitum. Ratio eſt: quia (ut ſupponitur) eſt tantùm promiſſionis ratificativum & confirmativum. Vide quæ ſuprà diximus ante Regulas.

Dubium 3.

Quæ libertas vel deliberatio requiratur in Iuramento promiſſorio ad hoc ut obliget?

DUplex hîc libertas deſignari poteſt: Altera eſt *ab intrinſeco*, ut, nimirùm qui jurat, plenâ libertate & uſu arbitrii ab intrinſeco perfruatur, ita ut ignorantiâ, inadvertentiâ, aut aliquo errore uſum liberi arbitrii impediente non laboret: Altera eſt *libertas ab extrinſeco*, ut opponitur coactioni vel violentiæ, quæ cauſatur injuriâ, metu, vi, &c.

CONCLUSIO I.

De juramentis libertate intrinſeca.

AD hoc ut promiſſorium juramentum obliget, requiritur libertas & deliberatio intrinſeca tanta, ut ſit ſufficiens ad peccandum mortaliter. Ratio eſt: quia juramenti illius transgreſſio ex genere ſuo eſt mortale peccatum; ergo ut obligatio ex illo contrahatur, requiritur libertas ſufficiens ad peccandum mortaliter.

CONCLUSIO II.

De juramento libertate extrinſeca.

Iuramentum promiſſorium vi, metu, aut injuriâ extortum, ſi is qui jurat verè intenderit jurare & ſe obligare, obligat jurantem ad ſui impletionem; niſi ab habente poteſtatē in eo diſpenſetur, aut juramentum irritetur: Explico: Joannes captus à latronibus ut eorum manus evadat, jurat cum intentione ſe obligandi dare illis centum aureos, poſtquam evaſit, renetur dare. *Ratio eſt:* quia etſi metu, vi & injuriâ juramentum ſit extortum, ſupponitur tamen voluiſſe ſe obligare, & quamvis ſit voluntarium tantùm ſecundùm quid, ſive ex cauſa quòd non poſſit aliter evadere, tamen eſt verè voluntarium: ſicut mercator qui ad evadendum naufragium merces in mare projicit, voluntariè projicit, etſi periculo naufragii non ſubſiſtente non projiceret. Et hæc habentur c. *Debitores de jure jurando, de eo qui juravit ſe ſoluturum uſuras.* Et c. *ſi verò.*

Dixi (*ſi verè intenderit jurare & ſe obligare*) ſi enim id verè non intenderit, ſed Amphibologiâ in verbis, vel reſtrictione mentali à propoſito uſus fuerit, non tenetur, conditionibus à nobis relatis de uſu Amphibologiæ in juramento aſſertorio. *Vide ibi.*

Dixi (*niſi ab habente poteſtatem diſpenſetur*) ordinat enim Eccleſia, ut ad evitandas hujuſmodi injuſtas extorſiones à quolibet Confeſſario tales non tantùm abſolvi poſſint à juramento, ſed etiam mandat ut abſolvantur. Vide expreſſum *Caput ex adminiſtratione*, Et c. *Quæ ad evidentiam de his quæ vi*, &c.

Ex quibus etiam patet: eum qui juravit ſe rediturum ad carcerem, ſi intenderit verè jurare & ſe obligare, teneri redire niſi abſolvatur: Poteſt autem abſolvi à juramento, etſi fortè infamiam in foro externo incurrat, quia verbo vel juramento non ſtetit. Alia infrà dicemus de diſpenſatione, abſolutione & irritatione juramentorum.

CONCLUSIO III.

Quid de errore in juramento?

Iuramentum ex errore factum vel extortum, ſi error ſit in ſubſtantia, vel in aliqua conditione juramento intrinſeca, non obligat. Ratio eſt: quia tale juramentum non eſt verè voluntarium, error enim hujuſmodi libertatem, & deliberationem, omnemque neceſſariam advertentiam tollit.

Dixi (*ſi error ſit in ſubſtantia aut conditione intrinſeca juramento*) ſi enim tantùm ſit in aliquo accidenti, & quod ſubſtantiam aut intrinſecam conditionem juramenti notabiliter non immutat, ſervandum erit: Sic Joſue cap. 9. ſervavit juramentum factum Gabaonitis; etſi intervenieſſet error; quia in ſubſtantia juraverat facere miſericordiam perſonis externis, & ad populum Dei non pertinentibus, non videba-

tur autem gravis materia quòd ſimulaſſent ſe de longe venire, quamvis ratione mandati Domini ſervituti fuerint ſubjecti.

Dubium 4.

Quæ cenſeatur perſona competens, ad hoc ut Iuramentum promiſſorium obliget?

HIc abſtraho à perſonis, quarum promiſſa irritati poſſunt, ut ſunt filii familias, impuberes, religioſi, &c. De his enim poſteà, ſed ſimpliciter agitur de perſona quæ obligata remanet, ſi aliàs juramentum non irritetur vel diſſolvatur.

CONCLUSIO UNICA.

Iuramenti capax. OMnis *adultus ratione utens, deliberationis capax, cenſetur perſona competens ut juramentum promiſſorium illam obliget*, Concluſio per ſe clara eſt. Quia talis eſt ſuæ voluntatis compos, & arbiter.

Dixi (*adultus*) ut excludatur puer. Dixi (*ratione utens*) ut excludatur amens. Dixi (*deliberationis capax*) ut excludatur ebrius, aut ſimplex amenti ſimilis. Porrò ad perſonam competentem reducitur *procurator*, qui nomine alterius jurat, ſi commiſſionem expreſſam jurandi habet, quæ tempore juramenti non ſit revocata. Per hoc tamen juramentum non *procurator*, ſed is cujus nomine præſtatur juramentum, remanet obligatus.

Similiter ad perſonam competentem reducitur *collegium*, ſi ſinguli jurent, vel aliqui nomine, & ex commiſſione expreſſa cæterorum omnium.

Dubium 5.

Quomodo Iuramenta promiſſoria interpretanda ſint, ubi de eorum obligatione aut jurantis intentione quæſtio movetur?

CONCLUSIO I.

Duo principia quibus juramenta promiſſoria ſunt interpretanda. IVramentum *promiſſorium duobus maximè principiis interpretandum eſt.*

Primum principium: *Iuramenti qualitas, veritas, obligatio & jurantis intentio ex natura actus cui conjunctum eſt, dijudicare & interpretari debent*: undè ſi aliqua immutatio gravis circa materiam aut circumſtantias actus ſuccedat, judicanda eſt tollere obligationem juramenti. *Explico*: Juravit Petrus inire ſponſalia, imò & matrimonium cum Margareta: Si poſt juramentum Margareta fornicetur, Petrus juramento non obligatur, quia ſubintelligitur hæc conditio: *Si contra leges diſpenſationis vel matrimonij non peccet*: undè & inita hujuſmodi ſponſalia in jure diſſolvuntur.

Dixi (*Si poſt juramentum Margareta fornicetur*) ſi enim ante juramentum deprehendatur fornicationem commiſiſſe, tenetur juramento, quia verè juravit ei deſponſari, & in ea qualitate in qua erat, nil excipiendo. Et habetur hîc caſus cum ſua ratione expreſſus *c. Quemadmodum de jure jurando.*

Secundum principium eſt: *Iuramenta promiſſoria ſtrictè interpretanda ſunt, & ſemper in favorem jurantis, modò reſtrictio natura actus non repugnet.* Ratio eſt: quia juramenta pertinent ad materiam oneroſam & odioſam juranti: Odia autem ſemper ſunt reſtringenda, *2. Principium.*

Ex his *infero primò*, Si quis juraverit ſe ſervaturum ſtatuta alicujus communitatis, juramentum debere interpretari de faciendis & non de faciendis. *Similiter*: Si quis juret ſe non intraturum tabernam, intelligi debet ut ibi bibat, vel aliquid faciat, quod in tabernis inordinatè fieri ſolet. *Item*: Qui jurat quòd ſtabit judicio prudentium virorum: Interpretandum eſt: ſi manifeſtam injuſtitiam non committant, ut habetur *c. Quintavallis de jure jurando.* Et ſic de ſimilibus. *Notandum*

Infero ſecundò, Juramenta dubia, ſi verè dubia ſint, ſtrictè & in favorem jurantis interpretanda: undè ſi verè quis dubitet, adhibitâ debitâ diligentiâ, an promiſſionem ſuam juramento confirmarit: interpretandum eſt quòd non confirmarit: Odia enim (ut dixi) ſunt reſtringenda, & melior eſt conditio poſſidentis, nec valet quod quidam dicunt: Tutius eſſe adimplere, atque adeò tutiorem partem ſequendam eſſe. *Reſpondeo* enim falſum aſſumi: quia tutius eſt non obligati & non onerari. Vide quæ diximus *Tom. 1. tit. de conſcientia dubia.* Similiter confirmavit quis promiſſionem ſuam jurando per fidem ſive fidelitatem ſuam, interpretandum eſt quòd illam confirmaverit *fide* tantùm *humanâ*, non verò juraſſe.

CONCLUSIO II.

INomni *juramento promiſſorio ſemper intelliguntur ſive ſupponuntur quinque conditiones, etſi de eis non fiat mentio, aut ſuper eas intentio jurantis non reflectatur.* *Quinque conditiones in omni juramento.*

Conditio prima eſt: Si potuero: Nemo enim cogitur ad impoſſibile & habetur *cap. Quemadmodum, & cap. Querelam, de jure jurando*, ſi tamen ſecundùm aliquam ſui partem res jurata poſſibilis fuerit, ſecundùm illam juramentum obligabit.

Conditio ſecunda eſt: Si licitè potuero: Juramentum enim non eſt vinculum iniquitatis *Cap. Quinta valla de jure jurando.*

Tertia eſt: Niſi res fuerint notabiliter immutatæ. *Ratio eſt*: quia jurans cenſetur jurare de rebus in ſtatu in quo ſunt, vel ei proponuntur dum jurat. *Cap. Quemadmodum, de jure jurando.*

Quarta eſt: Salvo jure Superioris, ſive niſi juſtâ auctoritate Superior aut Prælatus, aliter diſpoſuerit. *Cap. venientes.*

Conditio quinta: Si is cui juratur, voluerit acceptare, vel niſi ipſe remittat. Hæ ſunt quinque conditiones generales, quarum aliquâ defici-

deficiente, juramentum promiſſorium non ſubſiſtit: imò juramento promiſſorio à principio ſubſiſtente, ſi aliqua ex memoratis conditionibus tollatur, obligatio ſine alia diſpenſatione ceſſat.

Conditio univerſalis in juramentis mutuis. Porrò in juramentis, quæ fiunt in contractibus mutuis, ſemper una conditio cenſetur annexa, nimirùm: *Si partes contractui & fidei datæ ſteterint.* Alterâ enim non ſtante, juramentum diſſolvitur juxta illud: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

Dubium 6.

Quibus modis obligatio juramenti tolli poſſit, & à quibus tollatur?

CONCLUSIO I.

Tribus modis obligatio juramenti, etiam in ſe aliàs ſubſiſtens, tollitur; nimirùm: *irritatione, condonatione, diſpenſatione, ſeu abſolutione.*

CONCLUSIO II.

Quid Irritatio juramenti? *Irritatio juramenti promiſſorij: eſt ablatio obligationis ejus ex parte materia vel perſona, per poteſtatem Dominativam, aut quaſi Dominativam in rem ſuper qua fit juramentum, vel in perſonam ratione rei ſibi ſubjectam.* Hoc modo Paterfamilias irritat juramentum filij, qui promiſit alicui centum florenos, auferendo jus ad pecuniam, ratione cujus patri ſubditus eſt, quia pecunia ad patrem pertinet, vel patris adminiſtrationi ſubjacet. Pro quo ſit,

Regula generalis.

Qui irritare poſſint juramenta. *Quicunque habet poteſtatem Dominativam, vel quaſi Dominativam in rem ſuper qua juratur, vel in perſonam reſpectu rei juratæ, poteſt juramentum promiſſorium irritare.* Ratio eſt: Quia per dictam poteſtatem poteſt executionem juramenti prohibere, aut materiam illicitam reddere, aut omninò alterare. Ità Summi Pontifices irritant juramenta Clericorum ſuper certis fructibus beneficiorum, quæ prohibent alienari. Ità Prælati Religioſorum, quia abſque licentia eorum nil dare, aut quovis modo alienare poſſunt. Ità parentes filiorum, mariti uxorum, &c. juramenta irritant, eò quòd perſonæ, quò ad adminiſtrationem & diſpoſitionem bonorum temporalium ſint illis ſubditæ.

CONCLUSIO III.

Quid condonatio in juramentis. *Condonatio eſt remiſſio obligationis ex juramento orta, facta ab eo, cui, vel in cujus favorem juramentum eſt factum.* De quo ſit,

Regula generalis.

Qui condonare poſſint? *Omnis homo, cui, vel in cujus utilitatem juramentum factum eſt, poteſt condonare & tollere obligationem juramenti.* Quæ quidem condonatio dupliciter fieri poteſt: nimirùm: aut non acceptando promiſſum; aut acceptatâ promiſſione & juramento, remittendo obligationem. Priori modo condonantur juramenta facta in utilitatem Eccleſiarum vel Monaſteriorum: ut Eccleſiæ Hallenſi, Monaſterio S. Petri. &c. Etſi enim Eccleſia aut Monaſterium propriè non condonet: ſi tamen qui Eccleſiarum adminiſtratores ſunt non acceptent, cenſetur obligatio condonari. Nec aliter in promiſſionibus in utilitatem Eccleſiarum factis condonationes fiunt. Neque enim adminiſtratores res Eccleſiæ, vel in quibus Eccleſiæ jus jam acceperunt, dare vel alienare poſſunt: poſſunt tamen ex cauſa non acceptare promiſſionem, & iſto modo condonare. Poſteriori modo condonatio fit, quandò promiſſio eſt alicui facta, ſive in propriam, ſive in alterius utilitatem; & ab eo acceptata. Ille enim, in cujus utilitatem promiſſio facta eſt, poſt acceptationem condonare poteſt. Ità, ſi Joanni quis juravit ſe daturum dotem in gratiam filiæ, filia ſuo juri reſtituta obligationem dotis condonare poteſt.

Dixi verò notanter (*in utilitatem ejus*) Si enim tantùm in gratiam alicujus res data eſt, ille obligationem condonare nequit. *Ex. g.* Ob gratiam & reſpectum alicujus Prædicatoris *Nota.* Joannes promittit ſub juramento dare eleëmoſynam Petro pauperi, Prædicator, in cujus gratiam res eſt promiſſa, non poteſt condonare obligationem, ſed Petrus pauper. *Ratio eſt:* Quia etſi in Prædicatoris gratiam eleëmoſyna fuerit promiſſa, non tamen in utilitatem ejus, ſed Petri pauperis.

Petes primò, An duo, qui ſibi invicem juraverunt, mutuo conſenſu poſſint cedere obligationi, vel mutuam obligationem condonare? *Qualiter juramenta mutua condonentur.* *Reſpondeo* cum diſtinctione: Aut enim juramentum iſtud factum eſt reciprocè in mutuam & reciprocam utilitatem, & hoc modo ſibi invicem obligationem condonare poſſunt: At factum eſt in utilitatem tertij, utpotè loci, pauperem, &c. *Ex. g.* Duo juraverunt ex communi lucro & maſſa dare certam ſummam pauperibus, aut alicui Eccleſiæ: hoc modo non poſſunt condonare ſibi invicem, ſed requiritur condonatio ejus, in cujus utilitatem promiſſio eſt facta.

Petes ſecundo, An qui injuſtè coëgit aliquem ad ſibi ſuper aliqua re præſtanda jurandum, poſſit cogi etiam ad condonandum? *Reſpondeo*, cogi poſſe à Judice, imò & ab alio ad renuntiandum injuſtitiæ, quam commiſit: iſta autem renuntiatio eſt implicita condonatio. Vide exemplum ſimile in *Cap. Debitores de Jurejurando.*

CONCLUSIO IV.

Quid diſpenſatio in juramentis. *Diſpenſatio juramenti Promiſſorij, eſt relaxatio obligationis ejus per poteſtatem juriſdictionis ſpiritualem in ipſam perſonam.* Ex quo infero ſequentem Regulam.

Regula

Regula generalis.

Quis diſpenſare poſſit.

QVicunque habet poteſtatem juriſdictionis diſpenſandi in votis, cenſetur eandem proportionaliter habere in juramentis reſpectu perſonarum, quæ ſibi ratione hujus juriſdictionis ſubditæ ſunt.

Dixi (*poteſtatem juriſdictionis*) ut excludam poteſtatem Dominativam, vel quaſi Dominativam in rem, vel in perſonam ratione rei. Per hoc enim diſtinguitur diſpenſatio ab irritatione, vel etiam condonatione: Irritatio enim fit per poteſtatem Dominativam; Condonatio

Nota. autem ratione juris, quod quis ad rem promiſſam mediante juramento acquiſivit: Diſpenſatio verò fit per poteſtatem juriſdictionis ſpiritualem, ac per modum judicij & abſolutionis ratione clavium.

Dixi (*ſpiritualem*) ut excludatur civilis, quæ etſi poſſit tollere obligationem juramentorum per irritationem aut condonationem, non tamen per diſpenſationem: diſpenſatio enim non tam rem vel perſonam afficit, quàm vinculi ſolutionem, tollendo vinculum illud ſpirituale, quo quis ſe Deo devinxit per invocationem nominis ejus, idque vice Dei per poteſtatem ſpiritualem ſibi ad hoc à CHRISTO communicatam.

Dixi (*in votis*) eadem enim eſt ratio votorum ac juramentorum in ratione obligationis, ut ſuo loco infrà dicemus. Ex utroque enim naſcitur vinculum quoddam ſpirituale, quo quis Deo obligatus remanet; in Juramento, quia Deum ſponſorem ſuæ promiſſionis fecit: in Votis, quia Deo ſe vel rem ſuam addixit & nuncupavit.

Dixi (*proportionaliter*) juxtà ſcilicet poteſtatem proportionalem juriſdictionis ſuæ: ità ut Summus Pontifex habeat poteſtatem independentem & univerſalem in totam Eccleſiam: Epiſcopi verò dependentem & limitatam in ſuas oves. Undè ſicut Epiſcopus non poteſt in votis Summo Pontifici reſervatis diſpenſare, ſic nec poteſt in juramentis, quæ reſervantur, vel votis illis reſervatis junguntur. Tandem Delegati juxtà amplitudinem ſuæ delegationis & privilegiorum ſuorum in juramentis diſpenſare poſſunt.

An poſſit dari diſpenſatio cum præjudicio tertij.

Petes primò, An juramentum factum homini poſſit à Superiore ſine ejus conſenſu diſpenſari? *Reſpondeo*, Si per tale juramentum acquiſitum eſt illi jus, utpotè quia acceptavit, non poſſe ſine ejus conſenſu diſpenſari, niſi aliundè ſubſit juſta cauſa. *Ratio eſt*: Quia nemo poteſt injuſtè privari jure ſuo. Undè notanter dixi (*niſi aliundè juſta cauſa ſubſit*) poteſt autem juſta cauſa ſubeſſe,

Primò, Ob bonum aliquod commune, ratione cujus Superior poteſt privare ſubditum jure ſuo privato, aut illud impedire.

Secundò, Si juramentum eſt factum cum turpitudine aliqua illius, cui juratum eſt, vel qui acceptavit, tunc enim privari poteſt jure ſuo in pœnam, ut ſi per vim, metum, injuriam, dolum extorſerit juramentum.

Tertiò, Ob abominationem perſonæ, cui factum eſt juramentum, ut quia excommunicatus, infidelis, &c. Sed iſtæ propriè non ſunt diſpenſationes, ſed pœnæ judiciales ab habente poteſtatem impoſitæ.

In diſpenſatione requiritur cauſa.

Petes ſecundò, An in omni juramenti diſpenſatione requiratur cauſa rationabilis? *Reſpondeo*, affirmativè. *Ratio eſt*: Quia diſpenſatio eſt poteſtas quædam ſpiritualis ordinata, adeoque non diſſipationem, ſed regularem uſum requirit: in hocque diſtinguitur à poteſtate ſuprema Dominativa, quæ ſine alio titulo juramenta irritare poteſt.

Petes tertiò, Quo jure poſſit juramentum factum Deo diſpenſari? *Reſpondes*, Jure Divino Eccleſiæ conceſſo. Eſt enim actus officij Paſtoralis Vicarijs ſupremi Paſtoris neceſſarius ad paſcendum gregem Domini. Hic nonnulli addunt quartum membrum, quod eſt Abſolutio à juramento, ſive juramenti relaxatio. Sed quia cum diſpenſatione, condonatione & irritatione concurrit, ſuperfluum iſtud quartum membrum mihi viſum eſt.

Dubium 7.

Quid de Iuramentis Capitulorum, Univerſitatum, Civitatum, Magiſtratuum, &c.

HUjus dubij reſolutio, etſi ex generalibus principijs ſuperiùs declaratis dependeat, hic tamen ſuperadditur explicationis gratiâ, quia videtur continere ſpeciales rationes dubitandi. Conſtat enim hujuſmodi juramenta ſuper aliquas Leges, Statuta, Placita & Conſuetudines cadere, quæ nullatenùs nec à nimine ſervantur, ſive quia contrario uſu videntur ſublata, ſive quia publica eorum obſervantia jam ceſſat, quocunque modo ceſſet, ità ut nullus ſit ad hujuſmodi reſpectus, ſcientibus & videntibus ijs, quos dicta juramenta concernunt.

Dupliciter Capitula jurant.

Pro acurata declaratione hujus difficultatis: *Advertendum eſt primò*, Juramenta prædicta Capitulorum, Univerſitatum, &c. dupliciter fieri: *Primò* Generaliter juramento cadente ſuper materia quadam univerſali: ut cùm Canonici jurant ſervare Leges, Statuta, Jura, Pacta, Privilegia, Libertates, Conſuetudines ſuæ Eccleſiæ, &c. *Secundò*, Particulariter & ſpecificè ſuper materia ſingulari ſingulariter expreſſa: ut cùm jurant ſervare hanc Legem vel Statutum in ſpeciali illud exprimendo: *Ex. g.* jurant Canonici ſervare Statutum de non admittendo in ſuum Capitulum ignobili, vel non graduato, vel ſe ſervaturos aliquod pactum, vel concordatum initum, aut ſe non gravaturos ſuum beneficium aliquâ penſione, &c.

Statuta quæ jam abrogata.

Advertendum ſecundò, Inter Statuta aliqua interdùm eſſe, quæ contrario uſu communi & conſuetudine ſunt abrogata, vel in ſui obſervantia multùm alterata, aut diminuta.

Adver-

Duplicia ſtatuta.

Advertendum tertiò, Inter leges, conſuetudines, ſtatuta: Alia includere materiam gravem, & eorum tranſgreſſionem cauſare deordinationem notabilem contra legem naturalem divinam vel poſitivam aut Eccleſiaſticam: Alia includere materiam levem, quorum tranſgreſſio non magni momenti reputatur.

Duplex ſtatutorū obligatio.

Advertendum quartò, Inter leges & ſtatuta: Alia tantum obligare ad pœnam impoſitam vel arbitrio Superioris imponendam: Alia etiam ad culpam reperiuntur, quæ docuimus *Tract. 1. de Legibus per totum.* His ita prænotatis ſit,

CONCLUSIO I.

Qualiter juramenta univerſitatum ſint interpretanda.

J*Uramenta generalia Univerſitatum, Capitulorum, Civitatum, Magiſtratuum, &c. interpretanda ſunt juxta rationem conſuetudinis, vel obligationis, aut uſus quo ſunt in præſenti tempore, quo juratur, vel quo communi uſu, & ſenſu tunc ſervantur, aut in futurum communiter ſervabuntur.* Ratio eſt: quia (ut ſuprà dixi) interdùm multa ſunt uſu, aut conſuetudine abrogata, vel alterata, & indies alterantur: imò juxta diverſas mutationes, & circumſtantias loci, temporum, eventuum, varias interpretationes, epikeias aut mutationes admittunt: Qui verò jurat, cenſetur intentionem ſuam & juramentum conformare materiæ juramento ſubſtratæ: Et ità, quæ legitimè abrogata ſunt, ſub juramentum non cadunt, quia verè tunc, nec Leges, nec ſtatuta reputantur: Quæ verò immutata ſunt, juramenti obligationi ſubjiciuntur. Denique cujuslibet ſtatuti, Legis vel conſuetudinis obligatio non aliter à juramento reſpicitur, quam ſuâ naturâ, & qualitate: ita, ut ſi obligabat ad mortale, tranſgreſſio juramenti ſit mortalis; ſi ſub veniali, venialis; ſi ſolùm ad pœnam obligabat, tranſgreſſio juramenti ſolâ pœnâ mulctabitur. Qualiter verò Legum, conſuetudinum, ſtatutorum obligatio abrogetur vel alteretur, videantur quæ *Tract. 1. hujus Tomi* ſunt dicta.

CONCLUSIO II.

Quid de juramentis ſingularibus.

J*Uramenta ſingularia, ſive de re ſingulari, ſemper in actu obligant juxta naturam & qualitatem ejus, quod ſingulariter juratur.* Nec in his locum habet abrogatio aut uſus contrarius, &c. *Explico*: Jurat Canonicus ſe ſervaturum aliquod pactum ſeu concordatum, ſe non ſuffragaturum ignobili vel non graduato. Juxta rationem obligationis, pacti, concordati, vel ſuffragii, tenetur juramentum ſervare, & ſi non ſervat, eſt perjurus: niſi conſtet de diſpenſatione, condonatione, vel irritatione legitima per præſcriptionem, non uſum inculpatum, aut ſimilibus modis: Scio multos huic concluſioni refragari, credo tamen certam eſſe, & contrariā ſententiam in veritate non ſubſiſtere. *Ratio mea eſt*: quia diſplicet Deo ſtulta promiſſio, & eò magis ſi juramento confirmetur. Stulta au-

Nota.

tem promiſſio, & conſequenter ſtultum juramentum eſt jurare & promittere quod non eſt, aut cui nulla obligatio ſubeſt, & maximè ſi ſcio id quod promitto, nec ſervari, nec me ſervaturum: Eſt enim potiùs Dei irriſio aſſumere nomen ejus, & ſacra Evangelia, ac poſtulare adjutorium ab eo in re quæ non eſt, & quam ſcimus nec nos nec Patres noſtros ſervaſſe aut ſervaturos: ſic enim juramentum concludere ſolent: *Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Evangelia*: In quo enim Deum fidelitatis tuæ fidejuſſorem & adjutorem facis? cùm ſcias & tibi conſtet id quod juras, non ſervari & conſequenter te ſervare ſaltem privativè nolle: Aliud non dicam, niſi, *Deus non irridetur.* Peccant certè qui juramenta talia poſtulant & fieri permittunt in manibus ſuis, ſcientes nil rei importare, peccant & qui ſcienter ea ſub juramento ſe ſervaturos promittunt, quæ ſervare non intendunt, eò quòd non ſervantur. Nec valet quorumdam hîc pia explicatio & excuſatio: nimirum talia juramenta emitti in obligationem conditionaliter vel contingenter futuram: nimirùm pro tempore, quo fortè illa obligatio urgebitur per aliquam reformationem: Etſi enim ita fieri poſſet, à parte tamen rei fictiones ſunt & velamina iniquitatis: cùm hoc ipſo, quò ſciunt ſe obligari, teneantur procurare ejus quod juraverunt obſervantiam: modò verò tantùm abeſt ut procurent, quin potiùs ſuper præſcriptionibus & abrogationibus jurium ſe tueri & fundare conantur non attendentes nullam poſſe currere fidem bonam contra id quod ſingulariter juraverunt ſuper Dei nomine & ſancto Evangelio.

Dixi (*niſi conſtet de diſpenſatione, condonatione, vel irritatione*, &c. His enim modis legitimâ ſubſiſtente poteſtate vel causâ juramenta diſſolvuntur, etiam permanente & durante Lege. Conſulerem ſanè potiùs abrogari ejuſmodi juramenta per ſummum Pontificem, aut eos, qui poteſtatem habent, quàm ſacrilegè continuari: Et hæc pro ratione noſtri inſtituti breviter ſint dicta.

Quæſtionem hîc aliqui proponunt: An dum quis jurat ſervare ſtatuta vel Leges ſimpliciter, juramentum ejus intelligatur de conditis tantùm, an etiam de condendis? Sed apud me certum eſt, ſi non addat de condendis vel faciendis, tantùm debere intelligi de conditis. Quare enim ſe obligabit ad id quod nondum eſt: maximè cùm Leges & Statuta non obligent niſi recipiantur. & quamvis cogeretur ea recipere & obſervare; non potuit tamen cogi jurare obſervationem eorum, maximè antequam eſſent, niſi velit & exprimat.

TITU-

TITULUS IV.

De votis & peccatis in transgreſſione votorum contingentibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit votum?

CONCLUSIO UNICA.

Definitio voti. **V***Otum eſt promiſſio valida facta Deo.*

Promiſſio ponitur pro genere definiti, dicitque voluntatem firmam & conſtantem ſe obligandi, ſive per verbum *promittendi* formaliter expsimatur, ſive per aliud æquipollens. Excluduntur per illam particulam alii actus, qui non includunt voluntatem ſe obligandi, ut ſunt bona propoſita quantumvis firma, actus bonæ voluntatis, actus boni deſiderii, actus ſingularis reſolutionis abſque promiſſione.

Dicitur (*facta Deo*) ad excludendas promiſſiones, quæ hominibus fiunt.

Quinque conditiones ad votum requiſita. Dicitur (*valida*) ad quam requiruntur quinque conditiones. 1. Ut ſit deliberata. 2. Ut ſit libera ſive ſpontanea. 3. Ut fiat cum intentione ſe obligandi. 4. Ut ſit de re poſſibili & grata Deo. 5. Ut promittens ſe poſſit obligare. Pro quibus omnibus ad magis diſtinctam doctrinam pono ſequentia Dubia.

Dubium I.

Quæ deliberatio requiratur ad valorem voti?

Deliberatio neceſſaria ad votum. **R***Eſpondeo*: Ad valorem voti requiri & ſufficere plenam deliberationem, quæ fit cum plena animadverſione rei quæ agitur, & quæ in materia prava ſufficeret ad peccandum mortaliter. Ita communiter Doctores: *Ratio eſt*: quia *votum* eſt lex quædam & ſervitus voluntaria, cui ſe ſubjicere non cenſetur, qui plenè non advertit quid agat.

Dixi (*quæ ſufficeret ad peccandum mortaliter*) Deliberatio enim ſufficiens ut nos obſtringat Diabolo per reatum culpæ, multò majori ratione ſufficere debet, ut nos obſtringat Deo per opus gratiæ.

Nota. Ex his *infero primò*, voluntatem in motibus *primò-primis* qui omnem animadverſionem præcurrunt, aut etiam in *ſecundò-primis* qui ſcilicet ſemiplenam tantùm animadverſionem continent, non ſufficere ad valorem voti, cùm nec ad peccatum mortale ſufficiant. Hinc ſi qui conſuetudine, impetu naturæ, vel motibus ſimilibus plenam animadverſionem præcurrentibus voveant, non obligantur voto, nequidem ſub veniali peccato; etſi enim ſemiplena animadverſio in materia prava poſſit peccatum veniale conſtituere, ut in motibus *ſecundò-primis*, non poteſt tamen obligationem etiam venialem inducere in votis: *Ratio* diverſitatis eſt: quia ad peccatum veniale ſufficit quævis negligentia & indirecta voluntas: Ad votum autem requiritur actus voluntatis directus & formalis, adeoque plena rei animadverſio.

Infero ſecundò, Votum factum ex paſſione, calore iracundiæ, timore vehementi, ſi talia erant ut turbarent rationis liberum uſum, & tollerent plenam advertentiam, invalidum eſſe. Si tamen animadverſioni & advertentiæ plenæ non præjudicent, validum erit votum: quia ſupponitur perfecta deliberatio, non obſtante animi vehementi paſſione.

Infero tertiò, Deliberationem iſtam non eſſe menſurandam diuturnitate temporis; breviſſimâ enim morâ plena advertentia haberi poteſt, quæ ad deliberationem ſufficiat, quod prudenti judicio æſtimandum relinquitur, juxta circumſtantias occurrentes.

Dubium 2.

Quæ libertas requiratur ad valorem voti?

R*Eſpondeo*, Libertatem illam ſufficere & requiri ad valorem voti, ut votum ſive promiſſio illa metu vel dolo injuſto non extorqueatur, & aliundè error ſive ignorantia voluntarium non tollat. *Libertas ad votum requiſita.*

Ex quo *infero primò*, Votum metu gravi & injurioſo extortum eſſe invalidum. Ita habetur *Cap. Prælatum.* & *Cap. Abbas de iis quæ vi, c. 6.* Ratio eſt: quia ut dicit *D. Bonav. in 3. D. 39. art. 3. quæſt. 2. Deus vult ſacrificia voluntaria, non coacta.* Undè Deus non cenſetur votum ſic factum acceptare, ne videatur approbator injuriæ, & iniquitatis: Quemadmodum enim in humanis nemo probus promiſſionem ſic injuſtè & injurioſè extortam acceptaret, quin potiùs talis promiſſio homini facta irrita cenſeretur & revocabilis à promittente; ſic multò magis in foro Dei cenſendum eſt, qui ſicut injurias iſtas non approbat, ſic nec extorſiones tali injuriâ factas. Et hæ rationes probant hanc invaliditatem eſſe de jure naturæ, ſive naturali divino, prout de juramentis ſuprà explicatum eſt. *S. Bonav. in 3. d. 39. art. 3. q. 2. ad 1.*

Dixi (*metu gravi*) Quæ gravitas expendi debet ex circumſtantiis & qualitate perſonæ voventis: Interdùm enim metus reverentialis ratione perſonæ & circumſtantiarum tantus eſt, ut æquivaleat imò prævaleat metui per minas & terrores graves excito, ut interdùm contingit inter filios-familias, qui plùs terrentur ſolo oculo & apprehenſione indignationis vel moleſtiæ parentum, quàm externis verberibus & periculis, quæ ſibi ab externis imminerent: quod praxis ipſa docet apud eos, qui ſub iſto timore educati ſunt. *Quis metus votum invalidet.*

Dixi (*injurioſè*) metus enim juſtè & rationabiliter incuſſus, vel ex naturalibus cauſis ortus, votum non irritat. Ut cùm quis vovet in morbo gravi, naufragio, mortis periculo; Vota iſta valida ſunt, quia ſui compendii gratiâ, *Nota.*

gratiâ, ut ſcilicet evadat, votum emittit & à periculo per voti compenſam ſe redimit. Similiter cùm metus ab homine juſtè incutitur, ut ſi judex reum vel damnet ad ſupplicium, vel cogat ut Religionem voveat, votum illud ſic emiſſum eſt validum: quia metus juſtè incuſſus eſt, & in favorem rei. Ità ſi maritus cogat uxorem Religionem vovere ſub comminatione quod deprehenſam in flagranti adulterio judici deferet, votum validum eſt.

Dixi (*extortum*) debet enim injurioſus ille metus incuti hoc fine ad extorquendum votum, ut illud invalidet. Undè ſi alio modo vel ſine incutiatur, votum validum erit *Ex g.* ſi ad evadendas manus Tyranni, Latronis, Sicarij, inimici qui mihi mortem minatur, voveam, illud votum validum erit.

Nota.

Infero ſecundò, Quòd quandocumque dolus, error, ſivè ignorantia verſantur circa conditiones eſſentiales, vel etiam accidentales quæ graviter objectum vel cauſam voti immutant, votum reddi invalidum in foro conſcientiæ: *Ex.g.* Vovet quis Gandavi exiſtens peregrinationem Compoſtellanam, quia falſò perſuaſus eſt non diſtare niſi centum milliaribus, aliàs votum non facturus, non tenetur voto. *Ratio eſt*: quia voluntas non fertur incognitum & communiter quod cognitum non èſt, voluntarium cenſeri non debet.

Dixi (*qua graviter objectum vel cauſam voti immutant*) ſi enim tantùm circa conditiones levioris momenti verſentur, votum non invalidabitur; quia ſupponendum èſt quòd quamvis fuiſſent cognitæ, vovens tamen voluntatem non mutaſſet.

Dubium 3.

Qua intentio requiratur ad valorem voti?

De intentione in vovente

RESpondeo, requiri & ſufficere intentionem explicitam vel implicitam ſe obligandi ad executionem ejus quod vovetur. Ità Doctores communiter.

Ex quo *infero primò*, obligationem voti non ferri ultra intentionem explicitam vel implicitam voventis, neque quoad executionem rei quæ vovetur, neque quoad durationem: *Ratio* eſt: quia actus agentium ex intentione non plùs obligat, quàm intentio ferat, & obligatio eſt quidam effectus ex intentione & voluntate voventis tamquam ex cauſa neceſſaria procedens, ejuſque naturam ſequitur. Undè quemadmodùm lex non obligat ultra intentionem legiſlatoris, ſic votum, cùm ſit lex quædam quam ſibi vovens imponit, ſequitur menſuram intentionis tam juxta extenſionem ad objecta, quàm juxta temporis durationem, quam ſibi vovens præfigit vel præfigere intendit.

Infero ſecundò, quòd ſi quis poſt votum veniat in cognitionem alicujus quod antè latebat, aut ad quod prudentium judicio ſua intentio non extendebatur dum voveret, ad illud non teneri: ut ſi quis *Ex. g.* voviſſet aſperam Religionem ingredi, quam tamen tempore quo parat ſe ad ingreſſum, invenit notabiliter relaxatam, non tenetur ad illam. *Similiter*, emiſit quis vota in Religione moderata ſive mitigata, in qua ſola eſſentialia obſervabantur: ſi poſtmodùm ſuccedant Reformationes illam Religionem multùm reſtringentes in ijs quæ eſſentialium obſervantiam non ſpectant, ad ea non tenetur. Nota.

Dixi notanter (*qua ad eſſentialium obſervantiam non ſpectant, ſivè neceſſaria non ſunt*) aliud enim eſt de ijs, quæ ad eſſentialium obſervantiam pertinent: qui enim eſſentialia vovit, & ad ea ſe obligare voluit, cenſetur etiam voviſſe ea quæ ad eorum obſervantiam ſunt neceſſaria, ut ſunt præcepta quæ eſſentialia modificant & determinant.

Adverte tamen quòd talis in Conventu ejuſmodi reformato habitans poſſit cogi aliud monaſterium ingredi; ubi ſola eſſentialia ſerventur: nam propter tales reformatio impediri non debet: quia perfectionis amor & tendentia ad illam ſtatui religioſo ità neceſſariò annexa eſt, ut ſi Religioſus perfectionis deſiderio & promotioni ſit contrarius (nimirùm; illi quæ Regulæ ſuæ eſt annexa) peccet mortaliter. Et hæc eſt omnium communis ſententia. Nota.

Dixi ſuperiùs (*obligationem non ferri ultra intentionem voventis explicitam vel implicitam*) non enim tenetur omninò formaliter & implicitè vovens apprehendere id quod vovet; ſed ſufficit, ut in æquipollenti apprehendat. Undè qui ſe ſimpliciter huic Religioni intendit obligare, intendit ſe obligare omnibus pertinentibus ad illam, juxta præceptorum & ſtatutorum rationem & naturam.

Infero tertiò, Intentionem vovendi, & intentionem ſe obligandi voto, etſi ab invicem metaphyſice ratiocinando diſtingui poſſint; non tamen ab invicem in re ipſa ſeparari; ſe invicem enim ponunt & ſublata invicem deſtruunt. *Explico*: quicumque habet intentionem vovendi, cenſetur habere intentionem ſe obligandi, & econtrà. *Similiter*: qui non habet intentionem ſe obligandi, non cenſetur habere voluntatem vovendi quidquid ſimulet aut dicat. Aliud eſt de eo, qui habet intentionem vovendi & ſe obligandi, non habet tamen intentionem exequendi quod vovit, ille enim veram obligationem contrahit ac verè vovet, peccatum verò committit, quia pravam voluntatem habet non implendi id ad quod ſe obligat. *Ratio eſt*; quia executio operis eſt poſterior obligatione; & obligatio ſine illa ſtare poteſt & de facto ſtare cenſetur. Nota.

Dubium 4.

Quæ cenſeatur materia grata Deo in votis?

Tria in materia voti requiſita.

RESPONDEO, Ut materia voti ſit grata Deo, tria ad valorem voti requiri. *Primùm*, ut ſit in poteſtate noſtra. *Secundùm*, ut ſit opus bonum. *Tertium*, ut ſit melius quàm oppoſitum.

Per *id quod eſt in poteſtate noſtra*, intelligitur id quod fieri poteſt ab homine communi concurſu & auxilio ordinario gratiæ Dei. Nam quæ poſſibilitatem hominis ſuperant, ac extraordinarium concurſum & auxilium gratiæ requirunt, ſub votum non cadunt. Ex. g. Non valet votum de nunquam venialiter peccando, quia homo cum ordinario auxilio non poteſt omne veniale peccatum evitare. Aliud eſſet, ſi quis voveret nunquam peccare mortaliter, hoc enim communi gratiæ auxilio fieri poteſt.

Per *opus bonum*, intelligitur etiam abſtinentia ab opere, ut jejunium, paupertas, caſtitas, denique omnis ceſſatio ab omni opere malo. Excluditur autem omne opus quod ex ſe malum eſt, aut quod, prout vovetur, ſine peccato executioni mandari non poteſt.

Pro cujus intellectu *adverte*, opus malum in voto dupliciter concurrere poſſe. *Primò*, ut eſt materia voti, aut aliquid pertinens ad executionem operis, quod per votum promittitur Ex. g. ſi quis voveat hominem occidere, aut eleemoſynam dare ut Deus faciat illum lucrari litem quam in conſcientia novit injuſtam: *Secundò*, quatenùs opus illud malum, eſt tantùm occaſio, vel cauſa motiva ad vovendum, nihil tamen confert ad ipſam materiam voti vel executionem operis, ut ſi quis voveat ingredi religionem ſi cadat in peccatum fornicationis, aut ſi duellum committat, vel in duello inimicum occidat: *item*, ſi quis voveat religionem, quia in ea lautè vivitur; ſi quis vult ædificare Monaſterium, quia indè ſperat magnam laudem. Super quibus pono has regulas generales.

Dupliciter malum in materia voti concurrit.

Regula Generalis 1.

Vovens opus malum peccat mortaliter.

QUandocumque *opus malum vel eſt materia voti, vel pertinet & conjungitur executioni operis, ſive illius rei quam quis vovet: votum irritum eſt & nullum, peccatque mortaliter qui ſic vovet.*

Regula 2.

QUandò *malum ſive malitia eſt tantùm occaſio & motivum voti, nec connexionem aliam habet cum opere & executione ejus, potiſque ſeparari, tunc votum in materia honeſta eſt validum.* Ratio prioris regulæ eſt: quia tale votum ſive opus ſine peccato executioni mandari non poteſt, ut in allatis exemplis manifeſtum eſt.

Rationes utriuſque regulæ.

Ratio etiam *poſterioris regulæ* eſt: quia malitia ipſa ſub votum non cadit, & abſque malitia opus executioni mandari poteſt. *Explico*: Etſi ſit malum fornicari, pugnare in duello, occidere inimicum; ingredi tamen religionem etiam horum occaſione eſt bonum, & velut in pœnam peccati. *Similiter*: etſi quis moveatur vana gloria ad ædificandum monaſterium; ædificatio tamen monaſterij bona eſt & à tali motivo poteſt ſeparari, niſi fortè in ſenſu compoſito quis voveret ædificare cum vana gloria, ità ut vana gloria eſſet objectum partiale voti, tunc enim totum opus reputaretur per ſe malum.

Dixi ſuprà (*peccare mortaliter qui malum vovet*) quod verum eſſe credo etiam in materia veniali ratione irreverentiæ & irriſionis, quâ quis Deo per modum gratitudinis promittit id quod novit illi omninò & poſitivè ingratum, quidquid aliqui dicant.

Petes: An opus indifferens cadat ſub votum? *Reſpondeo* opus indifferens, quatenùs & quamdiu eſt indifferens, non cadere ſub votum. *Ratio eſt*: quia nec eſt gratum nec ingratum, nec honeſtum nec inhoneſtum.

Dixi (*quatenùs & quamdiu eſt indifferens*) quia ſi referatur ad aliquem finem honeſtum, jam incipit eſſe opus bonum, & quamdiu finis ille honeſtus durat, tamdiu cenſetur opus bonum durare: ità ut ceſſante fine, ceſſet & opus bonum in ratione boni ſive honeſti: reviviſcente autem fine bono & honeſto, etiam opus indifferens de ſe in bonitate ſua reviviſcit. *Explico*: Joannes vovet non intrare domum Petri quia patitur ibi diſſidia aut turpes motus, aut periculo peccati ſe exponit, intrare domum eſt opus indifferens, non intrare eſt etiam indifferens: ſed non intrare ad evitandum periculum peccati, ex iſto fine honeſto fit opus bonum: quod ſi ſupponatur tale periculum aliquo tempore ceſſare, deſinente jam ratione honeſtatis, conſequenter materia voti deſinit: ſi autem poſt aliquod tempus iterùm reviviſcat periculum, reviviſcet etiam ſine dubio voti materia, & in opere bonitas.

Per *opus melius quam oppoſitum*, intelligitur opus quod talem bonitatem nanciſcitur, ut ceſſatio ab illo opere vel opus quod ei opponitur, non ſint meliora & Deo gratiora, quàm opus ipſum quod aliquis vovet. *Ratio eſt*: quia cùm promiſſio ſit quædam gratificatio, nemo congruè aliquid alteri promittit, cui gratiùs eſſet illud non fieri, aut oppoſitum ejus fieri. Hâc ratione ſimpliciter non licet vovere matrimonium: quia caſtitas matrimonio melior eſt. Dico (*ſimpliciter*) quia manente firmâ & conſtanti voluntate matrimonij, licet alicui vovere ducere pauperem puellam propter Deum; ſed tunc votum non tam caderet in matrimonium, quam in beneficentiam & opus miſericordiæ quod tali puellæ impenditur. Similiter non licet

Quod opus melius.

cet

cet vovete non ingredi teligionem: non mucuare pecnoiam indigenti: non dare eleëmoſynam, quia oppoſita meliora ſunt, & Deo magis grata.

Quo caſu liceat vovere matrimoniū?

Petes primò, an liceat vovere mattimonium ei qui non poteſt continere? *Reſpondeo*, ſi paratus ſic adhibere alia remedia ad refrenandam concupiſcentiam, non poteſt vovere matrimonium: Quia melius eſt uti alijs remedijs quàm matrimonio, utpotè, orationibus, ſacris communionibus, &c. Poſito tamen quòd nullum aliud remedium velit ſibi applicare, ſic matrimonium vovere poteſt: *Melius eſt enim nubere quàm uri.* Sed in in hoc caſu objectum voti eſt potiùs ratio remedij, quàm ipſum mattimonium: nec hic eſt comparatio inter oppoſita, ſed potiùs inter diſparata.

1. Cor. 7. verſ. 9.

Petes ſecundò, An liceat alicui vovere quòd non vovebit? *Reſpondeo* ſimpliciter non licere. *Ratio eſt*: quia melius eſt vovere, quàm non vovere.

Dico (*ſimpliciter*) quia alicui ſcrupuloſo, qui ſe intricat multis votis, licet, imò conſultum eſt vovere quod deinceps non vovebit, niſi re cum prudenti confeſſario examinatâ, imò niſi approbaverit confeſſarius. Hoc enim ipſi ſic conſtituto melius eſt, quàm vota multiplicare.

Notâ.

Licet vovere rem quæ eſt ſub præcepto.

Petes tertiò, An liceat vovere rem præceptam & alias debitam? *Reſpondeo* (quidquid alij dixerint) licere: hoc enim caſu præter obligationem quam res debita ſeu præcepta ſecum conjunctam habet votum ſic emiſſum inducit ſecundam obligationem titulo altero, ſcilicet ratione voti, ejuſque transgreſſio virtualiter culpam duplicem includit.

Dubium 5.

Quis poſſit voto ſe obligare?

Qui non poſſint vovere?

RESPONDEO; Etſi omnis homo ratione utens voto ſe obligate poſſit, nullus tamen qui alteri perfectè in omnibus, vel ſaltem quoad materiam voti ſubjectus eſt, vovere poteſt: ità ut votum ſic emiſſum taliter ſubſiſtat, quòd irritari & invalidari non poſſit. *Prior pars* ex natura rei manifeſta eſt. Cum enim omnis homo ratione utens, ſit aliquo modo Dominus ſuæ voluntatis, eſt etiam capax hujus obligationis. *Poſterior pars* ſic declaratur: quia vota eorum, qui alteri modis ſupradictis ſubijciuntur, ſunt velut conditionata, & ex interpretatione juris communis habent annexam hanc conditionem: *Voveo, ſi ſuperior vel is cujus intereſt, non contradixerit.*

Ex quo *infero primò*, religioſos etſi multa vovere poſſint, utpotè ea quæ regulæ vel præcepto ſuperioris aut monaſticæ diſciplinæ non adverſantur: omnia tamen vota eorum à ſuperiore irritari poſſe pro ſuo beneplacito & liberavoluntate, excepto voto ingrediendi religionem arctiorem, quod ratione perfectionis ſemper eſt in poteſtate religioſi. *Ratio eſt:* quia religioſus perfectè & in omnibus ſubijcitur ſuo ſuperiori, & totam ſuam voluntatem tranſtulit in voluntatem ſuperioris, ità ut ex communi ſenſu & uſu Eccleſiæ, ac interpretatione juris, hæc conditio ejus votis cenſeatur annexa (*niſi ſuperior contradixerit*) excipitur tamen votum ingrediendi religionem arctiorem: cùm enim hunc tranſitum etiam nolente ſupetiorè jura permittant, cenſentur religioſum in hoc à Prælato eximere, ità ut in hoc ſit juris ſui.

Votum ingrediendi Religionē arctiorem eſt liberum

De votis novitiorum.

Excipiuntur ab hac regula vota novitiorum, quæ non poſſunt à Prælato irritari, etſi poſſint ſuſpendi, in quantum executio talium votorum eſſet impedimento probationi. *Ratio prioris partis* eſt: quia nondum perfectè ſunt ſubditi. *Ratio poſterioris:* quia ex parte Prælati & temporis probationis juſta ſubeſt cauſa differendi executionem, & in omnibus, quæ ad probationem ſpectant, Prælato ſubijciuntur: Undè advertendum eſt, omnia vota à novitio facta in noviriatu reviviſcere ſi non profiteatur, etſi eſſent ſuſpenſa à ſuperiore; ſi tamen profiteatur; ex juris communis diſpoſitione in vota profeſſionis tamquàm meliora tranſeunt & commutantur.

Petes primò, An Prælatus poſſit irritare votum inferioris de non peccando mortaliter, aut de evitando aliquo peccato in ſpeciali?

Notâ.

Reſpondeo, Non poſſe, ita ut reddat materiam iſtam in effectu licitam: poſſe tamen irritare tollendo ſecundam obligationem, quâ quis aliàs obligatus ad vitandum peccatum altero veluti titulo voti ſe obligavit, quam ſecundam obligationem tollit irritatio prælati manente primâ.

Petes ſecundò, An Prælatus, ubi ſemel conſenſit & approbavit votum ab inferiore emiſſum, poſſit poſteà illud irritare? *Ratio* dubitandi eſt: quia votum conditionatum ſeu ſub implicita conditione emiſſum, nimirum: *ſi Prælatus non contradixerit*, jam per conſenſum videtur tranſiſſe in abſolutum.

Reſpondeò tamen Prælatum, etiam ubi ſemel conceſſit, votum poſteà irritare poſſe. *Ratio eſt*: quia per præſentem conſenſum non videtur ſe privaſſe ſuo jure & poteſtate quam in perpetuum habet ad irritanda vota ſubditorum, & in voto à ſubdito emiſſo includitur hæc conditio, *ſi non contradixerit*, nimirùm *aliquando*: unde ſicut liberè dedit in præſenti conſenſum, ſic ſibi reſervaſſe cenſetur ut toties quoties cauſa ſuberit poſſit conſenſum revocare, & proindè occurrente cauſa rationabili tum ipſe; tum ejus ſucceſſor poteſt tale votum irritare.

Dico tamen (*occurrente cauſâ rationabili*) utpotè, quia qui vovit ſit infirmus, aut quia voti executio ſucceſſu temporis illi nocet: ſine cauſa tamen credo irritare non poſſe, quia jam conſenſum dedit, & qui vovit in hoc facto ſui juris per conſenſum factus eſt, & poteſtas irritandi per datum conſenſum limitationem acceperit;

cepit. quamvis ob cauſas occurrentes cenſeatur rationabili voluntati ſuperioris ſubjectus.

Vota impuberum à quo irritentur.

Infero ſecundò, vota omnia impuberum à Patre, vel eo qui quaſi Pater eſt patriamque poteſtatem velut participat, irritari poſſe. Eſt communis ſententia, & colligitur ex *Cap. mulier 32. Quæſt. 3.* Et ex *cap. 1. de regularibus in 6.* Ratio eſt: quia jura ita diſpoſuerunt: attendendo utique, in impuberibus non eſſe tantam judicij maturitatem, voluerunt hanc ſemper conditionem intelligi in eorum votis, *ſi pater vel qui patriam poteſtatem habet non contradixerit.*

Quid de tutoribus.

Dixi (*vel eo qui eſt quaſi pater*) ut ſunt tutores, qui reſpectu minorum & pupillorum patriam poteſtatem cenſentur participare, adeoque impuberum vota irritare poſſunt, quod & alij credunt poſſe pædagogum ſivè minorum directorem, vel herum mortuo patre, quia videtur ſuccedere in locum patris: mater tamen, niſi ſit tutrix, hanc poteſtatem non participat mortuo patre, adeoque vota prolium impuberum irritare non poteſt.

Petes: An vota in impubertate emiſſa poſſint poſteà tempore pubertatis irritari? *Reſpondeo*, omnia vota ante pubertatem emiſſa, non tantùm in impubertate, ſed etiam tranſactis pubertatis annis irritari poſſe, *Ratio eſt.* Quia talia vota hanc ſemper conditionem annexam habent: ſi pater non contradixerit, quæ conditio tractu temporis non aufertur & ut ſuprà diximus, per ſe eſt illimitata.

Nota.

Dices: Quid ſi vota renovet poſt annos pubertatis: *Reſpondeo*, ſi votum renovet ex conſideratione prioris facti, in quantum priùs vovit, tunc ſemper irritari poſſe: quia poſterior renovatio ſequitur conditiones prioris voti, nec firmatur tractu temporis quod ante inviolabiliter non ſtetit: ſi tamen de novo voveret abſque ullo reſpectu ad prius votum, tunc tanquam novum votum à pubere miſſum teneret.

Vota puberum ſub poteſtate parentum.

Dixi porò notanter (*omnia vota ante pubertatem emiſſa*) vota enim puberum, qui ſub poteſtate patria aut quaſi patria manent, & ab illis poſt pubertatem ſunt emiſſa non poſſunt à parentibus vel tutoribus, niſi quatenus diſciplinæ familiæ, & patriæ poteſtati obſunt, irritari. Undè vota religionis, caſtitatis, ſacrorum ordinum, precum, confeſſionis, communionis & id genus ab illis emiſſa irritari nequeunt; ſecùs eſſet de votis multorum jejuniorum, longarum peregrinationum, &c. quæ familiari diſciplinæ incommoda eſſent: in his enim etiam puberes patriæ poteſtati, vel capiti familiæ ſunt ſubjecti, & illorum executio domeſticum regimen reſpicit.

Nota.

Vota realia puberum.

Infero tertiò, vota realia puberum, utpotè diſpoſitionem bonorum temporalium, &c. irritari poſſe uſque ad vigeſimum quintum ætatis annum. *Ratio eſt:* quia filius ante talem ætatem etiam in ſucceſſione & adminiſtratione bonorum ſub parentibus & tutoribus eſt: niſi tamen haberet bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia, de quibus diſponere poſſet; tunc enim vota de ſimilibus facta à parentibus vel tutoribus irritari non poſſunt.

Vota ſervorum.

Infero quartò, vota ſervorum quæ Dominorum obſequio & famulatui aut juri, quod in ſervos habent, adverſantur poſſe à Dominis irritari, idque pro tempore quo ijs ſubduntur: cætera autem vota quæ obſequio & juri Dominorum non repugnant, irritari non poſſunt. *Ratio* eſt: quia in prioribus illis omninò ſervi ſubduntur juri Dominorum & ſui juris non ſunt: unde ſi quis ſervus voveret jejunia, peregrinationes, legere Horas Canonicas, audire ſingulis diebus Miſſam, ex quibus redditur minùs aptus ad obſequium Domini, aut certis horis impeditur ejus famulatus & Domini libertas, utpotè, quia omni tempore famulus præſtò non eſt; talia omnia irritari poſſunt juxta voluntatem & arbitrium Dominorum. Aliud eſt de nonnullis, quæ ad famulatum ſunt impertinentia: ut ſervandi caſtitatem, non ſe inebriandi, evitandi aliquod peccatum in ſpeciali, talia enim irritari non poſſunt, cùm famulatus & obſequij Dominorum non ſint impeditiva.

Dixi (*pro tempore quo ei ſubduntur*) quia vota quæ faciunt intentione obſervandi illa poſt ſervitutem, quandò jam ſui juris erunt, à Dominis irritari non poſſunt, ſed tantùm ſuſpendi.

Vota conjugum.

Infero quintò, maritum poſſe omnia vota uxoris irritare, quæ ipſi, prolibus, vel rei familiari incommoda videntur: uxor etiam illa viri vota irritare poteſt, quæ debito & juri matrimoniali grave incommodum præſtant.

Ratio prioris partis eſt: quia in iſtis omnibus *Caput mulieris eſt vir*; unde mariti poſſunt irritare vota jejuniorum, longarum precum, quotidianæ communis, peregrinationis, largarum eleëmoſynarum quatenùs vel debito matrimonij, vel adminiſtrationi domeſticæ, vel libertati quam habet in uxorem, impedimentum præſtant.

Dixi porrò (*Quæ prolibus, vel rei familiari incommoda ſunt*) non enim videtur maritus poſſe irritare ea vota in quibus vel quorum exercitio uxor non eſt ſubdita viro: ut ſi uxor voveret dare eleemoſynam de ſuis paraphernalibus, recitare aliquas breves preces, vitare aliquod peccatum, quidquid dicant nonnulli. *Ratio eſt*: quia uxor verè non eſt famula, ſed ſocia, & quamvis viro ſubdita ſit ſubjectione domeſticâ & œconomicâ, in qua quilibet quantumvis ſubjectus jus aliquod ſibi competens poſſidet: non eſt tamen ſubdita ſubjectione herili. Undè ſi aliquod dominium bonorum caſtrenſium, &c. in puberibus admittatur, multò magis admittenda eſt in uxore, quæ (ut dixi) eſt ſocia & mariti adjutorium collaterale. Unde & dictum eſt ſuprà, *uxorem poſſe irritare vota aliqua viri*, quia & in virum aliquod jus & poteſtatem habet, ut exigendi debitum & conjugalem ſocietatem: hinc ſi vir voveret debitum

non

non reddere, uxor votum irritare poſſet: *Item* ſi voveret longa jejunia, auſteritates, inſolitos actus qui illum ineptum redderent ad debitum conjugale & officia domeſtica, aut mutuam ſocietatem notabiliter violarent, ipſa ſine dubio illa irritare jure valeret.

Nota. *Petes:* An uterque conjux mutua vota continentiæ mutuo conſenſu emiſſa irritare poſſit? *Reſpondeo* quòd non. *Ratio eſt:* quia uterque juri ſuo ad debitum exigendum vel reddendum per mutuum conſenſum ceſſit. Undè illi reſtitui non poſſunt, niſi per ſuperiorem auctoritatem & diſpenſationem.

Dubium. 6.

An quis poſſit alterum voto ſuo obligare?

SEnſus dubij eſt. An *v. g.* pater filium, teſtator hæredem, prædeceſſor ſucceſſorem obligare poſſit voto ſuo?

Votum triplex. Hic triplex votum diſtinguendum eſt: ſcilicet *perſonale, reale* & *mixtum*.

Votum perſonale. *Perſonale* eſt: quo aliquid promittitur, quod ſolam perſonam contingit, ut eſt aliqua ejus actio vel omiſſio: talia ſunt vota jejunandi, certas orationes legendi, ingrediendi religionem, proficiſcendi ad ſacram militiam.

Votum reale. *Reale* eſt: quo res aliqua externa promittitur: ut ſolvere decimas, dare Eccleſiæ calicem, ædificare monaſterium, &c.

Votum mixtum. *Mixtum* eſt: quo utrumque, nimirùm actio vel omiſſio, quæ perſonam contingunt, & res aliqua externa promittitur, ut eſſet votum peregrinandi ad S. Mariam Hallenſem offerendo ibi calicem vel curando celebrari aliquas Miſſas. His prænotatis,

Reſpondeo primò: votum perſonale non obligat niſi perſonam voventis, adeoque ad alium non poteſt extendi abſque illius conſenſu. *Ratio eſt:* quia votum perſonale eſt ſolùm de actionibus à perſona vovente exercendis, vel omittendis, ergò ad alios extendi nequit: quod ſic declaratur: nemo poteſt alium legitimè obligare niſi in ijs in quibus plenariam poteſtatem habet ſuper eum, ſed nemo poteſt plenariam poteſtatem independentem habere in actiones ab alterius arbitrio dependentes: ergò non poteſt alium ad eas obligare. Ex quo *inſero:* Nota. patrem qui devovit filium ſuum religioni, vel vovit filium quotannis initurum peregrinationem propter ſanitatem recuperatam, aut comitaturum in albis veſtimentis, nudis pedibus, proceſſionem divæ Mariæ Hallenſis, &c. virtute hujus voti filium obligare non poſſe, *Filius non obligatur ad paterna vota perſonalia.* niſi filius ad adultam ætatem perveniens in votum patris conſentiat. Quare canones & concilia maximè *Toletanum 4. cap. 48.* quæ docent: filios paterno voto religioni devotos, ratione hujus voti obligati, religioni, nec poſſe ad ſæculum reverti, intelligenda ſunt ſub hac conditione, modò filius ad adultam ætatem perveniens libere conſentiat, ſivè conſenſum ſuum paterno voto accomodet, ut expreſsè habet Gloſſa *C. addidiſtis:* Et ità decernitur à Cæleſtino *Cap. cùm ſimus de regularibus.*

Dices: poteſt moriens pater multa præcipere filio ad quæ obligabitur filius: ergo ſub eadem obligatione poteſt præcipere ut exequatur vota ſua perſonalia. *Reſp. Neg. conſeq.* poteſt enim præcipere quæ ad domeſticam gubernationem, conſervationem familiæ, obſervationem mandatorum Dei pertinent, non autem ea quæ excedunt & ſupererogatoria ſunt, ut eſt obligatio voti.

Addo: Quamvis materia voti perſonalis eſſet Nota. de eis, quæ pater poteſt præcipere filio, obligationem filij fore tunc ex vi præcepti, non ex virtute voti.

Petes: Ad quid ergò tenetur pater qui ſic devovit filium ex vi illius voti? *Reſpondeo* teneri dumtaxat, quantùm in ſe eſt inducere filium ut conſenſum ſuum voto ſuo accommodet, & ad hoc ipſum educare: hoc enim generale eſt in omnibus promiſſis, quæ de aliorum actibus fiunt, obligare promittentem, ut quantùm in ſe eſt, alium inducere conetur ad promiſſos actus exercendos.

Reſpondeo ſecundò, votum reale poſſe à vovente extendi ad alium in quem ratione materiæ *Vota realia parentum &c. poſſunt ad filios extendi.* voti poteſtatem habet. Ita pater filium, teſtator hæredem obligare poteſt, ut perpetuo det eleëmoſynam quam vovit, ut tali Eccleſiæ calicem offerat, ædificet monaſterium, &c. Imò generaliter hæredes ad omnia vota realia teſtatoris vel parentis obligantur, ſi tamen bona relicta ſint ſufficientia ut votis ſatisfiat. *Ratio eſt:* quia vota realia computantur inter debita, & qui ſuccedit bonis tenetur ſatisfacere debitis.

Adverte tamen quòd obligatio iſta hæredis non eſt propriè obligatio ex voto proveniens, ſed partim obligatio juſtitiæ, partim fidelitatis, quia qui hæreditatem acceptat & adit, tacito quodam pacto ſe ad onera obligat: in radice autem ex parte teſtatoris eſt obligatio religionis, quia hoc onus impoſitum hæredi occaſione voti procedit.

Reſpondeo tertiò, votum mixtum quâ parte *Votum mixtum ſequitur rationem partium.* perſonale eſt, non extendi ultra perſonam voventis: quâ parte tamen reale eſt: etiam ad hæredem tranſire. *Ratio* eſt eadem quæ ſuprà in duabus reſponſionibus. Undè ſi teſtator vovit peregrinationem cum obligatione calicis, tenetur quidem hæres ad oblationem calicis, non tamen ad peregrinationem, ſi non conſenſit in illam.

Petes: quid ſi quis voveret peregrinationem Nota. per ſe vel per alium adimplendam? *Reſpondeo primò,* qui ſimpliciter vovet peregrinationem, nil aliud formaliter intendendo aut exprimendo non teneri per alium illam adimplere: undè ſi legitimè impeditur ceſſat obligatio, ità quòd, quamvis per alium illam faceret nihilominùs ceſſante impedimento, per ſe adimplere deberet.

Reſpondeo ſecundò, qui vovet expreſsè peregrinationem per ſe vel per alium, in eo caſu ſi ipſe non poſſit vel nolit adimplere, tenetur illam per alium exequi. Porrò hæres illo decedente, ſi votum adimpletum non fuerit, tenebitur ſumptus alteri præſtare ad illam peregrinationem, quia ex ea parte votum reale eſt, & vovens, ſi per ſe votum non adimpleat, cenſetur ſe obligaſſe ad ſumptus alteri præſtandos, niſi alter gratis peregrinationi ſatisfacere velit, aut ſumptus remittat.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit votum?

Votum duplex.

VAriæ referuntur voti diviſiones, quarum præcipuas ſubijcio. Prima itaque voti diviſio, eſt in *abſolutum* & *conditionatum*.

Votum conditionatum duplex.

Abſolutum dicitur; cui nulla admixta eſt conditio. *Conditionatum*: quod ab aliqua conditione dependet.

Porrò *Votum conditionatum* ſubdividi ſolet: in conditionatum *ſimplex*, & in conditionatum *pœnale*. Conditionatum *ſimplex* eſt: cui præter conditionem nulla pœna imponitur: ut voveo intrare religionem, ſi Deus me à naufragio vel infirmitate liberaverit. Conditionale *pœnale* eſt: Quandò terminus voti eſt aliqua pœna ſub conditione ſubeunda: ut, ſi me inebriavero vel iterùm in fornicationis peccatum incidero, voveo me jejunaturum ſingulis ſabbathis anni.

Votum ſolemne.

Secunda diviſio eſt in votum *ſolemne* & votum *ſimplex*. Votum *ſolemne* dicitur: quod auctoritate publicâ Eccleſiæ ſuſcipitur & ſolemnizatur, eſtque ordinariè ſuſceptioni ſtatus immutabiliter conjunctum, ut vota religioſæ profeſſionis, votum caſtitatis in ordine ſacro.

Votum ſimplex.

Votũ *ſimplex* eſt: quod privatâ voluntate fit, & in quo non intervenit publica Eccleſiæ acceptatio. Diſtinctionem aliam adferunt Theologi, nimirùm: quod *votum ſimplex* contineat tantùm promiſſionem; *votum* autem *ſolemne* etiam traditionem cum auctorizata & ſolemni acceptatione Eccleſiæ, quæ diſtinctio in idem recidit cum priori.

Votum expreſſum & tacitum.

Tertia diviſio voti eſt in *expreſſum* & *tacitum*. Votum *expreſſum* eſt: quod fit expreſſis verbis vel ſignis. *Tacitum* eſt: quod tacitâ quâdam intentione voventis fieri cenſetur ut votum caſtitatis in ordine ſacro.

Quarta diviſio eſt in *perſonale*, *reale*, & *mixtum*: de qua diviſione egimus quæſtione ſuperiori.

Quinta diviſio eſt in *temporale* & *perpetuum*. *Temporale* eſt; quod certo temporis termino definitur. *Perpetuum* eſt: quod ex intentione voventis perpetuo durat, ſeu nullo clauditur termino.

QUÆSTIO III.

An vota omnia in conſcientia obligent, & quali obligatione?

CONCLUSIO I.

Duplex titulus obligationis in voto.

V*Ota omnia in conſcientia obligant duplici titulo, nimirum fidelitatis & religionis.* Ratio *prioris tituli* eſt. Quia vota ſunt eſſentialiter promiſſiones; omnis autem promiſſio acceptata jure fidelitatis promittentem obligat, ergò & vota titulo fidelitatis obligant. *Ratio poſterioris tituli* eſt. Quia omne opus bonum Deo nuncupatum ad ejus cultum & reverentiam, religionis virtutem induit, atqui vota ſunt promiſſiones & obligationes quædam factæ Deo ad ejus cultum & reverentiam; ergò titulo religionis obligant. Undè Matth. 5. dictum antiquis refertur: *Reddes autem Domino juramenta tua*: apud Eccleſiaſten cap. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio* Et Pſalm. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Deut. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et ſcriptura ubique plena eſt iſto cultu votorum, quæ Deo nuncupantur & ad religionis virtutem referuntur.

Matth. 5. verſ. 33. Eccleſ. 5. verſ. 3. Pſalm. 75. verſ. 12. Deuter. 23. verſ. 21.

CONCLUSIO II.

Unde voti qualitas ſumenda.

Q*Ualitas obligationis voti interpretanda primum venit ex intentione voventis, deinde ex materia voti.* Ratio eſt: quia cùm ſit onus à vovente ſibi voluntariè & proprio arbitrio impoſitum, non cenſetur excedere intentionem ejus, ſicut nec lex excedit intentionem & mentem legislatoris. *Secundò*, ſuppoſitâ illâ intentione, obligatio conformari debet materiæ, ita ut ex gravitate aut levitate materiæ iſta obligatio menſuranda ſit. Ut autem hæc concluſio in omnibus ſuis partibus particulariùs declaretur, infraſcripta dubia ſubijcio.

Dubium 1.

An dubius de ſua intentione vovendi vel voto, teneatur ad illud?

Quinque dubia in voveo.

A*Dvertendum*, hominem multipliciter dubitare poſſe circa ſuum votum. 1. An de facto voverit? 2. An votum ex parte materiæ ſubſiſtat & validum ſit? 3. An intentionem ſufficientem ad ſe obligandum habuerit? 4. An plenum uſum rationis habuerit & deliberationem ſufficientem ad vovendum? 5. An votum fuerit ante annos pubertatis emiſſum, ità ut irritari poſſit? juxta hanc dubiorum multiplicitatem pono duas reſolutiones generales.

Reſolutio

Digitized by Google

Reſolutio 1.

Notà. QUando adhibitâ debitâ diligentiâ morali quis remanet dubius de ijs quæ ex parte voventis eſſentialiter requiruntur ad votum, non obligatur voto, ſed ab obligatione ejus, etiam manente dubio, liber eſt. Ratio fundamentalis eſt: quia *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: qui autem dubitat de eſſentialibus voti, quamdiu dubitat, cenſetur libertatem ſuam poſſidere, quia nimirùm illâ per aliquem actum certum non eſt ſpoliatus.

Dices: In dubiis tutior pars, ſivè ſemita eſt amplectenda, ſed tutior pars in dubio circa votum eſt adimplere votum, ergo hæc pars eſt eligenda. *Reſpondeo primò neg. minorem*: Tutius enim eſt & ab occaſione peccati remotius, non obligari quam obligari. *Reſpondeo ſecundò*; in hoc caſu duplex debere notari dubium. Unum eſt de ipſo voto: an nimirum ſit legitimè emiſſum? alterum eſt: an ſtante hoc dubio quis obligetur? *Dico* itaque remanente dubio de voto vel valore voti, poſſe judicium rationis in ſecundo dubio (*An obliget vel non*) reſolvere practicè non obligare: undè quoad poſterius non remanet quis dubius, ſed reſolvit practicè ſe non teneri ad iſtiuſmodi dubij voti adimpletionem, ſed ſibi liberum eſſe agere etiam contra illud. Ex qua reſolutione colligitur: quòd ſi de voto ipſo legitimè emiſſo dubitetur, ſive: *An quis de facto votum emiſerit?* Et, *an deliberate & cum pleno uſu rationis, vel cum ſufficiente intentione voverit?* Et, *an ante pubertatis annos emiſerit, ità ut irritari poſſit?* In his omnibus in favorem dubitantis judicandum eſſe non obligari. *Ratio eſt*: quia quamdiu non conſtat de eſſentialibus voti poſitis ex parte voventis, cenſetur dubitans non eſſe ſpoliatus ſuâ libertate, adeoque liber remanet.

Reſolutio 2.

Notà. QUando conſtat de voto ex parte voventis, & dubitatur tantum de legitima materia voti, dubio remanente poſt diligens examen, judicandum eſt in favorem voti; & eum qui ſic dubitat obligatum eſſe. Ratio eſt: quia eo ipſo quin ex parte ſua adhibuit, quæ ſunt neceſſaria ad votum, jam ſuâ libertate ſpoliatus eſt, & jus ſivè obligatio voti contra illum poſſidet: ità, ut quamdiu manet dubium de materia, teneatur votum adimplere, aut ſaltem ab omni actu voto contrario ceſſare, &c. vide quæ de conſcientia dubia diximus *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Tit.* 4. *Quæſt.* 4.

Dices: Quid ſi dubitetur: an materia ſit peccaminoſa? *Ex. g.* Joannes de certis bonis vovit dare eleëmoſynam, ſed dubius manet, an alia bona ſint verè ſua, utpotè, quia litigioſa ſunt? *Reſpondeo*, obligari habitualiter ad votum, non tamen actualiter ad executionem donec ſibi conſtet, an verè bona ſint ipſius?

Dubium 2.

An votum in quacumque materia etiam leviſſima obliget ad peccatum mortale?

AFfirmant nonnulli in caſu quo res etiam leviſſima eſt tota voti materia. *Ex. g.* Si quis voverit legere unum *Ave Maria*, ſi omittat, ajunt peccare mortaliter. Notà. Moventur ex eo quòd fiat gravis irreverentia Deó, cui ſi res quantumcumque parva voveatur, videtur irrideri ſi ei non præſtetur. Adferunt exemplum de eo, qui jurat falſum etiam in mendacio tantùm officioſo. *Item*: De eo: qui mentitur in confeſſione etiam ſuper materia peccati venialis, ſi illud ſit tota materia confeſſionis.

Reſolutio 3.

REſpondeo nihilominus: *votum, ut ex parte materia obliget ad peccatum mortale requirere materiam vel ex ſua natura, vel ex circumſtantijs gravem: alias in materia levi, quantum eſt ex parte materia, obligare tantùm ad veniale.* Datur in voto levis materia. Ratio eſt: quia in materia virtutis religionis ſivè cultus Dei, ubi aliud non obſtat, reperitur majus & minus; magna & parva irreverentia, magna & parva injuria, ergò & in materia voti, quæ in ratione voti formaliter ſive quatenùs Deo nuncupatur, juxtà rationem virtutis religionis expendi debet. Undè & ſuprà in materia fidei, ſpei & charitatis venialia etiam peccata reperiri docuimus.

Nec eſt paritas in exemplis allatis: qui enim jurat mendaciter etiam in mendacio officioſo jurat falſum, & Deum teſtem falſitatis facit: Reſponſio ad argumenta. quod de ſe eſt graviſſima Dei injuria: undè, ſi tantùm in re parvi momenti juret & verum juret, ob parvitatem materiæ & levem irreverentiam tantùm venialiter peccat. *Similiter*: qui in materia peccati venialis, mentitur in confeſſione, ſi illa eſt materia tota Sacramenti, mortaliter peccat non ratione materiæ peccati venialis in ſe; ſed ratione ſacrilegij, quia nulla reſtat materia quæ abſolutioni Sacramentali ſubijcitur.

Dixi in reſolutione (*quantùm eſt ex parte materia*) aliud enim dicendum eſt de obligatione voti ratione intentionis voventis. Super quo addo dubium ſequens.

Dubium 3.

An obligationis gravitas vel levitas in voto poſſint ſolâ intentione voventis determinari?

SEnſus dubij eſt: an in materia gravi poſſim ex intentione reſtricta vi voti me obligare ad ſolum peccatum veniale, aut econtra in materia levi ad peccatum mortale? *Item*: an ex intentione ſimili poſſim me ex vi voti

ſolum obligare ad aliquam pœnam, & non ad culpam?

Reſolutio 1.

Votum ſequitur intentionem voventis.

EX *intentione reſtricta in materia gravi poteſt vovens ſe obligare, ſive reſtringere obligationem voti ſui ad venialem culpam tantum.* Ex. g. poteſt quis vovere ſe jejunaturum quadraginta dies, ità tamen ut velit ſe tantùm obligari ad peccatum veniale, caſu quo tranſgrediatur votum. *Ratio eſt*: quia ut frequenter ſuperiùs dictum eſt, votum eſt quædam privata lex ex intentione & arbitrio voventis ſibi impoſita, ergò ultra ejus intentionem & arbitrium non obligabit, ſicut nec lex obligat ultra intentionem legislatoris.

Dices: Ergò poterit quis emittere votum caſtitatis ſe obligando tantum ad veniale. *Reſpondeo* distinguendo: ſi enim intelligatur de ſimplici voto caſtitatis, concedo conſequentiam, quia ſimplex votum conditionatum eſſe poteſt, nec obligat ultra particularem intentionem voventis à qua dependet: unde qui tranſgrederetur ſimplex votum illud caſtitatis reſtrictum ex intentione ad veniale, ratione præcepti in materia gravi caſtitatis peccabit quidem mortaliter: ratione tamen voti ſic emiſſi peccabit tantùm venialiter. Si verò votum ſit ſolemne, cùm ex ſua natura & inſtitutione Eccleſiæ ſit abſolutum, à ſola voluntate & intentione voventis non pendet, & omnis conditio in eo pro non appoſita cenſetur; aut certè ſi vovere non intendit juxta Eccleſiæ inſtitutionem votum invalidum erit in ratione voti ſolemnis, quia conditionem ab Eccleſia poſitam emiſit. (*Nota.*)

Reſolutio 2.

VOtum *in materia omnino levi tam ex natura ſua, quàm ex fine & circumſtantijs, non poteſt etiam ex intentione voventis obligare ad peccatum mortale.* Hanc puto probabiliorem. Et ratio mea eſt: quia obligatio voti non tantùm pendet ex intentione voventis; ſed etiam ex acceptatione ejus cui vovetur, vel cui fit promiſſio: unde cùm talis promiſſio ſic emiſſa ſtulta & irrationabilis cenſeatur, utpotè, quia ejus materia talis obligationis eſt incapax, dicendum eſt illud non acceptari à Deo tamquàm obligans ad mortale: *Diſplicet enim ei ſtulta promiſſio.* (*Nota.*)

Dixi (*in materia omninò levi tam ex natura ſua, quàm ex fine & circumſtantijs*) materia enim levis naturâ ſuâ, ex fine & circumſtantiis gravis fieri poteſt, ut in multis contingit: ut docuimus Tom. 1. de materia peccati venialis. (*Eccleſ. 5. verſ. 3.*)

Dices: Si quis voveat rem levem cum conſcientia obligationis ad mortale, & votum tranſgreſſus fuerit peccabit mortaliter: ergò tale votum vere obligat ad mortale. *Reſpondeo* Neg. conſeq. Non enim peccabit ratione obligationis ex voto, ſed ratione conſcientiæ erroneæ, quia ſe obligari credidit.

Reſolutio 3.

Votum merè pœnale.

POteſt *quis votum emittere quod primariò & directè obliget tantum ad pœnam.* Ratio eſt ſumenda ex dictis: quia votum in ratione voti non obligat ultra intentionem voventis, poteſt autem vovens intendere ſe obligare ad ſolam pœnam. Et tale eſt votum monialium tertij ordinis S. Franciſci, quo vovent vivere ſecundum regulam datam à Leone X. pontifex autem declarat præter tria vota eſſentialia, nihil in dicta regula obligare ex vi voti & regulæ ad culpam; ſed ſolùm ad pœnitentias impoſitas, quas quæ illam vovent tenentur acceptare & adimplere. Ergò: quæ dictam regulam vovent, vi voti ad ſolas pœnas obligantur. Dixi (*primario & directè*) ſecundariò enim & indirectè ad aliquam culpam obligari poſſent, utpotè: ſi ſtante voto, de pœna vel pœnitentia ſubeunda ratione tranſgreſſionis, nollent tranſgreſſione commiſſâ pœnam ſubire: Hæc enim nolitio implicitum mendacium continet contra factam promiſſionem de pœna ſubeunda.

Dubium 4.

An circumſtantia votorum ſub obligationem cadant?

SEnſus dubij eſt: an qui vovet, teneatur etiam ſub peccato adimplere omnes circumſtantias voti ſui? (*Obligatio ad circumſtantias voti.*)

Reſolutio 1.

QUando omnes *circumſtantiæ ſunt æqualiter intentæ à vovente, votum factum ad omnes circumſtantias obligat, attentâ tamen gravitate circumſtantiarum & poſſibilitate executionis.* Ex. g. Si quis voveret peregrinationem pedeſtrem pedibus nudis, diſcooperto capite, cum jejunio, &c. determinatè & æqualiter illa omnia intendens, ad omnes circumſtantias teneretur, & ſi contingeret illi impoſſibilitas ex parte unius circumſtantiæ *Ex. g.* nuditatis pedum teneretur nihilominùs ad cæteras implendas.

Dixi (*attentâ gravitate circumſtantiarum*) ſicut enim in principali materia voti attenditur gravitas & levitas ad diſcernendam obligationem, ſic in circumſtantijs attendenda eſt.

Reſolutio 2.

SI *vovens voveat principaliter unam circumſtantiam, & cæteras per modum acceſſorij, ceſſante principali ad acceſſorias non tenetur.* Explico: ſi quis voveret ingreſſum religionis in tali monaſte- (*Nota.*)

monaſterio ſimpliciter propter ſpecialem & ſingularem complacentiam quam habet in illo, ſi non pateat ei acceſſus ad illud monaſterium, non tenetur ſimpliciter intrare religionem. *Ratio eſt*: quia intendit ſpecialiter tale monaſterium & non aliud: cætera autem habent ſe per modum acceſſorij & concomitantis.

Reſolutio 3.

Nota.

S*i vovens intentione ſuâ circumſtantias voti non determinet, ſed ſimpliciter in actum principalem feratur: tunc circumſtantiæ veniunt in obligationem voti juxta modum & naturam, quo principalem actum comitari ſolent, & tenebitur vovens ad circumſtantias, quæ rem ex natura ſua circumſtant; non tamen ad alias.* Explico: ſi quis vovet ſimpliciter & abſolutè virginitatem, ſtacto virginali clauſtro tenetur ad caſtitatem, quia in virginitate caſtitas per ſe includitur. *Item*: qui vovet jejunium vovet & circumſtantias ejus, quibus juxta Eccleſiaſticas leges ratio jejunij eſt conſtituta. Et: qui vovet audire Miſſam vovet & attentionem in Miſſæ auditione requiſitam.

Dixi (*non tamen ad alias*) ut ſi quis vovet ingredi religionem, non cenſetur, vovere caſtitatem, paupertatem, &c. quia nimirùm hæc non ingreſſum religionis, ſed profeſſionem contingunt.

Reſolutio 4.

Nota.

QUi *adhibitâ morali diligentiâ verè dubitat: an voverit aliquam voti circumſtantiam, nec poteſt ex verbis aut intentione certitudo erui, liber eſt ad eligendam quamcumque partem, etiam minùs rigoroſam.* Explico: qui vovit roſarium, dubitat autem an voverit quindecim decadum, aut ſex, aut tertiam partem roſarij? poteſt eligere tantùm tertiam partem roſarij & ſatisfacit voto. *Item*: qui vovit caſtitatem, ſed dubitat an voverit caſtitatem in religione, an verò extra religionem? poteſt quodvis eorum eligere.

Item: qui vovit religionem dubitat autem an voverit tantùm ingreſſum, an etiam profeſſionem? quodvis eligat. *Item*: qui vovit dare oleum pro Eccleſiæ luminaribus, non tenetur ad optimum, ut oleum olivarum, ſi non expreſſit, aut verè dubitat an expreſſerit. Simile eſt de eo qui dubitat de quantitate rei quam vovit, utpotè, quia eam non expreſſit, iſte liber eſt in eligenda quantitate. *Ratio* omnium horum eſt: quia *melior eſt conditio poſſidentis*: is autem qui dubitat poſſidet ſuam libertatem, quamdiu non probatur eâ ſpoliatus reſpectu illarum circumſtantiarum.

Nota. De fine voti.

Petes: An circumſtantia finis in voto cadat ſub obligationem voti? *Ex. g.* Si quis vovit ingredi religionem ductus amore & affectu prædicandi hæreticis, vel eundi inter infideles aut martyrium ſubeundi, an teneatur ingreſſus religionem ea præſtare? *Reſpondeo* finem externum non cadere ſub obligationem voti, & in exemplo allato voventem ad iſta non teneri, niſi formaliter in voto ea intenderit. *Ratio eſt*: quia finis externus habet ſe tantùm per modum motivi, nec rem ipſam neceſſariò concomitatur. Dixi (*niſi formaliter intenderit ea vovere*) qui enim non tantùm moveretur zelo eundi inter infideles ad vovendum ingreſſum religionis, ſed etiam formaliter & æqualiter voveret ire inter infideles, ſine dubio ad id obligaretur ex vi voti præcisè, ſivè quantùm eſt ex parte ſua; poſſet tamen ſuperior quilibet poſt profeſſionem votum irritare, quia eò ipſò quo religioni ſe addixit, totum ſe tradidit diſpoſitioni & voluntati ſuperioris.

QUÆSTIO IV.

Quandò & quamdiu vota obligent, & qualiter ceſſet eorum obligatio?

CONCLUSIO I.

V*Otum negativum abſolutè factum pro ſemper & ad ſemper obligat, etiam eo ipſo inſtanti quo emiſſum eſt juxta materiæ capacitatem & circumſtantias concomitantes.* Ratio eſt, quia votum negativum ſequitur naturam præcepti negativi, quod ad ſemper, & pro ſemper obligare dignoſcitur. *Votum negativum quo tempore obliget?*

Dixi (*abſolutè factum*) quia ſi reſtrictè fiat, non obligat niſi juxta rationem reſtrictionis: ut ſi quis voveret non inebriari in dominica vel feſto die, iſtis tantùm diebus cenſeretur obligari voto illo.

Dixi (*juxta capacitatem materiæ & circumſtantias*) quia interdum materia & circumſtantiæ continuationem illam ceſſationis ab actu non admittunt; ut ſi quis vovisset non ſtudere, talis non cenſeretur obligari ſemper à ſtudio vacare; ſed tantùm quandò ſtudium eſſet ipſi occaſio peccandi, vel majoris boni impeditivum: his enim ſublatis, non ſtudere, eſt res indifferens aut minus bona, quæ ideò ſub votum non cadit, & conſequenter eo tempore, quo aliàs ſub votum non caderet, non obligat voventem ad ipſius obſervantiam.

CONCLUSIO II.

V*Otum affirmativum ſtatim quidem obligat, tempus tamen executionis ejus debet ſumi ex intentione voventis, aut ex prudenti arbitrio, ac circumſtantijs executionem concernentibus*: undè vota affirmativa, quæ abſolutè ſiunt, obligant primo tempore opportuno, quæ autem cum aliqua conditione & reſtrictione, ſequuntur naturam illius conditionis vel reſtrictionis. *Votum affirmativum quo tempore obligat.*

CON-

CONCLUSIO III.

Quinque modi quibus voti obligatio ceſſat.

QUinque ferè modis ceſſat obligatio voti, nimirùm ceſſatione materiæ, ceſſatione vel immutatione conditionis aut circumſtantiæ, irritatione, commutatione, diſpenſatione. De quibus infràſcripta dubia ſubjicio.

Dubium 1.

Quandò vota cenſeantur ceſſare ob materiæ ceſſationem?

Ceſſatio voti ex parte materiæ.

REſpondeo, tunc dicuntur ceſſare vota ob materiæ ceſſationem, quandò materia, quæ priùs erat legitima, fit poſteà illegitima, aut deſinit eſſe in ſe, aut deſinit eſſe materia voti vel ſimpliciter vel reſpectu facto ad voventem: ut ſi deſtruatur, ſi fiat impoſſibilis, ſi mala, ſi majoris boni impeditiva, ſi indifferens, ſi inutilis, quorum exempla ſunt unicuique ad manum.

Dubium 2.

Quandò vota ceſſare dicantur ceſſante vel mutatâ causâ, conditione & circumſtantiâ?

REſpondeo, tunc cenſentur ceſſare vota ceſſante conditione: quando aliqua in voto conditio aut circumſtantia ceſſat aut ità immutatur, ut intentionem voventis omninò alterare & juſtè rationabiliter immutare cenſeatur.

Nota.

Ex quo *infero primò*, ceſſante causâ finali ceſſare etiam obligationem voti, non tamen ceſſante aliquo motivo ſecondario. *Ex. g.* vovit Joannes ſingulis diebus Petro pauperi eleëmoſynam dare ad ſublevandam ejus inopiam, interim Petrus fit dives, ceſſat votum ejus, quia ceſſat finis voti qui erat inopiæ ejus ſublevatio.

Dixi (*non tamen ceſſante motivo ſecundario*) ſi enim finis principalis maneat, parùm eſt de mutatione motivi ſecundarij, & obligatio voti cenſetur manere. *Ex. g.* Joannes vovet dare eleëmoſynam ſingulis diebus Petro pauperi ex motivo quòd Eccleſiæ alicui deſerviat: ſi Petrus relinqueret Eccleſiæ ſervitium, Joannes nihilominùs teneretur ad votum: quia Eccleſiæ ſervitium fuit tantùm motivum ſecundarium: primarius autem finis voti erat ſublevatio inopiæ Petri, quæ perſeverare ſupponitur.

Notanda omnia uſque ad finem.

Infero ſecundò, Quandoeſt mutatio tanta in circumſtantia aut conditione voti: ut ſi à principio fuiſſet, voti valorem vel obligationem impedivisſet, tali mutatione ſuperveniente, aut votum aut ejus obligatio ceſſat. Sumitur ex lege *Pluribus* §. *Etſi placeat. ff. De verb. obligatione*, ubi dicitur extingui obligatin ſi in eum caſum inciderit, à quo incipere non poteſt. *Ratio* fundamentalis eſt: quia in votis iſta conditio ſemper ſubintelligitur: in quantum id quod vovetur eſt licitum, rationabile, & moraliter poſſibile.

Undè *adverte primò*, mutationem illam debere fieri in ordine ad poteſtatem voventis, & non tantum in ordine ad voluntatem ejus: manente enim ipsâ re poſſibili, regulariter ſemper remanet obligatio, etiamſi voluntas totaliter ab ea advertatur. *Explico* de eo qui vovit caſtitatem vel religionem, ubi tamen experitur ſuam fragilitatem vel religionis auſteritatem, pœnitentiâ ducitur, & velut voluntatem priorem retractat, & ſi hanc auſteritatem in principio expertus fuiſſet, non voviſſet; non obſtante tali retractatione voti & apprehenſione contrariâ, ipſe voto manet obligatus.

Adverte ſecundò, gravem incommoditatem & periculum etiam mortis non liberare ab obligatione voti, ſi tale periculum præviſum fuerit aut prævideri debuerit, quia tunc eſt virtualiter intentum, ut ſi quis voviſſet ſervire infirmis in Hoſpitali, etiamſi timeretur contagio adveniente peſte, & eſſet imminens periculum mortis, non liberaretur à voto, quia illud prævidere debebat, & aliàs hujuſmodi pericula talia ſervitia concomitantur: unde vota Carthuſianorum de non comedendis carnibus, dicunt quidam etiam in periculo mortis obligare, quia obligationem & periculum prævidere debuerunt.

Adverte tertiò, Impedimentum vel mutationem gravem alicujus circumſtantiæ, (prout ſuprà dictum eſt) etſi perpetua non ſit, liberare ab obligatione voti tempore quo durat; ità ut ſi aliquandò ceſſet, modò tamen intra tempus voto determinatum, obligatio voti reviviſcat.

Infero tertiò, Votum factum ad tempus determinatum, ſi tempus determinatum fuit ad finiendam obligationem, tempore illo exacto non ampliùs obligare, nec voventem teneri ad ullam compenſationem: ut ſi quis vovit audire verbum Dei tali Dominicâ, jejunare feriâ ſextâ talis hebdomadæ, iſtis diebus tranſactis, ſi votum iſtud non impleverit, poſtea non obligatur.

Dixi (*ſi tempus determinatum fuit ad finiendam obligationem*) ſi enim tantùm ſit ad non differendam ulteriùs executionem voti, ut ordinariè fit in votis realibus, tunc etiam tranſacto illo tempore, non ceſſat obligatio: quemadmodum enim debitor obligatus ſolvere ad certum diem, ſemper manet obnoxius debito, quamdiu non ſolvit; ità & is qui vovit tali genere voti: *Ex. g.* ſi quis voverit unâ hebdomada dare eleëmoſynam pauperi, ſi iſtâ hebdomadâ id non fecerit, tenetur poſteà præſtare, quia (ut ſupponitur) votum non erat ſimpliciter reſtrictum ad hebdomadam illam; ſed tantùm ſpecificativum, ut non differretur ulteriùs, & aliàs votum illud in eleëmoſynam principaliter ferebatur.

Dubium

Dubium 3.

Quis & quandò poſſint vota commutari?

Quid commutatio voti? ADverte commutationem voti nihil aliud eſſe: *quàm condonationem obligationis ejus cum onere obligationis ad id quod in commutatione imponitur.*

Reſolutio 1.

V*Nuſquiſque poteſt ſuâ propriâ auctoritate vota ſua in melius commutare.* Ita communiter Doctores. *Ratio eſt*: quia melius ſemper continet eminenter in ſe minus bonum, & conſequenter ſolutio melioris ſolutionem minoris boni, & ut in *cap.* 2. *de jurejurando* dicitur: *Propoſitum ſive promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat.* *Cap. pervenit 2. de jurejur.*

Quid æſtimetur melius in voto? Porrò illud dicitur melius, non quod præſtantius aut excellentius eſt; ſed quod Deo gratius. Undè qui vovit geſtare cilicium aut jejunare, non poteſt propriâ auctoritate illud in orationem commutare, etſi oratio præſtantior ſit: quia non conſtat, an oratio Deo ſit gratior cilicio, vel jejunio. Ad hoc ergò ut quis propriâ auctoritate votum commutet, debet illi ſine tergiverſatione conſtare votum in melius commutari; & ità qui vovit mappam dare Eccleſiæ, poteſt illam commutare in calicem, vel ornamentum majoris pretii: Et generaliter omnia vota perſonalia poſſunt commutari in votum religionis propriâ auctoritate.

Nota. *Dices primò*, commutatio votorum pertinet ad auctoritatem ſuperiorum, nec poteſt quiſquam eſſe judex in propria cauſa. *Reſpondeo*, in hoc auctoritatem ſuperiorum eſſe manifeſtam: ſimiliter & conſenſum partis cui facta eſt obligatio: cenſetur enim ſuperior, ſi rationabiliter velit, hoc ipſum velle. Et manifeſtum eſt Deum ſemper à nobis gratiora expoſtulare. Et hoc ſenſu interpretandæ ſunt aliquæ leges Eccleſiaſticæ quæ contrarium innuere videntur.

Nota. *Dices ſecundò*, quid ſi ſit æquale vel minus bonum? *Reſpondeo*, ſi ſit æquale vel minus bonum, commutationem auctoritate propriâ fieri non poſſe, *Ratio eſt*: quia non conſtat an erit æquè gratum Deo, & aliàs vovens ſe aſtrinxit ad unum; nec hic apparet cauſa interpretationis voluntatis Dei ſicut in meliori bono.

Nota. *Petes primò*: An poſſit propriâ auctoritate commutari votum factum in favorem unius Eccleſiæ, in aliquid melius quod ſit in commodum alterius? *Reſpondeo*, ſi votum illud ab Eccleſia, in cujus favorem factum eſt, aliquo modo acceptatum ſit, non poſſe: quia jam cenſetur illi Eccleſiæ, in cujus favorem erat factum, jus acquiſitum, & non eſt ampliùs in poteſtate voventis: ſi tamen Eccleſia, in cujus favorem votum emiſſum erat, necdùm acceptarit, poteſt vovens ſimpliciter tale votum in melius propriâ auctoritate commutare in alterius Eccleſiæ commodum. *Ratio eſt*: quia ſupponitur quòd Eccleſia prima nullum jus in rem *Voti* ſibi acquiſiverit, utpote, quia promiſſio ab illa acceptata non eſt, & aliàs Deo, cui propriè factum eſt votum, eò gratior res alteri Eccleſiæ oblata cenſetur, quò melior erit.

Petes ſecundò, an qui vovit ingredi religionem, poſſit commutare votum in Epiſcopatum, cùm Epiſcopatus ſit ſtatus perfectionis? *Reſpondeo* non poſſe. Iſta expreſſè prohibet pontifex *cap. penultimo de voto*: volens, ut qui vovit religionem, ſi ad Epiſcopatum eligatur, priùs ſatisfaciat voto ſuo. *Ratio* eſt: quia Epiſcopatus non eſt majoris perfectionis, eò quòd hominem in Epiſcopatu perfectiorem reddat, ſed quia ſecundùm rectum ordinem hominem perfectiorem, & in ſuperioribus perfectionibus Hierarchicis ſublimem requirit & poſtulat.

Reſolutio 2.

V*Ota novitiorum perſonalia poſſunt durante probatione à ſuperiore in exercitia probationis commutari.* Ratio eſt: quia (ut ſupra diximus) poſſunt totaliter ſuſpendi ut toto noviciatus tempore actu non obligent, ergò multò magis commutari.

Reſolutio 3.

Q*Uicumque poteſt in voto diſpenſare poteſt & illud commutare, ſive poteſtas ſit ordinaria ſive delegata.* Eſt communis. *Ratio* eſt: quia commutatio nil eſt aliud quàm minor diſpenſatio, ergò quicumque poteſt diſpenſare ſimpliciter, multò magis poteſt commutare, quia minus eſt. *Qui commutare poſſint vota.*

Reſolutio 4.

Q*Ui poteſtatem habet commutandi vota, debet illa commutare in æquale vel ferè æquale, aut ſaltem quod adeò notabiliter minus non ſit.* Ratio eſt: quia commutatio nihil eſt aliud quàm tranſitio quædam de uno onere in aliud, in favorem ejus qui vovit: unde ex una parte requiritur quædam æquitas, quia actus juſtitiæ eſt: Ex altera verò parte, quia in favorem voventis ſit, eſt actus benevolentiæ, & ideò debet fieri in aliquid quod aliquo modo onus alleviet, non autem tollat: ità tamen ut ſit in aliquod rationabile commodum ejus, in cujus favorem ſit. Æquale onus vocamus quod juxta prudentis arbitrium cenſetur æquè gratum Deo, non autem æque grave aut aſperum: ſic longæ peregrinationes ritè commutantur in jejunia, crebras communiones, confeſſiones & id genus. *Modus commutandi vota.* *Nota.*

Porrò non tantùm vota realia commutantur

tur in realia; ſed etiam in perſonalia, ſicut & perſonalia in realia poſſunt commutari.

Reſolutio 5.

Cauſa commutationum. C*Auſa commutationis non debet eſſe tanta, quanta diſpenſationis.* Ratiò patet ex terminis: in commutatione enim ſuccedit ferè par aut æqualis obligatio: in diſpenſatione autem tota obligatio tollitur abſque adæquata compenſatione. Undè *infero*: quod ſi commutatio voti fiat in melius, nulla alia cauſa requiritur, quàm voluntas ejus qui vovit: ſi autem in æquale, ſufficit propenſio major voluntatis & devotio in illud æquale: ſi in minus, ſufficit gravis moleſtia in implendo voto, aut fragilitas ſive periculum illud infringendi.

Nota. *Petes*: An factâ commutatione, poſſit quis redire ad ſuum votum prius? *Reſpondeo* affirmativè. *Ratio eſt*: quia commutatio facta eſt in favorem ejus qui vovit, cui favori quando vult, renuntiare poteſt.

Dubium. 4.

Quid ſit diſpenſatio voti, à quo & qua de cauſa fieri poſſit?

Reſolutio 1.

Quid diſpenſatio? D*Iſpenſatio voti nihil aliud eſt, quàm condonatio totalis obligationis voti facta ab habente poteſtatem, idque ratione juſtâ & rationabili hoc poſtulante.*

Dico (*Condonatio totalis obligationis*) ut diſtinguatur contrà commutationem, quæ non tam condonat aut relaxat, quàm debitum unum in aliud tranſigit & commutat.

Dico (*ab habente poteſtatem*) poteſtas autem hæc diſpenſandi in votis, Eccleſiæ conceſſa eſt
Math. 16. verſ. 19. cap. 16. Matth. *Tibi dabo claves Regni cœlorum: & quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. & c. 18.
Idem c. 18. verſ. 18. *Quæcumque alligaveritis*, &c. *Quæcumque ſolveritis*, &c. in quibus verbis diſtiontiva, *quæcumque*, generalis eſt, relata ad omnia vincula quæ poteſt homo contrahere in ordine ad Deum: quemadmodum enim Deus ad utilitatem populi commiſit poteſtatem ſolvendi vincula culpæ & pœnæ: non minùs neceſſarium fuit paſtorali regimini ut poteſtatem committeret ad ſolvenda vincula votorum, juramentorum & promiſſionum, ubi juſta & rationabilis cauſa id poſtulat.

Reſolutio 2.

Penes quē poteſtas diſpenſandi reſideat. O*Rdinaria poteſtas diſpenſandi in votis reſidet in ſummo pontifice in ordine ad totam Eccleſiam reſpectu omnium votorum etiam juratorum. Epiſcopi autem eamdem poteſtatem ordinariam habent reſpectu ſubditorum in omnibus votis, quæ ſummo pontifici non ſunt reſervata: denique prælati majores religionum (qui quaſi Epiſcopalem participant reſpectu ſuorum religioſorum) eamdem poteſtatem habent in ſuos religioſos quoad diſpenſationem votorum, quam habent Epiſcopi in ſubditos.*

De ſummo pontifice, res extra dubium eſt. Succedit enim Petro, cui datæ ſunt Claves Regni Cœlorum, & cui dictum eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Math. 16.

De Epiſcopis etiam: quia ſuccedunt Apoſtolis quibus dictum eſt Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quia verò poteſtas Epiſcoporum, qui ſuccedunt Apoſtolis, dependet à Petro, id eſt à ſummo pontifice in Hierarchia Eccleſiaſtica, ideò reſervatio ſummi pontificis poteſtatem Epiſcoporum in actu ſecundo reſtringit. Math. 18.

De Prælatis majoribus Religionum conſtat ex jure communi poſitivo Eccleſiæ. Cùm enim poteſtatem quaſi Epiſcopalem ſibi in ſuos communicatam habeant: quidquid poteſt Epiſcopus in ſubditos, hoc poteſt Prælatus major in ſuos Religioſos. Prælatos majores voco Generales Ordinum, Provinciales, Abbates abſolutos, &c.

Petes primò, Quæ ſint vota reſervata Papæ? *Reſpondeo*, duo præcipuè aſſignari, nimirùm *caſtitatis integræ & perpetuæ, & religionis approbatæ.* Vota reſervata Papæ. Alij addunt *vota peregrinationis ad limina Apoſtolorum, Compoſtellam & Ieruſalem*, quam *ultramarinam* vocant.

Dixi (*Caſtitatis integra*) ſunt enim vota caſtitatis velut partialia, quæ ab Epiſcopis diſpenſari poſſunt; ut eſt votum non fornicandi, Sacros Ordines ſuſcipiendi, non petendi debitum, non nubendi. *Item*: votum virginitatis, ſi vovens per illam nil aliud intendat niſi integritatem Clauſtri. *Ratio* verò omnium horum eſt: quia hæc vota omnimodam caſtitatem non includunt: qui enim vovet non fornicari, non vovet ſimpliciter caſtitatem, cùm poſſit nubere. *Similiter*: Qui vovet non petere debitum, non vovet integram caſtitatem, quia poteſt reddere debitum, *Iterùm*: qui vovet non nubere, ſi fornicetur, non peccat contra votum caſtitatis, ſed tantùm contra præceptum *non mœchaberis.* Iterùm: qui vovet ſuſcipere ſacros Ordines non vovet ſimpliciter caſtitatem: quia caſtitas eſt tantùm acceſſoria dicto Ordini. *Denique*: qui vovet virginitatem ſub ſola integritate clauſtri, effracto clauſtro, non ampliùs tenetur iſto voto, quæ omnia ſigillatim notanda ſunt. Nota.

Dixi (*Religionis approbata*) vota enim Religionis à ſancta ſede non approbatæ poſſunt ab Epiſcopo diſpenſari, *Similiter*, vota partialia Religionis poſſunt interdùm in aliqua parte ſui ab Epiſcopo diſpenſari: ut ſi quis voverit Religionem ſtrictiorem, poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare in aliquo rigore Religionis, ut nimirùm moderatam Religionem Nota.

gionem intret. De cæteris votis peregrinationum credo Epiſcopos poſſe in illis diſpenſare ex uſu communi & interpretatione juſta, ideo de illis non ago: Videtur enim uſus contra reſervationem præſcripſiſſe.

Petes ſecundò, An in nullo caſu poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto perpetuæ caſtitatis? Poſſe in voto caſtitatis temporalis, utpotè, ſi votum factum eſt limitatè ad decem, viginti, triginta annos, certum eſt; ſed quæſtio eſt de voto perpetuæ caſtitatis. *Reſpondeo* aliquos communiter referri caſus, in quibus poteſt Epiſcopus in voto perpetuæ caſtitatis diſpenſare.

Quando poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis.

Primus caſus: Quando quis poſt emiſſum ſimplex votum caſtitatis contraxit matrimonium, & conſummavit: ut enim petat debitum. Epiſcopus cum illo in voto caſtitatis perpetuæ diſpenſare poterit. *Similiter*: Etiamſi matrimonium necdum conſummaſſet: cùm enim conſummare non poſſit debitum exigendo ſive etiam reddendo abſque ſui voti violatione; nec ex altera parte detur ſic juncto receſſus à contractu matrimoniali niſi per profeſſionem religioſam; Epiſcopus cum illo diſpenſare poterit in voto, ut reddendo debitum abſque peccato matrimonium conſummare valeat. *Ratio eſt*: quia cùm Eccleſia tale matrimonium prohibeat, cenſetur non velle ut in voto diſpenſetur; quia tamen tale votum matrimonium non dirimit, cenſetur velle ſic junctis provideri. Verùm ſi quis perpendat hujuſmodi diſpenſationem, notabit clarè non eſſe diſpenſationem abſolutam & directam in voto; ſed tantùm in petitione & exigentia debiti conjugalis: ſemper enim, qui caſtitatem vovit, ad illam tenetur ſaltem in habitu: mortuâ enim conjuge, votum in actu reviviſcit. Ideoque hæc diſpenſatio non cenſetur afficere votum reſervatum, nec includere diſpenſationem.

Secundus caſus eſt: Quando uterque conjux pari conſenſu voverunt continentiam; poſt emiſſum autem votum ſunt in continuo periculo incontinentiæ, poteſt Epiſcopus cum talibus diſpenſare. *Ratio* eadem eſt quæ prioris caſus: quia non cenſetur tunc totaliter diſpenſare; ſed tantùm pro tempore quo matrimonio conjuncti ſunt: Si enim matrimonium per mortem alterius partis diſſolvatur, jam qui voverat ad ſervandam caſtitatem tenetur, reviviſcente meo priori obligatione.

Tertius caſus eſt: Quando qui caſtitatem vovit in magno incontinentiæ periculo verſatur, nec patet aditus ad Papam vel ejus Legatum niſi admodum difficilis, conſideratâ perſonâ voventis & aliis circumſtantiis. Tunc enim Epiſcopus diſpenſare poteſt ex communi interpretatione & Epikeia: In tanta enim difficultate non cenſetur Pontifex velle impedire ordinariam poteſtatem Epiſcopi.

Quartus caſus eſt: Quando votum caſtitatis eſt tantùm acceſſorium, tunc enim Epiſcopus diſpenſans in principali, cenſetur etiam in acceſſorio diſpenſare: ut diſpenſans cum eo qui vovit ſuſcipere ſacros Ordines, cenſetur diſpenſare in caſtitate perpetua annexa Ordinibus ſacris. *Ratio eſt*: quia qui vovit Ordines ſacros ſuſcipere, non vovit actu caſtitatem annexam, ſed tantùm habitu. Neque enim vovetur illa caſtitas, niſi cùm Ordo actu ſuſcipitur. Poteſt autem Epiſcopus diſpenſare in omni voto antequam actu obliget: ut in voto caſtitatis conditionalis ante impletam conditionem, ut ſtatim dicetur.

Quintus caſus eſt: Quando votum eſt conditionale, & conditio necdum impleta eſt: ut ſi quis voveat perpetuam caſtitatem ſi de morbo convaluerit; antequam convaleſcat, poteſt Epiſcopus in tali voto diſpenſare. *Ratio eſt*: quia tale votum abſolutum non eſt, nec actu obligat ante adimpletam conditionem. Nec eò uſque votum completum & perfectum vocari poteſt.

Sextus caſus eſt: Quando votum eſt disjunctivum, ſive ſub disjunctione propoſitum: *Ex. gr.* Voveo vel caſtitatem perpetuam, vel jejunium perpetuum: Cum enim qui ſic vovet poſſit alterutrum eligere, electo jejunio poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare, & conſequenter tunc ad perpetuam caſtitatem non tenebitur.

Septimus caſus: Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto pœnali, ſive quòd in pœnam futuri peccati eſt aſſumptum, etiamſi illud votum ſit caſtitatis & religionis. *Ex. gr.* Vovet quis, ſi fornicatus fuerit, in pœnam ſe caſtitatem ſervaturum, aut religionem ingreſſurum: poſtquam fornicationis peccatum commiſerit, poteſt Epiſcopus cum illo in voto caſtitatis & religionis diſpenſare. *Ratio eſt*: quia tantùm cenſentur Papæ reſervata vota abſoluta, ſive plenâ & abſolutâ voluntate emiſſa: Talia autem vota verè non ſunt abſoluta; ſed ab eventu contingenti, & à voluntate ſecundùm quid dependent, ac velut conditionem ſuſpenſam includunt. Deindè reſervationes ſunt juris ſtricti & odioſi; idcircò ſtrictè interpretandæ & velut odia reſtringendæ. Undè & generaliter *dico*: In votis conditionalibus, quæ, ſi eſſent abſoluta, pro reſervatis haberentur, etiam poſt impletam conditionem licere Epiſcopis diſpenſare. *Ex. gr.* In voto quo quis vovit religionem, ſi Deus eum à naufragio eripiat. *Ratio eſt*: quia voluntas tunc non eſt abſoluta, nec votum plenè voluntarium, ſed aliquid involuntarii admixtum habet: Sola autem vota libera & abſoluta cenſentur reſervata, ut dictum eſt. Nota.

Reſolutio 3.

Poteſtas Confeſſariorum Ord. mendicantium in votis.

C*Onfeſſarij Ordinum mendicantium, & qui cum illis participant, habent poteſtatem delegatam diſpenſandi in omnibus votis, in quibus diſpenſare* *poſſunt*

poſſunt Epiſcopi, ſolaque illa quinque ſuprà citata ab eorum poteſtate excipiuntur. Conſule compendium privilegiorum. Undè quod aliqui dicunt illis peregrinationes ultra duas dietas exceptas, exceptio illa per Pontifices poſteriores eſt abolita uti in eodem compendio videre eſt.

Reſolutio 4.

Juſtæ cauſæ diſpenſationum. Juſtæ cauſæ diſpenſationis ſunt ſequentes. 1. Vtilitas Eccleſiæ. 2. Honor Dei. 3. Vtilitas gravis voventis. 4. Fragilitas ejus admodum periculoſa. 5. Levitas, inconſideratio, inconſtantia, timor, animi perturbatio in vovendo & id genus, in quibus cauſis diſpenſatio fieri poterit.* Adverte tamen rariſſimè Confeſſarios debere diſpenſare in toto, ſed ſemper imponere debent aliquam obligationem, ſaltem ad aliquod tempus, juxta prudens arbitrium.

Quæſtio etiam hic longiſſima à nonnullis movetur: *An Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis?* Et quidem nonnulli ita ferventer docent id non poſſe fieri, ut malint vel negare hiſtorias, in quibus tales diſpenſationes factæ leguntur, vel etiam admittere in Pontificibus diſſimulationes parùm congruas, imò & graviſſima in perſonis quæ dicuntur diſpenſatæ peccata, quàm poteſtatem diſpenſandi in Summo Pontifice agnoſcere. Præcipuum autem fundamentum eorum eſt: quia iſta ſententia; *Quòd Pontifex non poſſit in voto ſolemni caſtitatis diſpenſare,* definita eſt in Cap *Cùm ad monaſterium de ſtatu monachorum* ubi dicitur: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* (C. Cùm ad monaſterium de ſtatu monach.) Verùm breviter *reſpondeo:* (Reſponſio) Pontificem Summum poſſe in voto ſolemni caſtitatis ex cauſa juſta diſpenſare. *Fundamentum* meum eſt in verbis Chriſti ad Petrum: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* (Matth. 16. v. 19.) Qui enim *Quodcumque* dicit, univerſa vincula comprehendit. Et hiſtoriæ, quæ paſſim factum probant, non admittunt aliam interpretationem niſi contortam.

Quod ſpectat ad dictum *Cap. Cùm ad monaſterium,* in ſenſu compoſito intelligendum eſt. Neque enim in ſenſu compoſito religioſus manens religioſus poteſt eſſe abſque voto & cuſtodia caſtitatis: Summus Pontifex autem cùm diſpenſat in voto caſtitatis, etiam abſolvit diſpenſatum à ſtatu religionis: ita ut religioſus non maneat, ſed ſæcularis fiat.

Reductio brevis peccatorum, quæ in transgreſſione voventium occurrunt.

Advertendum igitur eſt: Omnia peccata voventium ad tria capita reduci: Aut enim peccant in modo vovendi; Aut peccant in materia voti. Aut denique peccant in transgreſſione voti. Super quibus pono tres Regulas generales.

Regulæ generales.

De peccatis in modo vovendi.

Regula 1.

Quicumque fictè Deo vovet, non habens voluntatem votum adimplendi, mortaliter peccat. (Votum fictum.) Ratio ſumenda eſt ex quadam virtuali irriſione Dei & irreverentia: quaſi Deus, qui cor hominis intuetur, falli poſſet.

Regula 2.

Quicumque ob malum finem votum Deo emittit, peccat mortaliter. (Votum ob malum finem.) Ratio eſt: quia injurioſè & ſacrilegè fidelitatem ſuam ipſi Deo nuncupat & obſtringit ad ejus offenſam. *Exempli gratiâ* Qui promitteret Deo ſe Eccleſiam intraturum ut ibi fornicaretur, vel quòd daret eleëmoſynam pauperi mulieri eo fine, ut ejus libidinoſos affectus ſibi devinciret. Quæ omnia vix evenire poſſunt: niſi rariſſimè, & in caſibus valde abſtruſis. Etſi enim eo fine ſæpè eleëmoſynæ dentur etiam in executione alicujus voti: Non eſt tamen imaginabile tam horrendam inveniri nequitiam, quæ hoc fine & motivo Deo vellet hoc ipſum vovere.

Caſus tamen clariores poſſumus nobis proponere: ut ſi quis voveat religionem eo motivo ut monaſterio incorporatus licentioſè vivat, honores indebitâ & injuſtâ viâ ſibi comparet, occaſiones habeat fruendi pravis aliquibus voluntatibus ſuis, ut furetur, ut de bonis monaſterii adminiſtratione aliquâ ſibi commiſsâ parentes diret. Et alij pravi fines ſimiles reperiri poſſunt, qui etiam voventem in peccata graviſſima præcipitant. Hic aliqui diſtinguere volunt finem malum venialem à mortali, aſſerentes vovere ob finem venialiter malum, tantùm eſſe peccatum veniale. Inclinor magis in judicium quòd ſit peccatum mortale, eò etiam ipsò quò finis eſt malus, ſit Deo gravis injuria ſi ipſi promittamus illum offendere, eſt enim Dei bonitatem laceſſere, & velut irridere. (Votum ob finem venialiter malum eſt peccatum mortale.)

Regula 3.

Temeritas, levitas, inconſideratio, reſpectus humanus in vovente (modò abſit periculum peccati mortalis) ſunt tantùm venialia peccata. (Temeritatis & inconſtantia in voto.) Ratio eſt: quia iſta tantùm ſunt humanæ inconſtantiæ ſigna, nec in gravem injuriam Dei vel cultûs divini cedunt. Dixi (*modò abſit periculum peccati mortalis*) Qui enim adverteret ſe ex temeritate vel levitate voti exponi proximo

mo alicui periculo peccandi mortaliter, generali axiomate Scripturæ mortaliter peccaret: *Qui enim amat periculum, in illo peribit.*

Eccl. 3. v. 27.

Regulæ generales.

De peccatis in materia voti.

Regula 1.

Votum in materia mala.

O*Mne votum de materia mala, ſive de peccato etiam veniali, eſt mortale peccatum.* Ratio in ſuperioribus ſæpè dicta eſt. Fit enim graviſſima injuria Deo, cùm fidelitate irreligioſâ & pravâ nos aſtringimur ad ejus offenſam, ſeu obligamur eum offendendo colere: Votum enim ad Dei cultum pertinet. Vide *Regulam ſecundam ſup. per totam*: Eadem enim eſt ratio utriusque.

Regula 2.

Votum in materia impoſſibili.

V*Otum de re impoſſibili ſub ratione impoſſibilitatis apprehenſa, eſt peccatum mortale.* Ratio eſt: quia rem impoſſibilem Deo promittere, eſt verè Deum irridere. Dixi tamen (*ſub ratione impoſſibilitatis apprehenſa*) ſi enim apprehendatur res ut bona & poſſibilis, etſi ſit error in intellectu, illam tamen vovere nullam dicit malitiam in voluntate, ſed potiùs voluntatis bonæ exceſſum.

Regula 3.

Votum in materia indifferenti.

V*Otum de re indifferenti quatenùs indifferens, aut etiam minùs bona, quæ nimirùm nullatenùs eſt mala, eſt tantùm veniale peccatum.* Ratio eſt: quia nulla in eo intervenit irreverentia aut injuria Dei, quæ ſit alicujus momenti: cùm materia indifferens aliàs poſſit etiam ad divinum honorem referri: materia autem minùs bona ſaltem bonitatem aliquam in ſe includat, etſi meliori bono cedere debeat: ut qui matrimonium voveret, bonam rem voveret, voto tamen non aſtringitur, ſi velit ſervare cælibatum. Ideoque quædam inutilitas in iſto actu continetur, ratione cujus incurritur venialis aliqua culpa reſpectu Dei minus reverititi.

Regulæ generales.

De peccatis in transgreſſione voti.

Regula 1.

Transgreſſio voti mortalis.

O*Mnis transgreſſio voti ad mortale peccatum obligantis, ſive fiat per commiſſionem, ſive per omiſſionem, eſt peccatum mortale.* Regula ex terminis clara eſt. Quando autem votum cenſeatur obligare ſub peccato mortali, ſive ratione materiæ, ſive ratione intentionis, ſive ratione utriusque, ſat ſuperque in ſuperioribus eſt dictum.

Regula 2.

Dilatio nimia voti quando mortalis.

N*Imia dilatio voti ultra terminum à vovente præfixum, ſi ex circumſtantiis gravem inordinationem dicat, eſt peccatum mortale: ſin minùs, eſt tantùm veniale.* Similiter: *Nimia dilatio voti, ubi non eſt præfixus terminus, eſt tantùm veniale peccatum, niſi graviſſima aliqua negligentia cum periculo illud non adimplendi conjuncta ſit.* Quæ omnia prudenti judicio Confeſſariorum aut directorum relinquuntur. Et ita intelligendum eſt illud Eccleſ. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcumque voveris redde: multoque meliùs eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.*

Eccl. 5. v. 3. 4.

Ex quo *colligitur*, negligentiam in reddendis votis peccatum ſaltem veniale eſſe. Porrò negligentia illa expendenda eſt ex hominis diſpoſitione interna, & an voluntariè & à propoſito, vel ex virtuali neglectu voti non tergiverſetur. Si enim à diſpoſitione corporis, temporis, loci, circumſtantiarum impediatur, quò minùs votum exequi poſſit: Ubi nullus eſt fixus terminus votum exequendi, excuſabilis eſt; quia, ut dico, nullus eſt voto terminus præfixus: In voto autem certo terminu præfixo ſemper ſubintelligitur: *Quantùm abſque impedimento vero & morali potero*: Undè ſi intra dies præfixos verum & morale impedimentum ſuccedat: ab impletione voti intra illos dies excuſatur. *Ratio eſt*: quia, voto in ſubſtantia integro manente, circumſtantia temporis in voto cum aliqua morali incommoditate non cenſetur obligare, quia voto acceſſoria tantùm eſt.

Negligentia in votorum impletione.

Nota.

Regula 3.

Pœnitere de voti emiſſione.

P*Œnitere efficaciter de voto emiſſo, cum voluntate aut propoſito illud deinceps non ſervandi, aut quærendi quamlibet occaſionem & cauſam injuſtam ſe à voti obſervantia eximendi, in materia gravi eſt peccatum mortale.* Ratio eſt: quia ejusdem malitiæ ſunt: Velle transgredi & transgreſſio ipſa: Qui autem ſic efficaciter pœnitet, & dictæ voluntati liberè conſentit, cenſetur habere voluntatem transgrediendi votum emiſſum.

Dixi (*efficaciter pœnitere*) pati enim anxietates, onera, difficultates in voto; imò & ſpeculativè ac theoricè duci pœnitentiâ præcedentis facti, modò perſeveret voluntas etiam contra iſtam inclinationem votum obſervandi (quamvis ex neceſſitate primæ obligationis) non eſt peccatum; ſed pugna contra peccati incentivum: Etſi enim hilarem datorem diligat Deus, non deſpicit tamen etiam invitè, & cum aliqua repugnantia (modò voluntariè) donantem, etſi utrumque meritum non ſit æquale.

Nota.

Ex quo *infero* propoſitiones ſequentes: *uni-*

Nota. *nam non voviſſem! Si non voviſſem, amodò non voverem*, vel ſimilem pœnitentiam facti indicantes (etſi magnæ imperfectionis ſint) ſi tamen voluntatem efficacem & actualem ſervandi vota emiſſa ex ſe non excludant, peccata mortalia non eſſe.

Schema totius Tractatus.

Nomen Domini aſſumitur licitè
- In confirmationem veritatis
- In ſponſionem fidelitatis
- In execrationem malitiæ
- In religioſam invocationem

Per
- Juramentum aſſertorium
- Juramentum promiſſoriū vel votum
- Juramentum execratorium
- Simplicem nominationem

Quod fit
- In juſtitia.
- In judicio.
- In veritate.

Nomen Domini aſſumitur illicitè ſi
- Nullo
- Inutili
- Indebito
- Perverſo

fine } fiat.

Hæc omnia habeatur diſtincta ſuis Titulis toto iſto Tractatu 3.

TRACTATUS QUARTUS
DE
PECCATIS CONTRA TERTIVM DECALOGI Præceptum.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices: Exod. 20.

TITVLVS PRIMVS
DE
TERTII PRÆCEPTI SVBSTANTIA.

QUÆSTIO I.

Quid præcipiatur tertio Decalogi præcepto?

Sabbathi dies mutatio in Dominicam. SVppono primò, Diem Sabbathi rite mutatum in Dominicam in lege gratiæ & novo Teſtamento. Hæc mutatio conſtat ex Scriptura Apoc. 1. *Fui* (inquit Joannes) *in Spiritu in* Apoc. 1. v. 10. *Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam tamquam tubæ dicentis: Quod vides, ſcribe*, &c. Ubi teſtatur viſiones ſuas initium ſumpſiſſe in *Dominica die* propter honotem diei. Et paſſim in Scriptura dicuntur fidelas conveniſſe *unâ Sabbathi*, id eſt, primâ die poſt Sabbathum, ad ſacra officia & miniſteria. Actor. 20. Actor. 20. v. 7. *Unâ autem Sabbathi cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis.* Ubi per fractionem panis intelligunt Patres ſacram Communionem, & per diſputationem concionem ſive annuntiationem Evangelii. Et 1. ad Corinth. 16. monet Paulus, ut populus collectas eleëmoſynarum faciat pro fidelibus *unâ Sabbathi*, quando nimirùm fideles ad ſacra myſteria & miniſteria conveniebant. Unde Clemens I. lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarum, cap. 59. poſtquam retulit Apoſtolos hanc mutationem feciſſe: Clem. I. l. 2 conſt. Apoſt. c. [illegible] *Dominico* (ait) *die diligentius convenite laudem Deo laturi, qui per Ieſum cuncta condidit, & illum ad nos miſit, atque mori permiſit, & à mortuis excitavit.* Idem lib. 5. cap. 18. *Feſtum* Idem l. [illegible] cap. 18. *diem agite, quo Ieſus à mortuis eſt excitatus, idque ſit vobis legitimum, ſolemneque in perpetuum uſque ad conſummationem ſæculi, quoad venerit Dominus*: cujus rationem addens ſubdit: *Iudæis enim Dominus etiam nunc mortuus Chriſtianis jam reſurrexit illis propter perfidiam, his propter fidei certitudinem: Quoniam ſpes in eo ſita immortalis æternæque vita habenda eſt.* Lege & ſanctum Ambroſium enarratione in Pſalm 47. ubi eleganter rationem diei Dominicæ aſſignans alludit ad titulos pſalmorum qui inſcribuntur: *In finem pro octava*: ubi per *finem* intelligit Chriſtum; Rom. 10. v. 4. *Qui eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti*: Et per *octavam*, ipſam Dominicam: *Ubi* (inquit) Amb. enar. in Pſ. 47. in init. *finis legis advenit, qui eſt Chriſtus*, &c. *& Reſurrectione ſuâ Octavam ſanctificavit: cœpit eadem prima eſſe, quæ Octava eſt, & octava quæ prima, habens ex numeri ordine prærogativam, & ex Reſurrectione Domini ſanctitatem.* Hanc etiam mutationem præclarè explicat *Sanctus Auguſt. l. qq. vet. & nov. teſtamenti q. 95.* S. Aug. l. qq. vet. & nov. teſt. q. 95. Et prærogativas diei Dominicæ enumerat *S. Leo Epiſt. 81. ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum.* S. Leo ep. 81. ad Dioſcor. Facundiſſimè *ſanctus Ignatius Martyr* epiſtolâ ad Magneſianos. S. Ignatius martyr epiſt. ad Magneſianos. *Poſt Sabbathum* (inquit) *omnis Chriſti amator Dominicum celebret diem Reſurrectioni conſecratum Dominica, reginam & principem omnium dierum quam expectans Propheta dicebat: In finem pro Octava: In qua & vita noſtra exorta eſt, & per Chriſtum mors devicta*, &c.

Suppono

Suppono ſecundò, In hoc tertio præcepto Decalogi aliqua fuiſſe *cæremonialia,* alia fuiſſe *legis divinæ naturalis.*

Et quidem *primò legis divinæ naturalis* fuit, quòd unus dies celebraretur in memoriam creationis: *Cæremoniale* autem fuit quòd ille dies Sabbathum eſſet, etſi illius obſervantiam præcepiſſet Dominus, qui & diei ſeptimo benedixit, quia in eo quieverat ab omni opere quod patrarat in prima creatione. Verùm quia parùm erat mundum creaſſe, niſi etiam illum a peccato redimeret: Quies illa ſabbathina tranſitoria erat, & ad Chriſti requiem, quæ in æternum duratura erat, referebatur. Ita explicant PP. Auguſt. libr. 4 de Geneſi ad litt. cap. 13. *Tempore* (inquit) *gratiæ revelatæ obſervatio illa Sabbathi, quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata eſt ab obſervatione fidelium: In ea quippe gratia perpetuum Sabbathum jam obſervat,* &c. Et ſanctus Epiph. lib. 1. contra hæreſes ſectâ 8. contra Epicureos. *Figura* (inquit) *in Lege fuerunt, veritas in Evangelio.* Infra: *Et erat illis Sabbathum detinens nos in magnum Sabbathum, hoc eſt in requiem Chriſti, ut in Chriſto Sabbathum agamus à peccatis.* Et ſanctus Gregor. lib. 11. Regiſtri, epiſt. 3. ad Romanos cives, graviter reprehendit quoſdam, qui iterùm obſervationem Sabbathi in Eccleſiam inducere tentabant: ubi eos vocat Anti-Chriſti prædicatores: *Qui* (inquit) *veniens diem Sabbathum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulabat, haberi in veneratione vult diem Dominicum: Et quia judaizare populum compellit,* &c. *vult coli Sabbathum.* Et ſubdens qualiter dies ſabbathinus cæremonialis & figurativus fuit. *Hoc enim* (inquit) *quod per Prophetam dicitur: Ne inferatis onera per portas veſtras die Sabbathi, tamdiu teneri potuit, quamdiu legem juxta litteram licuit cuſtodiri. At poſtquam gratia Omnipotentis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta ſunt, juxta litteram ſervari non poſſunt.* Hæc ſanctus Gregor. Qui & proſequitur rationem figuralem ſabbathi carnalis, & veritatem ſabbathi ſpiritualis. Et habentur ſupradicta c. *Pervenit. de conſecr. diſt. 3.*

S. Aug. l. 4 ad Geneſ. ad litt. cap. 13.

Epiph. l. 1. contra hæreſes ſectâ 8.

Greg. l. 11. Regiſt. ep. 3. ad cives Roman.

C. Pervenit de conſecrat. diſt. 3.

Secundò cæremonialia fuerunt quæ *Exodi* 16. referuntur de coquendis cibis & operibus omnibus faciendis feriâ 6. ut Sabbatho ab omni omninò opere ceſſarent. Item *Exodi* 20. de ceſſatione etiam jumentorum a laboribus, de qua etiam *cap.* 23. Et *cap.* 31. infertur pœna mortis non cuſtodienti Sabbathum: Quod pertinuit ad *judicialia.* Et his ſuperinductæ ſunt variæ aliæ *cæremoniæ* quæ etiam fuerunt ſemina multarum ſuperſtitionum apud Judæos, contra quas non ſemel Chriſtus in ſuis prædicationibus invectus eſt. His ſuppoſitis, deſcendo ad Concluſionem.

Exod. 16.

Item 20. & 23.

CONCLUSIO UNICA.

Tria in præcepto de ſanctificatione Sabbathi præcipiuntur.

Primum, ut unus dies colatur, qui modò ex traditione Apoſtolica eſt Dominica.

Secundum, ut aliquo cultu & opere poſitivo externo dies ille ſeu potiùs Deus in illo die colatur & honoretur.

Tertium, Ut ab operibus ſervilibus iſto die abſtineatur & ceſſetur.

Tria in præcepto de ſanctificatione Sabbathi continentur.

QUÆSTIO II.

Quis cultus poſitivus Dei ſub præceptum cadat in Sabbatho?

MUlta opera leguntur ab Eccleſia ordinata ad cultum Dei in Dominica. De quibus Clemens I. libr. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 59. *Quam* (inquit) *excuſationem afferre poteſt Deo qui in hoc die non convenit ad audiendum ſalutarem de Reſurrectione ſermonem: In quo tres orationes ſtantes facimus in memoriam illius, qui tertio die reſurrexit: in quo Prophetarum lectio habetur, & Evangelii prædicatio, & ſacrificii oblatio, atque ſacri cibi diſpenſatio.* Hæc ibi.

Opera in Dominica antiquitus obſervata.

Clem. I. l. 2. Conſt. Apoſt. c. 59

Ex quibus patet hæc opera ab Antiquo in Eccleſia uſurpata fuiſſe ad cultum & ſolemnitatem diei Dominicæ, ut ſunt: Oratio, ſacræ prædicationis ac Scripturarum doctrina & auditio, Miſſarum ſolemnia, ſacra Communio ſive Synaxis. Similia habet Juſtinus Martyr Apologiâ 2. pro Chriſtianis ad Antoninum Pium: ubi loquens de Dominica die, quam & diem Solis nuncupat: *Die* (inquit) *Solis urbanorum ac ruſticorum cœtus fiunt: ubi Apoſtolorum Prophetarumque litteræ, quoad fieri poteſt, prælegunctur: Deindè ceſſante Lectore: Præpoſitus verba facit adhortatoria ad imitationem tam honeſtarum rerum invitans: Poſt hac conſurgimus omnes, & preces offerimus: quibus finitis profertur, ut diximus, panis, vinum & aqua,* &c. Nimirùm tum ad ſacrificium, tum ad ſacram Communionem. Et de his etiam operibus in Dominica adimplendis frequentiùs loquitur ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ. Et ſeſſ. 24. c. 4. de Reform. & alibi.

Juſtinus martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis in fine.

Quæſtio ergo in hoc maximè conſiſtit: An ad omnia illa opera, quæ in Canonibus Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ ſacris conſuetudinibus præſcribuntur, fideles in Dominica teneantur? Et ut juxta morem Eccleſiæ moderno tempore uſitatum loquamur, quæritur

1. An ad Miſſam audiendam fideles in Dominica obligentur?
2. An ad concionem audiendam?
3. An ad orationes publicas, utpotè, ad Veſperas?
4. An ad ſacram Communionem?

Summa Quæſtionum.

CONCLUSIO I.

Miſſa ſub peccato mortali in Dominica audienda.

Concil. Agathen. cap. 47. C. Miſſas de Confec. diſt. 1.

IN *Dominica omnes fideles adulti cujuſcunque conditionis ſint (ſalvo legitimo impedimento) tenentur ſub peccato mortali Miſſam audire.* Præter traditionem Apoſtolicam, de qua ſuprà ex Clemente I. & tota antiquitate Eccleſiæ, hanc Concluſionem definit *Concil. Agathenſe c.* 47. ut habetur de Conſecratione *D.* 1. *cap. Miſſas*, ubi ſic decernitur : *Miſſas die Dominico Secularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ità ut antè benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat : quòd ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Eſtque hoc mandatum receptum uſu Eccleſiæ univerſalis abſque aliqua contradictione. Qualiter autem illud præceptum ſit adimplendum, & de omnibus, quæ illud circumſtant, vel ad ipſum pertinent, infra ſpeciali Titulo agendum erit.

CONCLUSIO II.

Non tenentur Fideles ad concionem in Dominica.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de Refor.

FIdeles in Dominica non tenentur ad audiendam concionem ratione ſolemnitatis aut cultûs illo die præſcripti. Ratio fundamentalis eſt : Quia nullum de hac obligatione extat præceptum formale obligans in conſcientia. Quod enim in Concilio Trident. Seſſ. 24. cap. 4 de Reform. dicitur : *Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Inprimis monitio tantùm eſt : deindè : non adſtringit præcisè ad Dominicam, ſed ſpecificatâ quidem Dominicâ, & tribus diebus in Adventu & Quadrageſima, id relinquit commoditati ſingulorum: *Et aliàs* (inquit) *quotieſcunque id opportunè fieri poſſe judicaverint.* Ex quibus patet verbum *Teneri*, non accipi ibi ſtrictè per modum præcepti, prout afficit particularem loci ſive Parochiæ, ſed tantùm accommodè: ut, quia quilibet fidelis jure Divino naturali tenetur ad ignorantiam tollendam, & debitam de rebus fidei & ſalutis ſcientiam acquirendam, interdùm audire verbum Dei, obligationi illi ſatisfaciat, quandò id ei commodum eſt, & in Parochia quandò prædicatur. Et hoc clariſſimè oſtenditur ex Correlativo : nam & in eodem Concil. ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform. ordinatur, ut Parochi : *Saltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis*, &c. Quis verò dicat eos teneri ſub peccato mortali ad prædicandum vel prædicationes procurandas ſingulis diebus Dominicis ? Omnia itaque hæc accommodè ſumenda ſunt, reſpectu facto ad utilitatem doctrinæ & obligationem juris Divini naturalis, diſcendi neceſſaria ſalutis. Notatur autem interdum locus Parochiæ, & dies Dominica, vel Feſtus ſolemnis, quia & in illis locis congruè verbum Dei proponitur, & in iſtis diebus cœtus fidelium coadunatur, & ex præcepto convenit ad Miſſarum ſolemnia.

Conc. Trident.

CONCLUSIO III.

Non tenentur Fideles in Dominica Veſperis interesse.

NOn tenentur fideles in Dominica vel Feſto ex vi præcepti Eccleſiaſtici ſub peccato ad orationes publicas & Veſperarum ſolemnia convenire, aut Euchariſtiam ſumere. Ratio univerſalis eſt : Quia nullum de his obligationibus extat præceptum Et quidem Eccleſiæ præceptum eſt de Euchariſtia, ſed in Paſchate ſumenda. De Veſperarum verò ſolemnijs ſancta eſt in locis multis conſuetudo, quæ tamen vim legis ad peccatum obligantis non habet ; ſed tantùm probatæ pietatis : quamvis non malè in Flandria & his Regionibus etiam lege Civili prohibeatur in tabernis tempore Veſperarum pocula miſceri, aut compotitores recipi.

TITVLVS II.

De præcepto Miſſam audiendi in Dominicis, & de ejus legitima obſervatione.

QUÆSTIO I.

Ad quid obliget præceptum audiendi Miſſam in Dominica ?

SUppono, quod jam immediatè Q. 2. *Tit.* 1. diximus, obligationem eſſe ſub peccato mortali audiendi Miſſam in Dominica. Quæſtio verò hæc quærit : In quo conſiſtat hæc Miſſæ auditio, ut præceptum impleatur.

CONCLUSIO UNICA.

Tria ad debitam auditionem Miſſæ requiruntur.

Quæ ad aſſiſtentiam moralem requiratur.

TRia requiruntur, *ut quis ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam in Dominica, nimirùm : Aſſiſtentia moralis & religioſa, Attentio, & Integritas.*

Aſſiſtentia moralis dicitur : qua humano & morali actu cenſetur aliquis præſens eſſe ſacrificio Miſſæ ; ad quam requiritur primò præſentia corporalis, qua Miſſam audiens ſit vel intrà Eccleſiam, vel in proximo loco, ex quo judicatur moraliter poſſe videre, audire, vel aliquo ſenſu advertere ad ea, quæ Sacerdos agit, niſi infirmitate potentiarum impediatur ; quod dico propter cœcos & ſurdos, qui cenſentur Miſſæ intereſſe moraliter, ſi ſint in loco, undè aliàs cenſerentur poſſe videre vel audire Celebrantem, ſi potentiarum uſu ordinario gauderent. Undè ex anteriori atrio Eccleſiæ ex cancellis, doxali, dependentijs, exedris, oratorio poſteriori cenſetur quis Miſſæ aſſiſtere, modò poſſit aliquo modo audire vel videre, aut quovis modo advertere ſacrificij actionem.

Quid aſſiſtentia religioſa in Miſſa.

Aſſiſtentia autem *religioſa* plùs dicit : nimirùm : *Primò*, Ut quis per modum orantis, ſeu ad Deum colendum ibi aſſiſtat : non autem tantùm materialiter, propter honeſtum tantùm conſortium, curioſitatem, pompam externam, aut civile & politicum aliquod miniſte-

niſterium: quomodo qui comitantur Dominos, nobiles fœminas, Principes, aut qui veniunt tantùm ex curioſitate, ut videant quæ aguntur, aut quæ perſonæ conveniant, vel ut cœtus funebres honorent, &c. non cenſentur Miſſam audire & præcepto ſatisfacere. *Similiter*: Nec qui toto tempore, aut magnâ parte Miſſæ fabulantur, libros ad orandum impertinentes legunt, in tabulis & picturis aſpiciendis occupantur. Præterquàm enim quòd ob irreverentias, & alia peccata in loco ſacro commiſſa Deum offendant: Præcepto audiendi Miſſam in Dominica vel Feſto, non ſatisfaciunt. Vide quæ latè diximus de aſſiſtentia religioſa Canonicorum in choro, & de eorum obligatione *Tract. 2. p. 2. tit. 3. ſect. 1. dub. 5. reſp. ad 2. interrogationem.*

Nota.

Attentio & intentio ad Miſſam audiendã requiſita.

Secundum quod requiritur, eſt *attentio*, ſub qua & *intentionem* comprehendo, ut nimirùm: qui Miſſam audit intentionem ſaltem virtualem habeat illam audiendi, ſeu Deum per aſſiſtentiam illam colendi: Auditio enim Miſſæ in hoc præcepto requiſita, eſt eſſentialiter & ex natura ſua actus humanus & religioſus: humanus autem eſſe non poteſt, ſi voluntatis intentione careat: nec religioſus, ſi quis Deum illo actu colere non intendat.

Nota.

Advertendum tamen eſt: Non requiri neceſſariò intentionem ſatisfaciendi præcepto, modò quis contrariam voluntatem aut intentionem non habeat, hoc enim ipsò, quò facit actum religioſum audiendo Miſſam religioſè in Dominica, cenſetur præceptum adimplere. Undè ſi quis audiat Miſſam in Dominica vel Feſto, neſciens vel non advertens eſſe Dominicam vel Feſtum, præcepto ſatisfacit; imò ſciens & ſtatuens aliam audire Miſſam, ſi poſtea non audiat, ſimpliciter cenſetur impleſſe præceptum, quia non habuit abſolutè contrariam voluntatem præcepto, quaſi nollet illâ die præcepto ſatisfacere, ſed tantùm diſparatam, quia credebat auditionem Miſſæ differre & aliam audire.

Triplex attentio in Miſſa.

Porrò *attentio* in Miſſæ auditione requiſita, triplex diſtinguenda eſt. *Prima*, ad res ſacras, & ea quæ Sacerdos profert aut recitat. *Secunda*, ad myſteria, quæ illis rebus & ſignis ſignificantur. *Tertia*, generaliter ad Deum colendum, orandum, deprecandum. Et prima quidem bona eſt, ſecunda melior, tertia communior, & magis humanæ diſpoſitioni accommoda: Et in his omnibus virtualis attentio ſufficit, quæ excludit planè voluntarias diſtractiones, & incompoſſibiles cum actu religioſo actiones. Vide quæ diximus agentes de attentione & devotione requiſita in Horis Canonicis ex obligatione recitandis, exponentes illa verba Decreti de celebratione Miſſarum, *attentè pariter & devotè.* Eadem enim requiritur in auditione obligatoria Miſſæ.

Nota.

Ex quo ſciant, qui voluntariè quibusvis actionibus vel occupationibus alienis tempore Miſſæ obligationis vacant, ſe peccare mortaliter, nec præcepto ſatisfacere: ut qui dormitant, alia pertractant, cogitationibus mundanis & externis à propoſito & omninò voluntariè intendunt, &c.

De audienda Miſſa integra.

Tertium, quod requiritur, ut præcepto de audienda Miſſa in Dominica vel Feſto ſatisfiat, eſt *integritas*: ut quis ſcilicet integram Miſſam audiat: ut ſuprà decretum fuiſſe tradidimus cap. *Miſſas* de conſecrat. *D.* 1. videatur & cap. *Omnes fideles* ibidem ex *Can.* 10. *Apoſtolorum.* Et cap. *Cùm ad celebrandas* ex Concilio Aurelianenſi ubi prohibetur: *Ne populus ante benedictionem Sacerdotis à Miſſa recedat.*

C. Miſſas C. omnes fideles & C. Cùm ad celebran de conſec. d ſt. 1.

Levis materia in auditione Miſſæ quæ?

Ex quibus conſtat, quòd, qui partem Miſſæ omitteret, peccaret mortaliter, niſi levitas materiæ excuſet à mortali. Quæ verò cenſeatur levis materia, variant Auctores: Ego ſequens cap. *Omnes fideles* ſuprà allegatum: pono duos terminos: *Evangelium* & *Communionem*: Ita ut levem materiam cenſeam quæ eſt ab introitu ad Evangelium. Item illam, quæ eſt à facta Communione ad finem: moveor, quia in dicto capite *Omnes*, ſpecificatur, ut qui conveniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, *Scripturas Apoſtolorum, & Evangelium audiant*: Et demùm, *non egrediantur ante perceptam Communionem.* Deindè quia Miſſa fidelium incipit ab Evangelio, uſque ad Communionem incluſivè, in qua omnia myſteria peraguntur. Undè videtur tota materia gravis & præcipua his contineri terminis: quamvis per Scripturas Apoſtolorum determinatè etiam intelligi poſſet epiſtola, ſed hæc particula etiam videtur levis eſſe pro toto illo complexo.

Ex dictis verò reſtant aliquot Dubia expedienda ad pleniorem declarationem hujus partis præcepti.

Dubium 1.

Quæ Miſſa in Dominicis ſit audienda, privata aut ſolemnis?

Per Miſſam privatam in quocumque loco ſatisfit præcepto.

Reſpondeo, Etſi conſulendum ſit, & monendi ſint fideles, ut, quantùm fieri commodè poteſt, ſaltem aliquando in Dominicis & Feſtis principalioribus ad parochialem Eccleſiam vadant, & Miſſam parochialem, quæ pro parochianis celebratur, audiant: Nihilominus ex vi præcepti ſufficere ad illud adimplendum, ſi quævis Miſſa & in quolibet loco audiatur. *Ratio* eſt clara ex terminis, quia ex vi præcepti quis tantùm obligatur Miſſam audire. Et ſi quid de loco parochiæ interdùm dicatur, per modum monitionis & ſalubris conſilii imponitur. Videatur *Decretum Clementis VIII. ad Octavium Epiſcopum Tricaricenſem Nuntium Apoſtolicum in Belgio*, ubi controverſia ſuborta ſuper hac materia inter Epiſcopos Artheſiæ adverſus Mendicantes, reſolvitur, & declarat Pontifex audientes Miſſas in locis &

 Eccle-

Quid de Miſſa in privatis oratoriis. Eccleſiis Regularium ſatisfacere præcepto. Unus ſcrupulus reſtat de Miſſa audita in oratoriis privatarum domorum ex indulto pontificio. In brevibus enim quibus facultas ibi celebrandi indulgetur: Excipiuntur ordinariè *dies Paſchatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, Aſſumptionis Beatæ Virginis*, & ad calcem indulti additur: ut alii, præter famulos illius perſonæ, cujus contemplatione dicta licentia impertitur, ibidem Miſſæ intereſſentes diebus feſtis de præcepto ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minimè liberi cenſeantur. Undè nonnulli Auctores abſolutè docent illos peccare mortaliter, qui non audiunt illis diebus Miſſam in aliqua Eccleſia vel loco ſacro publicè ad hoc deputato. Verùm hic ſummi Pontificis intentio juxta legitimas interpretationes venit moderanda, ut crudè juxta litteralem verborum ſenſum non intelligatur. Igitur *advertendum* eſt *primò*, intentionem ſummi Pontificis eſſe, ut parochiæ & parochialibus juribus per tale indultum non derogetur. Hoc enim ipſum Pontifex exprimit in forma indulti. *Notanda.*

Secundò, intentionem ſummi Pontificis eſſe, ut cœtus & congregationes indifferenter & paſſim ibi non admittantur in præjudicium Eccleſiarum & oratoriorum publicorum, ac Capellarum pro communi uſu deſignaturam. Undè Miſſam ibidem ſimpliciter audiri non prohibet; ſed tantùm dicit alios à familia domeſtica in illis privatis oratoriis Miſſam audientes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minimè liberos cenſeri. Nec imponit obligationem vel auget illam; ſed ſupponit illam & relinquit in ea qualitate in qua eſt, vel eſſe poteſt, juxta rationem & qualitatem obligationis vel præcepti, ſi quod extet.

Nota. Ex quo *dico primò*, Eos, qui aliàs in parochia vel Eccleſia Miſſam audire non obligantur: Si audiant Miſſam in *iſtis oratoriis ſive ubicumque*, præcepto Miſſam audiendi ſatisfacere. *Ratio eſt*: quia Pontifex non imponit ſpeciale præceptum, nec auget obligationem primitivi præcepti de audienda Miſſa: certum eſt autem præceptum de audienda Miſſa in Dominica vel feſto per ſe abſtrahere à loco publico vel privato, niſi aliundè obligationaſcatur. Undè Auctores, qui interpretantur Pontificem non dare auctoritatem celebrandi in iſto loco privato, qui aliàs prohibitus eſſet, niſi pro familia: benè quidem oſtendunt non licere Sacerdoti vel Domino loci convocare populum ad Miſſam in iſto loco audiendam: Non oſtendunt tamen in rigore non licere externis audire ibi Miſſam. Apertè enim Pontifex id permittit, etſi abſque præjudicio obligationis audiendi Miſſam in Eccleſia: ſi nimirùm aliqua talis ſit: Si autem non ſit talis obligatio, Pontificis reſtrictio nil operatur. Communis verò obligatio Chriſtianorum eſt audire Miſſam in Dominica vel Feſto; particula autem *in Eccleſia* vel *loco ſacro publico*, voluntariè & gratis ſuperadditur.

Dico ſecundò, Qui ex aliqua ſingulari obligatione, ſcilicet ex voto, miniſterio, officio, & ratione ſcandali, ſive ex alio quocumque debito obligatur in Eccleſia Miſſam audire, non ſatisfacit, audiendo in privato oratorio ſic ex indulto Pontificis conſtituto. Et hoc clarè indicant verba indulti. *Nota.*

Dico tertio, Si Dominus domûs, vel Sacerdos ibi celebrans admittat populum multum in grave præjudicium jurium parochialium vel Eccleſiæ parochialis, peccat graviter, juxta rationem præjudicii. Præjudicium verò in hoc conſiſtit: ſi parochia magnâ parte populi ob iſtud privatum oratorium deſtituatur: ſi oblationes parocho debitæ, imò & oblationes Eccleſiæ & pauperum deficiant: ſi aliud ſimile gravamen incurratur. Et hæc ſunt quæ Pontifex intendit prohibere: ita ut obligatio audiendi Miſſam in Eccleſia, de qua Pontifex, non ex præcepto audiendi Miſſam, ſed ex ſubalternis aut communibus illis obligationibus oriatur, in quantum fideles Eccleſiæ non præjudicare, aut à ſcandalo & offenſione abſtinere debent. Hæc latiùs volui diſcutere ad ſcrupulos tollendos: quia reverà indultum illud pontificium communiter non recipitur alio ſenſu, etiam inter timoratos. *Nota.*

Dubium 2.

An teneantur fideles audire integram Miſſam ab uno Sacerdote?

Explico: An qui audivit Miſſam ab uno Sacerdote à conſecratione uſque ad finem, cenſeatur præcepto ſatisfacere, ſi Miſſam alterius Sacerdotis audiat à principio, uſque ad conſecrationem?

Reſpondeo primò, Non poſſe ſimul partes Miſſæ à duobus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus audire, & ſi ſimul audiat, non ſatisfacere præcepto. *Explico*: Celebrant duo Sacerdotes in duobus altaribus, quorum unus eſt in conſecratione, alter incipit Introitum: Si quis intentionem ſuam referat ad audiendam Miſſam integram, nimirùm partem illam ab introitu ad conſecrationem unius Sacerdotis, & partem alteram à conſecratione ad finem Sacerdotis alterius ſimul cum altero celebrantis, non ſatisfacit præcepto. *Ratio eſt*: quia auditio Miſſæ in ſe ſucceſſiva eſt, & refertur ad integritatem illius, quod naturâ ſuâ eſt ens ſucceſſivum, cujus partes ſimul eſſe non poſſunt: undè hæ duo partes Miſſæ, quæ ſimul celebrantur, unius ſucceſſivi partes non ſunt, & conſequenter ad eamdem auditionem ſpectare non poſſunt. *Nota.*

Dices: Qui ſimul duas Miſſas audit, ſine dubio meritum auditionis duarum habere poteſt, & de duabus, quæ ſic ſimul celebrantur; *Nota.*

tur, participat. *Reſpondeo*, Aliud eſt mereri aut participare ſimul de duabus Miſſis, aliud ſatisfacere præcepto: ad præcepti enim adimpletionem terminos & naturam rei præceptæ ſervare debet: undè qui obligaretur ad audiendas plures Miſſas ſucceſſivè, non ſatisfaceret præcepto, ſi ſimul audiret, quamvis mereretur, & de duabus Miſſis participaret.

Reſolutio principalis. *Reſpondeo ſecundò*, Licet ſucceſſivè duas partes Miſſæ à duobus Sacerdotibus audire ad ſatisfaciendum præcepto, prout in explicatione Dubij exemplificatum eſt. *Ratio* eſt: Quia eadem ſubſtantialiter in duabus Miſſis fiunt, & qui duas partes ſucceſſivè audit, totam in ſubſtantia Miſſam audiſſe cenſendus eſt.

Dubium 3.

An inſervientes Miſſæ, ſi ſæpiùs exeant ad quærenda vel diſponenda ea quæ ad miniſterium ſpectant, ſatisfaciant præcepto, ſi toti Miſſæ non adſint?

Reſpondeo Satisfacere: Etſi notabili parte Miſſæ in ijs, quæ ſunt miniſterij, occupentur. *Ratio* eſt: Quia Miſſæ cooperantur, & ea quæ faciunt ad Miſſæ ſacrificium, aliquo modo pertinent, ideoque moraliter & religiosè ei aſſiſtere cenſentur.

Dubium 4.

An liceat Horas obligatorias, pœnitentias injunctas tempore Miſſæ recitare, & an liceat conſcientiam examinare ac confiteri.

Reſolutio de Horis Canonicis tempore Miſſæ legendis. Reſpondeo primò, Illum ſatisfacere præcepto de Miſſa audienda, qui Horas obligatorias, pœnitentias injunctas, aliaſque preces ex obligatione legit tempore Miſſæ. *Ratio* eſt: Quia inprimis duæ intentiones audiendi Miſſam, & orandi etiam obligatoriè non repugnant, ſed ſimul ſtant, & ſe invicem non tantum compatiuntur, ſed juvant: nec attentiones etiam ſibi ullo modo opponuntur, cùm enim ſufficiat utrimque attentio ad Deum & ad Divina, in unam ex natura actionis utrimque religioſæ coaleſcunt.

De examine conſcientia. *Reſpondeo ſecundò*, Licere tempore Miſſæ examinare conſcientiam, & præcepto audiendi Miſſam per conſcientiæ examen ſatisfacere, modò feratur in Deum & Dei cultum. *Ratio* quæ ſuprà: quia qui ſic conſcientiam examinat, ſe ad Deum & Dei cultum etiam per modum deprecantis convertere poteſt, & ſufficienter attendere ad ea, quæ in ſacrificio peraguntur.

Nota. Dixi (*modò feratur examen in Deum & Dei cultum*) Qui enim morosè in materiali tantùm examine diſſipatarum rerum occuparetur, diſcurrendo per negotia & actiones præteritas, abſque affectu orantis vel deprecantis, ſive Deum colentis, non cenſeretur ſatisfacere illi præcepto.

Quando confitens non cenſeatur Miſſā audire. *Reſpondeo tertiò*, Qui magnâ parte Miſſæ ità occupatur in enarrando peccata ſua in Confeſſione, ut commodè ad ſacrificium, quod celebratur, attendere nequeat, non poteſt ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam. *Ratio eſt*: quia attentio neceſſaria, & actus ipſe Miſſam audiendi tantam & tam diſparatam actionem moraliter non compatitur.

Dices: Poteſt quis ordinare illum actum ad colendum Deum, ad illum deprecandum pro peccatis ſuis, & impetranda Dei miſericordia, ſimul offerendo hoc ſacrificium, quod in Altari celebratur. *Reſp.* Suppoſitis illis facilè me iturū in illam ſententiam: quia tamen id admodùm difficile eſt, maximè in Confeſſionibus diuturni temporis, & quæ intricatorum ſæpè peccatorum ſunt, non facilè hujuſmodi theorias ſanctas in praxin poſſe deduci exiſtimo. Unde in Reſponſione prima perſiſto. Dixi tamen (*qui magnâ parte Miſſæ occupatur*, &c. *ità ut attendere nequeat*) in favorem iſtius objectionis. Si quis enim breviter abſolvat, aut non ità occupetur, quin per modum orantis ad Miſſam attendere poſſit, crederem illum præcepto ſatisfacere.

Nota pro confitente tempore Miſſæ. Hic porrò à nonnullis quæritur: An perſona, quæ commoditatem vix habet aliàs confitendi, ſive defectu Confeſſarij, ſive defectu occaſionis congruæ, poſſit tempore Miſſæ obligatoriæ in Dominica confiteri? *Reſpondeo* Poſſe: non quia ſatisfacit præcepto; ſed quia ratione congruæ neceſſitatis Confeſſionis excuſatur ab audienda Miſſa propter opus iſtud neceſſitatis & majoris utilitatis

QUÆSTIO II.

Quæ cauſæ ab auditione Miſſæ excuſent?

CONCLUSIO UNICA.

Tituli à quibus excuſatur quis à Miſſa audienda. *Cauſæ ab auditione Miſſæ in Dominica vel Feſto excuſantes, ad quatuor Titulos reduci poſſunt: qui ſunt: Titulus Impotentiæ: Titulus Charitatis: Titulus Officij: Titulus Conſuetudinis.* Quæ omnia ſubjectis Paragraphis exponemus.

§. I. *De Titulo Impotentiæ.*

Impotentia triplex. Titulus Impotentiæ excuſans à præcepto Miſſam audiendi eſt: quandò quis ob aliquam moralem impoſſibilitatem iudicatur non poſſe Miſſam audire. Triplex porro aſſignari poteſt *Impotentia*: Alia eſt enim *Corporalis*: Alia *Spiritualis*: Alia *Moralis*. Titulo impotentiæ *Corporalis* excuſantur: qui vel ſimpliciter Miſſæ adeſſe non poſſunt, aut non poſſunt licitè. *Impotentia Corporalis.* *Prioris generis* exempla ſunt: ut qui ex gravi morbo decumbunt, carceribus detinentur, mare navigant, aut in

loċis

locis degunt ubi Sacerdotes non ſunt exempla *poſterioris generis*, reperiuntur in iis, qui legitimè fide datâ vel juramento ſe aſtrinxerunt vel ex præcepto Superioris domi manere coguntur.

Impotentia ſpiritualis. Titulo *Impotentia ſpiritualis* excuſantur: Qui excommunicati ſunt, vel Interdicto ſubjacent, quamdiu nimirùm tales ſunt, nec per eos ſtat, quò minùs ab excommunicatione, vel interdicto liberentur.

Impotentia moralis. Titulo *Impotentia moralis* excuſantur: Quotquot Miſſam audire non poſſunt abſque gravi detrimento vel jactura alicujus boni, ſive corporalis, ſive ſpiritualis. *Item*: Qui id non poſſunt abſque gravi labore, vel difficultate juxtà judicium prudens. *Ratio* eſt: Cùm enim determinatio Miſſæ audiendæ ſit facta ab Eccleſia, non cenſetur pia Mater ſuos filios velle obligare cum tantis diſcriminibus.

Impoſſibilitates morales variæ. Porrò: Impoſſibilitates illæ morales ſive diſcrimina ex variis capitibus occurrunt. *Primò, Ob periculum vitæ*, ut: quia inimicus ſive hoſtis inſidiæ & machinationes in via timentur: vel quia aër peſtilens, aut etiam peſtis in communi populo conveniente ad templum, graſſatur.

Secundò, Ob periculum ſanitatis, ut: ſi timeatur probabiliter recidiva, aut convaleſcentia tardior, vel nè morbus ingraveſcat: quo etiam caſu mulieres gravidæ & prægnantes, dùm appropinquant partui, ſi timeatur aliquod ipſis, vel fœtui incommodum grave, ab auditione Miſſæ excuſantur. In quibus omnibus bona fides, vel prudentum conſilium ſufficit.

Tertiò, Ob periculum diminutionis honoris vel famæ: Quomodò perſonæ nobiles & honeſtæ excuſantur à Miſſa audienda, ſi ob inopiam non poſſint in decenti & ſuo ſtatui convenienti habitu comparere; aut non poſſint ſeipſas manifeſtare in loco, niſi cum aliquo dedecore, vel periculo. In his enim caſibus, ſi non poſſit quis commodè in ſecretò, aut in tenebris Miſſam audire, excuſatur.

Quartò, Ob periculum jacturæ bonorum. Quomodò aliqui excuſantur in familiis ruſticorum, qui habitant in domibus à communi habitatione ſeparatis, ut in Feſtis & Dominicis domi remaneant ad advertendos fures, & alia inconvenientia.

§. 2. *De Titulo Charitatis.*

Charitas. TItulus Charitatis ab auditione Miſſæ cenſetur excuſare: Quandò, ſi quis Miſſam audiat, operi miſericordiæ & charitatis, ad quod ex præcepto communis dilectionis obligatur, ſatisfacere non poteſt. Hoc titulo excuſantur: qui debent ſubvenire aut ſervire infirmis graviter laborantibus, vel qui ſoli relinqui non poſſunt abſque periculo alicujus detrimenti, aut quibus ſunt illo tempore aliquæ medicinæ ſubminiſtrandæ. *Similiter*: qui ad extinguendum incendium, vel ad damna proximi avertenda, aut circa aliqua opera miſericordiæ corporalia vel ſpiritualia tempore Miſſæ neceſſariò occupantur. *Item*: Fœmina, quæ ut alienum vitet peccatum, aut viri zelotypiam, domi ſe continet. Fundatur autem hic Titulus in concurrentia duorum præceptorum, quorum alterum juris naturæ eſt: alterum juris tantùm poſitivi Eccleſiæ, inter quæ præferendum eſt præceptum juris naturalis charitatis ad proximum.

§. 3. *De Titulo Officii.*

TItulus Officii cenſetur hominem excuſare ab audienda Miſſa in Feſtis & Dominicis, quandò officium aliàs honeſtum & licitum non poteſt debitè exerceri, ſi Miſſa audiatur. Sic excuſantur milites tempore Miſſæ in excubiis ſtationes ſuas habentes: paſtores animalium armentis ex publico officio invigilantes, curſores, matres, & nutrices parvulorum, à quibus nequeant ſeparari, vel quando non expedit, nec decet, ut ipſi ad Eccleſiam deferantur. Eâdem ratione excuſantur famuli in actuali & neceſſario obſequio Dominorum tempore Miſſæ occupati, ſi tamen hoc impedimentum non oriatur ex eorum negligentia, incuria, vel culpa. Quòd ſi ex culpa Dominorum hujuſmodi impedimenta naſcantur, famulus quidem innocens & obediens à peccato excuſatur: peccant tamen Domini illegitimè famulos ab audienda Miſſa impedientes, & quidem aliquandò mortaliter juxtà gravitatem negligentiæ, vel culpæ. Eodem Titulo excuſantur laborantes in officinis fuſoriis, in quibus funditur ferrum, illi enim ſemel ſuccenſâ fornace obligantur ex natura artis, & ad evitanda graviſſima damna, omnibus diebus, etiam Feſtis & Dominicis laborare debent, nec Miſſam communiter audire poſſunt. *Officium.* *Nota.*

§. 4. *De Titulo Conſuetudinis.*

TItulo Conſuetudinis excuſantur perſonæ, quæ ex communi uſu Nationis domi remanere ſolent, ut in aliquibus locis mulieres nobiles ad aliquot hebdomadas tempore luctûs, ſive cæremoniæ funebris maritorum. *Similiter*: Mulieres tempore purificationis ſuæ ad aliquot tempus, etiamſi aliàs nullâ juſtâ infirmitate detinerentur. Et aliæ conſuetudines in variis Regionibus reperiri ſolent: quæ ſi ſint approbatæ legitimo uſu inter timoratos, excuſant. *Conſuetudo.*

Ad Titulum Conſuetudinis revocantur ſtatus, privilegia vel Qualitates quorundam ſtatuum, ut erat ſtatus Eremitarum in locis deſertis & ab hominum conſortio ſeparatis: *Item* Aliquorum ſolitariorum, qui ſe in cellis quibuſdam velut ergaſtulis & carceribus pro amore Dei includunt: & ſi qui ſunt alii ſtatus ſimiles; eò enim ipsò quò Eccleſia tales ſtatus,

ſtatus, modos, exetcitia auſteritatis apptobat, aut toletat, qui illa amplectuntur per privilegium & conſuetudinem tacitam excuſantur. Et ad hos Titulos reduci poſſunt omnia impedimenta & cauſæ legitimæ, quæ ab auditione Miſſæ excuſant, Reſtat tamen unum Dubium.

Dubium.

Quid dicendum de ijs, qui voluntariè eligunt habitare vel negotiari in locis infidelium vel Hæreticorum, in quibus ſciunt ſe non poſſe audire Miſſam?

RAtio dubitandi eſt: Quia voluntariè ſe exponunt impotentiæ Miſſam audiendi. Impotentia autem planè voluntaria non videtur excuſare poſſe.

Reſp. primò, Si nullam habeant juſtam cauſam eligendi hujuſmodi habitationem, tales non excuſari ab audienda Miſſa, & conſequenter non audiendo peccare mortaliter.

Reſpondeo ſecundò, Ubi ſubeſt juſta & rationabilis cauſa eligendi hujuſmodi habitationem, quamdiu illa cauſa durat, eos excuſari à peccato.

Nota. Cauſæ autem ſunt. *Prima*, Ad conſervanda bona tempotalia & familiam.

Secunda, Ob metcatutam juſtam & tationabilem, Reipublicæ neceſſariam, vel admodùm utilem. Quomodò metcatores etiam apud infidelium emporia diu manent abſque commoditate Miſſam audiendi.

Tertia, Ad vitæ neceſſatia ſibi & familiæ procuranda, quæ quis alibi obtinete non poteſt.

Quarta, Pro ſpirituali animarum couvetſione, vel reductione ad fidem. Et aliæ ſimiles cauſæ occurrete poſſunt, in quibus tamen providete debent 1. Ut cauſæ illæ tealiter ſubſiſtant. 2. Ut quis periculo evidenti perdendæ ſalutis æternæ vel fidei ſe non exponat, 3. Ut ab obedientia Eccleſiæ ſe non ſubtrahat ullo modo. Advettant autem: nè propter modicum corruptibilis vitæ æternæ jacturam faciant. Attendant: nil prodeſſe, imò plurimùm obeſſe

Matth. 16. verſ. 26. homini, *ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur*: nec poſſe hominem dare *commutationem pro anima ſua*.

Admonitio.

ETſi verò Titulos excuſationum ampliſſimos & veros ſuperiùs retulerimus: videant tamen, qui utuntut, ut in veritate illis utantut, & non mentiatur iniquitas ſibi. Arguit quodam loco S. Chryſoſt. negligentiam & ingratitudinem Chriſtianorum: *Quod centum ſexaginta ſex horas habente hebdomadâ* unam tantùm horam ſuo cultui poſtulet Deus: illam nimirùm, qua audienda eſt Miſſa in Dominica, &

Concil. Rothom. Can. 5. tot excuſationes prætendat homo. Lege & Canonem 5, Concilij Rothomagenſis relatum à Burchardo lib. 2. Decret. c. 71. *Admonere debent Sacerdotes plebes ſibi ſubditas: ut bubulcos atque porcarios, vel alios paſtores atque aratores, qui in agris aſſiduè commorantur, vel in ſylvis, & ideò more pecudum vivunt, in Dominicis, & alijs Feſtis diebus ſaltem vel ad Miſſam faciant vel permittant venire. Nam & hos* CHRISTUS *pretioſo ſanguine ſuo redemit: quod ſi neglexerint, pro animabus eorum abſque dubio rationem reddituros ſe ſciant.* Hæc ibi. Quod notent Domini, & Heri, quorum intereſt providere, ut abſque vera neceſſitate famuli à Miſſa non abſint.

QUÆSTIO III.

An qui à Miſſæ auditione legitimè excuſantur, ad alium ſpecialem Dei cultum in Dominica teneantur?

PRo vera & acurata Reſolutione *Advertendum eſt Primo*, Primævo Decalogi præcepto: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*, prout præceptum juris Divini naturalis, & ab omni præcepto cætemoniali vel judiciali, aut quovis humano abſtrahit, & ſolitariè ac præciſe conſideratur: non tantùm prohibeti opus ſetvile, ſed aliquem etiam cultum Dei poſitivum præcipi. Hoc enim indicat clariſſimè verbum *ſanctifices*, quod non tantùm ceſſationem otioſam ab omni opere deſignat, ſed inſuper cultum aliquem ſanctificationis Dei includit, etiam ex communi phraſi Scripturæ: ſic enim Exod. 13: omne primogenitum ſibi Deus *ſanctificari* mandat, hoc eſt, ſibi dicari & offerri. Et omnia, quæ Deo ſpeciali ritu dedicantur, in ſacra Scriptura dicuntur ſimpliciter *ſanctificari*. Sanè verbum *ſanctificationis* in Scriptura tribus ferè modis uſurpatum eſſe comperimus. Primò, pro Dei laudibus, canticis, orationibus, quibus Deus & nomen Dei ſanctificari dicitur. Secundò, pro juſtificatione peccatoris, 1. Theſſ. 4. verſ. 7, *Non vocavit vos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem, &c. Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Tertiò, pro alicujus rei conſecratione & dedicatione, qua Deo vel Dei cultui applicatur.

Præceptum Decalogi præcipitur aliquis cultus poſitivus.

Sanctificatio tripliciter in Scriptura accipitur.

1. Theſſ. 4. verſ. 7. 1. Cor. 6. verſ. 11.

Advertendum ſecundò, Præceptum de audienda Miſſa, etſi quoad hunc ſpecificum & determinatum ritum Deum colendi, ſit Eccleſiaſticum & poſitivum; fundari tamen in generali obligatione Deum colendi ex præcepto Divino morali & natutali de colendo Deum unâ die ex ſeptem: undè Eccleſia non tam legatrix ſeu inſtitutrix præcepti eſt; quàm declaratrix, ſive potiùs determinatrix modi & ritûs, quo Deus colendus eſt in ſua Republica Chriſtiana, ad ſatisfaciendum præcepto de die uno ſanctificando, quod eſt juris Divini naturalis. Quemadmodum enim in Synagoga Judæorum cætemonialia quædam & judicialia præcepta ſuperaddita erant ad declarandam & determinandam ſanctificationē diei Sabbathi,

Præceptum Eccleſiæ eſt determinativũ cultûs.

ità

itâ Eccleſia CHRISTI ad præceptum Divinum ſuperaddidit determinationem cultûs, quo dies Dominicus ſanctificaretur. Hinc duo in Eccleſia Catholica ſuperaddita ſunt ad primævum præceptum juris Divini naturalis. *Prius*: Ex traditione enim Apoſtolica, quæ Divinam inſtitutionem præſupponit, Eccleſia diem Sabbathi (qui, ut ſuprà diximus, etſi diem creationis rememoraret, moltis tamen figurarum umbris involutus erat) in diem Dominicam ob creationis & reſurrectionis, æternæque quietis memoriam immutavit. *Poſterius*: Cultum poſitivum, quo Deus die illo coleretur, diſtinxit & determinavit, nimirùm, juge illud Miſſæ ſacrificium omnium ſacrificiorum complementum. Nil tamen in fundamentali præcepto & ejus eſſentia, quoad id, quod juris Divini & naturalis eſt, Eccleſia alteravit; remanet enim quòd una dies è ſeptem celebretur, & quòd in eo colatur ſingulariter Deus Creator Redemptorque. His ſic prænotatis, ſit

Quid præcepto primævo de ſanctifica Sabbatho Eccleſia addiderit?

CONCLUSIO I.

Ex vi præcepti Eccleſiaſtici præcisè ſumpti ille qui excuſatur ab audienda Miſſa, non tenetur ad illud opus poſitivum, ſive ad aliquem Dei cultum ſpecialem, præter ceſſationem ab operibus ſervilibus. Hæc eſt communis Doctorum ſententia. Et quidem Concluſio manifeſta eſt ex argumento negativo; nullus enim alius cultus ſpeciali præcepto Eccleſiæ in Dominica demandatus eſt, ut ſuperiùs de audiendis Veſperis vel Concione deduximus.

CONCLUSIO II.

Nota.

Ex præcepto Divino primævo, Memento ut diem Sabbathi ſanctifices, *tenetur qui Miſſam non audit in die Dominica, Deum ſpeciali cultu colere.* Ratio fundamentalis *Prima* deducitur ex verbo præcepti *ſanctifices*, quod indicat Dei laudem, peccatoris juſtificationem, vel aliquem Dei cultum ex communi Scripturæ phraſi, prout in primo prænotato oſtendimus. Undè ſi dies Dominica nobis ſit ſanctificanda, id debet fieri uno modorum illorum trium, nimirùm vel Dei laude, vel juſtificatione peccatoris, vel ſui, aut alicujus rei applicatione ad Dei cultum, quorum nullus ſine Dei poſitivo cultu poteſt fieri.

Secunda deducitur ex eſſentiali ratione ejuſdem primævi præcepti, quod à principio creaturæ ſemper ſic intellectum eſt. Undè tùm in veteri Synagoga, tùm in Eccleſia Chriſtiana pro communi populo ritus ſingulares determinati erant, qui quidem ità communiter obſervabantur, ut tamen caſu, quo illi non obſervarentur, nil demeretur de ſubſtantiali ratione præcepti, quo certè erat, aliquem cultum Deo impendere iſtâ die.

Tertia, Quia ſic intellexerunt ſancti Patres, qui paſſim dicunt, hominem illam diem debere expendere in operibus divinæ laudis, & ſalutis. Expreſsè S. Greg. lib. 11. Epiſt. 3. ad cives Romanos: *Dominicorum (ait) verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodò orationibus inſiſtendum, ut ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur* Et S. Aug. Serm. 251. de tempore: *Obſervemus ergò* (inquit) *diem Dominicam, Fratres, & ſanctificemus illam, ſicut Antiquis præceptum eſt de Sabbatho*, &c. Et infrà agens de ijs, qui non poſſunt venire ad Eccleſiam, ut cum alijs orent: *Qui verò* (inquit) *hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis.* Videatur & Concilium Matiſconenſe 2. ſub Guntramno Rege, & Pelagio 2. Pontifice c. 1. ubi poſtquàm prohibuit ſervilia opera; *Eſtote* (inquit) *omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habeat Eccleſiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat, ſint oculi manuſque veſtra toto illo die ad Deum expanſa.*

Greg. l. 11. Epiſt. 3. ad cives Rom.

August. Serm. 251 de temp.

Concil. Matiſco. 2. Can. 1.

CONCLUSIO III.

Qui nullo cordis motu vel cultu Deum in Dominica colit, peccat mortaliter. Ratio eſt: Quia præceptum de ſanctificatione illius diei non obſervat. *Sanctificare* enim eſt aliquo cultu Deum illâ die colere: eſtque obſervatio Dominicæ actus virtutis Religionis eſſentialiter. Qui autem tantum materialiter ceſſat ab operibus, ſi id abſque Dei cultu interiori vel exteriori faciat, otij peccato potiùs Deum offendit, quàm Deum colit. Nec videtur quis etiam ceſſando ab operibus Deum colere poſſe, niſi aliquo pio motu ad Deum hanc ceſſationem referat: finis enim obſervationis Dominicæ eſt Deo gratias agere, Deo laudes referre, Deo pro peccatis in hebdomada commiſſis ſupplicare. Quod qualiter abſque aliquo cultu, vel oratione fieri poſſit, æſtimet quilibet prudens rerum ponderator.

Nota.

Corollarium.

Ex quo *Infero primò*, Quamvis nullas preces, orationes, ritus Eccleſia ordinaverit pro ijs, qui excuſantur à Miſſa, remanere tamen penes illos obligationem realem & communem Deum aliquo cultu religioſo in Dominica colendi.

Inferes ſecundò, Doctorem ſubtilem Scotum in 3. D. 27. Q. unicâ num. 18. etſi videatur multis exceſſiſſe in pietate, dùm voluit hominem ad actum amoris Dei ſuper omnia in Dominica obligare: ipſius tamen opinionem, quoad bonum motum cordis & amoris in Deum & converſionem ad illum, quam comitatur peccatorum deteſtatio, in Patribus & Concilijs fundatam eſſe, quæ pro vero Dei cultu in Dominica poſtulant, ut homo ad Deum revertatur, & pro peccatis fiat ſupplex. Apertè autem hanc noſtram ſententiam de poſitivo aliquo cultu præfatus Doctor ſubtilis Scotus docuit D. 9. *Quæſt. unicâ*: dùm dixit, *Obſer-*

Scot in 3. Diſt 9 qu. un. n. 5.

obſervationem hujus præcepti non conſiſtere in ſola negatione operum ſervilium, *ſed in actu poſitivo, in ſanctificando, id eſt, magnificando Deum.*

QUÆSTIO IV.

A quibus operibus ſervilibus teneatur Fidelis in Dominica abſtinere?

HIc variæ ponuntur operum ſervilium aſſignationes à Doctoribus: alij enim ſub ſervilibus omnia mechanicarum artium opera includunt, prout à ſcientiarum & artium liberalium operibus diſtinguuntur: alij nonnulla opera mechanica ſeparant à ſervilibus, & alia liberalium artium opera ſervilibus jungunt. Ego in hac rerum varietate pono unam Concluſionem generalem.

CONCLUSIO UNICA.

Quæ opera ſervilia, & quæ non?

ILla cenſenda ſunt opera ſervilia in Dominicis prohibita, quæ in Natione, vel Regione, ſive Republica pro ſervilibus reputantur: illa verò, quæ talia non reputantur communi ſenſu, etiamſi ſervitutis aliquid adjunctum habeant, pro ſervilibus reputanda non ſunt. Ut autem noſtro more ſacrorum Conciliorum & Patrum ſenſui & judicio inhæreamus abſque altercationibus ſcholæ: pono

Conc. Aurelian III. cap. 27.

Primò Statutum Concilij Aurelianenſis III. ſub Vigilio c. 27. *Quia* (inquit) *perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis & bobus & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domûs vel hominis pertinentem ullatenùs exercere. (Quæ res quia ad Judaicam magis, quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur) Id ſtatuimus die Dominico, quod antè fieri licuit, licere.*

Opera in Dominica permiſſa.

In quibus verbis clarè deſignat: in Dominica licere iter agere equis, vehiculis, curribus, &c. *Item*: Licere parare quæ ad victum & neceſſitates humanas illo die requiruntur: imò licere quæ ad nitorem domûs, vel etiam hominis in aptando corpore & ornatu decenti pertinent. Ex quibus verbis generaliter *Infers*: Licere agere in Dominica, quod ratione neceſſitatis vel congruitatis illâ die humana vita requirit.

Opera prohibita.

Quod ſpectat verò ad opera illicita, ſubdit idem Concilium: *De opere tamen rurali, id eſt, agricultura vel vinea, vel ſectione, vel meſſione, excuſſione, vel exactis ſæpè cenſuimus abſtinendum, quò faciliùs ad Eccleſiam venientes orationis gratiâ vacent.*

Concil. Sueſſion. relatum à Burchardo l. 2. Decret. cap. 82.

Secundò, Concilium Sueſſionenſe apud S. Medardum, ut refertur à Burchardo l. 2. Decretorum c. 82. ſic habet: *Statuimus ſecundùm quod in Lege Dominus mandavit, ut opera ſervilia diebus Dominicis non agantur*, &c. Quæ enumerat: *Nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando vel metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepem ponendo, nec in ſylvis ſcirpando, vel arbores cedere, vel in petris laborare, nec domos ſtruere, nec in hortis laborare: nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur*, &c. Et de judicijs quidem & placitis tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, nè in Dominica vel Feſtis exerceantur, abſolutè prohibet Concilium Triburienſe c. 35. Et Tit. de Ferijs c. *Omnes*, ex Concilio apud compendium ſic decernitur:

Concil. Triburienſ. cap. 35. C. Omnes de Ferijs.

Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere, ut in eis mercatum minimè fiat, neque placitum, nec aliquis ad mortem vel pœnam judicetur; nec ſacramenta (aliàs juramenta) *niſi pro pace vel alia neceſſitate præſtentur.* Et de mercaturis citatur à nonnullis Concil. 4. Moguntinenſe c. 98. prohibens mercatus exerceri diebus Dominicis & Feſtis, niſi fortè earum rerum, quæ ad uſum quotidianum victûs requiruntur.

Nota.

Porrò in his omnibus ſingulariter notandum eſt: Concilia non explicâſſe ſingula opera, quæ ſervilia dicuntur & cenſentur; ſed tantùm ea, de quibus poterat eſſe quæſtio. Undè de mechanicis, quæ apud omnes homines inter ſervilia computantur, diſſimulaverunt, quia de illis quæſtio non erat: ut de operibus ſartoriæ, ſutoriæ, lignariæ, latomiæ, ferrariæ, &c. ac cæterarum artium, quæ apud omnes homines pro ſervilibus habentur, & prohibita reputantur. Ex his porrò omnibus texo catalogum ſaltem genericum operum ſervilium prohibitorum diebus Dominicis & Feſtivis.

Quæ mechanica prohibeantur.

Primò Igitur prohibentur artium mechanicarum opera, quæ ad quotidianam neceſſitatem humanæ vitæ non referuntur: ut ſunt omnia opera, quæ commodè differri vel præveniri, vel omninò relinqui poſſunt: ad excludenda illa opera, quibus communiter humana vita indies indiget ad hoc, ut commodè & decenter dirigatur. Undè quæ ad victum & diſpoſitionem quotidianam corporis, domûs, habitûs requiruntur, etſi ſervilia & mechanica ſint, non prohibentur in Dominica, ut ſuprà ex Concilio Aurelianenſi retulimus.

Ex quo *Infers primò*, Coquere cibos, qui eodem die comedi ſolent, etiam in furno, ut placentas, tortas, paſtillos, & alia id genus permiſſum eſſe in Dominica. *Item*: Lavare, mundare domos, lectos ſternere, veſtimenta aptare ad corpus, etiamſi aliquid debeat ſarciri vel ſui, ut rectè aptentur. Et ſic de ſimilibus.

Nota de operibus quæ differri poſſunt.

Infers ſecundò, Ea quæ ſolent vel præveniri, vel differri communi hominum uſu non licere, etſi ad vitam hominis conſervandam referantur: ut veſtes conficere, ſarcire, calceos ſuere, pileos formare, molere, &c. Iſta enim, etſi ad conſervandam hominum vitam pertineant, non ſunt tamen ex ſe quotidiana, nec eorum confectio dietìm requiritur. Quòd ſi neceſſitas ſpecialis occurreret, ut in Dominica illa parari deberent, tunc legitima cauſa, ſicut in cæteris, ab obſervatione Legis pro iſto actu excuſaret.

Ruralia prohibita.

Secundò, Prohibentur ruralia omnia, etſi enim quædam illorum non videantur omninò ſervilia, nihilominùs reſpectu finis principalis, qui eſt agrorum cultus, aliquid in ſe ſervile continent.

itâ Eccleſia CHRISTI ad præceptum Divinum ſuperaddidit determinationem cultûs, quo dies Dominicus ſanctificaretur. Hinc duo in Eccleſia Catholica ſuperaddita ſunt ad primævum præceptum juris Divini naturalis. *Prius*: Ex traditione enim Apoſtolica, quæ Divinam inſtitutionem præſupponit, Eccleſia diem Sabbathi (qui, ut ſuprà diximus, etſi diem creationis rememoraret, multis tamen figurarum umbris involotus erat) in diem Dominicam ob creationis & reſurrectionis, æternæque quietis memoriam immutavit. *Poſterius*: Cultum poſitivum, quo Deus die illo coleretur, diſtinxit & determinavit, nimirùm, juge illud Miſſæ ſacrificium omnium ſacrificiorum complementum. Nil tamen in fundamentali præcepto & ejus eſſentia, quoad id, quod juris Divini & naturalis eſt, Eccleſia alteravit; remanet enim quòd una dies è ſeptem celebretur, & quòd in eo colatur ſingulariter Deus Creator Redemptorque. His ſic prænotatis, ſit

Quid præcepto primævo de ſanctificādo Sabbatho Eccleſia addiderit?

CONCLUSIO I.

EX *vi præcepti Eccleſiaſtici præciſè ſumpti ille qui excuſatur ab audienda Miſſa, non tenetur ad illud opus poſitivum, ſive ad aliquem Dei cultum ſpecialem, præter ceſſationem ab operibus ſervilibus.* Hæc eſt communis Doctorum ſententia. Et quidem Concluſio manifeſta eſt ex argumento negativo; nullus enim alius cultus ſpeciali præcepto Eccleſiæ in Dominica demandatus eſt, ut ſuperiùs de audiendis Veſperis vel Concione deduximus.

CONCLUSIO II.

Nota.

EX *præcepto Divino primævo*, Memento ut diem Sabbathi ſanctifices, *tenetur qui Miſſam non audit in die Dominica, Deum ſpeciali cultu colere.* Ratio fundamentalis *Prima* deducitur ex verbo præcepti *ſanctifices*, quod indicat Dei laudem, peccatoris juſtificationem, vel aliquem Dei cultum ex communi Scripturæ phraſi, prout in primo prænotato oſtendimus. Undè ſi dies Dominica nobis ſit ſanctificanda, id debet fieri uno modorum illorum trium, nimirùm vel Dei laude, vel juſtificatione peccatoris, vel ſui, aut alicujus rei applicatione ad Dei cultum, quorum nullus ſine Dei poſitivo cultu poteſt fieri.

Secunda deducitur ex eſſentiali ratione ejuſdem primævi præcepti, quod à principio creaturæ ſemper ſic intellectum eſt. Undè tùm in veteri Synagoga, tùm in Eccleſia Chriſtiana pro communi populo ritus ſingulares determinati erant, qui quidem itâ communiter obſervabantur, ut tamen caſu, quo illi non obſervarentur, nil demeretur de ſubſtantiali ratione præcepti, quæ erat, aliquem cultum Deo impendere iſtâ die.

Tertia, Quia ſic intellexerunt ſancti Patres, qui paſſim dicunt, hominem illam diem debere expendere in operibus divinæ laudis, & ſalutis. Expreſſè S. Greg. lib. 11. Epiſt. 3. ad cives Romanos: *Dominicorum* (ait) *verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodò orationibus inſiſtendum, ut ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Et S. Aug. Serm. 251. de tempore: *Obſervemus ergò* (inquit) *diem Dominicam, Fratres, & ſanctificemus illam, ſicut Antiquis præceptum eſt de Sabbatho,* &c. Et infrà agens de ijs, qui non poſſunt venire ad Eccleſiam, ut cum alijs orent: *Qui verò* (inquit) *hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis.* Videatur & Concilium Matiſconenſe 2. ſub Guntramno Rege, & Pelagio 2. Pontifice c. 1. ubi poſtquàm probibuit ſervilia opera; *Eſtote* (inquit) *omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habeat Eccleſiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat, ſint oculi manuſque veſtra toto illo die ad Deum expanſa.*

Greg. l. 11. Epiſt. 3. ad cives Rom.

Auguſt. Serm. 251. de temp.

Concil. Matiſco. 2. Can. 1.

CONCLUSIO III.

QVi *nullo cordis motu vel cultu Deum in Dominica colit, peccat mortaliter.* Ratio eſt: Quia præceptum de ſanctificatione illius diei non obſervat. *Sanctificare* enim eſt aliquo cultu Deum illâ die colere: eſtque obſervatio Dominicæ actus virtutis Religionis eſſentialiter. Qui autem tantùm materialiter ceſſat ab operibus, ſi id abſque Dei cultu interiori vel exteriori faciat, otij peccato potiùs Deum offendit, quàm Deum colit. Nec videtur quis etiam ceſſando ab operibus Deum colere poſſe, niſi aliquo pio motu ad Deum hanc ceſſationem referat: finis enim obſervationis Dominicæ eſt Deo gratias agere, Deo laudes referre, Deo pro peccatis in hebdomada commiſſis ſupplicare. Quod qualiter abſque aliquo cultu, vel oratione fieri poſſit, æſtimet quilibet prudens rerum ponderator.

Nota.

Corollarium.

EX quo *Infero primò*, Quamvis nullas preces, orationes, ritus Eccleſia ordinaverit pro ijs, qui excuſantur à Miſſa, remanere tamen penes illos obligationem realem & communem Deum aliquo cultu religioſo in Dominica colendi.

Inferes ſecundò, Doctorem ſubtilem Scotum in 3. D. 27. Q. unicâ num. 18. etſi videatur multis exceſſiſſe in pietate, dùm voluit hominem ad actum amoris Dei ſuper omnia in Dominica obligare: ipſius tamen opinionem, quoad bonum motum cordis & amoris in Deum & converſionem ad illum, quam comitatur peccatorum deteſtatio, in Patribus & Concilijs fundatam eſſe, quæ pro vero Dei cultu in Dominica poſtulant, ut homo ad Deum revertatur, & pro peccatis fiat ſupplex. Apertè autem hanc noſtram ſententiam de poſitivo aliquo cultu præfatus Doctor ſubtilis Scotus docuit *D. 9. Quæſt. unicâ*: dùm dixit, *Obſer-*

Scot in 4. Diſt 9 qu. un. n. 5.

Digitized by Google

obſervationem hujus præcepti non conſiſtere in ſola negatione operum ſervilium, *ſed in actu poſitivo, in ſanctificando, id eſt, magnificando Deum.*

QUÆSTIO IV.

A quibus operibus ſervilibus teneatur Fidelis in Dominica abſtinere?

HIc variæ ponuntur operum ſervilium aſſignationes à Doctoribus: alij enim ſub ſervilibus omnia mechanicarum artium opera includunt, prout à ſcientiarum & artium liberalium operibus diſtinguuntur: alij nonnulla opera mechanica ſeparant à ſervilibus, & alia liberalium artium opera ſervilibus jungunt. Ego in hac rerum varietate pono unam Concluſionem generalem.

CONCLUSIO UNICA.

Quæ opera ſervilia & quæ non?

ILla cenſenda ſunt opera ſervilia in Dominicis prohibita, quæ in Natione, vel Regione, ſive Republica pro ſervilibus reputantur: illa verò, quæ talia non reputantur communi ſenſu, etiamſi ſervitutis aliquid adjunctum habeant, pro ſervilibus reputanda non ſunt.* Ut autem noſtro more ſacrorum Conciliorum & Patrum ſenſui & judicio inhæreamus abſque altercationibus ſcholæ: pono

Conc. Aurelian III. cap. 27.

Primò Statutum Concilij Aurelianenſis III. ſub Vigilio c. 27. *Quia* (inquit) *perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis & bobus & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domûs vel hominis pertinentem ullatenùs exercere. (Quæ res quia ad Iudaicam magis, quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur) Id ſtatuimus die Dominico, quod ante fieri licuit, licere.* In quibus verbis clarè deſignat: in Dominica licere iter agere equis, vehiculis, curribus, &c. *Item:* Licere parare quæ ad victum & neceſſitates humanas illo die requiruntur: imò licere quæ ad nitorem domûs, vel etiam hominis in aptando corpore & ornatu decenti pertinent. Ex quibus verbis generaliter *Infero*: Licere agere in Dominica, quod ratione neceſſitatis vel congruitatis illâ die humana vita requirit. Quod ſpectat verò ad opera illicita, ſubdit idem Concilium: *De opere tamen rurali, id eſt, agricultura vel vinea, vel ſectione, vel meſſione, excuſſione, vel exacto ſepè cenſuimus abſtinendum, quò faciliùs ad Eccleſiam venientes orationis gratiâ vacent.*

Opera in Dominica permiſſa.

Opera prohibita.

Concil. Sueſſion. relatum à Burchardo l. 2. Decret. cap. 82.

Secundò, Concilium Sueſſionenſe apud S. Medardum, ut refertur à Burchardo l. 2. Decretorum c. 82. ſic habet: *Statuimus ſecundùm quod in Lege Dominus mandavit, ut opera ſervilia diebus Dominicis non agantur,* &c. Quæ enumerat: *Nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arandò vel metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepem ponendo, nec in ſylvis ſtirpando, vel arbores cedere, vel in petris laborare, nec domos ſtruere, nec in horto laborare: nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur*, &c. Et de judicijs quidem & placitis tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, nè in Dominica vel Feſtis exerceantur, abſolutè prohibet Concilium Triburienſe c. 35. Et Tit. de Ferijs c. *Omnes*, ex Concilio apud compendium ſic decernitur: *Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere, ut in eis mercatum minimè fiat, neque placitum, nec aliquis ad mortem vel pœnam judicetur; nec ſacramenta* (aliàs juramenta) *niſi pro pace vel alia neceſſitate præſtentur.* Et de mercaturis citatur à nonnullis Concil. 4. Moguntinenſe c. 98. prohibens mercatus exerceri diebus Dominicis & Feſtis, niſi fortè earum rerum, quæ ad uſum quotidianum victûs requiruntur.

Concil. Triburienſ. cap. 35. C. Omnes de Ferijs.

Nota.

Porrò in his omnibus ſingulariter notandum eſt: Concilia non explicâſſe ſingula opera, quæ ſervilia dicuntur & cenſentur; ſed tantùm ea, de quibus poterat eſſe quæſtio. Undè de mechanicis, quæ apud omnes homines inter ſervilia computantur, diſſimulaverunt, quia de illis quæſtio non erat: ut de operibus ſartoriæ, ſutoriæ, lignariæ, latomiæ, ferrariæ, &c. ac cæterarum artium, quæ apud omnes homines pro ſervilibus habentur, & prohibita reputantur. Ex his porrò omnibus texo catalogum ſaltem genericum operum ſervilium prohibitorum diebus Dominicis & Feſtivis.

Quæ mechanica prohibeantur.

Primò Igitur prohibentur artium mechanicarum opera, quæ ad quotidianam neceſſitatem humanæ vitæ non referuntur: ut ſunt omnia opera, quæ commodè differri vel præveniri, vel omninò relinqui poſſint: ad excludenda illa opera, quibus communiter humana vita indies indiget ad hoc, ut commodè & decenter dirigatur. Undè quæ ad victum & diſpoſitionem quotidianam corporis, domûs, habitûs requiruntur, etſi ſervilia & mechanica ſint, non prohibentur in Dominica, ut ſuprà ex Concilio Aurelianenſi retulimus.

Ex quo *Infero primò*, Coquere cibos, qui eodem die comedi ſolent, etiam in furno, ut placentas, tortas, paſtillos, & alia id genus permiſſum eſſe in Dominica. *Item*: Lavare, mundare domos, lectos ſternere, veſtimenta aptare ad corpus, etiamſi aliquid debeat ſarciri vel ſui, ut rectè aptentur. Et ſic de ſimilibus.

Nota de operibus quæ differri poſſunt.

Infero ſecundò, Ea quæ ſolent vel præveniri, vel differri communi hominum uſu non licere, etſi ad vitam hominis conſervandam referantur: ut veſtes conficere, ſarcire, calceos ſuere, pileos formare, molere, &c. Iſta enim, etſi ad conſervandam hominum vitam pertineant, non ſunt tamen ex ſe quotidiana, nec eorum confectio dietim requiritur. Quòd ſi neceſſitas ſpecialis occurreret, ut in Dominica illa parari deberent, tunc legitima cauſa, ſicut in cæteris, ab obſervatione Legis pro iſto actu excuſaret.

Ruralia prohibita.

Secundò, Prohibentur ruralia omnia, etſi enim quædam illorum non videantur omninò ſervilia, nihilominùs reſpectu finis principalis, qui eſt agrorum cultus, aliquid in ſe ſervile continent.

Qui mercatus prohibentur. *Tertiò*, Prohibentur mercatus, ſub quibus intelliguntur nundinæ & expoſitiones publicæ mercium, quia hæc ſervitutem quandam publicam dicunt: privatæ tamen emptiones & venditiones rerum neceſſariarum non prohibentur, ſicut nec aliqui actus negotiationum ſingularium, ut ſunt contractus particulares & privati. Illæ enim mercaturæ, quæ prohibentur, magis interdicuntur ratione publicæ ſervitutis, & publici tumultûs & ſtrepitûs, qui quieti & tranquillitati Feſti repugnat, quàm ratione ſingularis venditionis, vel emptionis in privato, quæ abſque opere laborioſo & ſtrepitu fit, cùm emptio & venditio ex ſe ſervilis non ſit.

Quæ venationes prohibitæ. Hinc fit *Quartò*, Quòd prohibeantur venationes illæ clamoroſæ & tumultuariæ, quæ abſque labore & actibus ſervilibus concurrentibus fieri non poſſunt. Aliàs: ſimplex aliqua venatio ad recreationem, *Ex. g.* lepuris ad curſum canum, non videtur prohibita, quia in illa vix aliquid ſervile concurrit.

Forenſes actus prohibiti. Hinc & *Quintò* prohibentur forenſes ſtrepitus & judicia, teſtium auditiones ac juramenta publica. Hæc enim, etſi ex natura ſua ſervilia non ſint, nihilominùs ratione ſtrepitûs & actionum concurrentium communi paci & tranquillitati officiunt. His ferè quinque capitibus continentur opera, quæ ſub ſervilibus communi Eccleſiæ uſu prohibentur: ſi alia ab Epiſcopis & Synodis in aliqua Diœceſi prohibeantur, ſtandum eſt judicio Epiſcoporum & uſui, ac conſuetudini cujuslibet Eccleſiæ, aut Regionis, ut in Concluſione generaliter dixi.

Dubium.

Qualis ceſſatio ab opere ſervili requiratur ex vi præcepti?

Ceſſatio religioſa. **R***eſpondeo* requiri ceſſationem religioſam, ſive quæ ſit actus Religionis virtutis: ceſſatio enim illa ex natura ſua in cultum Dei ordinatur, & ad ſanctificationem illius diei pertinet. Undè omnis inhoneſta otioſitas in Dominica tantùm abeſt, ut cenſeatur ſufficiens ad præcepti adimpletionem: quin potiùs ex natura ſua peccatum eſt, juxtà illud Threnorum 1. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus.* *Thren. 1. verſ. 7.*

QUÆSTIO V.

Quæ cauſæ excuſent ſervilia opera exercentem in Dominica?

Cauſæ excuſantes. **R***eſpondeo* breviter 4. capitibus omnes cauſas excuſantes comprehendi, nimirùm, *Neceſſitate, Charitate, Officio, conſuetudine legitimâ, ſive Privilegio.*

Neceſſitas. *Neceſſitas* excuſat: Si ſine gravi damno vel detrimento ab operibus ſervilibus ceſſari non poſſit: ſic excuſantur: qui pluvioſâ æſtate debent fruges terræ & frumenta ſecare, metere, congregare in Dominica vel Feſto, in quibus aliqua ſerenitas affulget. Eâdem neceſſitate excuſantur, qui in officinis ſuſorijs ferri laborant. *Item*: Qui veniente hoſte valla debent exſtruere, & muros muuire, pontes inſtruere, vel deſtruere, &c. Videantur ſimiles caſus excepti in *C. Licet de Ferijs & alijs.*

Charitas. *Charitas* excuſat: ſi cujus aſinus vel bos in puteum cadat, quem etiam multo ſervili opere licet (teſte CHRISTO Domino) in Sabbatho extrahere. *Item*: Ad extinguendum incendium, & ad omnia proxima mala alicujus momenti avertenda. *Luc. 14.*

Officium. *Officium* excuſat belli Duces, ut etiam in Dominica exercitus diſponant, muniant loca, & alia, quantumvis ſervilia per milites curent fieri, quæ ex officio militiæ ſibi competunt. Similiter illos: quorum intereſt aggeres maris & fluminum conſervare, ſi eorum opera in Dominica requiratur.

Conſuetudo & privilegium. *Conſuetudo & Privilegium* excuſat: Ubi in Regionibus aliqua fieri communiter conſueverunt: ut de aliquibus nundinis conſtat; ſuper quibus attendenda eſt approbatio, vel legitima præſcriptio conſuetudinis, ſimul & ratio operis, & auctoritas Epiſcoporum, qui illa fieri permittunt, ut pro corruptelis non habeantur. Cæterùm omnes cauſæ ad has radices ſunt expendendæ in veritate & ſinceritate; Deus enim nec decipitur, nec deridetur.

Appendix.

De Feſtis.

De ſimilitudine Dominica & Feſtorū. **D**E Feſtis nil ſpecialiter addendum habeo: eandem enim ſortiuntur rationem cum Dominicis in obſervantia ſua, duobus exceptis. *Primum*, Quòd Dominicarum inſtitutio in ſe & fundamentali jure ſit juris Divini naturalis ex Decalogo: Feſtorum autem inſtitutio ſicut & obſervantia, ex mero jure poſitivo & humano Eccleſiaſtico. *Secundum*, Quòd Eccleſia poſſit abolere Feſta, ſicut & eorum obſervantias pro libitu mutare, Dominicam autem mutare, aut abolere non poteſt. *Tertium* addere poſſumus ex conſequenti: In Feſtis cùm quis Miſſam non audit, non tenetur ad aliquem alium cultum poſitivum, quia jure Eccleſiaſtico nullus talis eſt impoſitus ſub præcepto.

Antiquitas Feſtorum. Porrò antiquiſſimam fuiſſe Feſtorum inſtitutionem à tempore Apoſtolorum, conſtat ex *Clemente I. lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum c. 33.* ubi Decretum Apoſtolorum Petri & Pauli refert: de obſervatione Dominicæ hebdomadæ paſſionis, quam magnam vocat, Pentecoſtes, Natalis Domini, Epiphaniæ: in diebus Apoſtolorum, qui jam ultimum clauſerant diem, & in die S. Stephani, & alias ſolemnitates videre latas in *Cap. Conqueſtus de Ferijs*, ubi & prohibentur in illis judicia exerceri. *C. Conqueſtus de Ferijs.*

Regulæ

Regulæ generales reductoriæ.

De peccatis contra ſanctificationem diei Dominicæ & Feſtorum.

Regula 1.

Q*Vicumque legitimâ causâ non impeditus omittit religioſam aſſiſtentiam in auditione Miſſæ in Dominica vel Feſto, peccat mortaliter.* Regula clara eſt ex dictis: Quæ autem cenſeatur religioſa aſſiſtentia,& quæ ſint legitimæ cauſæ excuſantes ab auditione & aſſiſtentia in Miſſa, ſat ſuperque diximus in ſuperioribus, nec opus eſt aliquâ repetitione.

Regula 2.

Q*Vi eſt excuſatus à Miſſa in Dominica, non eſt excuſatus ab aliquo poſitivo cultu Dei exercendo juxta rationem loci & temporis.* Undè quicumque à Miſſa excuſatus eſt, tenetur aliquo cultu, juxta beneplacitum, Deum colere, idque ſub peccato mortali. *Ratio eſt*: quia ad veram ſanctificationem Dominicæ requiritur eſſentialiter aliquis cultus. Vide *ſuprà hoc eodem Tractatu.*

Regula 3.

Q*Vi in Dominica vel Feſto exercet aliquod opus prohibitum, peccat mortaliter, niſi aut legitima cauſa, aut levitas materiæ excuſet.* Et hæc Regula etiam eſt manifeſta. Quæ ſit autem cauſa legitima, diximus *quæſt. 5. ſuprà.* Levitas etiam materiæ prudentis & timorati arbitrio relinquitur.

Schema totius Tractatus.

Dies Dominicus obſervandus eſt
- Opere poſitivo
  - Auditione Miſſæ
    - Aſſiſtentiâ
    - Attentione } religioſâ.
    - Reverentia
  - Cultu alio ſpeciali ſi Miſſa audiri non poteſt.
- Ceſſatione ab operibus ſervilibus juxta morem regionis.

Cauſæ excuſantes ſunt
- Impotentia
- Charitas
- Officium
- Conſuetudo
- Privilegium
- Status

Cauſæ ob quas licet in Dominica operari, ſunt
- Neceſſitas
- Charitas
- Officium
- Conſuetudo
- Privilegium.

Hæc omnia toto hoc Tractatu clarè explicantur.

TRACTATUS QUINTUS
DE
QVARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Exod. 20.

TITVLVS PRIMVS
DE
SVBSTANTIA, NATVRA AC OBLIGATIONE quarti præcepti Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quid hoc quarto præcepto contineatur?

Præceptū negativū cum affirmativo. Exod. 20. v. 12.

A*Dvertendum primò,* Hoc præceptum: *Honora patrem tuum & matrem tuam,* etſi formaliter ſit affirmativum, honorem præcipiens parentibus impendi: Virtualiter tamen includere negativum præceptum: quod exprimi poteſt hoc modo: *Non inhonorabis patrem tuum & matrem tuam,* id eſt: Non facies aliquid, quod honori debito parentibus adverſetur.

Quid nomine honoris parentum? Honor pro affectu.

Adverte ſecundò, Nomen honoris parentum tripliciter ſumi in Scriptura. *Primò,* pro *affectu dilectionis,* quo filii eos ſuſpiciunt, & amore filiali offendere timent: Eſt enim dilectio radix & principium omnis honoris, qui parentibus impenditur. Undè

Eccli. 3. verſ. 14. 15.

ſimul omnia colligantur. Eccleſiaſtici 3. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & nè ſpernas eum in virtute tua.* Et ibidem: *Qui honorat*

Verſ. 7. 8.

patrem ſuum, vitâ vivet longiore. Infrà. *Qui timet Dominum, honorat parentes: & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt.*

Honor pro Opere. Eccli. 7. verſ. 9. 10. Et cap. 7. verſ. 29. Verſ. 30.

Secundò, Sumitur pro *Opere*. Eccli. 3. *In opere & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat.* Eccli. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tua nè obliviſcaris: Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Opus vero illud potiſſimùm eſt beneficentiæ, juxtà illud 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Et Prov. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, &c.

1. Timoth. 5. verſ. 17. Proverb. 3. verſ. 9. Honor pro ſigno reverentia. Eccli. 3. verſ. 9. Verſ. 5. Coloſſ. 3. verſ. 20.

Tertio, Pro *Signo reverentia & ſubjectionis*, ſuprà Eccli. 3. *In opere & ſermone*, &c. *Sicut qui theſaurizat, ità & qui honorificat matrem.* Item ad Coloſſ. 3. *Filij obedite parentibus per omnia*, &c.

Quid nomine patris vel matris?

Adverte tertiò, Nomen patris vel matris tripliciter in Scripturis ſumi. *Primò, propriè*, pro parentibus, qui nos genuerunt.

Secundò, Suppletivè, pro ijs, qui in eorum jus & locum velut ſuccedunt, ut ſunt adoptantes, patrini, tutores, &c.

Patres ex ſimilitudine ratione ætatis. 1. Timoth. 5. verſ. 1. 2. Levit. 19. verſ. 32.

Tertiò, Similitudine deductâ. *Primò*, Ratione ætatis 1. ad Timoth. 5. Seniores commendantur tanquàm patres, *Seniorem* (inquit) *nè increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut ſorores in omni caſtitate.* Undè & Levit. 19. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum.*

Ratione doctrina. 1. Cor. 4. verſ. 15. Verſ. 14. Deut. 32. verſ. 7.

Secundò, Ratione ſpiritualis doctrinæ & educationis 1. ad Cor. 4. *Si decem millia Pædagogorum habeatis in* CHRISTO, *ſed non multos patres: nam in* CHRISTO JESU *per Evangelium ego vos genui.* Et ſuprà: *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo.* Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.*

Ratione Gentis. Exod. 3. verſ. 6. Verſ. 16.

Tertiò, Ratione gentis: Primi enim, qui in gente fuerunt, patres dicuntur. Exod. 3. *Ego ſum Deus patris tui*, &c. Infrà: *Dominus Deus patrum veſtrorũ apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac*, &c. qui utiquè propriè non erant patres Moyſi, nec Iſraëlitarum tunc viventium.

Ratione Poteſtatis. 4. Reg. 5.

Quartò, Ratione poteſtatis: Undè Reges & Judices vocati ſunt patres (& Naam Syrus princeps militiæ 4. Reg. 5. ſpecialiter vocatur pater à ſervis ſuis) eò quòd eorum fuit plebes conſervare & protegere velut paternâ pietate, non violentiâ. His ſic prænotatis, ſit:

CONCLUSIO UNICA.

In quibus honor parentum conſiſtat.

PEr præceptum de honorando parentes formaliter & propriè præcipitur reddi honor debitus parentibus, qui nos genuerunt; qui in tribus conſiſtit: Amore, ſcilicet, Obedientia, & Reverentia: Prohibetur autem quidquid his adverſatur in affectu, opere, & ſigno. Hic eſt præcepti ſenſus literalis & univerſalis Scripturæ, quæ tota occupata eſt huic obligationi filiorum in parentes inculcandæ: ità ut non ſit opus coacervandis Scripturis oleum & operam inſumere. *Ratio* fundamentalis totius obligationis ſumitur ex cap. 7. Eccli. *Memento* (inquit) *quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodò & illi tibi.*

Eccli. 7. verſ. 30.

Obligatio ad parentes eſt juſtitiæ.

Ex qua ſententia *Colligo primò*, Præceptum de honore parentibus exhibendo non fundari ſolùm in præcepto & ordine charitatis, ſed etiam in titulo juſtitiæ. Ex eo enim: quòd cum Deo dederint nobis eſſe, obligatione juſtitiæ tenemur illis ad amorem & retributionem affectûs in opere. Ex eo autem: quòd alimentum & omnem ſolicitudinem in noſtra conſervatione impenderint, quaſi nos ſuos fecerunt. Undè præter affectum & effectum amoris, debemus illis obedientiam. Denique, quia tota morum educatio ab illis eſt, ideò & reverentiam præſtare debemus: quamvis ex primo titulo, quò niſi per illos nati non ſimus, omnia tria hæc illis ex eminenti ratione debeamus.

Nota. Eccli. 7. verſ. 30.

Colligo ſecundò, Peccata contrà honorem parentum non tantùm adverſari præcepto charitatis, ſed etiam præcepto juſtitiæ & æquitatis. *Retribue* (ait Eccleſiaſticus) *illis, quomodò & illi tibi.* Undè etſi in radice ex parte parentum omnia ab amore procedant, in relatione tamen filiorum ad parentes juſtitiæ & æquitatis titulus intercedit: ità ut ratio operis ſit charitatis: obligatio autem ſit juſtitiæ & æquitatis.

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat obligatio amoris filiorum ad parentes?

CONCLUSIO UNICA.

Triplex amoris obligatio.

IN tribus conſiſtit obligatio amoris filiorum ad parentes. Nimirùm, Primò, Nec malum eis velle, nec malum inferre. Secundò, Poſitivè amare, & benè velle ac benefacere. Tertiò, Omnem injuriam & nocumentum (quantùm in nobis eſt) ab eis propulſare. Ex quibus *Infero* tres Regulas generales.

Regula 1. generalis.

QVicunque odio, malevolentiâ, vel gravi indignatione animi fertur in parentes: aut aliquo opere externo odium, malevolentiam, vel indignationem gravem oſtendit, peccat mortaliter. Id Scripturæ paſſim indicant de maledictionibus, contemptu, derelictione, pravo affectu, afflictionibus, contriſtationibus parentum. Exodi

Exod. 21. verſ. 17.

21. *Qui maledixerit patri ſuo vel matri, morte moriatur.* Et Prov. 20. *Qui maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in medijs tenebris.* Deuteron. 27. *Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem, & dicet omnis populus, Amen.* Proverb. 19. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix.*

Prov. 20. verſ. 20. Deut. 27. verſ. 16. Prov. 19. verſ. 26.

Et cap. 23. verſ. 22 & c. 30. verſ. 17. lix. Et cap. 23. *Audi patrem tuum, qui genuit te, & nè contemnas, cùm ſenuerit mater tua.* Et cap. 30, *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Eccli. 3.

Eccli. 3. v. 14. 15. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & nè ſpernas eum in virtute tua.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, peccare mortaliter eos:

Peccata filiorum in parentes. *Primò*, Qui odio & pravo affectu in parentes feruntur, eis mortem optantes, vel de eorum notabili malo gaudentes.

Secundò, Qui maledictionibus, contumelijs, verbis injurioſis eos afficiunt.

Tertiò, Qui quovis modo, alloquio duro, torvo aſpectu eos affligont & contriſtant.

Nota. *Quartò*, Qui in ſuis domibus eos recipere nolunt, niſi fortè alibi æqualiter eis benè provideant, ſicut in propria domo: aliàs enim reputarentur eos affligere, & velut à ſua domo fugare.

Quintò, Qui contemnunt, ſubſannant, irrident, deſpiciunt.

Sed ad penitiorem horum peccatorum cognitionem reſtant aliquot Dubia.

Dubium 1.

Quæ cenſeatur materia gravis in odio, malevolentia, contemptu & injuria ergà parentes?

Nota. **R**eſp. *primò*, Odium, malevolentia, injuria, quæ cenſetur gravis in proximum, eſt ſumma, ſi ſit in parentem. *Ratio* ſumitur ex parte gradûs obligationis: ſi enim, teſte S.

1. Joan. 3. verſ. 15. Joanne 1. Epiſt. cap. 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, conſequenter qui odit pa-

Matth. 5. verſ. 22. trem ſuum *paricida* erit. Et Matth. 5. ſi, qui dicit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis, quid erit de eo, qui vocaverit patrem ſuum fatuum.

Reſp. ſecundò, Odium, malevolentia, contemptus, injuria, &c. quæ eſt aliàs mediocris in quemlibet proximum, cenſetur & reputatur gravis in parentem. *Ratio* iterùm eſt: quia gradus propinquus ſub Deo, ſunt parentes, ergò proportionate ad odium, malevolentiam & injurias Divinas, odium & malevolentia in parentes menſuranda erit. Parentes enim loco Dei nobis ſunt, & patria poteſtas jure naturæ ſub Deo primaria eſt. Undè non tantùm obligatio ratione debiti amoris, ſed etiam ratione debitæ obedientiæ, ſeu reverentiæ in quolibet contemptu & aſpernatione parentum ad gravitatem peccati concurrit & expendenda eſt.

Dubium 2.

Quæ cenſeatur materia gravis in exacerbatione, contriſtatione, vel afflictione parentum, &c.?

HOc Dubium pro explicatione peccatorum in parentes multùm neceſſarium eſt. Etſi enim de ſuo odiò, malevolentia, contemptu, injuria, quatenùs ab agente ſeu inferente procedit, quis judicare poſſit; quia illa vel ab ipſo ipſiuſque mala voluntate procedunt: non eſt tamen eadem ratio exacerbationis, triſtitiæ, afflictionis, prout in parentibus excitatur, & recipitur. Quidam enim contriſtantur & tabeſcunt humore aliquo melancholico, aut imaginatione pravâ, aut etiam odio & averſione à filijs; ita ut quamvis filij nullam cauſam dent, aut ſaltem admodùm levem, parentes indè cauſas triſtitiæ, vel exacerbationis graviſſimæ ſibi forment. Quæſtio itaque eſt: undè ſumenda ſit ratio gravitatis, ubi parentes prætendunt ſe affligi, contriſtari, aut moleſtari à filijs.

Exacerbatio deſumenda à facto vel omiſſione. *Reſpondeo primò*, Exacerbationem, contriſtationem, afflictionem, &c. debere ſumi à veritate facti, vel omiſſionis: ſi nimirùm filius verè aliquid ſine cauſa juſta & conveniente faciat vel omittat, ex quo advertit, vel advertere debet, parentem contriſtandum, vel exacerbandum, etſi aliàs ipſum factum per ſe non ſit malum. *Explico*: Sciebat Eſau patrem ſuum Iſaac contriſtandum, ſi de filiabus Chanaan uxorem acciperet: etſi jungi illis Matrimonio per ſe malum non eſſet, peccabat tamen mortaliter accipiendo de illis uxorem, quia ſine juſta cauſa faciebat id, quod ſciebat parenti diſpliciturum. Et quotidiè videmus filios converſationibus, occupationibus, actionibus, omiſſionibus, quas ſciunt parentibus graviter diſplicere, etſi quandoque non ſint malæ, ex mera libertate uti, & parentes graviſſimè affligere.

Dixi (*ſine cauſa juſta*) ſi enim filij verè juſtam cauſam habeant aliquid agendi, & expediatur res agatur (etſi meliùs ſit interdùm condeſcendere, ubi res omninò non urget) non peccant mortaliter, ſi id agant, quamvis indè triſtitia parentum oriatur: quia verè huic triſtitiæ, vel exacerbationi realem cauſam non dederunt. Nota.

Reſpondeo ſecundò: In Dubio juſtitiæ vel rationis cauſæ vel facti teneri filios abſtinere ab omni eo, quod parentes exacerbare poteſt. *Ratio* eſt: quia in dubio obligatio ſtat a parte filiorum parentes non contriſtare, aut exacerbare.

Reſpondeo tertiò, Ubi certò conſtat exacerbationem oriri ex malevolentia paterna, vel ex Nota. pravo humore: charitatis filialis eſt, omnem illius excitandæ occaſionem ſubterfugere, ſi tamen interdùm inculpatè contrà intentionem filij exacerbatio illa ſuboriatur, filius non peccat; ſed parenti peccatum eſt imputandum. *Exemplum* eſt in Saul, qui malè ferebat, quòd Jonathas filius adhæreret juſtiſſimo amore David. Advertant nihilominùs filij, nè mentiatur iniquitas eorum ſibi, & nè moroſitates parentum prætendant, cùm ipſimet ſint cauſa afflictionum, ſive per ſe, ſive per uxores & alios, quorum ductu & inſtinctu contemnunt parentum pietatem, & debitum

Eccli.3. verſ.14.15. amorem. Undè ſuprà Eccli. 3. *Et non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & nè ſpernas eum in virtute tua.* q.d. Etſi ſenſu deficeret, ſive errarer, deferendum eſt tamen ei, & providendum, ſi fieri poteſt, nè contriſtetur. Et infrà:
Verſ.18. *Quàm malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem!*

Regula 2. generalis.

Filij tenentur poſitivè parentibus benefacere.

Filij tenentur poſitivè amare parentes, & ubi ratio poſtulat, illis benefacere, alimenta præbendo, in infirmitate & occurrentibus caſibus, illis per ſe, vel per alium aſſiſtendo, opitulando, à carceribus liberando, &c. Et qui in iſtis notabiliter ſuâ culpâ deficit, peccat mortaliter. Hæc iterùm Regula ex natura rei clara eſt, & ità in Scripturis ipſis expreſſa, ut non ſit opus vel unam citare. Vide ſuprà allegatas in principio.

Unicum portò hîc repetitum ſemper deſidero, nimirùm: Negare parentibus alimenta & opitulationes neceſſarias in utroque homine, cùm illas filius etiam cum aliquo gravi incommodo eis exhibere poteſt, eſſe peccatum contra jus naturale, & ipſum naturæ præceptum, quidquid ad jus gentium aliqui recurrere velint. Fundor in illis verbis
Nota.
Eccli.7. verſ.30. Eccli. 7. *Retribue illis, & illi tibi.* Undè eſt & illud
Tob.4. verſ.3.4. Tobiæ 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.* Ex quibus debitum filiorum in parentes expenditur. Primò: Æſtimatione ipſius eſſe:
Eccli. 7. verſ. 30. *Quoniam* (inquit Eccleſiaſticus) *niſi per illos natus non fuiſſes.* Secundò, Æſtimatione ſolicitudinum, laborum, periculorum, quæ parentes ſuſtinent in filijs alendis & conſervandis. Tertiò, Ob educationem, quia ab ipſis educatio, & inſtitutio filiorum pendet. Jus etiam illud naturæ inſtinctu ciconiarum probatur, quæ parentes in ſenectute alunt, conſervant, & ubi opus eſt, deportant.

Sed hîc Dubia quædam proponuntur.

Dubium I.

An filius poſſit intrare Religionem, eamque profiteri, parentibus in neceſſitate relictis?

Duplex neceſſitas.

Diſtinguenda eſt neceſſitas duplex: alia *Gravis*: alia *Extrema*. *Gravis neceſſitas* dicitur: quandò abſque gravi incommodo vitæ vel famæ parentes etiam tenuiter vitam ſuſtentare non poſſunt: ut ſi cogerentur mendicare, contrà ſtatum ordinarium ſuæ familiæ, aut contrà honeſtatem ſervitio, aut laboribus ſuæ ſortis & conditionis hominibus aut ætati incompetentibus, victum quærere.

Extrema verò *Neceſſitas* reputatur: Quando vita vel fama periclitatur, ut ſi victum & veſtitum ſibi acquirere nequeant, aut à creditoribus ad perpetuos carceres vel mortem ob æs alienum poſtulentur, nec ſint ſolvendo.

Neceſſitas iterum duplex.

Rursùs: Neceſſitas dividi poteſt in *Actualem*, ſive præſentem, & in *Imminentem*. *Actualis* dicitur: quæ jam defacto eſt, aut incipit eſſe. *Imminens* dicitur: quæ etſi actu non ſit, brevi tamen judicatur, ſive expectatur futura. His ſic prænotatis,

Filius quando non poteſt intrare Religionem.

Reſpondeo, Filium Religionem intrare non poſſe, minùs profiteri, ſi parentes habeat in neceſſitate actuali gravi, vel extrema conſtitutos, & ſperet illis ſe poſſe in aliquo opitulari. *Ratio* eſt: quia obligatio juris Divini naturalis antecedit omne opus voluntarium & liberum, quantumcuque ſanctum, eique præferri debet: atqui ſuccurrere parentibus gravi vel extremâ neceſſitate laborantibus, eſt obligationis juris Divini naturalis, intrare autem, aut profiteri Religionem, eſt opus voluntarium & liberum, ſoliuſque conſilij: ergò obligatio ſuccurrendi parentibus illi debet præferri.

Nota.

Ex quo *Infero*: Ingredientes, aut profitentes Religionem, parentibus in gravi vel extrema neceſſitate exiſtentibus, peccare hoc ipſo mortaliter contrà præceptum juris Divini naturalis obligans ad mortale, quod eſt honorare parentes debito opere & obſequio. Vide quæ diximus Tract. 2. Tit. 4. Sect. 2. Quæſt. 1. Propoſ. 6. in Corollario explicantes illud Matth. 15. *Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem*, &c. ubi docuimus opera charitatis in parentum gravi vel extrema neceſſitate debere præferri omnibus voluntariis oblationibus, etiam Deo factis. Matth.15. verſ.5.6.

Nota.

Dixi in reſponſione (*& ſperet illis ſe poſſe in aliquo opitulari*) ſi enim nulla appareat poſſibilitas ſuccurrendi parentibus, tunc executio præcepti impoſſibilis cenſebitur, & religionem quis ingredi poterit. Semper tamen cenſetur poſſibilitas adeſſe, quando, etſi ſine gravi incommodo non poſſit, ſuccurrere tamen poteſt, modò non ſit æquale aut extremum ex ſua parte periculum. Vide ſuprà loco allegato §.2. Dub.2. Et in Regula generali ſequenti.

Hæ porrò Reſolutiones diffinitæ ſunt in Synodo Gangrenſi cap.16. *Si qui filij parentes, maximè fideles deſeruerint occaſione cultûs Dei, hoc juſtum judicantes eſſe, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt, anathema ſit.* Concil. Gangren. cap.16.
Quem Canonem confirmat Scriptura Proverb. 28. *Qui* (inquit) *ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*: Ubi per (*ſubtrahere aliquid*) intelligitur non tantùm ſubtractio furtiva rei, ſed ſubtractio ſubſidii, auxilii & opitulationis in neceſſitatibus eorum. Hoc Prov.28. verſ.24.

enim

Digitized by Google

enim indicat adjuncta pœna: *Particeps homicidæ eſt*: quia nimirùm ex defectu alimenti, ſubſidii & auxilii neceſſarii, pater & mater deficiunt: Undè eſt illud: *Si non paviſti, occidiſti.*

S. Ambroſ. apud Gratian. diſt. 86. c. paſce.

Dubium 2.

Quid ſi iam filius ingreſſus & profeſſus eſt Religionem?

Reſpondeo primò: Peccaſſe mortaliter ut ſupra dictum eſt: teneri autem ſemper durante vitâ & neceſſitate parentum illis quovis modo poſſibili ſuccurrere, etiam contra obligationes votorum Religionis. Quod intellige juxta ſupradicta, quando parentes erant in actuali neceſſitate gravi vel extrema, cùm filius ingreſſus & profeſſus eſt religionem. *Ratio eſt:* quia votum non potuit præjudicare obligationi juris divini naturalis, quo filius tenebatur ante votum: undè voti obligatio ceſſat, quamdiu vita & neceſſitas parentum perſeverat, ſicuti ſi mancipium profiteatur religionem abſque conſenſu Heri, tenetur ad operas omnes ſervitutis quantumvis profeſſus, & redire ad Herum ſuum. Nota.

Reſpondeo ſecundò: Si poſſit filius ingreſſus religionem æqualiter aut meliùs ſatisfacere neceſſitati parentum: eique id permittatur à religione ſive Superioribus religionis: non tenetur egredi aut deſerere religionem, ſed in ea tenetur permanere. *Ratio eſt:* quia tunc religio non eſt incompoſſibilis præcepto & obligationi ſubveniendi neceſſitati parentum, & utrumque, manente voto & præcepto juris naturalis, ex ſuppoſitione executioni mandari poteſt.

Reſpondeo tertiò: Si non poſſit filius ſubvenire parentibus manens in religione, tenetur egredi. *Ratio eſt:* quia quidquid in voto incompoſſibile eſt præcepto & obligationi juris naturalis, ut dictæ naturali obligationi ſatisfiat, omninò tolli debet.

Nota. *Reſpondeo quartò:* Si poteſt filius in religione manens opitulari parentibus in neceſſitate extrema vel gravi exiſtentibus: Religio autem & Superiores id nolint, tenetur egredi. *Ratio eſt:* quia contradicente religione, non poteſt ſatisfacere obligationi naturali: nec religio ad hanc facultatem concedendam obligatur: quinimò (niſi religio conſcia fuerit neceſſitatis actualis parentum in receptione) poteſt ſic profeſſum ejicere, & totaliter eum dimittere, etiam aliâ causâ non ſubſiſtente. *Ratio eſt:* quia non cenſetur ad religionem voluiſſe admittere eum, qui eſſentiale impedimentum obſervationis Regulæ & religionis haberet: filius autem, qui parentibus in gravi vel extrema neceſſitate exiſtentibus ingreditur religionem, obſervationis Regulæ & religionis ut ſic, eſſentiale impedimentum habet. Neque enim obedientiam ſervare poteſt, ut in religione ſervatur; nec paupertatem, cùm debeat permitti ipſi omnis neceſſaria parentum opitulatio, qualiſcumque ſit, & à religionis exercitiis plurimis pro tempore abſolvi. Undè nec cenſetur hic & nunc *conditione liber*, quia jure naturæ eſt obſequio parentis mancipatus majori obligatione, quàm mancipium Domino: Certum eſt autem mancipii profeſſionem jure nullam eſſe, ſi Dominus contradicat.

Dices primò: Poteſt religio in prædictis pro tempore diſpenſare, vel ipſam obſervantiam votorum modificare, interpretari, aut aliàs ſtatui rei præſentis piè accommodare. *Reſpondeo:* Etſi poſſit, non tamen tenetur, imò frequenter non expedit id fieri. *Ex. gr.* Poteſt religio permittere, ut filius in religione manens provideat ſub obedientia, & expreſſis modis proprietatem excuſantibus, parenti ſubveniat: quia tamen indè relaxatio aliqua, exemplum malum, diſtractio vitæ religioſæ, & aliæ cauſæ ſimiles oriri poſſunt, ad id non tenetur, & ſæpè expedit ut non fiat. *Similiter* poteſt religio permittere, ut filius egrediens ad ſubveniendum parentibus cum habitu religioſo egrediatur: non tenetur; imò quandoque id non expedit, ob caſus & incommoda religioni indè naſcentia. Nota.

Dixi notanter ſuperiùs (*niſi Religio conſcia fuerit neceſſitatis parentum*) ſi enim conſcia fuit; tunc tenetur in omnibus filio favere pro ſubſidio parentum, etiam illum retinendo, ſi ita ſuccurrere poteſt. *Ratio eſt:* quia ſciens & volens cenſetur ſe obligaſſe futuris eventibus. Nota.

Dices ſecundò: Quid ſi parentes obligationem remittant filio ut in religione remaneat, non obſtante eorum neceſſitate? *Reſpondeo:* Si parentibus aliundè provideri non poſſit, huic obligationi parentes cedere non poſſe: ſicut nec poſſunt ſibi mortem inferre, aut mortis periculo abſque juſta causâ ſe ſpontè exponere. *Ratio eſt:* quia lex à Deo naturæ indita, ſicut indiſpenſabilis eſt, ſic & irrevocabilis: nec parentes in illam filiorum obligationem poteſtatem habent: eſt enim jus inditum in favorem naturæ, non perſonæ, ita, ut nec perſona juri illi, & conſequenter nec obligationi renuntiare poſſit: ſicut, etſi Joannes daret mihi poteſtatem in vitam ſuam, non liceret tamen mihi illum occidere: quia non eſt illius hanc poteſtatem dare. Et ut præceptum charitatis non egrediamur: etſi, qui in mortis periculo extremo verſatur, mihi remitteret obligationem communis charitatis in proximum, ſecundùm quam illum eripere teneor ſi poſſum; teneor tamen non obſtante iſtâ remiſſione ſub peccato mortali illum eripere. quia me ab obligatione iſta non poteſt eximere, quantumvis videatur juri ſuo velle cedere. Nota.

Dubium 3.

Quid agendum illi, qui vovit ingredi Religionem, aut de facto Religionem eſt profeſſus, parentibus in gravi vel extrema neceſſitate exiſtentibus?

Nota. Reſpondeo primò: Durante vitâ & neceſſitate parentum ſi nondum eſt profeſſus, non poſſe licitè profiteri, nec poſſe Religionem ingredi, ſi nondum eſt ingreſſus. *Reſponſio* conſtat ex prædictis. Offenderet enim Deum mortaliter.

Reſpondeo ſecundò: Si jam eſt profeſſus, ſive egrediatur ad ſubveniendum parenti ſive non: teneri ad omnes religionis obligationes, quæ compoſſibiles ſunt, & obſequium neceſſarium parentum ſimul compatiuntur. *Ratio eſt*: quia non excuſatur à voto, niſi in quantum votum impedit obſervantiam præcepti juris divini naturalis de obſequio neceſſario præſtando parentibus.

Reſpondeo tertiò: Qui Religionem ingreſſus eſt, tunc tenetur egredi. nullo enim alio vinculo tunc ſupponitur ligatus.

Nota. *Reſpondeo quartò*: Qui vovit ingredi Religionem, aut eam jam profeſſus eſt, mortuis parentibus aut finitâ neceſſitate, tenetur ad munia Religionis ac voti onera: & ſi jam egreſſus eſſet, regredi. *Ratio eſt*: quia obligatio votorum ſemper verè perſeveravit; ſed tantùm eorum obſervantia & actualis executio ob incompoſſibilitatem cum obſervantia Legis divinæ naturalis impedita fuit. Cætera quæ ad regulam de amore poſitivo & beneficentia circa parentes pertinent, Vide *Tract. 2. tit. 4. ſect. 2. de dilectione proximi. & ſect. 1. quæſt. 3. §. 3. Reg. 1. & 2.*

Dices: Scripturæ ob Dei amorem ſuadent parentum odium, & omnem derelictionem.
Deut. 33. v. 9. Undè Deuteron. 33. de Levi dicitur: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro vos,* &c. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.* Luc. 14. *Si quis venit*
Luc. 14. v. 26. *ad me, & non odit patrem ſuum & matrem,* &c. *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et Matth. 8. ei qui
Matth. 8. v. 22. volebat ſepelire patrem ſuum Chriſtus (ait) *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et alia loca paſſim ſuadent parentum derelictionem. *Reſpondeo* omnia regulanda eſſe hâc ſententiâ
Matth. 10. v. 37. Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Hoc ſenſu: quòd Deus in amore noſtro præferendus ſit omnibus nobis conjunctiſſimis in contingentia peccati, & cauſa ſalutis, id eſt, ut præferantur Dei mandata & conſilia, mandatis & conſiliis hominum; & ubi occurrit dilemma: Aut parentibus & propinquis condeſcendendum: aut offenden-
Nota. dus Deus: offenſâ parentum poſtponatur offenſæ Dei, & parentes potiùs pereant, quàm Deus offendatur. In caſibus autem præcedentibus: Mandatum Dei de honorando parentes propter Deum, præfertur voluntariæ tantùm oblationi: Undè in hoc ipſo amor Dei in tantum prævalet, quòd ejus mandatum propriæ noſtræ voluntati & affectui præponatur. Eleganter ſanctus Gregorius homil. 37. in Evangelia: *An ſimul* (inquit) *& odiſſe poſſumus,* S. Gregor. homil. 37. in Evang. in init.
& diligere? Reſpondet: *Si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per diſcretionem valemus: ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti ſunt, & quos proximos novimus, diligamus: Et quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Hæc ſanctus Gregorius. Parens autem in neceſſitate exiſtens non eſt adverſarius, nec in via Dei nobis adverſatur. Quinimò qui profitetur religionem patre in neceſſitate exiſtente, Deum odit, cujus mandatum promiſſione longioris vitæ honoratum non ſervat: Qui verò ſuccurrit, Deum amat, & mandatis ejus obtemperat, eſtque magni meriti ſeges opitulatio parentis.

Regula 3. generalis.

F*ilij tenentur ſub peccato mortali ubi poſſunt, propulſare omne malum, omnemque injuriam notabilem à parentibus.* Hæc iterùm Regula ex terminis eſt certa & clara. Vide quæ diximus *Tract. 2. tit. 4. ſect. 2. quæſt. 1. §. 4.*

TITVLVS II.

De obedientia filiorum ad parentes.

QUÆSTIO I.

In quibus filii debeant parentibus obedire?

CONCLUSIO UNICA.

I*N omnibus juſtis, licitis & honeſtis ad curam pater-* Obedientia filiorū ad parentes
nam pertinentibus tenentur filij parentibus obedire. Ita Scripturæ paſſim. Ad Epheſ. 6. *Filij obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim ju-* Ephes. 6. v. 1.
ſtum eſt. Ad Coloſſ. 3. *Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino.* Coloſſ. 3. v. 20.
Eccli. 3. *Filij ſapientiæ, Eccleſia juſtorum: & natio illorum obedientia & dilectio: Iudicium patris* Eccli. 3. v. 1. 2.
audite filij, & ſic facite ut ſalvi ſitis. Ibid. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quaſi Dominis* Verſ. 8.
ſerviet his qui ſe genuerunt.

Ratio fundamentalis ſumitur ex jure divino naturali correlativo. Cùm enim parentes obligentur filios inſtruere, educare in timore Domini, & iis quæ ſunt ſalutis, ita, ut pro filiis ſæpiùs parentes puniantur (ut conſtat de Heli 1. Reg. 2.) ex correlativo filii tenentur obedire parentibus in omnibus curam paternam concernentibus. Undè & ad
Epheſ. 6. dicitur: *Hoc enim juſtum eſt*: nimirùm juſtitiâ debiti naturalis à Deo ſancitâ. Ad Epheſ. 6.

Et

Coloſſ. 3.
Et ad Coloſſ. 3. additur: *Hoc enim placitum eſt in Domino*, id eſt, hæc eſt voluntas Dei. Et Eccli. 3. dicitur: *Sic facite ut ſalvi ſitis*, q. d. abſque eo ſalvari non poteſtis.
Eccli 3. v. 2.

Dixi (*In omnibus juſtis, licitis, & honeſtis.*) Neque enim licet filiis obedire parentibus in iis quæ apertè ſunt injuſta, aut quovis modo illicita vel inhoneſta: ſicut enim parens injuſta aut illicita imperans juxta gravitatem materiæ, mortaliter peccat, ita filius illi in hujusmodi obediens. Undè ad Epheſ. 6. notanter ponitur: *In Domino*, hoc eſt, in iis quæ ſunt Domini, ſive quæ ad Deum referuntur: Quæ autem injuſta, illicita, vel inhoneſta ſunt, Deo & divinis mandatis adverſantur. Sanctum eſt autem axioma illud Apoſtolorum Actor. 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*; Et parentes illicita præcipientes aut conſulentes oportet magis odiſſe in ratione talium præceptorum & conſiliorum, quàm amare: Et eis in his non obedire meritorium eſt; exemplum clarum de ſancto Ermigildo, qui volente & ſuadente patre noluit Arianorum communioni acquieſcere, ut ex *Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 31.*

Actor. 5. v. 29.

Nota

Quædam ad curam paternam non ſpectant.

Dixi (*ad curam paternam pertinentibus*) ſunt enim quædam, in quibus filius eſt ſui arbitrij, nec tenetur ſequi paternam voluntatem: ut, in eligendo ſtatu, in ſtudiis honeſtis, in vocationibus ſalutaribus, in quibus filiorum eſt divinas diſpoſitiones & ductum attendere: etſi in illis conſilium paternum audire, & prudenter attendere reverentiæ ſit. Qualiter tamen in eligendo ſtatu etiam paternum conſilium & voluntas ſit ſequenda, infra dicetur.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint illa, quæ ad paternam curam ſpectare dignoſcuntur, in quibus filius obedire tenetur?

CONCLUSIO UNICA.

Tria ad curam paternam pertinentia

AD *curam paternam tria pertinere dignoſcuntur, in quibus filij parentibus obedire tenentur.*

Primò, In iis quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & obſervantia mandatorum Dei: ita, ut, præterquam quòd ex natura actus peccet juxta rationem materiæ mortaliter vel venialiter: ſi contra expreſſam obedientiam id faciat, duplici titulo offendat.

Nota.

Secundò, In materia morum & honeſtatis: ut ſi parentes prohibeant aliquam converſationem inhoneſtam, ingreſſum alicujus domûs periculoſæ, exercitium alicujus artis, quæ infamis eſt, &c. Si non obediat filius, & res ſit gravis, peccat mortaliter.

Nota.

Tertiò, In iis quæ pertinent ad familiæ adminiſtrationem, & diſciplinam domeſticam tam in *temporalibus*, quàm in *ſpiritualibus*. Et quidem quoad *temporalia*: ut quòd certo tempore filii domum redeant, ut non vagentur, ut de domeſticis rebus non diſponant alienando, donando, vendendo: ut in domum aliquas perſonas non admittant. Quoad *ſpiritualia* verò: ut certo tempore orent, Miſſas audiant, opera miſericordiæ faciant, pietatis rudimenta addiſcant, &c. Quæ etſi omninò non ſint ex neceſſariis ad ſalutem, ſunt tamen inductiva, & velut præparativa ad illam. Undè de Tobia dicitur c. 1. quòd filium *ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Et Eccleſiaſtici 7. dicitur *Filii tibi ſunt: erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Similitudine ſumptâ à plantis & arbuſtis, quæ, dum adhuc teneræ ſunt, facilè incurvantur, girantur & ducuntur juxta beneplacitum Hortulani. Et *ibidem* ſequitur: *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Quam verò ſit grave peccatum non obedire parentibus, conſtat ex efficacia maledictionum paternarum, quas juſtè filiis inobedientibus intentatas non tantum confirmat, ſed etiam exequitur juſto ſuo judicio Deus.

Tobiæ 1. v. 10.
Eccli 7. v 25.
Ibid. v. 26.

QUÆSTIO III.

Quale ſit peccatum parentibus non obedire?

CONCLUSIO UNICA.

Inobedientia ad parentes peccatum mortale.

INobedientia *ad parentes ex ſuo genere eſt peccatum mortale.* Sumitur ex Scripturis. Ad Rom. 1. ubi inter peccata mortalia, quibus homo traditur in reprobum ſenſum, ponitur *inobedientia* ad parentes: *Tradidit* (inquit Apoſtolus) *illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt: Repletos omni iniquitate, &c. Detractores, Deo odibiles, contumelioſos, &c. Parentibus non obedientes, &c.* Et infrà concludit: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.* Et 2. ad Timoth. 3. Inter graviſſima peccata, quæ in fine mundi erunt, ſimiliter *inobedientia ad parentes* computatur: *In noviſſimis diebus, &c* (inquit) *erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, &c.* Item idipſum colligitur ex graviſſimo ſupplicio quo filii inobedientes apud Hebræos plectebantur. Sic enim legimus Deut. 21. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius & ad portam judicij, dicentq; ad eos: Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri.*

Rom. 1. v. 28 29. verſ. 30. verſ. 32.
2. Tim. 3. v. 1.
Deut. 21. v. 18. 19.
Verſ. 20.
Verſ. 21.

Ex quibus verbis *collige primò*, hanc pœnam non propter commeſſationes, luxuriam & convivia, fuiſſe impoſitam, ſed propter inobedientiam & contumaciam.

Secundò, Expenſam tamen fuiſſe materiam inobedientiæ, utique, quia erat in materia honeſtatis & mandatorum Dei. Prohibebant

enim

Digitized by Google

enim parentes, ne commeſſationibus, conviviis, aut luxuriis filius vacaret.

Tertiò, Interveniſſe quemdam mandati paterni contemptum: *Monita* (inquiunt) *noſtra audire contemnit.*

Quartò, Non fuiſſe legem illam purè judicialem, ſed mixtam lege naturali divinâ in conſcientia obligante, quod colligitur ex his verbis: *Ut auferatis malum de medio veſtri*, &c. q.d. Ne Deus ob peccata & inobedientias iſtas filiorum populum percutiat, ſuper quibus omnibus pono Regulam generalem.

Regula Generalis.

Nota hanc Regulam. *Omnis inobedientia, rebellio, contumacia contra expreſſa mandata & præcepta parentum eſt peccatum mortale, niſi materia levitas, aut indifferentia, vel negligentia quædam humanæ fragilitatis excuſet.* Ratio ex prædictis clara eſt: quia inobedientia ex genere ſuo peccatum mortale eſt.

Dixi (*contra expreſſa mandata*) agere enim tantùm contra voluntatem & monita generalia non eſſe ſpeciale peccatum contra obedientiam, etſi actus ratione ſui poſſit eſſe mortale peccatum. *Explico:* Monet parens ne filius frequentet tabernas ob pravas converſationes, aut ebrietates quæ ibi fieri ſolent: ſi non prohibuit abſolutè, filius tabernas intrans, etſi ratione periculi peccandi, aut pravæ converſationis vel ebrietatis peccet mortaliter, quia illa de ſe ſunt mala: Non peccat tamen ſpeciali peccato inobedientiæ: quia (ut ſupponitur) non fuit hoc illi ſpecialiter prohibitum. *Nota.* Si verò fuiſſet prohibitum præcepto expreſſo parentis, præter peccatum mortale pravæ converſationis vel ebrietatis, &c. peccaret peccato ſpeciali inobedientiæ mortalis.

Dixi (*niſi materia levitas aut indifferentia excuſet*) quia præceptum paternum in re levi, vel quæ de ſe peccatum non eſt, nec eſt inductiva peccati; non poteſt obligare ad peccatum mortale. Vide quæ diximus *Tract. 1. de legibus* & aliis locis.

Dixi iterùm (*vel negligentia quædam fragilitatis humanæ*) requiritur enim ad illud peccatum quidam virtualis contemptus mandati, & virtualis contumacia: Unde filius, qui ex aliqua negligentia vel ſocordia fragilitatis humanæ abſque ullo contemptu mandatum patris transgrederetur, non cenſeretur peccare mortaliter. *Ratio eſt*: quia obedientia paterna ſive reſpectus paternus non cenſetur graviter lædi per iſtam transgreſſionem. Peccaret tamen juxta naturam actûs vel omiſſionis illicitæ.

QUÆSTIO IV.

An in electione ſtatûs teneantur filii obedire parentibus?

Ratio dubitandi eſt: quia electio ſtatûs debet eſſe libertima; maximè ſi per illum filius à paterna poteſtate emancipetur, & filius magis debet ſequi Dei ductum & providentiam, quàm paternam curam.

CONCLUSIO I.

Electio ſtatus libera. *Pro ſtatu fidei & religionis Catholicæ amplexando, non tenentur filii parentibus contrarium ſuadentibus vel tergiverſationes molientibus obedire.* Ratio clara eſt: quia ſtatus ille ad ſalutem neceſſarius eſt, & in illo eligendo tergiverſari peccatum graviſſimum eſt: undè ubi puer ad annos diſcretionis pervenerit, poteſt invitis parentibus ad Catholicam Religionem transire, & exemplo plurimorum Sanctorum ad Eccleſiam confugere. Quinimò mea cum Doctore ſubtili ſemper ſententia fuit, licere Principibus pueros infidelium adhuc infantes curare baptizari invitis parentibus, modò eorum cura debita & ſufficiens deinceps geratur, ne in infidelitatem relabantur, aut gravia damna patiantur: hoc ipſo enim non tam à patria poteſtate eripiuntur, quàm ab injuſta eorum crudelitate & tyrannide, ut libertati filiorum Dei & fini ad quem creati ſunt, reſtituantur. *Scot. 4. diſt. 4. q. 9.* *Nota.*

CONCLUSIO II.

Electio ſtatus religioſi vel Eccleſiaſtici libera. *Non tenentur filii obedire parentibus diſſuadentibus vel impedire volentibus ingreſſum religionis, vel aſſumptionem ſtatûs Eccleſiaſtici: Excepto caſu neceſſitatis parentum, vel circumſtantiâ aliquâ accidentali, quæ redderet ingreſſum religionis malum.* Et hoc concludunt Scripturæ nuper allegatæ de neſcientia, odio, & contemptu parentum in ordine ad Dei amorem, & Chriſti ſequelam. *Qui* (ait Chriſtus) *amat patrem aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus.* Item Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem*, &c. *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Undè eſt illud Hieronymi epiſt. ad Heliodorum: *Licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat; licèt in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola: ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* *Matth. 10. v. 37.* *Luc. 14. v. 26.* *Hieron. epiſt. ad Heliodor. de vita ſolitar. in init.*

Dixi (*excepto caſu neceſſitatis parentum*) de quo ſuprà latè egimus.

Dixi (*vel circumſtantiâ aliquâ accidentali quæ redderet ingreſſum religionis malum*) ut ſi religio patenter eſſet difformata, & filius periculum ſalutis incurreret illam ingrediendo. *Item:* Si filius defloraſſet virginem, quam priùs dotare teneretur. *Item:* Si aliundè obligationem contraxiſſet cum religionis ſtatu incompoſſibilem, &c. *Nota.*

CONCLUSIO III.

Qualiter parentes ſuadere poſſint proſſibus religionem. *Etſi parentibus liceat ſuadere Religionem vel matrimonium prolibus, non tenetur tamen filius illis illis acquieſcere vel obedire: Quinimò ſi parentes inductionibus, minis, aut aliis viis nolentem filium ad aliquem ſtatum contra libertatem urgeant, peccant mortaliter.* Ratio funda-

fundamentalis eſt: quia in eligendo ſtatu filius naturaliter liber eſt, & eſſe debet, talibuſque importunitatibus, præterquam quòd injuſtè filius libertate cenſeatur privari, graviſſimis periculis parentes ſuas proles exponunt. Unde *Concil. Trident. Seſſ.* 25. *c.* 19. *De Regu.* decernit, quòd, *Quicunque Regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem*, &c. *poßit cauſas ſuas coram ſuperiore ſuo & Ordinario deducere*, & re probatâ exire. Et in *c.* 17. libertati virginum Deo dedicandarum proſpicere volens, decernit ſingulari examine debere ab Epiſcopo, vel ejus Vicario virginis voluntatem diligenter explorare, *An coacta, an ſeducta, an ſciat*, &c. Et c. 18. *Anathemati ſancta Synodus ſubjicit omnes & ſingulas perſonas, cujuſcunque qualitatis vel conditionis fuerint*, &c. *Si quomodocunque coegerint virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquàm in caſibus in Iure expreßis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcunque Religionis, vel ad emittendam profeßionem.* Item: *Qui conſilium, auxilium, vel favorem dederint.* Item: *Qui ſcientes eam non ſpontè ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeßionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint.* Item è contrà: *Anathemati ſubjicit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint.* Videant quot periculis ſe intricent, & qualiter ſe anathemati ſubijciant, qui proles vel ad Monaſteria adigunt, vel à Religionis ſtatu retrahunt, & qui conſilium, auxilium, aut favorem in ſimilibus præbent.

Trid. Seſſ. 25. c. 19 de Regul.

C. 17.

C. 18.

Nota.

Libertas in eligendo ſtatu Matrimonij.

In ſtatu Matrimonij deligendo, non minorem libertatem S. Concilium, & antiqui Canones Eccleſiæ requiſierunt. Vide *Decretum de Reform. Matrimonij Seſſ.* 24. *c.* 1. Ubi ad matrimonium validum liberum contrahentium conſenſum requirit. Et cauſa 31. quæſt. 2. apud Gratianum de libertate puellarum requiſita ad Matrimonium, longè lateque diſſeritur: ac pro fundamento ponitur illud ſancti Ambroſij ſuper Epiſtolam 1. ad Corinth. cap. 7. *Nubat vidua, cui vult, tantùm in Domino*, id eſt, *quem ſibi aptum putaverit, illi nubat, quia invita nuptiæ ſolent malos proventus habere.* Legantur ſequentia capita, ſpecialiter: *De neptis tua*, ubi narrantur peccata, quæ ex coacto matrimonio parentibus imputantur, ut diſſidia, fornicationes, & id genus.

Ambr. ſuper 1. Cor. c. 7. v. 39.

CONCLUSIO IV.

Aſſenſus parentum qualiter ad Matrimonium requiratur.

IN *Matrimonio contrahendo proles debent ſaltem petere conſilium & aſſenſum parentum: undè ſi nubant ſine juſta & urgente cauſa, abſque poſtulato conſilio, vel aſſenſu parentum, vel illis juſtè renitentibus, peccant mortaliter, etſi validum ſit Matrimonium.* Ratio ſumenda eſt ex patria poteſtate, cui lege naturæ impoſitum eſt, ut nuptui filios vel filias tradant. Eccleſiaſtici 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Undè & Scriptura Patriarcharum curam in nuptui tradendis prolibus paſſim refert *Geneſ.* 24. & 28 & alibi. Et *Concil. Trident.* ſuprà, etſi Matrimonia clandeſtina ſine conſenſu parentum peracta, doceat ante celebrationem Concilij non fuiſſe irrita, ſed valida; nihilominùs aſſerit, Eccleſiam ſemper illa deteſtatam fuiſſe, & prohibuiſſe.

Eccl. 7. verſ. 27.

Dixi (*ſi nubant ſine juſta & urgente cauſa, abſque poſtulato conſilio vel aſſenſu parentum, vel illis juſte renitentibus, peccant mortaliter*) Juſta autem cauſa eſſe poteſt, cùm parentes ſint injuſtè nolentes, & voluntati filij ſe injuſte opponunt, eumque privant ſperato bono, & Matrimonio ſibi utili ac ſalutari: tunc enim ſufficit reverenter aſſenſum poſtulâſſe: ubi autem nulla ſuppetit cauſa juſta vel urgens, tenetur filius aſſenſum parentum obtinere. Undè addidi (*renitentibus juſte parentibus, filios peccare mortaliter, ſi nubant*) juſtè autem renituntur, quandò Matrimonia ſunt damnoſa filijs, aut non ſalutaria. *Explico* exemplis: *Geneſis* 24. prohibuit Abraham ſervo ſuo ſeniori: nè acciperet uxorem filio ſuo Iſaac de filiabus Chanaan. Et *Geneſis* 28. idem præcepit Iſaac filio ſuo Jacob. Quin & *cap.* 26. cauſa averſionis Iſaac & Rebeccæ adversùs Eſau ponitur, quia quadragenarius acceperat uxores de filiabus Chanaan, *Quæ ambæ* (inquit) *offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.* Et *cap.* 27. dixit Rebecca ad Iſaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, ſi acceperit Iacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.* Nec minùs imprudenter fecit Eſau, quandò abſque conſenſu parentum ivit & accepit uxorem filiam Iſmaëlis ſervi. In quo juxtà Rupertum notatur inſignis imprudentia vel fatuitas Eſau, tanquam grave peccatum, & maledictionis ejus ſignum: *Videns* (ait) *Eſau, quòd benedixiſſet pater ſuus Iacob, & miſiſſet eum in Meſopotamiam Syriæ, ut indè uxorem duceret, & quòd poſt benedictionem præcepiſſet ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan, quodque obediens Iacob parentibus ſuis iſſet in Syriam, probans quoque, quòd non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus, ivit ad Iſmaelem, & duxit uxorem abſque ijs, quas priùs habebat.* Sic autem ſcribit Rupertus in hunc locum: *Aut velut inſipiens, aut ut verè ſtultus, fecit hoc Eſau. Nam ſi tædium matris aut offenſionem paterni animi lenire voluit, inſipientia fuit hoc pacto id facere velle, & hac intentione inconſultis parentibus, quos jam in alijs uxoribus offenderat, ad ſervilia declinare tabernacula, quod erat cum ejectis extra ſeras. Sic nempè Sara locuta eſt: ejice ancillam & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac, & ſic factum fuerat. Sin autem quod verius eſt, quia parentibus quoque propter*

Geneſ. 24.

Geneſ. 26. verſ. 35.

Et 27. verſ. 46.

Et 28. verſ. 6. 7.

Verſ. 8.

Verſ. 9.

Rupert. Comm. l. 7. in Gen. c. 20.

Iacob

Digitized by Google

Iacob iratus erat, ſicut Cain, & conciderat vultus ejus, idcircò ut eos ampliùs offenderet, egit ita procul dubio ſtultus fuit. Hæc Rupertus. Speculum clariſſimum filiorum, qui contra juſtam renitentiam aut conſenſum parentum nubunt. Juſtiſſimè enim Iſaac nuptias cum filiis Chanaan prohibebat, quia ſemen Chanaan maledictioni ſubjacebat, & filiæ illæ ad vitia pronæ erant. Ex his pono Regulam generalem.

Regula generalis.

Sicut parentes injuſtè cogentes ſive urgentes filios ad aliquem ſtatum contra propriam voluntatem eligendum, peccant mortaliter: ita filii abſque cauſa, contra rationabilem & juſtam voluntatem parentum nubentes, mortali peccato obnoxii ſunt. Partes hujus Regulæ ex ſupradictis ſunt manifeſtæ.

Corollarium.

Ex his videant parentes, *Primò*, quibus criminibus ſe intricent cum ſolis humanis reſpectibus divitiarum, nobilitatis, honorum vel commodorum temporalium ad damnoſa connubia filios urgent & cogunt.

Secundò, Qui ſimilibus reſpectibus, aut odio vel avaritiâ filiorum ſalutaria matrimonia impediunt.

Videant & filii *primò*, qui contra parentum ſalubria conſilia, & juſtas voluntates ſolo amore carnali uxores accipiunt. recordenturque tunc diluvio mundum periiſſe: cùm *videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchra, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Geneſ. 6.

Geneſ. 6. v. 2.

Secundo, Qui parentes contemnunt, ſcientes iſtiusmodi connubia illis juſtè diſplicere. Cùm enim ſingularis cura proles nuptui tradendi ex jure naturali divino parentibus incumbat, ita ſpectanda eſt à parentibus voluntas prolium, ut tamen reguletur juxta ſalutis regulas: Et ita attendere debent proles ad parentum ſana monita & voluntatem, ut ubi juſta apparet, contra eam niti non debeant, ſed in hoc honorem parentibus præſtare.

TITVLVS III.

De reverentia filiorum ad parentes.

QUÆSTIO I.

Qualiter contingat filios peccare contra reverentiam debitam parentibus?

CONCLUSIO UNICA.

Tribus ferè modis peccari ſolet contra reverentiam debitam parentibus, nimirùm: *verbo, ſigno, defectu.*

Triplex filiorum irreverentia in parentes.

Verbo irreverentiam faciunt: Qui durioribus, aſperis, inurbanis, inhoneſtis, riſibus, jocis eos ſive in præſentia, ſive foris excipiunt. Undè Exod. 21. *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* Et Proverb. 20. *Qui maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Hinc Cham maledictus fuit in filiis ſuis Geneſ. 9. eò quòd cùm vidiſſet verenda Patris ſui eſſe nudata, non tantùm non cooperuit, ſed nuntiavit duobus fratribus ſuis foris in irriſionem.

Exod. 21. v. 17. Prov. 20. v. 20.

Signo irreverentiam faciunt parentibus. Qui ſubſannationibus, geſticulationibus, ſimulatis actibus illis illudunt, etiam abſentibus. Undè eſt illud Proverb. 30. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ.*

Prov. 30. v. 17.

Defectu cenſentur irreverentiam parentibus cauſare: Qui eis juxta patriæ morem non aſſurgunt, locum non cedunt, caput non diſcooperiunt, non ſalutant, certis diebus non bene precantur. Pro quibus omnibus ſit

Regula generalis.

Quicumque verbo, ſigno vel defectu gravem in communi æſtimatione hominum juxta morem gentis ſive regionis parenti irreverentiam facit, mortaliter peccat. Conſtat ex ipſo præcepto Decalogi, & variis Scripturarum locis, quæ graviſſimas maledictiones & vindictas in filios parentibus irreverentes continent.

Dixi (*juxta morem gentis & regionis*) mos enim ille eſt ab extrinſeco irreverentiarum externarum menſura. Si quod verò factum, vel contemptus interior interveniat, inter injurias contra dilectionis debitum referri debet. Hic enim de externa reverentia & irreverentia tantùm agitur.

TITVLVS IV.

De obligatione parentum ad filios.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit obligatio parentum ad filios, & qualiter contra illam contingat parentes peccare?

Cur non datur parentibus præceptum de amore filiorum.

MIrum fortè alicui videbitur: cùr Deus dans legem, non meminerit dilectionis parentum erga filios, cùm ſit obligatio correlativa: amor enim reciprocum amorem poſtulat, amans redamantem requirit. Verùm advertere debemus juxta commune antiquorum dictum: *Amorem deſcendere non aſcendere*, & parentes filios tamquam aliquid ſui tanto affectu naturæ diligere, ut frequentiſſis excedant, ideò non fuit opus præcepto explicito de dilectione parentum erga filios, ſicut non fuit datum explicitum de diligendo ſeipſum, ut alias notavimus. Quia vero amor (ut diximus) non aſcendit, opus fuit explicito præcepto honoris, amoris & officij filiorum ad parentes.

CONCLUSIO UNICA.

OBligatio parentum ad filios in quatuor ferè conſiſtit: *dilectione, providentia vitæ, educatione, procuratione ſalutis.*

Quatuor obligationes parentum ad filios. Dilectio in 3. conſiſtit.

Primò, dilectio tres partes habet: *amorem* (qui omne odium, averſionem, rancorem, & omnem pravum affectum excludit) *beneficentiam*, & *injuriarum propulſationem.* De quibus ſat ſupe rque in *tractatu de proximi dilectione*, & in *tractatu præſenti*, ità ut nil ſit opus repetere.

Providentia parentum circa proles.

Secundò ſequitur *providentia vitæ*: ab ipſo enim conceptu parentes tenentur puerorum curam gerere, & ſpecialiter matres cavere debent nè patiantur aborſum, nè aliquid agant quod proli obeſſe poſſit, nè proles imperfectæ naſcantur. Ubi natæ ſunt proles, omnibus modis laborare debent, ut vita ſervetur, & ad incrementum ætatis debitæ perveniant: unde ſive in lecto, ſivè alibi omni curâ laborare debent ad conſervationem pueri. Heu quot peccata à conceptu prolium ex defectu conſervationis occurrunt! Primò, dum mulieres incautæ, libidini vacant quovis tempore; undè naſcuntur monſtruoſi pueri fatui, infirmi, perpetuâ labe & tabe laborantes. Secundò, dum currunt, ſaltant, nociva manducant & bibunt, unde aborſus aut infirmitates proliũ. Tertiò obſtetrices prudentes non procurant. Quartò negligunt pueros proprios per ſe lactare, eiſque de nutricibus infecti ſanguinis & pravorum morum provident, quibus convenit illud Jerem. Thren. 4. *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos, filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto*, quaſi ipſis prudentiores & benigniores fuerint Lamiæ, in ratione lactationis. Quintò, tempore lactationis ſeipſas

Peccata matrum à conceptu prolium. Nota.

Thren. 4. verſ. 3.

non obſervant, &c. Sextò, patres ad menſtruatas ac gravidas accedunt, & impuris commiſtionibus laceſſunt, quæ multum prolibus nocent. *Item*: crudeles in uxores, illas vexant, exaſperant, percutiunt in damnum graviſſimum fœtus in utero exiſtentis. Videatur S. Gregor. l. 12. regiſtri Epiſt. 31. ad interrogationes Auguſtini Anglorum Epiſcopi. Parentum itaque curæ & ſolicitudinis eſt. Primò, alimentum, veſtimentum & vitæ neceſſaria prolibus procurare donec ad ætatem robuſtam pervenerint. Secundò, illis, quantùm poteſt fieri, in futurum theſaurizare debent, & aliquos proventus providere, ut honeſtè juxta ſtatum ſuum vivere valeant. 2. ad Corinth. 12. parentum eſt enim theſaurizare filijs ſuis.

peccata patrum.

Gregor. l. 12. Regiſt. Epiſt. 31.

Providentia qua ſeparatis debita.

Dixi (*quantum fieri poteſt*) nimirùm juxta rationem ſtatus, perſonæ, induſtriæ, & ſalvâ juſtitiâ mutuoque honore: quod dico ob pauperes, qui ſibi ipſis vix ſufficiunt: nobiles, quorum non eſt mercaturam exercere aut laborare; alios hujus mundi divites, qui non curant, ſi injuſtitijs, fraudibus, dolis, rapinis, ſuis filijs & ſibi eum amplitudine bonorum æternos ignes & tormenta theſaurizent.

Nota.

Undè & addidi (*ut honeſtè juxta ſtatum ſuum vivere poſſint*) in duobus enim circa hæc parentes peccare ſolent, nimirùm: aut in neglectu & diſſipatione prodiga bonorum, ita ut ſint prolibus, ob paupertatem in qua derelinquuntur, multorum cauſa malorum: aut in nimia cupiditate bonorum temporalium, quæ ſunt filijs poſteà in laqueum, ruinam, ſcandalum, & in incentivum omnium malorum.

Peccata contra providentiam.

Tertiò educatio conſiſtit in prudenti regimine & inſtructione prolium, ac eorum correctione: Eccleſiaſtici 7. *Filij tibi ſunt: erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Ad Epheſ. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Porrò educationis tres ſunt præcipuæ partes: *doctrina, exemplum, correptio.*

Educatio.

Eccli. 7. verſ. 25. Epheſ. 6. verſ. 4.

Tres educationis partes.

Et quidem primò, *Doctrina.* ut nimirùm in neceſſarijs & ſpecialiter in rebus ſalutis, deinde in honeſtate morum & virtutis, ac humanæ conſuetudinis proles erudiantur hoc ordine. Primò enim in rebus fidei, mandatorum Dei, & Eccleſiæ ſactiſque exercitijs communibus fidelium inſtrui debent. Secundò, in honeſtate morum, ac virtutis, & ijs quæ in humana ſocietate communia & neceſſaria ſunt, & quorum potiſſimum ignorantia adoleſcentem in varia vitia præcipitat; quam doctrinam debent parentes aut per ſe aut per alium, juxta ipſorum conditionem & ſtatum, filijs providere. Undè Deuter. 11. *Docete filios veſtros* verba mea, *ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua.* Et in correlativo filijs mandatur cap. 32. *interroga patrem tuum & annuntiabit tibi*, &c. & Pſ. 77. doctrinæ hujus ratio adſtruitur, ut diſcant filii magnalia Dei: *Quanta* (inquit) *mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera*, &c.

Doctrina.

Deuter. 11. verſ. 19.

& 32. v. 7.

Pſalm. 77. verſ. 5. 6.

Digitized by Google

Exemplũ Hieron. ad Lætam. Denium Exemplum etiam format puerorum mores. Unde S. Hieron. ad Lætam: *Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri poſſe, quàm voce.* Et immediatè ante dixerat: *Nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit peccet*: Et ſuperiùs dixerat, *Nihil aliud diſcat audire, nil loqui, niſi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignorat: adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuatur.* Et exemplorum rationem vide in Tobia pro educatione filij ſui. Veriſſimum eſt enim Eccli. 13.

Eccli. 13. verſ. 20. *Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur*: Ac ſine dubio ſequetur mores ejus. Undè eſt & illud cap. 41. *Filij abominationem fiunt filij peccatorum, & qui converſantur ſecus domos impiorum*, &c. *De patre impio queruntur filij quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* Infrà: *Erubeſcite à patre, & matre de fornicatione, & à præſidente & à potente de mendacio, à principe & à judice de delicto, &c.* denique cap. 11. *In filijs ſuis agnoſcitur vir.* Lege & c. totum 30.

Et 41. v. 8. verſ. 10. verſ. 21. 22. Et 11. v. 30

Correptio. Tertiò correptio diſcreta & prudens emendat vitia puerorum. *Diſcretam* voco, quæ nec ſeveritate nimiâ in odium, puſillanimitatem & deſperationem adducit, nec indulgentiâ nimiâ omni libertati, contemptui & neglectui viam aperit: & hæc eſt, quæ ab Apoſtolo vocatur *diſciplina & correptio Domini.* Undè monet: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Et ad Coloſſ. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Interim tamen correptio adhibenda eſt. Proverb. 13. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum, qui autem diligit illum inſtanter erudit.* Et cap. 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur: tu virgâ percuties eum & animam ejus de inferno liberabis.* Vide & cap. 30. Eccli.

Epheſ. 6. verſ. 4. Coloſſ. 3. verſ. 21. Proverb. 13. verſ. 24. Et 23. v. 13. 14.

procuratio ſalutis. Quartò procuratio ſalutis. Hæc eſt præcipua pars in qua conſiſtit cura & ſolicitudo parentum: generatio enim & educatio filiorum ad hoc ordinatur, ut in æterna beatitudine æternùm vivant. Undè ſingulari præcepto tenentur parentes providere prolibus, quantùm poſſunt de medijs neceſſarijs ad ſalutem. Quod benè Eva nato primogenito ſuo Cain, cognovit dum dixit: *poſſedi hominem per Deum*: ſivè ut Hebræus habet: *Acquiſivi hominem Deo vel Domino.* q. d. acquiſivi hominem, ut Domino educetur & ad Dominum perveniat. Videant ergò, qui juxta Pſaltem: *Immolant filios ſuos & filias ſuas dæmonijs.* Tremenda eſt ſententia S. Auguſt. lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia c. 4. *Qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant CHRISTI, ſed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiamſi tanta ſit obſervantia, ut ſecundùm matrimoniales tabulas non niſi liberorum procreandorum cauſa concumbant, non eſt in eis vera pudicitia conjugalis.* Hæc S. Aug. in quibus verbis finem principalem conjugij non tam in procreandis liberis, quàm in ſalvandis ponit. Undè eſt & illud S. Chryſoſtomi lib. 2. contra vituperatores vitæ monaſticæ. *Tunc* (ait) *maximè & veriſſimè filios habemus noſtros, cùm Deo noſtro illos tradiderimus.* Vide & hom. 21. in Epiſt. ad Epheſios & S. Hieronym. ad Lætam de inſtitutione filiæ, nè prolixiores debito ſimus. Super omnibus pro coronide pono regulam generalem.

Geneſ. 4. verſ. 1. Pſalm. 105 verſ. 37. S. Aug. l. 1. de nupt. & concup. cap. 4. Nota.

S. Chryſ. l. 2. contra vitupera. vitæ monaſt.

Regula Generalis.

Parentes qui odio, aut pravo affectu filios ſuos proſequuntur; aut illis maledicunt; aut in providentia neceſſariorum ad vitam, in inſtructione eorum, educatione, exemplo ſivè procuratione ſalutis æternæ, cum poſſunt, in materia gravi deficiunt, peccant mortaliter. Patet regula ex antedictis. Quid verò poſſint in exhæredatione prolium, emancipatione, &c. conſule juriſperitos, qui ſecundùm varias regiones varia jura referunt, itâ ut in his fruſtrà laboraremus aliqua referendo quæ omnibus communia non eſſent.

TITULUS V.

De obligatione collateralium, & eorum qui patriam poteſtatem aliqua ratione participant.

Cum filiorum obligatio ad parentes, & parentum ad filios ex naturali quadam ſanguinis conjunctione, communicatione, vel participatione, & ex vinculo quodam naturæ indito proveniat, ad hoc præceptum de honore parentum nonnulla revocari ſolent, ſimilitudine quâdam rationis, quæ ſequentibus paragraphis breviter explicabo.

§. I.

De obligatione fratrum & ſororum ac conſanguineorum ad invicem.

Propoſitio Generalis.

Fratres & ſorores, conſanguinei & affines debent ſibi amorem, officium ſivè beneficentiam & honorem, juxta gradus & ordinem charitatis, neceſſitatis, & legis.

Obligatio collateralium ad invicem.

De ordine charitatis & neceſſitatis ſufficienter diximus Tract. 2. Tit. 4. Sect. 2. De dilectione proximi. Ubi expendimus, qualiter nobis, parentibus, ſanguine junctis & affinibus in neceſſitate gravi vel extrema gradatim priùs quàm alijs ſuccurrendum eſſet.

De ordine legis conſulendi ſunt juriſperiti: ratione enim hæreditatis, teſtamenti, contractuum antecedentium, ſucceſſionum, fideicommiſſorum varie ſibi invicem conſanguinei & affines obligantur in alimentis, portionibus, dotibus. Quæ etiam leges juxta rationem regionum variantur; omnia autem debent expendi ſecundùm generales regulas charitatis & juſti-

& juſtitiæ, quas partim in ſuperioribus dedimus, reliquas ſuis locis daturi.

§. 2.

De obligatione conjugum ad invicem.

Obligationes conjugum.

CONjuges ad invicem obligantur ad affectum & ſocietatem conjugalem, debitum matrimoniale, alimenta & neceſſaria vitæ, honorem & fidem.

Epheſ. 5. verſ. 25. verſ. 28. Coloſſ. 3. verſ. 19.

De affectu, clarus eſt locus ad Epheſ. 5. *Viri diligite uxores veſtras ſicut & CHRISTUS dilexit Eccleſiam*, &c. Infrà: *Ità & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit*, &c. Ad Coloſſ. 3. *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.*

Peccata conjugum contra dilectionem.

Ex quo *infero*, Peccata mortalia, quæ in jurgijs, odio mutuo, contentionibus gravibus, percuſſionibus, injurijs intèr conjuges oriuntur: eò graviora eſſe, quò majus eſt illis impoſitum vinculum mutuæ charitatis.

Societas conjugalis. Matth. 5. verſ. 32. 1. Petr. 3. verſ. 7.

De *ſocietatis conjugalis* obligatione, ſive de cohabitatione clara etiam eſt ſcriptura Matth. 5. (inquit CHRISTUS) *qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſâ, facit eam mœchari.* Et 1. Petr. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam*, Quæ de cohabitatione quoad domum & thorum intelligenda veniunt: a qua ſe ſeparare non poſſunt conjuges abſque mutuò conſenſu vel cauſa juſta aut neceſſaria.

Peccata contra ſocietatem conjugalem.

Ex quo *infero:* conjuges ſe abſque juſta cauſâ vel conſenſu mutuo longo tempore ab invicem ſeparantes, juxtà rationem temporis longioris, & rationabilem diſſenſum alterutrius partis; peccare mortaliter. Juſta verò cauſa cenſetur: quando vir a Rege vel Principe in militia vel alijs regni negotijs diutius impenditur. *Item*: Quandò mercaturæ & negotijs neceſſarijs ad bonum & ſuſtentationem familiæ in longinquioribus partibus vacare debet; & in alijs ſimilibus cauſis. Dixi (*juxtà rationabilem diſſenſum alterutrius partis.*) Tunc autem cenſetur irrationabilis diſſenſus, quandò juſtæ rationabili cauſæ alter conjux acquieſcere detrectat.

Quæ cauſa juſta ſeparationis inter conjuges ad tempus.

1. Corinth. 7. verſ. 3. 5. Debitum conjugale.

De *debito conjugali* itèrùm Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro*, &c. *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipſum.* Ex quibus concludo.

peccatum, in negatione debiti.

Quiſquis conjugum abſque conſenſu & cauſa juſta alteri petenti debitum denegat, peccat mortaliter, cauſæ autem juſtæ negandi debitum ſunt: *Infirmitas, peccati periculum, ut effuſionis ſeminis, aborſus*, &c.

Cauſa negandi debitum.

Epheſ. 5. verſ. 28. 29

De alimentis & neceſſarijs ad vitam idem Apoſtolus ad Epheſ. 5. ubi dixit viros debere diligere uxores ſuas, ut corpora ſua, ſubdit: *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit: nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.* Unde & poſteà docet ex textu Geneſeos cap. 2. Virum & uxorem *duos eſſe in carne una*: palam eſt autem hominem teneri corpori ſuo ad alimentum.

verſ. 31.

Ex quo *infero* etiam nullâ dote allatâ, utrumque conjugem ſub peccato mortali teneri quantùm poſſunt ſibi invicem curare alimenta & vitæ neceſſaria, mutua onera ferre & ſibi invicem obſequia præſtare.

Petes: Quis in extrema neceſſitate præferendus ſit parens an uxor, ſive etiam filij? *Ratio* dubitandi ſumitur ex illo allegato cap. 2. Geneſeos: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* &c. *Reſp.* Teneri priùs in extrema neceſſitate ſuccurrere parenti, quàm uxori aut filijs: *Ratio* eſt: quia parens eſt principium à quo accepit eſſe ſuum. Unde ad ſcripturam *Reſp.* Illam intelligi debere accommodè quoad adhærentiam, quâ ſunt duo in una carne; ſive in conjunctione matrimoniali, quæ ſignificatur per verbum *adhærere*: majus autem & priùs eſt *eſſe*, quam alteri jungi, ideoque obligatio ad conſervandum ipſum *eſſe* patris prior & major eſt.

Geneſ. 2. verſ. 24. Conjux tenetur prius parenti in neceſſitate.

Dè *honore & fide* mutua conjugum inter ſe, ſcripturæ etiam apertæ ſunt 1. Petr. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo mulieri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ.* Et ad Heb. 13. Dicitur: *Honorabile connubium, thorus immaculatus.* Ex quibus iterùm *concludo.*

Honor & fides mutua conjugum. 1. Petr. 3. verſ. 7. Hebr. 13. verſ. 4.

Peccare mortaliter viros, qui uxores ſuas tamquàm famulas tractant & inhonorant. Etſi enim caput mulieris ſit vir: mulier tamen membrum eſt viri, & laterale adjutorium, ac ſocia, ut & ipſe Adamus teſtatur Geneſ. 3. *Mulier* (inquit) *quam dediſti mihi ſociam.* Similiter: peccant mortaliter uxores, quæ ſuis viris moleſtias faceſſunt, illos contriſtant, diſſenſiones ſeminant. Denique huc referenda ſunt peccata Zelotypiæ, odij, injuriarum, averſionum & afflictionum; quas ſibi invicem conjuges faceſſunt.

Peccata contra honorem debitum conjugibus. Geneſ. 3. verſ. 12. Nota.

§ 4.

De obligatione avorum, patrinorum, avunculorum, ſivè eorum qui in arbore conſanguinitatis ſuperiores ſunt; ſive in linea recta, ſivè in tranſverſali.

Propoſitio Generalis.

Obligatio filiorum ad avos, &c.

FIlij obligantur ad amorem, honorem obedientiam & obſequium avorum, & eorum qui ſuperiores ſunt, ſive in linea recta ſive in tranſverſali ut ſunt patrinus & amita: & illi ſimiliter obligantur deficientibus parentibus immediatis, quantum eorum poſſibilitas & commoditas permittunt, filiorum minorum & nepotum curam gerere.* Ratio eſt: quia ſuccedunt ordinariè in tutelam, & ex natura ſanguinis ad eos ſpectant jure naturali. Unde eſt illud Eccli. 44. *Cum ſemine eorum permanent bona: hæreditas ſancta nepotes eorum*: Et paſſim in ſcriptura vocantur *Os, & caro.* Vide in Geneſi quam curam gerebat Abraham de Loth filio patris ſui, & alia exempla in ſcriptura paſſim obvia ſunt.

Obligatio avorum, &c. ad filios & nepotes. Eccli. 44. verſ. 11. 12.

Nota.

Undè peccant graviter, qui deficientibus parentibus nepotum curam abijciunt, nec conantur illis ſubvenire.

§. 4.

De obligatione pupillorum ad tutores, & tutorum ad pupillos.

Propoſitio Generalis.

Obligatio pupillorum ad tutores, & econtra.

P*Vpilli tenentur proportionaliter ad amorem, obedientiam & honorem erga tutores, in ijs quæ tutelam concernunt. Similiter tutores tenentur ad ſolicitudinem & curam pupillorum; tum ut in fide & moribus inſtruantur & educentur, tum ut bona illorum benè adminiſtrentur, & eis ex illis neceſſario ſubminiſtrentur.*

Peccata.

Peccant itaque mortaliter pupilli tutoribus inobedientes in ijs quæ concernunt tutelam ſuam, eodem modo proportionalirer quo peccarent ſi parenti non obedirent, Peccant eodem modo & tutores, qui pupillorum curam & ſolicirudinem debitam non gerunt, vel eorum bona dilapidanr, aut diſſipanr quovis modo. *Ratio* eſt: quia parris vices ſubeunt, & in eorum locum ſive naturâ, ſive jure publico ſuccedunt.

§. 5.

De obligatione patrinorum & ſuſceptorum, tum in baptiſmo tum in confirmatione.

Propoſitio Generalis.

Obligationes patrinorum ad filios ſpirituales & econtra.

P*Atrini & ſuſceptores, qui patres ſpirituales ſunt & compatres dicuntur, tenentur ſimiliter ſub peccato mortali curam gerere, ut filij quos ſuſceperunt ſivè de fonte baptiſmatis, ſive de ſacramento confirmationis, in fide & ijs, quæ ſunt ſalutis, inſtruantur & conſerventur.* Unde S. Auguſt. ſerm. 215. de tempore: *Filios* (inquit) *quos de fonte excipitis, ſcitote vos fideiuſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe, & ideo tam illos, qui de vobis nati ſunt, quam illos, quos de fonte excepiſtis, ſemper caſtigate & corrigite, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant, ſivè:* ut aliud exemplar habet, *ut caſte & juſte & ſobriè vivant*, &c. Quæ maxime urgenr uſque ad annos diſcretionis in illis, etſi alijs deficientibus etiam poſteà illæ obligationes perſeverent.

Aug. ſerm. 215. de Temp. poſt init.

Ex correlativo *Infertur*: filios: ut dicitur, in baptiſmo & confirmatione ſuſceptos debere amorem, honorem obedientiam proportionaram obligationi ad ſe à ſuſceptoribus contractæ.

§. 6.

De obligatione ſervorum ad Dominos, & Dominorum ad ſervos.

Propoſitio Generalis.

Obligationes ſervorum ad Dominos ſuos & è contra.

S*Ervi Dominis debent reverentiam, obſequium fidele, & obedientiam: econtrà Domini illis debent amorem, mercedem & beneficentiam.* Ad Epheſ. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & ſimplicitate cordis veſtri, ſicut* CHRISTO, *non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi* CHRISTI *facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes.* Infra: *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cælis.* Eadem ferè repetuntur ad *Coloſſ.* 3. Et ad *Titum*. 2. *Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe omnibus placentes, non contradicentes: non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Er 1. Petr. 2. dicitur; *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Epheſ. 6. verſ. 5. 6.
Verſ. 9.
Coloſ. 3. verſ. 22.
Tit. 2. verſ. 9. 10.
1. Petr. 2. verſ. 18.

Peccata ſervorum.

Porrò peccata ſervorum ſunt: *Inobedientia, contemptus, infidelitas & fraudulentia*, quæ ſi in materia gravi fiant, ſunr peccata mortalia.

Peccata Dominorum.

Peccata autem Dominorum in ſervos ſunt: *Iracundia nimia, injurioſa percuſſio, averſus & indignabundus animus, contumelia, merces defraudata crudelitas.* &c. Quæ ſimiliter juxta materiam expendi debent.

§. 7.

De obligatione ſubditorum ad Reges, Principes & Magiſtratus, & econtra.

Propoſitio Generalis.

Obligatio ſubditorum ad Reges Magiſtratus & è contra.

S*Ubditi tenentur reverentiam, obedientiam, fidelitatem & juſta tributa regibus, principibus & magiſtratibus ſive rectoribus ſuis. Illi verò debent ſuis ſubditis conſervationem, pacem & benevolentiam ſeu etiam beneficentiam.* Lege S. Pauli dogmara *ad Roman.* 13. 1. *ad Timoth.* 2. *ad Tit.* 3. 1. *Pet.* 2. Quæ omnia late expendimus *Tractatu* 1. *Tit.* 5. *per totum & Tit.* 9. *Quæſt.* 2. *Ap.* 2. nec hic repero: repetat ea ex locis iſtis ſedulus lector, ubi & peccata ſubditorum recenſita ſunt.

§. 8.

De obligatione ad ſacerdotes & patres ſpirituales, & econtra.

Propoſitio Generalis.

Obligatio ad ſacerdotes & patres ſpirituales.

S*Acerdotibus curam animarum habentibus debent filij ſpirituales amorem, reverentiam, obedientiam in ijs quæ curam illam ſpectant, ac ſubſidium neceſſarium: Illi verò debent filiis ſuis curam, doctrinam & exemplum.* Hæc iterum ex ſcripturis clara ſunt Deuteron. 17. *Qui autem ſuperbierit*

nolens

Deut. 17. verſ. 12. Hebr. 13. verſ. 17. *nolens obedire Sacerdotis imperio*, &c. *morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Ad Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacite eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, 1. Ad Timoth. 5. 1. Timoth. 5. v. 17. 18. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, (id eſt reverentia & ſubſidio) *maximè qui laborant, in verbo & doctrina. Dicit enim ſcriptura: non alligabis os bovi trituranti. Et: dignus eſt operarius mercede ſua.*

Peccata filiorum ſpiritualium. Peccata igitur filiorum ſpiritualium reſpectu Sacerdotum pro animabus laborantium; ſunt *Irreverentia, contemptus, inobedientia, negatio ſubſidij & mercedis; in decimis* & alijs. Quæ juxta rationem materiæ gravis, & exiſtimationem prudentium peccata mortalia ſunt.

Peccata paſtorum. Peccata autem Sacerdotum curam animarum habentium vel animabus miniſtrantium ſunt: *animarum neglectus, pigritia, defraudatio doctrinæ, & ſacrorum myſteriorum.*

Nota. Singulariter nominavi Sacerdotes curam animarum habentes aut pro animabus laborantes: Sacerdotibus enim ſimplicibus vel quibus circa animas nullum miniſterium commiſſum eſt, ſolum debetur reverentia Sacerdotali dignitati: quamvis in charitatis ſubſidiis etiam alijs ob ſtatum ſint præferendi in æquali gradu & neceſſitate exiſtentibus.

§. IX.

De obligatione ad ſenes.

Propoſitio Generalis.

SEnioribus etiam tamquam patribus ob ſenectutem honorem & reverentiam indixit ſcriptura, Obligatio Juvenum ad ſenes. Levit. 19. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum.* 1. ad Timoth. 5. *Seniorem nè increpaveris, ſed obſecra ut patrem*, &c. Levit. 19. verſ. 32. 1. Timoth 5. verſ. 1. Undè à propoſito, & cum contemptu irridere, provocare, laceſſere aut irreverentiam notabilem ſeni inferre, eſt peccatum mortale. Et hæc de hoc præcepto ſint dicta.

SCHEMA TRACTATVS V.

De honore Parentum.

Honora patrem tuum & matrem tuam, &c. Exod. 20.

- Honor dicit
  - Amorem ut Parentibus.
    - Nec malum velis nec inferas.
    - Poſitivè bene velis.
    - Omnem injuriam ſi poſſis ab eis propulſes.
    - Peccat igitur filius Qui
      - odit.
      - non benefacit.
      - non defendit,
  - Obedientiam in omnibus.
    - Juſtis.
    - Licitis:
    - Honeſtis,
    - Peccat igitur filius Qui
      - Non obedit injuſtis, obedit in injuſtis,
      - Non obedit in licitis, obedit in illicitis
      - Nō obedit in honeſtis, obedit in inhoneſtis.
  - Reverentiam
    - Officio
    - Verbo
    - Signo
    - In quibus qui deficit, peccat.
- Nomine Patris ſive Matris intelligũtur
  - Parentes & in gradu ſuo avi & collaterales,
  - Tutores,
  - Patrini.
  - Domini reſpectu ſervorum,
  - Reges & Magiſtratus.
  - Sacerdotes,
  - Seniores:

De his omnibus & de eorum obligationibus reſpectivè, de peccatis hoc præceptum contingentibus diſtinctè agitur toto iſto Tractato 5.

 TRACTA-

TRACTATUS SEXTUS
DE
QVINTO PRÆCEPTO:

Non occides. Exod. 20.

TITULUS PRIMUS
DE
SVBSTANTIA, NATVRA ET OBLIGATIONE
huius præcepti.

QUÆSTIO I.

Quid hoc præcepto: Non occides, *prohibeatur?*

Explicatio præcepti per Chriſtum.

CHRISTUS Dominus *Matth.* 5. in ſermone illo, quem in monte habuit, ad declarationem decalogi accedens, ab hoc præcepto tamquam primario in ordine ad proximi vitam conſervandam, explicationem ſuam auſpicatus eſt: *Audiſtis* (inquit) *quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit reus erit judicio: ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio* &c. *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Deindè ſubdit neceſſitatem reconciliationis. Denique verſu 38. excludit pœnam talionis quæ antiquitùs impoſita erat: *Audiſtis quia dictum eſt oculum pro oculo, & dentē pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Ex quibus omnibus conſtat non ſolùm homicidium hoc præcepto prohiberi, ſed quamlibet injuriã, quæ hominis vitæ infertur. Tantam enim habet curam vitæ Deus, ut in limine creationis tum ante, tum poſt diluvium non modo prohibuerit homicidium, ſed & omne quod aliquo modo ad homicidium referebatur. Sic primò iram Cain in fratrem ſuum Abel condemnavit & increpavit *Genſ.* 4. & *Genſ.* 9 Statim à diluvio egreſſis de Arca cùm indulſiſſet ut carnes beſtiarum comederent: nè indè crudeliores fierent, & humanæ vitæ inſidiarentur: *Carnem* (inquit) *cum ſanguine non comedetis.* cuius cauſam addens: *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumq; effuderit humanum ſanguinem fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippè Dei factus eſt homo.* q. d. Tam pretioſa eſt in conſpectu Domini vita hominis, ex eo quòd ſecundùm animam ad imaginem Dei creatus eſt, ut quiſquis quovis modo inſidiatus fuerit vitæ ejus, etſi brutum irrationale, in deteſtationem homicidij etiam de ipſo bruto vindicta ſit ſumenda. His ſic propoſitis ſit,

Matth 5. verſ. 21.22

Verſ. 38. 39.

Geneſ. 4.

Geneſ. 9. verſ 4. 5.

verſ. 6.

CONCLUSIO I.

Perhibita titulo homicidij.

NOn ſolùm homicidium, ſed etiam omnia antecedentia, concomitantia & conſequentiã quatenus ad illud referũtur, hoc præcepto: Non occides *prohibentur.* Concluſio patet ex prænotatis, & ex illis verbis CHRISTI: *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio,* &c. Ubi tres gradus iræ, tamquàm homicidij cauſæ antecedentes prohibentur, omniſque injuria & pravus affectus ſupprimitur, nè homo hominis vitæ in aliquo noceat. Quin & ſanguinem cum carne animalium prohibuit comedi, nè homines ſanguinarij & ſanguinum viri fierent.

Matth 5. verſ. 22.

CONCLUSIO II.

Antecedentia homicidij quæ?

ANtecedentium, quæ homicidium antecedunt, alia ſunt interioris animi: alia ſunt externa.

Interioris animi paſſiones, quæ homicidium præcedunt, ſunt: *Ira, odium, invidia*: hæc enim ſunt radices, ex quibus homicidia voluntaria ut plurimum procedunt. *Externa* verò: alia ſunt *proxima*, alia *remota*. *Remota* ſunt: *Clamor, contumelia, maledictum, mina, irriſio, detractio*, quæ ad effectus iræ reducuntur à CHRISTO, ut infrà ſuo loco explicabimus. *Proxima* ſunt, *juſſio, conſilium, conſenſus, ſilentium*, &c. De quibus omnibus infrà.

CONCLUSIO III.

Concomitantia homicidium quæ?

COncomitantia homicidium ſunt: percuſſio, vulneratio, mutilatio, inſidiæ *quæ etſi non ſequatur ſemper homicidium, illis tamen perfici ſolet.*

CONCLUSIO IV.

Conſequentia homicidij quæ?

COnſequentia homicidium, quæ etiam hoc præcepto prohibentur, ſunt crudelitas *in corpus mortuum per exſectiones horrendas*, iterata *poſt mortem corporis* vulnera, illuſiones *cadaveris*, &c. *quæ omnia ſingularem contra hoc præceptum malitiam* continent.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit homicidium?

CONCLUSIO UNICA.

Duplex homicidiũ.

V*Ariæ aſsignantur diviſiones homicidij: aliud enim eſt homicidium voluntarium, aliud involuntarium.*

Voluntarium eſt: quod deliberatâ & liberâ voluntate committitur. *Involuntarium* eſt: quod aut à voluntate non procedit; ut eſt homicidium merè caſuale, aut non niſi à voluntate coacta violentiâ aliquâ ab extrinſeco proveniente.

Homicidium voluntarium duplex.

Rurſus *Homicidium voluntarium*: aliud eſt *juſtũ* aliud *injuſtũ*. Homicidium *juſtũ* eſt: cui cauſam Deo & lege divinis diſpoſitionibus conformi, probata juſtitia ſubminiſtrat. Talia ſunt homicidia reorum, quæ legibus humanis ſunt decreta, ſi legi divinæ ſint conformes: quod quidem dico, quia cùm Deus ſolus ſit Dominus vitæ & mortis, in vitam humanam nulla poteſtas datur, niſi prout eſt à Deo clarâ conceſſione. Homicidium *injuſtum* dicitur: cui nulla juſtitia ſuffragatur.

QUÆSTIO III.

Quale peccatum ſit homicidium: & qualiter peccati ſpeciem mutet ex objecto & qualitate?

CONCLUSIO I.

Homicidium eſt peccatum mortale.

H*Omicidium naturâ ſuâ eſt peccatum mortale, & gravius inter omnia, quæ in proximum committuntur.* Ratio eſt: quia contrariatur primario bono hominis, quod eſt vita: unde & primo præcepto, inter illa quæ proximum reſpiciunt, prohibetur. Et quidem primum poſt diluvium mandatum fuit: *De non occidendo homine*: Primum idipſum à CHRISTO explicatum, & ubique ferè in ſcriptura ſemper primò repetitur, & tanquam ſummè adominabile ab omnibus creaturis homicidium proſcribitur. Vide Matt. 5. & 19. ad Rom. 1. Apoc. 21.

CONCLUSIO II.

Homicidium mutat ſpec. è objecto.

G*Ravitatem cum mutatione ſpeciei homicidium interdùm accipit ab objecto.* Unde eſt illa diviſio homicidij: In *homicidium ſimplex*, *homicidium ſui ipſius* & in *paricidium* (quod ab alijs gradibus *Fratricidium* ac *matricidium*, &c. vocatur) determinatque occiſionem injuſtam & illicitam (patris, matris, filiorum, fratrum, ſororum & propinquorum) cui & *uxoricidium* jungitur, & *ſacrilegium*, quo ſacerdotum & perſonarum Deo ſacratarum occiſio indicatur. Ad *Paricidium* autem reducitur occiſio Regis, principum, magiſtratuum, qui patres populi reipublicæ reputantur. His porro ſpeciebus ob peccati gravitatem graviores pœnæ à legibus humanis, conformiter ad divinas, decretæ ſunt. Ut de *occiſore ſui-ipſius* Concil. Braccarenſe 1. apud Gratianum 23. Q. 5. c. *Placuit* ordinavit, ut qui ſeipſum occidit ſepulturâ Eccleſiaſticâ carear, nullo pro eo oratio fiat, nulla commemoratio in Miſſa nec pro eo Miſſa dicatur. *Item* Concil. Aurelianenſe 2. *Can.* 15. & Antiſiodorenſe *Can.* 17 *De paricidio, matricidio, fratricidio.* Vide Gratianum 33. *Q.* 2. *c. Latorem.* De *uxoricidio* ibidem *c. Quicumque & c. interſectores.* De *Sacerdotum & perſonarum Deo ſacratarum ſacrilega occiſione &* pœnis infligendis juxta omnes gradus vide *Concilium Theodonis-Villæ* ſub Carolo magno. Et Concilium Cabillonenſe 2. *Can.* 24. De *Regibus non occidendis*, ſcriptura ipſa ſententiam profert: *Quis enim extendat manum in* CHRISTUM *Domini & innocens erit?* 1 Reg. 26. verſ. 9.

CONCLUSIO III.

Homicidium ſpeciem mutat ex modo Aſſaſinatus.

M*Odus etiam occiſionis interdùm malitiam ità auget, ut ſpeciem moralem diſtinctã conſtituere reputetur:* Ità primò, *Latrocinium* & *aſſaſinatus* differre cenſentur ab homicidio ſimplici, & ſicarij, latrones ac hujuſmodi non habent immunitatem Eccleſiaſticam, ſed ab ipſo altari avellendi ſcribuntur.

Veneficium.

Secundò, *Veneficium* Ratione modi ſpeciem mutat ſivè fiat per magiam ſivè per ſortilegium ad hominis mortem & interitum, ſive fiat per ſumptionem vel propinationem veneni, ſivè intoxicationem. Ob ſpecialem enim turpitudinem in genere moris & juris reputantur illa peccata ſpecialia. Undè tam Eccleſiaſtico, quàm civili jure eis ſpeciales pœnæ decretæ ſunt.

Aborſus.

Tertiò, aborſus procuratus. In procurantes enim aborſum graviſſimæ pœnæ decernuntur tamquam ſpeciem ſingularem peccati committentes. Quòd ſi mater aut pater infantis procuret aborſum, præter modum & malitiam ſpecialem occiſionis, *Paricidæ* ſunt, quibus graviſſimæ pœnæ decernuntur in Concilio Ancijcano cap. 21. Et in Concilio Elibertino cap. 63.

Paricidiũ in aborſu.

Digreſſio de aborſu.

Aborſus tripliciter procuratur.

G*Eneralis autem doctrina extra caſus paricidij in aborſu hic aſſignanda eſt: aborſum generaliter tribus modis conſiderari poſſe. Primò, ante conceptum fœtum, ut nimirùm, conceptio impediatur, & ſemen diſſolvatur, ſivè etiam ut mulier ſterilis reddatur. Secundò, poſt conceptum, ſed ante animatum fœtum, ut ſcilicet impediatur ejus animatio, & fœtus aut eijciatur aut aliter diſſipetur. Tertiò, poſt animatum in utero fœtum: animatur autem fœtus juxta magis communem ſententiam, ſi maſculus ſit, poſt quadrageſimum diem à conceptu; ſi fœmina, poſt octogeſimum: *Primò & ſecundo* modo procuratio aborſus eſt peccatum mortale, quia impe- *Nota.*

dire directè conceptionem vel animationem eſt contra naturæ intentionem & finem, eſtque homicidium ſaltem privativum, quia eſt privatio vitæ humanæ in embrione, quæ ordinario naturæ curſu ineſſe deberet, ſi non impediretur. De quo ductè Sixtus V. in Bulla infra citanda ex S. Hieronymo & Ambroſiò ubi dieit: impedientes conceptum vel animationem im-

Sixtus V.

pijſſimè agere: *Quia nimis* (inquit Sixtus) *imprudenter contra Dei voluntatem ſe opponunt*, *qui* (ut S. Hieronymus ait) *dum natura recipit ſemen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit: dum inter ventris anguſtias Dei manus ſemper operatur, idemque corporis & animæ Creator eſt: impiè deſpiciunt bonitatem figuli, id eſt Dei, qui hominem plaſmavit, fecit & voluit*, &c. *Tertio* modo procuratio aborſus poſt animatum fœtum eſt formale homicidium, & animæ rationalis certa damnatio, ſaltem quoad pœnam damni. Unde ex iſto homicidio irregularitatem incurrit, qui aborſum procurat. Et *Sixtus V. conſtit. 87. apud Cherubinos data* 1588. 4. *Kal. Decembr. Pontif. anno* 4. vult & declarat omnes, *qui percuſſionibus*, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impoſitis, vel alijs modis, ab-

Nota.

ortus ſeu fœtus *immaturi*, *animati*, *ſive inanimati, formati vel informis electionem procuraverint*, vel venena aut potiones ne mulieres concipiant, per ſe vel per alium propinaverint, vel conſilium præſtiterunt, &c. præter pœnas juris tam civilis quàm Eccleſiaſtici quovis modo latas, quas innovat & auget, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam hoc ipſo facto incurrere, quam S. Sedi Apoſtolicæ immediatè reſervat, præterquàm in mortis articulo, derogando omnibus privilegijs in contrarium facientibus etiam per jubileum conceſſis: clericis verò aborſum procurantibus imponit privationem uſus omnis ordinis clericalis, beneficij, dignitatis, cum degradatione & traditione in manus poteſtatis ſæcularis, &c. Quamquidem

Reductio Bullæ Sixti

Bullam Gregorius XIIII. an. 1591. ad terminos juris communis tam Eccleſiaſtici quam ſæcularis, quoad pœnas reducit: quoad peccatum verò reſervatum & excommunicationis pœnam, in vigore relinquit, moderando tamen reſervationem: illius abſolutionem Epiſcopis, vel quibusvis Sacerdotibus approbatis & ad hunc caſum ſpecialiter per loci ordinarium deputatis, relinquens. Bulla incipic: *Sedes Apoſtolica.*

QUÆSTIO IV.

Quæ peccata ad homicidium reducantur?

Peccata ad homicidiū reducta

ETſi ſimpliciter per præceptum: *Non occides:* tamquam principalior actus ipſa occiſio quam mors conſequitur, prohiberi cenſeatur, multa tamen ſunt quæ velut cauſæ remotæ, vel ut proximæ: velut præparatoriæ ad hominis occiſionem diriguntur, undè & hoc præcepto cenſentur etiam CHRISTO interpretante prohiberi.

CONCLUSIO I.

De ira, odio, invidia.

I*Ra odium, invidia & quicumque actus internus deliberatus conſilij, & pravæ voluntatis ad occidendum hominem hoc præcepto prohibetur, & ex natura ſua eſt peccatum mortale.* Colligitur ex c. 5. Matth. in quo ira & omnis malevolentia ſub iſto peccato prohibetur, *Ratio* autem clara eſt: quia qui conſentit in id quod eſt peccatum mortale, mortaliter peccat, ſed qui irâ, odio, conſilio & quâvis pravâ voluntate deliberate fertur in hominis occiſionem, virtualiter aut formaliter conſentit in occiſionem hominis, quæ eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ergò peccat mortaliter.

CONCLUSIO II.

Percuſſio, vulneratio, &c. peccata mortalia.

P*Ercuſſio, vulneratio, mutilatio, tormentum, incarceratio omniſque violentia injuſta, quæ ex ſe vel ex circumſtantijs ad hominis interitum, vel in grave vitæ nocumentum vergit, peccatum mortale eſt & ſequitur ſpeciem peccati; juxta terminum, ad quē formaliter vel interpretative refertur.* Ratio manifeſta eſt: quia actus ſumit rationem malitiæ & ſpeciem à termino ad quem refertur, ſive igitur ad mortem inferendam, ſive ad notabile detrimentum corporis & vitalis actionis referatur, cum illis omnibus modis ſit materia gravis, eſt peccatum mortale.

Dixi (*injuſta*) ſi enim jure ſive ex juſtitiâ inferantur, peccata non erunt, ut infrà dicendum eſt.

Dixi (*quæ ex ſe vel ex circumſtantijs ad hominis interitum*, &c. *vergit*) Non enim excuſatur ab homicidio qui non habet formalem intentionem vel voluntatem occidendi; eo enim ipſo, quo quis injuſtè ſivè illicitè adhibet aliquid, ex quo poteſt mors vel grave vitæ nocumentum ſequi, cenſetur reus illius effectus pravi, qui inde ſequitur, maxime ſi debuit cauſæ & effectus ſequelam ſaltem contingentem attendere. Quod dico ob homicidium caſuale, & alios eventus fortuitos, de quibus infrà.

Dixi (*vel in grave vitæ detrimentum vergit*) utpotè ad infirmitatem aliquam gravem mutilationem membri, deformitatem, debilitatem virium, impedimentum vitalis alicujus exercitij quæ omnia prudenter æſtimari debent.

Nota.

Dixi (*& ſequitur ſpeciem peccati juxta terminum ad quem formaliter vel interpretâtive refertur*) Ità percuſſio, vulneratio, tormentum, incarceratio, violentia in patrem, matrem, fratres, ſorores ſequitur naturam paricidij, & gradus iſti ſpecificari debent in ſacramentali confeſſione. *Similiter*: potio data ad aborſum, etiam effectu non ſecuto, ad ſpeciem procurationis aborſus refertur: ſic de vulneratione, mutilatione per aſſaſinatum & latrocinium: ſic de nocumento ex veneno propinato, vel

etiam

etiam de propinatione ipſa, etiam effectu non ſecuto, judicandum eſt; ad eamdem enim ſpeciem peccati pertinet, cujus eſſet actus ſi ad ſuum formalem terminum perrigiſſet.

Qualis interpretatio requiratur.

Dixi (*interpretative*) interpretatio autem ſumi debet ex iis quæ communiter, poſitis cauſis præſentibus & conſideratis circumſtantiis, accidere poſſunt, etſi frequentius non accidant. *Ex. g.* Dat pharmacopola potionem infirmo, ex qua ſcit aliquem poſſe mori; etſi aliqui interdùm & frequentiùs non moriantur; ſi ex illa potione infirmus moriatur; peccavit mortaliter & interpretativè cenſebitur illius mortem voluiſſe; quia adhibuit id, ex quo ſciebat effectivè mortem ſequi.

CONCLUSIO III.

De maledictis, contumeliis, detractionibus, irriſionibus.

QUi *maledicta, contumelias, detractiones, irriſiones & alia hujuſmodi alicui inſert, aut contentiones movet, ex quibus advertebat vel advertere debebat ſecuturas percuſſiones; vulnera, mortes, præter peccata quæ in illis inferendis vel concitandis committuntur, reus cenſetur peccatorum mortalium conſequentium: percuſſionis, vulnerationis, mortis,* &c. Ratio eadem eſt quæ ſuprà. Quia advertens vel advertere debens illis cauſam dedit.

CONCLUSIO IV.

De juſſione, conſilio, conſenſu, &c.

OMnis *cooperatio hominis, ſivè poſitivâ, ſivè per omiſſionem alicujus actus debiti, in homicidio, vulneratione, mutilatione & aliis nocumentis vitæ hominis, in materia gravi eſt mortale peccatum, ut ſunt juſſio, conſilium, conſenſus, excitatio, adulatio, ſilentium, ſi clamando poterat & debebat impedire & id genus.* Ratio eſt: quia hæc vel cauſam, vel conſenſum ſivè formalem ſivè interpretativum in homicidium & alia nocumenta continent. Et hæ concluſiones ſint pro *regulis generalibus homicidij illiciti ad ſua principia reductivis,* nè cogamur repetere.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint pœnæ homicidio, vulnerationi, mutilationi decretæ in conſcientia obligantes?

Nota.

NOn ago de pœnis externis, quæ legibus decretæ ſunt, & per ſententias judicum cum violentia infliguntur: illas enim pœnas jure naturæ quilibet fugere poteſt; neque enim tenetur homicida aut mutilator ſe tradere ultrò judici: quinimò etiam effracto carcere poteſt fugere, tantumque tenetur ad damni in effractione carceris compenſationem: ſed ago de pœnis quæ abſque ſententia judicis in conſcientia ligant.

CONCLUSIO I.

Homicida & mutilator irregularis.

OMnis *homicida ex voluntario & illicito homicidio, vel mutilatione incurrit in foro conſcientia irregularitatem.* Undè ſi quis facto homicidio ad ordines promoveatur peccat mortaliter & ſuſpenſus manet ab ordinis executione aliiſque pœnis mulctatur: ſi autem ſit Sacerdos aut ordine aliquo majori inſignitus, non poteſt ante diſpenſationem in irregularitate abſque peccato mortali celebrare, & actum ſui ordinis exercere. Quinimò ſi ſit clericus ab officio & clericatu deponitur. Videatur totus *Titulus* 12. *De homicidio voluntario l.* 5. *Decret. Gregorij.*

CONCLUSIO II.

Homicida & mutilator tenentur ad reſtitutionem.

OMnis *homicida ex homicidio voluntario & illicito vel mutilatione tenetur in conſcientia ad reſtitutionem damnorum omnium, quæ ex ipſo homicidio vel mutilatione ſive antecedenter, ſive concomitanter, ſivè conſequenter oriuntur, juxta prudentem æſtimationem rei, perſonæ, circumſtantiarum,* &c. Sumitur ex jure naturali & æquitate juſtitiæ, qua quis damnum illatum proximo compenſare tenetur: illa autem ſunt realia damna, quæ ex occiſione vel mutilatione hominis proveniunt. Unde eſt illud *Num.* 5. *vir ſive mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamque partem deſuper ei in quem peccaverint.* Ubi, etſi redditio quintæ partis pertineat ad legem judicialem: compenſatio tamen damni & capitale reddendum, eſt juris & juſtitiæ naturalis.

Num. 5. verſ. 6. 7.

Nil poteſt reſtitui vitæ æquale.

Dixi (*tenetur in conſcientia ad reſtitutionem damnorum omnium, quæ ex homicidio vel mutilatione ſive antecedenter, ſive conſequenter,* &c. *oriuntur.*) Pro vita enim erepta nil æquale reſtitui poteſt: vita utique hominis liberi pretio æſtimabilis non eſt, ut habet axioma commune juris: damna igitur ex morte, & illam antecedentibus, vel concomitantibus, penſanda ſunt, ſuper quibus & perſonis damnificatis pono dubia ſequentia.

Dubium 1.

Quæ reputentur damna antecedentia, concomitantia & conſequentia homicidium, &c?

Damna antecedentia in homicidio, &c.

REſpondeo *primò,* illa dici damna *antecedentia:* quæ ipſam occiſionem, mutilationem vel vulnerationem antecedunt: ut ſi quis hominem vel domum ſpoliaverit, domum effregerit, prolibus familiæ damna priùs intulerit, in ordine ut hominem occidere vel vulnerare poſſet. Ea enim omnia attendenda ſunt.

Damna concomitantia.

Reſpondeo ſecundò, concomitantia damna cenſentur omnes expenſæ chirurgorum, medicorum, pharmacorum, & aliarum medicinarum, ſi quæ applicatæ ſunt, ut homo à vulnere vel mutilatione curaretur, vel etiam ut à morte

præſer-

præſervaretur: illa enim, ſive ſecutâ ſive non ſecutâ morte, debent, ab inferente vulnus vel mutilationem ſolvi vel compenſari.

Damna conſequentia.

Reſpondeo tertiò, conſequentia ſunt: quæ ex morte occiſi vel mutilatione membri illius, qui injuſte mutilatus eſt, obveniunt uxori, prolibus vel familiæ juxta prudentẽ æſtimationem, utpotè, ſi familia ab arte & induſtria occiſi vel mutilati pendebat in victu quotidiano, & vitæ commoditatibus honeſtis acquirendis, conſervandis vel augendis. *Item:* ſi parentes ipſius operâ ſuſtentabantur.

An æſtimandæ futuræ hæreditates in compenſatione.

Petes: An veniant æſtimandæ hæreditates quæ, ſtante matrimonio vel ipſo ſuperſtite, ei & hæredibus in recta linea obtigiſſent? *Item:* illæ, quas acquirere poterat ſi ſuperſtes fuiſſet.

Reſpondeo, Quidquid alij dicant, ſola illa in compenſationem venire, quæ morali conſideratione & epikeiâ, ſivè interpretatione juſtâ ex ipſius arte & induſtria quotidiè ex communi exercitio emergebant. *Ratio* eſt: quia cætera accidentalia ſunt, & quæ nullam ſubſiſtentiam realem, nequidem virtualem in ſe habent, ſed tantùm imaginariam: cum pro tunc nullum haberet jus ad illa, & à proprietario poſſint conſumi, vel aliter diſtrahi, ita ut ad occiſi manus nullo unquam tempore perventum eſſent, quamvis occiſus non fuiſſet.

Unde *Dico primò*, hæreditates, quæ ſtante hoc matrimonio cum hac uxore obveniſſent, non venire computandas: potuit enim aut ipſe aut uxor mori, aut alia immutatio fieri: Et aliàs incertæ ſunt providentiæ iſtæ. Unde nec ſunt attendendi hæredes ſolius hæreditatis ratione, quia & ipſi mori poterant, aut ex cauſa exhæredari.

Hæreditates futuræ non veniunt in æſtimationem &c.

Dico ſecundò, Nec computandas hæreditates, quas in futurum acquirere potuiſſe ſibi homines imaginantur: hæc enim etiam incertiſſima ſunt, quia contrarios eventus & jacturas æquali certitudine pati poterant ex communi rerum fluxu, revolutione, & eventibus varijs.

Sola æſtimanda quæ moraliter erant certa.

Dico igitur tertiò, reſolutivè & confirmativè: occiſorem vel mutilatorem teneri tantùm circa damna conſequentia ad compenſationem ſivè reſtitutionem eorum, quæ hic & nunc in cauſis ſuis videbantur moraliter exiſtere, & quaſi incipere eſſe, hoc eſt; juxta æſtimationem artis, modi, induſtriæ; lucri præſentis: Etſi enim in futurum illa certitudinem omnimodam non habeant, habent tamen moralem: quia hic & nunc ille ſuâ arte, induſtriâ, opere & labore ſolebat tantum lucrari, & talibus ſuam familiam ſuſtentare vel comoditates augere.

Corollarium.

Æſtimatio prudens damnorũ in homicidio, &c. à tribus ſumenda.

Super æſtimatione damnorum ex homicidio vel mutilatione.

EX quibus *infero:* Æſtimationem prudentem compenſationis, ſive reſtitutionis damnorum dictorum ex homicidio & mutilatione provenientium tribus conjunctim debere ſumi. Nimirùm 1. Ab arte, induſtria, exercitio occiſi ſivè mutilati. 2. At ejus labore, opere & fructu. 3. A perſonis quæ ipſius arte, induſtria, labore ex debitò ſuſtentari debebant.

Unde *Dico iterùm primò*, ſi occiſus vel mutilatus nullius artis, induſtriæ, exercitij vel operis eſſet, ſed qui proprijs abſque labore ſuſtentaretur, cùm familia ratione ſuſtentationis vel lucri nil per mortem illius detrimenti paſſa ſupponatur, ſaltem quoad filios-familias non eſt hic fundamentum certum compenſationis, quæ meritò æſtimari in conſcientia debeat. Dixi (*ſaltem quoad filios-familias*) quoad uxorem enim vel parentes aliud eſt: quia interdum fruſtrantur, prolibus ad ætatem venientibus, ſpetato uſufructu, & communi alimento.

Dico ſecundò, Si occiſus ſit alicujus artis: nullius tamen operis aut laboris, ſed vir inærs, ſua diſſipans, & artem non exercẽns, hoc in prudentem æſtimationem damni illati deduci debet. Certum enim eſt tunc non deberi eam compenſationem, quæ aliàs laboranti & actù exercenti cum lucro artem ſuam, deberetur.

Dico tertiò, Attendendas etiam eſſe perſonas, quæ occiſi labore, arte, induſtriâ ex debito juſtitiæ vivebant. Tot enim perſonæ ſunt damnificatæ, utpotè ſi parentes in neceſſitate poſitos alere debebat, & de facto alebat: ſi uxorem, proles, &c. habebat. Juxta has tres conſiderationes æſtimatio fieri debet in particulari. Unde nec leges nec conſuetudines pro foro conſcientiæ ſunt attendendæ: quia illæ generales ſunt, & non niſi pœnam civilem & reipublicæ regimen ſpectant. *Nota.*

Dubium 2.

Quid ſi occiſor vel mutilator pœnam mortis, triremis flagellationis publicæ, carceris, exilij paſſus fuerit: an tenebitur in conſcientia damna compenſare?

Qui pœna mortis plectitur ob occiſionem &c. abſolvitur ab omni damno.

RÉſpondeo primò, ubi occiſor vel mutilator pœnâ mortis plectuntur, hæredes non teneri ad aliquam compenſationem damnorum illatorum; niſi ex damnis illatis ditiores facti ſint, & niſi à judice per ſententiam ad illa condemnati, aut in judicio poſtulentur à parte læſa: *Ratio* mea eſt: quia vita, quæ eripitur, pretij inæſtimabilis eſt & omni damno major. Et quamvis vitæ ereptio videatur tantùm indicta à publica juſtitia ratione violati boni communis reipublicæ, ſive communis tranquillitatis, ſecuritatis, & pacis: reverà tamen etiam per hanc ſatisfit parti læſæ, dum vita pro vita redditur velut in compenſam & talionem; eò maximè ſi hæredes occiſi, vel mutilatus aut vulneratus poſtulaverint penſam & talio-

&talionem; eò maximè ſi hæredes occiſi, vel mutilatus aut vulneratus poſtulaverint mortem rei, & ſententiam judicis: undè ſi judex nullius mulctæ, reſtitutionis, aut compenſationis fecerit in ſententia mentionem, cenſetur omnia damna unâ rei morte aboleviſſe. Quarè dixi (*niſi à judice per ſententiam ad illa fuerint condemnati, aut in judicio poſtulentur à parte læſa*) ſolent enim judices, ſi quid reſarciendum reſtituendum vel compenſandum fuerit, illud in judicio determinare, quibus totius facti examen ad vindictam vel compenſationem eſt commiſſum. Solent etiam partes læſæ compenſam petere à judice: unde ſi nec judex compenſationem detrimentorum imponat, nec pars læſa in judicio illam poſtulet, ex parte quidem judicis cenſetur pœna mortis crimini & damnis ſatisfeciſſe: ex parte autem intereſſatorum, ſi quid puteturex parte judicis minùs ſatisfactum, ſupponitur condonatum.

Dices: jure & juſtitiâ naturali occidens vel mutilans ante omnem ſententiam judicis, imò omni circumſcriptâ actione judicij, tenebatur ad damna quæcumque compenſanda: ergò, etſi per hoc quòd damnetur ad mortem, ad triremes, ad carceres perpetuos, &c. ſatisfaciat reipublicæ, ſemper tenetur ad compenſanda damna particularia.

Reſpondeo primò, ſalvâ vitâ tenebatur, ex eo autem quòd occiſi causâ tollitur vita ejus, ſimul cenſetur tolli omnis obligatio, quæ aliàs viventem affeciſſet: non enim occidens obligationem contrahit, niſi quia vivens: ſi autem occaſione & causâ tui vita mihi eripitur, jam ſublatâ per te & ex ratione tui vitâ meâ omnis obligatio ex jure naturæ mihi viventi adveniens aufertur: quia ſuppoſitum occiſoris tui causâ præcisè tollitur ratione damnorum illatorum, & ob illud præcisè, quia (ut ſuprà notavimus) perſonam alijs utilem & neceſſariam ſuſtulit.

Reſpondeo ſecundo, cùm leges humanæ & judiciales imitantur legibus & juſtitiæ naturali, itaque per ſe inſeparabile damnum quod familiæ ex occiſione vel mutilatione patrisfamilias oritur, ab ipſa occiſione vel mutilatione ex qua damnum oritur: judex, qui mortem infert, utrumque conſideraſſe aut debuiſſe conſiderare cenſetur, ideòque datâ ſententiâ diffinitivâ totius cauſæ quidquid eſt juris tum naturalis, tum poſitivi obligantis ad damnorum compenſationem diffinitum & abſolutum reputatur, ideoque hæres occiſi non habet quod in familiam occiſoris prætendat, niſi judicium & judicem erroris inculpet. Familia autem & hæredes occiſoris in conſcientia ſunt tuti, quamdiu de ſententiæ inſufficientia judex convictus non eſt. Quia autem carceres perpetui & triremes mortem civilem & tormenta ſivè afflictiones morte duriores continent, cum proportione cenſentur damna compenſare. Undè fit,

Regula Generalis.

Omnis homicida, percuſſor, mutilator, &c. *qui ob homicidium, percuſſionem, vulnera, mutilationem, mortis pœna mulctatur, vel ad triremes & carceres perpetuos aut diuturnos damnatur, ob damna præcisè ex homicidio, percuſſione vel vulneratione illata, ad aliam reſtitutionem vel compenſationem non tenetur.* Ratio ex ſupradictis eſt manifeſta: quia ut latè explicavimus vita omni pretio inæſtimabilis in ſatisfactionem ei eripitur, eo quod hominem occidit, vulneravit, mutilavit quæ damnorum ſequentium ex ſua natura cauſa ſunt & ex conſequenti per ſententiam juridicam perſona ſublatâ, omnis obligatio perſonalis auferri judicatur. Occiſio enim ſicut & damna inde ſecuta morte occiſoris juxta ſententiam judicis compenſantur. Quæ omnia proportionaliter applicanda ſunt judiciali condemnationi ad triremes vel perpetuos carceres: judicatur enim hæc pœna perpetua per ſententiam ſufficiens ad compenſationem totius criminis & illatorum damnorum, vidè ſuprà.

Dixi in Regula (*ob damna præcisè ex homicidio*, &c. *illata*) ſi quæ enim aliæ obligationes ſint, quæ præcisè ex homicidio, mutilatione, &c. non oriuntur, illæ tranſeunt ad hæredes ut debita, ſurta, ſpolia, depoſita, &c. Undè in reſponſione prima dixeram (*niſi ex damnis illatis ditiores facti ſint*) ſi enim apud hæredes reſtent res ſurto acceptæ, ſpolia, depoſita, vel ſi occiſor occiſo aliquibus debitis obligatus erat, tenentur hæredes ſatisfacere: quia ob illa morte damnatus non fuit. *Rerum debent quibusdam ad quarum reſtitutionem tenentur hæredes.*

Dices: Non damnatur morte propter ſequentia damna, ſed quia mortem intulit, vel alium mutilavit. *Reſpondeo*, damnari propter utrumque: cùm enim damnum conſequans ſit cauſa magna aggravans homicidium, a judice ſine dubio æſtimatur: unde aliquando judex occiſoris bona in compenſam addicit fiſco. Quandò autem neutrum facit, cenſetur in una mortis pœna crimen totum eluere. Et ſic habet Belgij communis interpretario, nunquàm enim ab Hæredibus ejus, qui mortem publicam ſubijt, ob homicidium aut mutilationem aliquid expetitur ab hæredibus occiſi ob damna ſequentia, niſi priùs judicialiter expetatur, & occiſoris hæredes condemnentur.

TITU-

TITVLVS II.

De invidia, ira, odio, crudelitate, &c. homicidij, mutilationis, vulnerationis, &c. cauſis.

QUÆSTIO I.

Quid & quale peccatum ſit invidia, & qualiter ad homicidium ordinetur?

CONCLUSIO I.

Difinitio invidia.

I*Nvidia eſt triſtitia inordinata de alterius bono: vel* (ut ait Hugo lib. 2. de Sacramentis) *invidia eſt odium aliena fœlicitatis*

Dixi (*triſtitia*) eſt enim quædam afflictio mentis ex nolitione orta, quatenùs nolumus alteri bonum. Undè & invidia vocatur à Caſſiano *ſpiritus triſtitia*.

Dixi (*inordinata*) inordinatio autem illa immediatè repugnat charitati, in quantum nolumus bonum proximo ineſſe; oritur autem immediatè ex ſuperbia, quia in bonis, quæ aut fingimus aut credimus nos habere, nolumus habere parem, multò minùs ſuperiorem: inordinata itaque dicitur triſtitia quandò repugnat charitati, aut juſtitiæ.

Poteſt quis ordinatè triſtari de bono proximi.

Porrò *advertendum* eſt: nos ordinatè poſſe interdùm triſtari de bono proximi aut ei bonum nolle. *Primò*, in quantum bonum, quod in proximo eſt, nobis vel reipublicæ ſivè etiam proximo injuſtè nocivum eſt: quomodo juſti dolent de proſperitate impiorum, in quantum ſibi & Eccleſiæ nociva eſt: Et hæc triſtitia invidia non eſt ſed timor ſanctus, & averſio à vero malo. Undè S. Gregorius libro 22 moral. cap. 6. *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſâ charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursùm ejus gloria ſine invidia culpa contriſtet, cùm & ruente eo quoſdam benè erigi credimus, & proficiente illo pleroſque injuſtè opprimi formidamus.* *Secundò*, triſtari quis poteſt de bono alterius, non quia in illo eſt, ſed quia nobis deeſt, ità ut objectum triſtitiæ non ſit ipſum bonum præcisè, ſed carentia illius, quod nobis ſalutare & proficuum eſſe putamus. Et hæc eſt æmulatio ſancta juſtorum, de qua Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. *æmulamini autem chariſmata meliora*: Et hæc invidia non eſt, nec invidiæ filia, ſed charitatis & boni deſiderij effectus. *Tertiò*, triſtari quis poteſt de bono alterius, quia verè illo indignus eſt, aut quia malè & perversè illo utitur, aut uſurus eſt, aut quia bonum ſalutis illius impedit, ſivè quia ex eo ſuperbit & petulantior fit. Et hæc iterùm triſtitia ab invidia non procedit; ſed à zelo & juſta indignatione, qui non ſunt invidiæ effectus.

Gregor. l. 22 moral. cap. 6.

1. corinth. 12. verſ. 31

Tota igitur malitia invidiæ in hoc conſiſtit, quod contra charitatem aliquis ità propriam excellentiam ſivè fictam ſivè veram ſibi amat, ut nolit proximum illam ullo modo habere, nè aut ei æquiparetur, aut ab eo ſuperetur. Undè S. Auguſt. lib. 11. De Gen. ad litt. c. 14. *amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet quod ei coaquantur, vel inferioribus, ne ſibi coaquentur, vel ſuperioribus quod eis non coaquetur.*

Nota.

S. Aug. l. 11. de Gen. ad litt. cap. 14.

CONCLUSIO II.

Invidia eſt peccatum mortale.

I*Nvidia ex natura ſua eſt peccatum mortale.* Ratio eſt: quia immediatè opponitur charitati, illique præcepto, quo quis proximum ſicut ſeipſum diligere præcipitur, omninò adverſatur. Undè ad Rom. 1. inter graviſſima peccata quibus gentiles in reprobum ſenſum dati ſunt, refertur quod *pleni eſſent invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſi*, &c. Hæc enim ex invidia frequenter oriuntur, ut poſtea dicemus, Et ad Galat. 5. inter opera carnis recenſentur *æmulationes, ſecta, invidia, homicidia*, &c. *Qua* (inquit Apoſtolus) *pradico vobis ſicut pradixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et 1. ad Timoth. 6. Inter peccata ſectariorum ſeu hæreticorum quæ enumerantur, ponit *invidiam*. *Si quis* (inquit) *aliter docet*, &c, *Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quaſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blaſphemia*, &c. Ex ſuperbia utique nolunt in doctrina pares aut ſuperiores habere. Vide & ad Tit. 3. & 2. Petri 2. Ipſâ verò natura & malitia invidiæ bene notatur Gen. 37. in fratribus Joſeph: cùm enim à patre plus cæteris amaretur, cùm ſomnia præſaga futuræ ſuæ ſuper fratres excellentiæ narraret: *Hac ergò cauſa ſomniorum atque ſermonum* (ait ſcriptura) *invidia & odij ſomitem miniſtravit.* Infrà: *Invidebant ei igitur fratres ſui*, &c. Ex qua invidia omnia demum mala in eum commiſſa ſecuta ſunt. Gravitatem peccati invidiæ exaggerant paſſim Patres ex eo quòd peccatum diabolicum ſit. Primò, quia à dæmone originem ſumpſit juxta illud Sapient. 2. *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ex invidia enim diabolus ſtatum innocentiæ, amicitiam Dei & æternam beatitudinem homini invidit, ex ipſa ad tentandum illum incitatus eſt, & ex ea hominem in peccatum præcipitavit. Secundò, quia in perpetuum in dæmone & damnatis perſeverabit: in hoc enim maximè torquetur in æternum diabolus, quòd creaturæ rationali ad æternitatem electæ & tendenti invideat. Undè Baſilius hom. de ira, invidia & avaritia: *invidia* (inquit) *proprium eſt diaboli vitium* Et homilia de invidia dicit quòd ſit: *diaboli inventum, inimici ſatio, punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, Regni Cœlorum privatio.* Et S. Bernardus ſerm. 54. in cant. rationem reddens cur dæmones in hoc aëre torqueantur: *diabolus* (inquit) *in pœnam ſiquidem ſuam locum in aere iſto medium inter cœlum & terram de cœlo cadens ſortitus eſt, ut videat & invideat, ipſaque invidiâ torqueatur.*

Rom 1. verſ. 29. 30.

Gallat. 5. verſ. 20. 21.

1. Timoth 6. v. 3. 4.

Nota.

Geneſ. 37. verſ. 8. verſ. 11.

Gravitas invidia.

Sap. 2. verſ. 24.

Baſil. homil. de ira, invidia, avarit. item hom. de invid.

II. poſt. med. Bernard. Serm. 54. in cant. ante med.

CON-

CONCLUSIO III.

Invidia quando veniale peccatum.

E*X imperfectione motûs, vel parvitate materiæ invidia poteſt fieri peccatum veniale.* Explico: Dolor de alieno bono poteſt diverſimodè homini ineſſe. *Primò*, Motu quodam naturali, qui eſt primus motus corruptæ & inordinatæ naturæ omnem deliberationem antevertens: Sicut enim in animalibus, ut in canibus, motus quoſdam invidiæ naturalis videmus, ſic in hominibus ratione naturæ corruptæ contingit: ſunt enim quidam naturâ invidi: Et hic motus peccatum non eſt, quia omnem deliberationem antevertit. *Secundò*, Invidia homini ſubrepit per quamdam deliberationem ſed imperfectam, & velut in ſecundo motu, & hic motus ob imperfectionem conſenſûs eſt tantùm peccatum veniale. *Tertiò*, Invidia interdùm reſpicit aliquod bonum infimum, & pravæ æſtimationis, quomodo invident interdùm ſibi communis fœcis homines modicum lucrum, modicum quod ſæpè ſibi affingunt bonum. Et hoc ſimiliter, ob exiguitatem materiæ eſt peccatum veniale. Cæterùm ſit

Regula generalis.

O*Mnis invidia, niſi indeliberatio, imperfectus conſenſus, vel levitas materiæ excuſet, eſt peccatum mortale.* Ad hujus Regulæ explicationem nihil addendum eſt, niſi quòd gravitatem peccati aliqui expendant non ex ſola oppoſitione, quâ charitati invidia opponitur; ſed etiam ex eo quòd immediatè voluntati Dei opponatur. Cùm enim Dei voluntas ſit immediata cauſa diſtributionis bonorum & donorum: Dei voluntati adverſari convincitur, qui bonum vel donum à Deo datum pròximo invidet. *Nota.*

CONCLUSIO IV.

I*Nvidia ſæpè eſt homicidii cauſa, & ad illud ſuaptè naturâ diſponit.* Hæc Concluſio exemplis ſatis conſtat. Undè 1. Joann. 3. *Hæc* (inquit) *eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum: Et propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta.* q.d. Invidia homicidii principium fuit, quia triſtabatur quòd frater ejus juſtus eſſet, & opera ejus Deo accepta, & quòd ſigno ignis ſacrificium fratris ſui probaſſet Deus, juxta illud Chaldaicæ interpretationis: *Inflammavit Deus ſuper Abel, & ſuper munera ejus.* Clarum etiam eſt exemplum in Joſeph, quem ad mortem uſque perſecuti ſunt fratres ſui. Ut autem quilibet intelligat, qualiter in homicidium invidia tendat, duas Adnotationes oppono de filiabus invidiæ.

1. Joann. 3. v. 11. 12.

Geneſ. 4. v. 4.

Adnotatio 1.

De filiabus invidiæ.

S*Anctus Gregor lib. 31. Moral. cap. 17. quinque invidiæ filias aſſignat: Odium, ſuſurrationem, detractionem, exultationem in adverſis proximi, afflictionem in proſperis ejus.* Ex quibus erigitur ſcala ad illius, cui invidetur, extremum interitum: Odium enim prima filia vitæ inſidiatur: Suſurratio amicitiam & ſocietatem diſſolvit: Detractio famam aggreditur: Exultatio in adverſis triumphum canit; Afflictio in proſperis proximi eſt pœna æterna invidi, ut ipſe proprio livore tabeſcat, juxta illud Pſal. 111. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.* Undè Nazianz. orat. 17. *Solus* (inquit) *in omnibus affectibus iniquiſſimus ſimul & æquiſſimus invidia eſt: iniquiſſimus: quia bonis omnibus adverſus eſt: æquiſſimus: quia dominos ſuos exeſt & conficit.* De his filiabus ſuo loco agemus.

Gregor. l. 31. moral. cap. 17. Filiæ invidiæ.

Pſ. 111. v. 10.

Adnotatio 2.

De fraterna charitatis invidentia peccato in Spiritum Sanctum.

S*Upremum invidiæ peccatum & ſpecies eſt fraterna charitatis invidentia:* Quæ in hoc maximè conſiſtit, quòd, dona ſupernaturalia Fidei, Spei, Charitatis virtutum Spiritûs Sancti, doleamus proximo ineſſe: ſive quia apprehendimus excellentiam illorum in proximo noſtram depreſſionem & minorem æſtimationem eſſe aut gignere, ſive quòd diabolicâ malitiâ vellemus ſolis nobis ineſſe. Undè vocatur *peccatum in Spiritum Sanctum*: quia Spiritui Sancto donis ſuis mundum vivificanti contrariatur. Et ſanctus Auguſtinus lib. 1, de ſermone Domini in Monte, cap. 43. explicans illud 1. Joannis 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*, apertè declarat cur dicatur fraterna invidentia: *peccatum ergo* (ait) *fratris ad mortem eſſe puto, cùm poſt agnitionem Dei per gratiam D. N. Ieſu Chriſti, quiſque oppugnat fraternitatem & adverſus ipſam gratiam, quâ reconciliatus eſt Deo invidentiæ facibus agitatur.* Peccata autem invidentiæ fraternæ charitatis ſunt: *Primò*, cùm quis hominem juſtum & bonum perſequitur, quia reputatur illo melior, aut quia magni fit ob virtutis & donorum excellentiam: Hinc murmura, ſuſurria, detractiones, irriſiones, vilipenſiones.

S. Auguſt. l. 1. de ſer. Domini in mon. c. 43.

Peccata fraternæ invidentiæ quæ?

Secundò, cùm juſta alterius vita videtur actiones noſtras condemnare. Undè eſt illud Sap. 2. *Circumveniamus ergo* (inquiunt) *juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, &c. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum: gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, &c.*

Sap. 2. v. 12. 14. 15.

Tertiò, Non rarò ſtatus contra ſtatum,

Digitized by Google

ordo contra ordinem ex quadam prava inclinatione aſſurgit, cùm quilibet ſua ſuoſque prædicare & promovere tentans, conſequen-
Notabenè. ter perſonas etiam miraculis clatas, ac miracula & ſancta aliorum opera vilipendit, interpretatur, aut minùs æſtimat, ne videantur ſuæ intentioni officere. Nota occultum, ſed frequentiſſimum hoc ſæculo peccatum, etiam eheu inter eos, qui perfectionem profitentur: quos ob vanam ſub velamine gloriæ Dei jactantiam, jaculum occultæ invidiæ necat.

QUÆSTIO II.

Quid ac quale peccatum ſit ira, & qualiter ad homicidium reducatur?

Ira dupliciter ſumitur. ADvertendum primò, Iram dupliciter accipi poſſe. Primò pro paſſione quadam potentiæ ſeu vis naturalis, quæ vocatur iraſcibilis, nihilque aliud eſt, quàm *motus quidam naturalis animi ad propulſandum malum, vel ad arduum quidpiam ſuperandum nobis innatus*: Eſtque de ſe paſſio indifferens, in bonum tamen naturaliter ordinata. Secundò, Ira ſumitur pro ipſo uſu illius paſſionis, quatenùs homo ratione utens, motum illum excitat & imperat: aut excitato utitur in bonum vel malum.

Motus iræ plures habet gradus *Advertendum ſecundò*, plures in iſto motu & paſſione iræ gradus reperiri: *Primus* eſt motus quidam ſimplex deteſtationis, vel perſecutionis mali, aut ſuperationis ardui, veri vel apprehenſi abſque animi perturbatione: Et hic motus eſt pars præcipua virtutis fortitudinis: impoſſibile enim eſt homini abſque motu illo malum deteſtari & perſequi, aut arduum quidpiam pati vel ſuperare. *Secundus* eſt: motus idem qui ſuprà, cum aliqua perturbatione & inquietudine partium inferiorum ſenſualitati adjuncta, abſque ulla tamen mentis turbatione vel nubilo. Et hoc modo fuit in Chri-
Marci 3. v.5. ſto, de quo Marci 3. dicitur: *Circumſpiciens eos cum ira, contriſtatur ſuper cæcitate cordis eorum*, &c. Et Joann. 11. in reſuſcitatione Lazari,
Joann. 11. v.33. v.38. ubi refertur, quòd *ut vidit eam (utique Mariam) plorantem & Judæos*, &c. *infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum*. Et iterùm infrà: *Rurſùm fremens in ſemetipſo*: Fremitus enim ille & turbatio fuit quidam motus iræ; tum contra mortem, quæ peccati effectus erat; tum contra infidelitatem Judæorum. Quòd autem ad turbationem aliquam mentis non pervenerit, colligitur ex illo verbo: *Turbavit ſeipſum*, id eſt, pleno imperio, quod in omnes ſuas vires habuit, excitavit in parte inferiori quendam motum naturalis turbationis, vide ſanctum Auguſtinum lib. 14. de Civit. cap. 9. *Tertius* motus iræ eſt concitatio quædam cordis in deteſtatione vel propulſatione mali, ſive aggreſſione ardui, quæ ad aliquam etiam rationis perturbationem ad tempus pervenit, qualis eſt in primis motibus, rationi tamen plenè non dominatur; Et talis eſt interdùm in viris juſtis, dum zelo aliquo vehementiori malum perſequuntur, vel durum aliquid & aſperum aggrediuntur. *Quartus* eſt: metus qui rationem inordinatè perturbat, & omninò commovet, ita ut commotio illa rationi dominetur.

CONCLUSIO I.

MOtus iræ, quatenùs eſt naturalis paſſio, quamdiu ad rationis turbationem non pervenit, ſed à ratione rectà gubernatur & exercetur, eſt inſtrumentum virtutis, & magnus ad omnem pietatem ſtimulus. *Ira ut iſta paſſio naturalis bona eſſe poteſt.* Ratio eſt: quia virtus maximè acquiritur deteſtatione & propulſatione mali, & patientià ac ſuperatione duri & ardui: atqui illis ex natura ſua deſervit potiſſimùm motus iraſcibilis, quem *iram* vocamus; ergo ipſa eſt virtutis inſtrumentum & ſtimulus. Undè
Chryſoſt. homil.11.in Matth. iram vocat *matrem diſciplinæ*. Et Baſil. homil. de ira, *iram* ap- Chryſoſt. homil. 11. in Matth.
pellat *bonarum actionum miniſtram*. S. Gregor. Baſil. homil. de ira.
lib.5. moral. cap. 30. *Inſtrumentum & ancillam virtutis*. Eleganter S. Baſilius ſuprà: *Eſt pars (inquit) iraſcibilis animi, nobis ad multa virtutis opera neceſſaria: quando veluti miles quidam apud Ducem arma ſumens, paratus eſt ejus juſſu auxilium præbere: ſic, ſi iracundia rationi adjutrix contra peccatum fuerit. Nervus eſt animæ quidem indignatio. Conſtantiamque ac robur ad res benè & ſtrenue agendas præbens, quæ animam fortè voluptate delinitam ac laſcivientem veluti ferro quodam cohibens, auſteriorem fortioremque ex molli & remiſſa reddit. Nec enim ſi contra iniquitatem deſit indignatio & ira, ſatis eam odiis, quo decet, perſequi poteris.* Hæc Greg. l. 5. moral. c. 30. S. Baſil. ſup.
Baſilius. Et ſanè non apparet, qualiter peccatum deteſtari aut vindicare, aut arduum aliquod virtutis opus aggredi, vel fortiter aliquid tolerare poſſimus, niſi aliquà commotione iraſcibilis. Undè Ariſtoteles lib. 4. Ethic. c. Ariſt. l. 4. Ethic. c. 5.
5. *Qui (ait) non iraſcuntur quando oportet, & ubi oportet, fatui ſunt: neque enim ſentire, neque dolere videntur.*

Præcipit ſanè Dominus per Pſalmiſtam pſ. Pſalm. 4. verſ. 5.
4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Hæc eſt *ira & ze-* Matth. 21.
lus Sanctorum, quem & in ejectione venden- Exod. 32.
tium in templo oſtendit Chriſtus: Qui etiam apparuit in Moyſe in confractione tabularum, in occiſione adorantium vitulum, in ultione deprecata ſuper Dathan, Chore, & Abiron. Eamdem laudat Scriptura in Phinees, Samſon, Jephte, Gedeon, David, Helia, Joſia, Mathathia, Juda Machabæo, &c. Quæ omnia perſtringit S. Baſilius ſuprà, quem rogo Lector legat.

CONCLUSIO II.

IRa, prout eſt peccatum, eſt inordinata animi commotio, vindictam vel quaſi vindictam inordinatè vel injuſtè appetentis. *Deſinitio iræ prout eſt peccatum.* Hanc diffinitionem aliquot particulis auctam ultra ordinarium Auctorum ſtylum trado, ut tota inordinatio iræ pleniùs intelligatur.

Dixi (*inordinata animi commotio*) iræ enim commotio, ſive in ſuo materiali ſecundùm quod deſcribitur, *ebullitio ſanguinis circa cor*: ſive in ſuo formali, quatenùs eſt quædam *mali deteſtatio*

Digitized by Google

ſtatio vel *proſecutio ardui*, peccatum non inducit, niſi ratione alicujus inordinationis, quæ honeſtati rationis aut juſtitiæ repugnet.

Duplex in ira inordinatio.

Porrò duplex *Inordinatio* in motu iræ notari debet: alia ex parte ipſius motûs, ſive commotionis: alia ex parte termini, id eſt, vindictæ, vel quaſi vindictæ injuſtè vel inordinatè appetitæ.

Inordinatio ex parte motûs, ſive commotionis eſt: Quandò, etiam abſque appetitu vindictæ, tanta eſt commotio & conturbatio iræ, ut homo in anima ſe privet ratione, vel tam graves motus in corpore & ſenſibus excitet, & graviſſimâ injuriâ conſtitutionem hominis, vel ipſam naturam corporis afficiat; ità ut non abſimilis beſtiæ, imò pejor evadat; præterquàm quòd ſibi graves morbos conciliet. Sic videmus illos velut inſanos & furioſos membra mirè & miſerè contorquentes, ſpumantes, totam complexionem invertentes. Et hæc inordinatio, ut dicemus poſtea, eſt graviſſimum peccatum.

Nota.

Inordinatio ex parte termini, ſive vindictæ eſt: Quandò vel injuſta vindicta, vel excedens modum & tempus exquiritur & appetitur. De qua etiam ſtatim.

Dixi (*vel quaſi vindictam*) ſæpè enim fit, ut propriè vindictam vel ultionem in proximum non quæramus: ſed in ipſas res inanimes, imò & in noſmetipſos velut invehamur, & quaſi in rebus, vel in nobiſipſis illi motui bellujno ſatisfaciamus. Et hoc vocatur *quaſi vindicta*. Undè eleganter S. Auguſtinus libr. 14. de civit. Dei cap. 15. *Iram* (inquit) *nihil aliud eſſe, quàm ulciſcendi libidinem, Veteres diffinierunt: quamvis nonnunquàm homo, ubi vindictæ nullus eſt ſenſus, etiam rebus inanimis iraſcatur, ut male ſcribentem ſtylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verùm & iſta licet irrationabilior, tamen quædam ulciſcendi libido eſt, & neſcio quæ, ut ità dixerim, quaſi umbra retributionis, ut qui mala faciunt, mala patiantur.* Idem Epiſt. 115. volens oſtendere iram non ſemper includere vindictam propriè dictam, ſed potiùs animoſitatem contrà appreheſum malum. *Ira* (inquit) *quantùm mea fert opinio, eſt turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantùm, ſed & calamo iraſcimur in ſcribendo, eumque collidimus, atque frangimus.* Quæ omnia notavit Seneca lib. 2. de ira c. 26. *Iraſcimur* (inquit) *aut his, à quibus nec injuriam accipere potuimus, aut his à quibus injuriam accipere potuimus. Ex prioribus quædam ſine conſenſu ſunt, ut librum, quem minutioribus litteris ſcriptum ſæpè projecimus, & mendoſum laceravimus: aut veſtimenta, quæ, quia diſplicebant, ſcidimus. His iraſci, quàm ſtultum eſt quæ iram noſtram nec meruerunt, nec ſentiunt,* &c.

August. l. 14. de civit. Dei c. 15.

Idem Epiſt. 115.

Seneca l. 2. de ira c. c. 26.

CONCLUSIO III.

Ira eſt ex ſua natura peccatum mortale.

IRa, quæ eſt appetitus vindictæ injuſtæ vel inordinatæ, eſt ſemper peccatum mortale, niſi imperfectus conſenſus, vel levitas materiæ excuſet. Ratio eſt: Quia repugnat charitati & juſtitiæ: Charitati quidem, quia proximo malum volumus: Juſtitiæ verò, quia, ut ſupponitur, injuſtè & inordinatè volumus, dicente Domino: *Mihi vindicta, ego retribuam.* Si igitur vindicta juſta eſt, non committit injuſtitiam, qui iraſcitur. Si autem vindictam etiam juſtam à ſe, vel ab alio Judice non competente inferri deſiderat, inordinatè deſiderat, & in materia gravi deſiderio injuſtæ vindictæ mortaliter peccat. Hanc Concluſionem Scripturæ docent, quæ iram inter peccata, propter quæ regnum Dei non poſſidebitur, referunt. Ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis,* &c. *Ira, rixa, diſſenſiones, invidiæ,* &c. *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Matth. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Ubi etſi gradus iræ referantur, quibus diverſæ pœnæ aſſignantur, omnes tamen gradus deliberatæ voluntatis in materia gravi peccati mortalis condemnantur. CHRISTUS enim oſtendere voluit, quòd non ſolùm occiſio hominis prohibita eſſet, ſed ipſa etiam interna voluntas deliberata appetens vindictam injuſtam: quæ, quia foris ſæpè erumpit in confuſam vocem, aut ſigna, aut etiam in verba contumeliæ, gravitatem incrementorum iræ gravioribus pœnis indicat ſubjacere, ità ut ſi ira intùs compreſſa maneat, damnetur *judicio capitis*: ſi autem in voces confuſas, quamvis nihil explicitè ſignificantes, erumpat, confuſa illa verborum effuſio *concilio* indigeat graviori, ut ſuper pœna majori deliberetur: ubi autem venitur ad contumelias uſquè, *gehenna ignis* abſque alio judicio vel concilio tali iræ ſit decreta: ut indè gradatim inferat, homicidium etiam plùs, quam gehennâ ignis dignum eſſe.

Rom. 12. verſ. 19.

Galat. 5. v. 19. 20.

Matth. 5. verſ. 22.

Dixi (*appetitus vindictæ injuſtæ*) licet enim juſtam vindictam appetere zelo juſtitiæ & veritatis. Undè & Pſalm. 57. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.*

Pſalm. 57. verſ. 11.

Dixi (*vel inordinatæ*) vindicta enim inordinata eſt, quandò vel ultrà demeritum, vel extrà tempus & modum, vel à perſona incompetente inferenda exigitur. Undè etſi inimico juſtè mortem deſiderare poſſim, non tamen à me, ſed vel à Deo, vel à judice intrà juſtitiæ terminos, idque dùm inimicus in mortali peccato non eſt, inferendam. Optare enim mortem etſi juſtiſſimam alicui cum reflexione, quòd ſit in peccato mortali, peccatum mortale eſt: quia eſt optare illi animæ damnationem.

Quando cenſeatur vindicta inordinatè appeti?

Nota.

Dixi (*niſi imperfectus conſenſus vel levitas materiæ excuſet*) requiritur enim ad iram mortalem deliberatus conſenſus voluntatis in appetitam vindictam, & ut ſit materia notabilis.

CONCLUSIO II.

Filiæ Iræ.

F*iliæ Iræ ſunt ſex*, nimirùm: *Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, Blaſphemia.* Ità S. Greg. lib. 31. Moral. cap. 17. Quarum numerus & ſufficientia ſic declaratur. *Primò* enim: vel ira remanet in corde, aut voce

Google

exprimitur,aut in opus externum tranſit: ubi intùs remanet,averſionem quandam ab eo, cui homo iraſcitur,generat, ex apprehenſione factæ ſibi injuriæ,& indè naſcitur *Indignatio*: eò autem ipsò, quò ipſe tali injuriâ ſe indignè affectum apprehendit, quidam *Mentis tumor* in eo oritur,quo alterum contemnit. *Secundò*, ſi ex corde ira ad os erumpat: vel in verba confuſa & inordinata erumpit, & eſt *Clamor*: aut in apertas verborum injurias, & eſt *Contumelia* (quæ duo Matth. 5 ſignificantur:priùs quidem per verbum *Racha*, quod nihil diſtinctè ſignificat, niſi animi turbationem, & perſonæ contemptum confuſum: poſteriùs per verbum *Fatue*, ſub quo omnis contumelia concluditur) Aut denique ex vehementi iræ motu in Deum, Sanctos, vel Sancta iratus invehitur (ſolent enim irati jurare, anathematizare, blaſphemare) & naſcitur *blaſphemia*. *Tertiò*, ſi ira ad opus exeat,naſcuntur *Rixæ*, *Contentiones*, *Vulnera*, *Mutilationes*, *Homicidia*.

Nota.

Omnes verò hæ filiæ, in quantum ad injuſtam vindictam vel malum deſiderandum, aut inferendum proximo referuntur, ſunt peccata mortalia, ſi adſit conſenſus deliberatus & materia notabilis.

Hoc modo explicandæ ſunt Scripturæ, quæ paſſim referunt contentiones, diſſenſiones, iras,rixas,æmulationes inter peccata mortalia, ratione quorum,qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. De quibus ſuprà frequentiùs.

CONCLUSIO V.

Ira etiam abſque appetitu vindictæ ſit mortale peccatum.

IRa,prout eſt animi perturbatio (etiam ſecluſo appetitu vindictæ) ubi ad eum gradum pervenit, ut hominem ſenſu vel ratione privet, aut motus & geſtus enormes in corpore excitet,ſi ſit voluntaria in ſe, vel in cauſa, eſt peccatum mortale. Explico: Quandò homo,etſi in alterum non feratur, tamen in ſe motus iræ non ſedat, aut voluntariè eos excitat,ſciens ſe ità commoveri, ut ratione privetur,aut ſenſu,per deliquium, aut aliud ſymptoma,vel in enormes clamores,contuſiones, ſpumas, membrorum contorſiones, ex commotione erumpat; hoc ipſo quòd voluntariè illis enormitatibus cauſam dedit,aut non impedivit cùm poſſet, & ſe illis commoveri ſciret,peccat mortaliter. *Ratio* eſt: Quia imaginem Dei, & naturam rationalem enormiter dehoneſtat,præter graviſſima mala, quæ ſibi ipſi infert. Et ità explicant Patres: S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 30. ubi dicit: per hos motus in homine *ſuperna imaginis ſimilitudinem vitiari*. S. Gregor. Nyſſenus homil. 2. in Beatitudines,ait,*Hominem in feram converti*. Et ibidem comparat hominem ſic commotum cum *Energumeno*. S. Gregor. Nazian. Orat. 7. comparat illum *Dæmoni*. Videatur etiam S. Chryſoſt. homil 29 ad populum Antiochenum. S. Baſil. homil. 10. de ira.

Nota benè.

Greg l. 5. Moral. c. 30. in init. Gregor. Nyſſenus homil. 2. in Beatitudines.

Dixi (*præter graviſſima mala, quæ iratus ſibi ipſi infert*) Undè Seneca l. 2. de Ira cap. 36. *Magis illud videndum eſt* (inquit) *quàm multis ira per ſe nocuerit: Alij nimio fervore rupêre venas,& ſanguinem ſuprà vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem in oculos vehementiùs humor egeſtus,& in morbos ægri recidêre. Nulla celerior ad inſaniam via eſt.* Ubi etiam & cap. 37. oſtendit iram omnibus affectibus bonis maliſvè prædominari, omnes affectus alios abripere.

Seneca l. 2. de Ira cap. 36.

Corollarium.

EX his *Infero primò*, Ex duplici radice iram voluntariam eſſe peccatum mortale. Primò, Ob vindictam injuſtam vel inordinatam, aut quaſi vindictam (malum ſcilicet aliquod) quam iratus appetit, & in quam voluntariè conſentit in re gravi. Secundò, Ob privationem ſensûs & rationis, aut enormem humanæ conſtitutionis alterationem. Si enim ebrietas ſit peccatum mortale, quia hominem ratione & ſenſu per intemperantiam gulæ privat, & naturam inhoneſtat; pejor certè ex iſtis cauſis eſt ira, quæ hominem furioſum reddit. Nota.

Infero ſecundò, Rectè Theologos ab effectibus tres iræ ſpecies aſſignâſſe: *Furorem*, *Inſaniam*, *Rancorem*. *Furor* enim iram cum enormibus motibus ſignificat. *Inſania* eandem,prout ratione privat,deſignat. *Rancor* prout indignationem,odium,amorem vindictæ,& continuatam interdùm averſionem continet. *Tres ſpecies iræ.*

Nota.

Infero tertiò, Iratum non debere ſibi adulari, ex eo quòd in iræ motu nemini malè velit, aut nemini noceat: ſi enim in enormes contrà rationem vel hominis conſtitutionem motus voluntariè erumpat,aut ſe in eos traduci permittat,ut ſuperiùs annotavi,mortaliter peccat. *Item*: Si ſuæ ſanitati & valetudini graviter noceat. Undè Eccleſiaſtici 27. *Ira & furor utraq; execrabilia ſunt, & vir peccator continens erit illorum.* Eccli. 27. verſ 33.

Appendix *De Odio*.

HIc aliquid dicendum fuiſſet de Odio, niſi ſufficienter egiſſemus *Tract.* 2. *Tit.* 4. *Sect.* 2. *Quæſt.* 1. §. 1. & §. 3. *de Inimicitia & Reconciliatione Tom.* 2. Nihil igitur hîc repetendum eſt,niſi quòd odium interdùm ſit filia iræ,& ex ira oriatur: quinimò à S. Auguſt. homil. 42. ex 50. dicitur ira inveterata: *Quid* (inquit) *eſt ira? Libido vindictæ. Quid Odium? Ira inveterata. Ira, ſi inveterata facta eſt, jam Odium dicitur*; & tunc concurrit cum rancore.

Odium iræ filia. Auguſt. homil 42. ex 50. ante med.

TITULUS III.
De Homicidio licito & caſuali.

QUÆSTIO I.

An Homicidium interdùm licitum ſit, & quibus caſibus?

CONCLUSIO I.

L*Icet interdùm abſque peccato hominem occidere.* Concluſio eſt clara ex Scripturis, in quibus

Homicidium quandoque licitum.

quibus Deus plurimos occidi præcepit, & lege publicâ à Deo per Moyſen data multis mortem inferendam decernit.

CONCLUSIO II.

Homicidiũ licitum in 2. caſibus.

S Aug l. 1. de Civit. Dei c, 21.

IN *duobus potiſſimùm caſibus licitum eſt hominem occidere, ad quos cæteri reduci debent.* Caſus autem illi ſunt: *Dei mandatum,* & *lex juſta publica.* Ita elegantiſſimè *S. Auguſt.* lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. *Quædam verò* (ait) *exceptiones eadem ipſa divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi. Sed his exceptis quos Deus occidi jubet, ſive* (ut ait) *datâ lege, ſive ad perſonam pro tempore expreſſâ juſſione. Non autem ipſe occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti.* Prioris exemplum dat in bellis, quæ latâ lege publicâ excitantur, poſterioris in Abrahamo, qui mandato ſpeciali Dei ad occidendum filium paratus fuit: Utriusque verò caſus licitæ occiſionis inſinuatâ ratione S. Auguſt. ibi ſic concludit: *His igitur exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.* Hæc S. Auguſt.

S. Auguſt. ſuprà.

Ex quibus conſtat: Solâ auctoritate Dei poſſe hominem occidi: quia ſolus ipſe mortis & vitæ eſt Dominus. Auctoritatem autem illam à Deo eſſe conſtare debet, vel lege publicâ à Deo probatâ, vel ipſius Dei ſpeciali mandato: ita, ut quomodocumque occidatur homo, ut licita ſit occiſio, divinæ auctoritati inniti debeat.

Nota.

CONCLUSIO III.

EX *præcedenti Concluſione intulerunt Doctores caſus, in quibus hominem licet occidere abſque peccato. Nimirùm,* 1. *Mandato Dei ſpeciali.* 2. *Lege publicâ & miniſterio juſtitiæ.* 3. *Bello juſto.* 4. *Defenſione propriâ inculpatæ tutelæ.* Super quibus omnibus pono ſequentes paragraphos.

§. 1. *De occiſione ex Dei mandato ſpeciali.*

Dubium 1.

Qualiter de illo Dei mandato ſpeciali præſumendum ſit?

R*Eſpondeo*: Nunquam de mandato Dei ſpeciali præſumendum eſt ad occidendum hominem, niſi de illo apertiſſimè & abſque ulla tergiverſatione conſtet: Ita S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. ubi in ſimilibus requirit: *ut divina juſſio nullo nutet incerto.* Ratio eſt: quia Dæmon qui à principio homicida fuit, non rarò plurimos miſerrimè decepit, & transfigurans ſe in Angelum lucis, vel in forma Chriſti apparens crudelitatem tum in ſui, tum in aliorum perniciem ſuaſit, ut ſibi vel alteri manus violentas inferrent. Exempla in hiſtoriis obvia ſunt; ſed & hujusmodi Dæmonis fraudes noſtro tempore in perſonis etiam perfectionem incautè & itinere non recto quærentibus eheu! cum luctu deprehendimus. Pro quibus ponitur

Aug. l. 1. de Civit. Dei c. 26. Nota.

Regula generalis.

Nota pro revelationibus.

N*Vnquam credendum eſt alicui revelationi quantumvis apertæ, etiam ſub titulo diſpenſationis divinæ, in qua aliquid contra Dei mandata & conſilia quovis modo continetur, niſi auctoritate eorum, ad quos ſpectat, res debitè examinata & probata ſit.* Vide præclara apud S. Auguſtinum ſuprà, qui latè hanc Concluſionem & regulam deducit. *Ratio mea eſt:* quia Deus revelationibus nos regi non voluit, undè & S. Petrus 2. epiſt. cap. 1, cum viſionem apertiſſimam & certiſſimam, quam habuerat transfigurationis Domini in monte retuliſſet: ut à viſionum & revelationum credulitate nimia fideles arceret: *Habemus* (inquit) *firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* In quibus verbis docet nos debere magis attendere ad ordinaria fidei & operum præcepta, etſi nobis ſub quadam caligine propoſita, quàm ad extraordinarias revelationes vel extraordinarios inſtinctus. Etſi enim in Patribus, Prophetis & Sanctis illa fuiſſe conſtet, miranda tamen potiùs, quàm imitanda ſunt. Et ne quidem illa in Sanctis probata ſunt, niſi poſteà, vel per miraculoſam & eminentem ſanctitatem perſonarum probarentur, vel Eccleſiæ manifeſta fierent ex conſequentibus effectibus & aliis ſignis. Fugite laqueos, fugite confuſiones.

2. Petri 1. v. 19.

Scriptura certior revelationibus.

Dixi (*Niſi auctoritate eorum, ad quos ſpectat*) propter eos, qui coacervant ſibi magiſtros & directores animarum prurientes auribus, quos juſto judicio falli & fallere permittit Deus. Mea ſententia, quam longâ experientiâ probatam habeo, eſt: quòd in examine ſimilium, ſecuriùs conſulatur propriùs Superior, vel qui curam animarum noſtrarum ex officio ſibi impoſitam habet, vel cui cura ſingularis noſtri à Superiore demandata eſt, quàm quivis alius: videtur enim Deus miſericordi condeſcenſione magis teneri illum dirigere in meam ſalutem, quàm alium, quem fortè aut affectu meo proprio, aut meâ curioſitate delegi. O quot deceptiones?

Nota quis magis conſulendus in revelationibus, vel dubiis animæ?

Dubium 2.

Quid de Sanctis, qui ſibi mortem conciliarunt aut accelerarunt; & quid de occiſione ſui?

Exemplo eorum qui ſe occiderunt.

OBviæ ſunt tum Scripturæ ſanctæ, tum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, referentes multos Sanctos ſibi mortem intuliſſe aut acceleraſſe, in quibus de præcepto & juſſione Dei non conſtat? Ita de Samſone *Iud.* 16. de Razia 2.

Machab. 14. De Eleazaro ſub elephante ſibi mortem certam procurante 1. *Mach.* 6. De S. Apollonia, quæ in ignem ſe injecit, in *Breviario Romano.*

Reſolutio 1.

Nemini licet ſe occidere.

NEmini licet quavis auctoritate, etiam legis publica, ſibi mortem inferre, niſi violentiâ ad id cogatur, quæ voluntarium excuſet.* Ratio clara eſt: Quia Deus ſolus habet claves mortis & vitæ, ſolusque mortis & vitæ eſt Dominus. Undè nec homo in propriam vitam poteſtatem habet. Vide S. Auguſt. *lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 20. ubi notat Deum in Decalogo dixiſſe: *Non occides* ſimpliciter nihil addendo: non autem: *Non occides proximum tuum. Quia* (inquit) *nullus, nec ipſe utiquè, cui præcipitur, intelligitur exceptus.* Infrà: *Reſtat ergò, ut de hominibus intelligamus, quod dictum eſt: Non occides: non alterum, ergò nec te. Neque enim qui ſe occidit, aliud quàm hominem occidit.* Et præclara habet cap. 25. 26. 27. ubi oſtendit, nullâ causâ, etiam ad evitandum mortale peccatum tam alienum quàm proprium, licere homini ſeipſum occidere. Undè *cap.* 26. ità concludens: *Hoc* (inquit) *dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, nè incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, nè hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter peccata ſua præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari. Neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur; quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Hæc ibi. Et *cap.* 25. docuerat agendo de præſenti peccato per illatam ſibi mortem evitando, peccatum incertum peccato certo vitari abſurdum eſſe. Imò, etſi quis ſciret, ſe peccaturum, ſi ſe non occidat: *Satius* (inquit) *eſt incertum de futuro adulterium, quàm certum de præſenti homicidium.* Iterùm: *Nonnè* (inquit) *ſatius eſt flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur, quàm tale facinus, ubi locus ſalubris pœnitentiæ non relinquitur.*

Aug. l. 1. de Civit. Dei c. 20.

Et cap. 26.

Non licet ſe occidere etiam ad evitandũ peccatum.

Cap. 25.

Dixi (*quavis auctoritate*) quod de humana auctoritate intelligendum eſt, Divina enim auctoritas (ut dixi) excipienda venit.

Iuſtitia publica non poteſt imponere ut quis ſe occidat.

Dixi (*etiam legis publica*) Etſi enim gladius & poteſtas mortis in nocentes & peccatores Divinâ auctoritate Regi & Magiſtratui ſit data, ut nocenti mors per alium inferatur; nunquam tamen auctoritatem dedit Deus, qua, etiam jubente Juſtitiâ publicâ, poſſit quis ſibi manus inferre. Quod vel indè conſtat: quòd, quacunque lege jubente, & mortem in peccatorem juſtè decernente, poſſit quilibet nefandiſſimus, qua poteſt viâ, ſibi conſulere, & ſe eripere abſque peccato. *Ratio* autem hujus reſervationis Divinæ, eſt ipſum naturæ & dilectionis naturalis fundamentum, qua quiſque ſuam vitam diligit; ideoque nefandiſſima cenſetur crudelitas ſui ipſius occiſio, quam ab hominibus omni modo avertere voluit Deus. Judex autem *Iuſtitiæ miniſter* eſt, non *crudelitatis auctor.* Dixi (*niſi quis violentiâ cogatur, quæ voluntarium excuſet, ad ſuæ mortis cooperandum*) Tunc verò cenſetur violentia, quando ipſa actio à Judice decreta non poteſt, niſi per aliquam cooperationem patientis fieri, & ipſe ad hoc urgetur. Ex. g. damnatur homo ad venenum epotandum, veneni potus eſt mortis cauſa: ſi reus cogatur ſumere, violentiam patitur: igitur ſi extremâ violentiâ cogente ſumat venenum, excuſatur à ſui occiſione, quia paſſivè potiùs ſe habet, quàm activè, & ſic in ſimilibus.

Nota:

Reſolutio 2.

Non licet ſeipſum mutilare.

NOn ſolùm prohibitum eſt homini ſeipſum occidere, ſed nec ipſe ſeipſum mutilare poteſt, niſi ob vitæ propriæ, & totius ſuppoſiti conſervationem.* Ratio iterùm eſt: Quia ſicut nec vitæ, ſic nec ſuorum membrorum, à quibus officia ordinata vitæ dependent, eſt Dominus, & hoc ipſum crudelitatem in ſeipſum ſapit.

Dixi (*niſi ob vitæ & totius ſuppoſiti conſervationem*) Ordinata enim charitas eſt, ut membra pro conſervatione hominis totius exponantur, idque neceſſitate urgente. Extra hos caſus non licet ſe mutilare. Quare graviter fuit reprehenſus à Patribus Origenes, quòd incontinentiam fugiens ſeipſum caſtraverit, quaſi incontinentiam ſuperaret membrorum mutilatio, & non magis fortis & conſtans voluntas, quæ etiam brutaliter carne ſæviente fidam firmamque in Deo ſtationem tenere poteſt: nemo enim cogitur conſentire. Undè & decreta nonnulla ſuper hac re ab Eccleſia data ſunt. Vide *c. ex parte, de corpore vitiatis, & Can.* 1. *Concilij Nicæni.*

Origenes reprehenſus quia ſe caſtravit.

Reſolutio 3.

Nota de funambulis, agitatoribus taurorum, &c.

PEccat mortaliter, qui manifeſto periculo mortis abſque debita cauſa juſtitiæ vel charitatis ſe exponunt.* Ut funambuli imperiti, ubi manifeſtum periculum eſt, agitatores taurorum, digladiatores ad realem pugnam, & alia hujuſmodi.

Nota.

Dixi (*abſque debita cauſa juſtitiæ vel charitatis*) meritoriè enim quis ſe periculo mortis exponit pro fide, pro Eccleſia, pro patria, pro proximi ſalute, &c.

Quid de injicientibus ignem in pulverem tormentarium.

Petes: Quid dicendum ſit de ijs, qui in navibus Regijs & militaribus militantes, ignem nitrato pulveri injiciunt, ne naves in hoſtium poteſtatem deveniant, aut ut cladem inferant hoſti? *Reſp. primò* Non poſſe tales abſque alia cauſa iſti certo periculo, vel potiùs certæ morti per injectionem ignis in pulverem ſe exponere. *Ratio* eſt: Quia nemo, ratione vitandi cujuſcunque mali vel incommodi corporalis proprij (ut ſuprà ex ſancto Auguſtino docuimus) poteſt ſeipſum occidere: ille autem verè ſeipſum occidit per ignem, quem pulveri injicit, ut cum navi pereat. *Reſp. ſecundò,*

Si

Quando liceat igni aut ore in pulverem tormentarium.

Si verò quis pro communi bono Regis & Reipublicæ ignem injiciat, utpotè: ut hoſtem privet maximâ prædâ, ut hoſti gravem cladem infetat, ut vicinas hoſtium naves incendat: tunc ratione publici boni, & quia fide militari auctoritate publicâ & Regiâ id facere cenſetur, à peccato excuſari poteſt. Non enim propriè ſeipſum occidit, ſed pro Rege & Republica mortis periculo ſe expoſuiſſe reputandus eſt, non aliter quàm is, qui ſub certo periculo in cuniculis pulverem nitratum ſuccendit, ſciens, quòd mole murorum & terrâ opprimetur. Quomodò & Eleazarus 1. Machab. 6. elephantem Regium aggreſſus, ut omnes, qui erant in arce lignea, elephanti ſuperpoſita ſterneret, & cladem hoſti inferret, ſub ipſa bellua, ut ipſam occideret, ſtetit, ſciens certò ſe mole obruendum, prout & evênit. Quin imo nonnulli excuſare volunt Samſonem columnas delubri concutientem, etiam abſque Divino inſtinctu, eà tantùm ratione, quòd publico Reipublicæ Hebræorum bono ſe morti conſecraret, non à propoſito & directè, ſed per modum conſequentis, ut cladem illam maximam hoſtibus inferret. Undè infert Scriptura Jud. 16. *Multoque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Certum eſt tamen ibi inſtinctum ſingularem Dei fuiſſe, cùm Deus illi fortitudinem, quam amiſerat, reſtituerit. Factum Raziæ 2. *Machab.* 14. magis abſconditum condemnant alii, Lyranus noſter excuſat: quia de illo honorabiliter & cum pietate Scriptura loquitur. Ego ſecretum Dei judicium Deo relinquo: hic enim non fit mentio alterius cauſæ, cur ſe petierit proprio gladio, niſi ad vitandam mortem ignominioſam: quamvis ab illius captivitate crederet Nicanor magnam cladem populo imminere, ut ex textu exprimitur.

Exemplum de Eleazaro 1. Machab. 6.

Exemplũ Samſonis explicatur

Jud. 16. verſ. 30.

Factum Raziæ 2. Machab. 14. explicatur.

Quid de damnatu ad mortẽ per famẽ.

Petes ſecundò, An damnatus ad mortem fame inferendam poſſit cibis occurrentibus abſtinere, cùm ex abſtinentia ſciat ſibi mortem certò conciliandam. *Item*: Quid dicendum de viris Religioſis, qui abſtinentijs, jejunijs, auſteritatibus mortem ſibi accelerant.

Ad primum *Dico*: Talem, ſi occurrant cibi, poſſe jure naturæ illos ſumere, & ſe à morte immunem ſervare: non tamen teneri, ſed poſſe famem uſque ad mortem perpeti, ſi à legitimo Judice ad mortem ſit damnatus. *Ratio* eſt: Quia paſſivè in hoc ſe habet, & Poteſtati, cui ſubijcitur, obedit.

Quid de auſteritatibus Religioſorũ.

Ad ſecundum *Dicendum*: Viros illos Religioſos non intendere ſuam mortem, ſed carnis mortificationem, & vitam ſpiritûs meliorem; quin & S. Hilarion, S. Paulus, & S. Antonius in auſteritatibus ſummis & jejunijs vitam longiſſimam ad centum annos, & alij ultrà produxerunt; tantùm abeſt, ut jejunia & auſteritates hominem interficiant. Certum eſt tamen viros Religioſos teneri ad ſanctam diſcretionem. Undè S. Hieron. ut habetur c. Non mediocriter de Conſecr. D. 5. *Nonnè rationabiliter (inquit) homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert ſenſûs integritati*, &c. Vitandus interim ſub ratione diſcretionis amor proprius, & ſenſualis. Pejori ſanè loco ſunt, quos nollem excuſare ab occiſione ſui, & mortis acceleratione, qui ebrietate, crapulâ, &c. ſcientes & advertentes ſe conſumunt.

C. Non mediocriter de Conſecr. Diſt. 5.

Nota de ebrioſis.

Porrò occiſionem ſui ità abhorruit Eccleſia, ut illos, qui ſe occiderent, ſepulturâ ſanctâ & orationibus privârit. Vide *cap. Placuit* 23. *q.* 5. *ex Concilio Braccarenſi.*

C. Placuit 23. q. 5.

Reſolutio 4.

Quid de Sanctis qui ſe occiderunt?

Quidquid Sancti, Sanctæque ab Eccleſia probatæ fecerunt, id ſingulari Dei inſtinctui, & Spiritûs Sancti impetui dandum eſt, cùm vel morti, vel ejus accelerationi ſe expoſuerunt. Undè S. Auguſt. lib. 1. de civit. Dei c. 21. de Sampſone: *Nec Sampſon aliter* (ait) *excuſatur, quòd ſeipſum cum hoſtibus ruinâ domûs oppreſſit, niſi quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Quibus verbis indicat miracula fidem juſſionis Dei probaſſe. Idem c. 26. de Sanctis mulieribus ſic loquitur: *Sed quædam, inquiunt, Sanctæ fœminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſua pudicitia devitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earumque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrimâ frequentantur. De his (ait) nihil temerè audeo judicare. Utrùm enim Eccleſia aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, Divina perſuaſerit authoritas, neſcio; & fieri poteſt, ut ità ſit. Quòd ſi enim hoc fecerunt, non humanitùs decepta, ſed divinitùs juſſa; nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere?* Et concludit: *Cùm autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat; quis obedientiam in crimen vocet?* Nota (*ſine ullis ambagibus*) & refert ad Dubij primi Reſponſionem primam.

Aug. l. 1. de civit. Dei c. 21.

C. 26.

Explicatur factũ S. Ignatij Mart.

Ad Dei imperium & juſſionem etiam pertinet illud S. Ignatij, quo urgere proponebat leones ſibi veloces eſſe ut devoraretur. Et generaliter, ſi quos tales fervores in Sanctis reperiamus, impulſui charitatis tribuendum eſt, quo non tam mortem ſui attendebant, quàm gloriam Dei & fidei triumphum; ità ut raptu quodam divino ferrentur ad patiendum pro CHRISTO.

§. 2. *De occiſione hominis ex auctoritate Iuſtitiæ publicæ.*

Dubium 1.

An Iuſtitia publica auctoritatem plenariam & illimitatam habeat ad hominem nocentem pro quovis crimine morte mulctandum?

Reſolutio 1.

Occiſio innocentis illicita.

Per ſe & directè non licet *Iuſtitia publica in pœnam occidere innocentem.* Ratio clara eſt: Quia

Quia principibus & poteſtatibus non eſt conceſſus gladius, niſi adverſùs malos & peccatores. Undè ſanctus Paulus ad Roman. 13. *Principes* (ait) *non ſunt timori boni operis, ſed mali: vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat.* Cauſam deindè portationis gladij ſubdit: *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Rom. 13. verſ. 3. 4.

Quando liceat innocentem exponere morti.

Ex quibus verbis *Infers*: Nec Regi, nec Poteſtati licere aliquem directè & in pœnam occidere, niſi ob peccatum, quod commiſiſſe legitime probatus fuerit, & conſequenter convictus ſit nocens, ſecundùm Regulas & modos juris.

Dixi (*in pœnam*) In aliquo enim caſu, nè tota Reſpublica pereat, ſicut innocens poteſt ſe morti exponere heroicâ charitate & fidelitate, ſic licet interdùm permittere, ut innocens pereat & occidatur; eâ juſtitiâ, qua exponitur membrum, ut totum corpus & vita ſervetur, hoc poſtulante ordine charitatis. Hoc verò non in pœnam, ſed in pietatis & charitatis triumphum patitur, quisquis mortem patiatur, vel publicâ auctoritate illi exponitur motivo illo, non ut nocens, ſed ut innocentiæ holocauſtum.

Reſolutio 2.

Non poteſt quodlibet crimen morte puniri.

NOn licet ob quodlibet crimen publicâ auctoritate pœnam mortis decernere. Ratio eſt: Quia juſtitiæ æquitas ex cauſa & demerito librari debet. Undè non niſi criminibus graviſſimis pœna mortis in Jure decreta eſt.

Undè ſumenda criminis gravitas ut morte puniatur.

Porrò gravitas cauſæ vel peccati debet conſiderari, non ex materia facti ſimpliciter, ſed ex inordinatione, malo, & gravamine, aut etiam conſequentia peſſima, quæ Reipublicæ imminet, maximè pro conſervatione ſui, civiumque ſuorum. His enim ponderibus leges mortis librantur, antequàm ferantur. Undè & leges militiæ ſeveriores ſunt, quia *ex. g.* ex neglecta cuſtodia, vel levi ſomno, aut inobedientia grave periculum militibus & exercitui imminere poteſt, ideoque & iſta, quamvis de ſe levia, morte interdùm puniuntur. Hinc explicanda eſt ſententia *Doctoris ſubtilis Scoti 4. Diſt. quæſt.* 3. qui affirmat, ob furtum pœnâ mortis aliquem plecti licitè non poſſe: utique, quia inæqualis per ſe compenſatio eſt, ut ob bona temporalia vita tollatur, cùm ſuperioris ordinis ſit. Quod quidem verum eſt conſideratâ inæqualitate terminorum, nimirùm: vitæ & bonorum temporalium, quæ æquiparanda non ſunt, nec unum altero juſtè compenſari poteſt. Si tamen conſiderentur aliqua furta in ruinam Reipublicæ & Societatis publicæ, ac unitatis civium vergere, prout in nonnullis certum eſt, tunc mortis pœna juſtiſſimè in fures decerni poterit, non ſimpliciter ob furtum in ſe, ſed ob Reipublicæ grave damnum, quod certis furtis infertur, undè & ille delectus in politica juſtitia attenditur, ut nonnulla furta pecuniâ, nonnulla virgis. Alia quæ in grave damnum publicæ Societatis vergunt, etiam ſuſpendio & mortis pœnâ damnentur. Omnis autem injuſtitia hominis ad mortem publicâ condemnatione in hoc fundatur: quòd liceat membrum putridum abſcindere, nè totum corpus inficiat, & alia membra putreſcant.

Scotus 4. Diſt 15. q. 3. n. 8. Explicatus Scotus de fure morte non puniendo.

Dubium 2.

An liceat Judici eum, quem novit innocentem, ad mortem damnare, ſi in judicio ſecundùm allegata & probata probetur nocens?

Reſolutio I.

Reus non convictus condemnari non poteſt.

NOn licet Judici reum legitimè non auditum, & non convictum, condemnare, etiamſi ſciret nocentem. Undè ſunt illæ Leges *Deuteron.* 17. & 19. *In ore duorum aut trium teſtium peribit, qui interficietur.* Item: *Nemo occidatur, uno contrà ſe dicente teſtimonium.* Item: *Non ſtabit teſtis unus contrà aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit, ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Deut. 17. verſ. 6. Et 19. v. 15.

Reſolutio 2.

Judex innocentem probatum nocentem condemnare nequit.

JUdex, qui abſque illa tergiverſatione aliquem verè novit innocentem, etiamſi probaretur nocens falſis teſtimonijs, non poteſt in illum ſententiam ferre, ſed quantùm eſt in ſe, tenetur modo rationabili & juſto eum liberare, aut impedire nè pereat. Hæc Reſolutio eſt contrà multos, qui innituntur huic ſententiæ: *Judicem debere judicare ſecundùm allegata & probata*; & ipſum in judicio non agere perſonam privatam, ſed agere perſonam publicam Judicis: undè non ſecundùm privatam ſcientiam debere ſe gerere, ſed ſecundùm publicam. Et ad hoc citantur Canones *cap. Summoperè* 11. *q.* 3. & *C. Si tantùm.* & *C. Placuit* 6. *q.* 2. Sententia tamen in Reſponſione poſita ſemper eſt mihi viſa certior & ſecurior: & Canones allegati nil hujuſmodi dicunt: tantùm enim affirmant Judicem, etſi ſciat aliquem criminoſum, & ille crimen neget, quamdiu ipſe Judex illud probare non poteſt, vel ab alijs non probatur, tacere debere, nec poſſe talem etiam à Communione removere, loquuntur enim duo poſtremi Canones de Epiſcopo. Et in hoc doctrina illa univerſalis ab omnibus recepta eſt: Non licere Judici, etſi ſciat accuſatum eſſe nocentem, illum punire, niſi per allegata & probata convictus ſit nocens: Econtrà autem: An ubi ſcit certò accuſatum innocentem eſſe, & nihilominùs probetur in externo foro nocens? An (inquam) illum poſſit condemnare? hoc nunquàm Canones diffinierunt, nec quoad hoc extremum aliquid reperitur declaratum. Recurrendum igitur eſt ad primum princi-

C. Summoperè 11 q 3. C. Si tantùm, & C. Placuit 6. q. 2.

Nota.

principium : *Non licere inſontem condemnare.* Undè Exodi 23. mandatur judici : *Non ſuſcipies vocem mendacij.* Ibidem : *Nec in judicio plurimorum acquieſces ſententia, ut à veritate devies.* Infrà : *Inſontem & juſtum non occides.* In his autem judex ſcit vocem accuſatoris & teſtium eſſe *vocem mendacij* : ſcit, ſi condemnet, ſe *à veritate deviare* ob ſententiam plurimorum ; Scit ſe *innocentem occidere.* Certè C. *Cùm æterni* de *ſent. & re judicata in 6.* de judicibus dicitur : *In ferendis ſententiis præ oculis habeant ſolum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Dominum referebat, ut ſecundùm ejus imperium judicaret.* Ex quo ſequitur judices in judicio magis debere habere rationem mandatorum & imperii Dei, quàm allegatorum & probatorum ab hominibus, & proindè quando certò ſciunt aliquem innocentem, debere agere quidquid poſſunt, etiam judicem ſuperiorem informando, ne innocens occidatur, & potiùs cedere iſtâ ſaltem vice judicio & tribunali, quàm innocentem condemnare.

Exod. 23. v. 1. 2. 7.

Nota.

C. Cùm æterni de ſent. & re judicat. in 6.

Dices primò : Quid ſi judex innocentiam probati rei ſciat ex ſacramentali confeſſione, utpotè, quia Sacerdos, vel quia à confeſſario aliquo ipſi intimatur ? *Reſpondeo*, Scientiam illam judicium impedire non poſſe : etſi enim in confeſſione ſacramentali debeat credi pœnitenti, tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti in ordine ad abſolutionem ; non tamen in ordine ad ſorum externum. Poteſt enim pœnitens mentiri, & apud confeſſarium ad aliquem externum finem & effectum ſe excuſare. Undè malè faciunt confeſſarii, qui ex ſola notitia confeſſionis, reos qui ad mortem ducuntur, innocentes proclamant, quia ſe innocentes in confeſſione affirmant : etſi enim, quantùm ad forum conſcientiæ, confeſſarius illos debeat habere innocentes quia ita affirmarunt, in externo tamen ſoro illos iſta affirmatio juſtificare non poteſt, ſed ſilendum eſt, & res Deo commendanda.

Scientia ex confeſſione nil confert ut innocens liberetur.

Nota pro Confeſſariis condemnatorum ad mortem

Dices ſecundò : Quid ſi innocens vi torturæ & pœnarum crimen ſuum confeſſus fuerit ? *Reſp.* Id ſibi debere imputare : An benè, an malè fecerit confitendo quod verum non erat. Et quidem nullo jure illi mentiri licuit : an autem potuerit amphibologiâ uti in caſu, quo mors illi tolerabilior tormentis & torturâ appareret, & ut dicitur ad evitandum ſibi majus malum : eligens potiùs mori, quàm in tormentis vivere ? Res in veritate & ſinceritate ſatis delicata & perplexa eſt : cooperatur enim morti ſuæ innocenti ex parte una, ex altera decipit judicem, & judicium pervertit ; Durum eſt autem aliundè etiam duriora morte tormenta innocenter perpeti. In his mea ſententia eſt : ſi judex in ſeveritate tormentorum excedat ; innocentem à crimine liberati, ſi mori ſe patiatur : crimen enim in judicem redundat : ubi tamen non eſt exceſſus ex parte judicis, credo non licere innocenti crimen fateri, quod non commiſit, ob rationes ſupradictas ; niſi fortè debitâ amphibologiâ utatur ab omni mendacio & injuſtâ deceptione alienâ.

Dubium 3.

In quibus peccare ſoleant judices in criminalibus judiciis ?

Reſolutio.

JUdices *dupliciter ſolent peccare* : nimirùm : *per defectum* vel per *exceſſum.* *Defectus* cenſetur *Primò*, Si debitam diligentiam in examine accuſatoris, teſtium & circumſtantiarum non adhibeat. *Secundò*, Si examen perſonis committat, quas ſcit aut corruptibiles, aut favore vel odio facilè moveri. *Tertiò*, Si nocentes diſſimulet, aut dimittat, aut eis modos evadendi ſuggerat.

Peccata Judicum ex defectu.

Exceſſus cenſetur *Primò*, ſi examinet ea, de quibus quis directè vel indirectè non eſt accuſatus, vel aliàs juridicè ſuſpectus.

Peccata ex exceſſu.

Secundò, Si aliquâ extraordinariâ animoſitate, odio, vel zelo indiſcreto moveatur.

Tertiò, Si teſtes ſcienter ſuſpectos adhibeat, vel eorum, quos adhibet, qualitates non ſatis attendat.

Quartò, Si præter exigentiam cauſæ torturas & tormenta adhibeat, quæ potiùs Barbarorum ſunt, quàm Chriſtianorum.

Quintò, Si ultrà modum, ſententiæ rigorem augeat ſine cauſa. Et alia eorum crimina ſpecificari poſſunt, quæ tamen ad hæc capita reſeruntur. Cæterùm pro Regula generali habeatur :

Regula Generalis.

O*Mnis defectus vel exceſſus Judicis, Reipublicæ vel rei aliquod notabile damnum ſive formaliter, ſive in cauſa vel conſequentia afferens, eſt peccatum mortale, & pro ratione damni tenetur Judex ad reſtitutionem.*

Dixi (*Reipublicæ*) ex defectu enim juſtitiæ multiplicia mala etiam particularibus eveniunt.

Dixi (*vel rei*) ei enim ſive ex defectu, ſive ex exceſſu Judicis graviſſima nocumenta inferri ſolent in rebus, fama, vel familia.

Dixi (*ſive formaliter, ſive in cauſa, ſive in conſequentia*) Non debet enim tantùm attendi malum in ſe aut in præſenti, ſed etiam in ijs omnibus, quæ ex defectu vel exceſſu Judicum oriri poſſunt, & ordinariè oriuntur, etſi multis diebus poſteà. His ſuperſedeo, plura dicturus *Tom.* 3. ubi Judicum peccata ſigillatim Deo propitio examinabimus.

Nota.

§. 3. *De*

§. 3. *De Bello.*

Dubium I.

An bellum ſit licitum Principibus Chriſtianis?

BElla Deo mandante etiam à Patriarchis & Regibus juſtis, licitè geſta fuiſſe tota veteris Teſtamenti Scriptura commemorat, ita ut ſuperfluum eſſet ejus loca citare.

Hæreticorum opiniones.

Principibus tamen Chriſtianis id prohibitum eſſe hæretici nonnulli (quorum tamen ſectatores in bellis gerendis feroces ſunt) aſſeruerunt; Manichæi quidem omne bellum injuſtum & peccatum mortale eſſe tenuerunt, ut docet S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. quam opinionem reſuſcitavit Joannes Wiclef, referente Thomâ Waldenſi. Oecolampadius bellum juſtum admiſit in SS. Patribus veteris Teſtamenti; In novo Teſtamento nullum bellum juſtum agnoſcit his fundamentis Iſaiæ 2. *Conſlabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium:* Quod de Eccleſia Chriſti dictum eſt. Item: Matth. 26. *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt:* Et alia præcepta de non reſiſtendo percutientibus habentur Matth. 5. Lutherus autem (ut refert noſter Alphonſus à Caſtro hæreſi 2.) etſi juſta bella in Eccleſia Catholica admitteret, non tamen adverſus Turcas: quia Turcæ (ut dicebat) ſunt executores divinæ juſtitiæ in Chriſtianos; malè autem divinæ juſtitiæ Decretis reſiſtitur. His ſic breviter prælibatis, pono ſequentes Reſolutiones.

S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtū c. 74.

Iſaiæ 2. v. 4.

Matth 26 v. 52.

A Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes 5. Bellum hæreſ. 2.

Reſolutio I.

Bellum defenſivum.

BEllum defenſivum eſt licitum omnibus Principibus Chriſtianis, omnique Reipublicæ. *Ratio* ſumitur ex ipſis naturæ viſceribus: licet enim vim vi repellere, & ſe vitamque ſuam tueri. Nec hujusmodi jus naturale per legem Chriſtianam ſublatum eſt, quamvis in ſpecialibus caſibus patientiam ad perfectionem docuerit Chriſtus. Quod & in ſequentibus demonſtrabimus.

Reſolutio 2.

Bellum offenſivum.

BEllum offenſivum, ſi juſtitiâ & conditionibus requiſitis circumſtantionetur, ſimiliter licitum eſt: Priorem Reſolutionem ſimul cum hac poſteriore probat S. Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 74. dum omnem militiam licitam demonſtrat: *Adverſus violentiam reſiſtentium* (inquit) *ſive Deo, ſive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipſa bella ſuſcipiuntur à bonis, cùm in eo humanarum rerum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire, juſtè ordo ipſe conſtringit.* probat autem hoc *primò* ex monitis S. Joannis, quæ dedit militibus ad pœnitentiæ Baptiſma accedentibus, quibus interrogantibus quid ſibi deinceps faciendum eſſet? Reſpondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Non autem dixit ut notat S. Auguſtinus ſuprà, *Arma abjicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite: ſed quia ſciebat eos, cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & nō ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores; Reſpondit eis: Neminem concuſſeritis*, &c. *Secundò*, Reſolutionem probat S. Auguſtinus ex reſponſione Chriſti facta Phariſæis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Ad hoc enim* (inquit) *tributa præſtantur, ut propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbeatur. Tertiò* probat ex laude, quam Chriſtus centurioni dedit Matth. 8. *Cujus* (inquit) *fidem laudavit, non illius militiæ deſertionem imperavit:* Cui adde & exemplum aliud de centurione *Actor.* 10. quem baptizavit Petrus, qui quantumvis miles, religioſus tamen dicitur, & ab operibus bonis commendatur, cui Petrus non præcipit ut militiam deſereret ſed ei tantùm fidem & Baptiſmum prædicavit. Et ipſe ibidem dicitur habuiſſe milites timentes Dominum, quorum unum ad Petrum miſit.

Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap 74.

Luc. 3 v. 14.

Matth. 22. verſ. 21.

Matth. 8. v. 21.

Fundatur autem tota Reſolutio in eo quod ad Romanos 13. dicitur, poteſtas non ſine cauſa gladium portare. *Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit.* Poteſtas verò non tantùm vindex & miniſter eſt in ſuos, ſed etiam in externos, ſive ut malum à Republica propulſet, ſive ut injurias Reipublicæ illatas & mala vindicet.

Rom. 13. v. 4.

Reſpondetur ad objectiones.

Ad Scripturas ab hæreticis allatas facilis eſt reſponſio: Locus enim Iſaiæ 2. loquitur de tempore quo Meſſias venit, quando pax univerſalis fuit, & diuturna, ita, ut ultrà, id eſt, in longum non exercerentur ad prælium, ut ibidem ſanctus Hieronymus explicat. Locus Matth. 6. de occiſione, quæ auctoritate privatâ fit, tantùm concludit; nec enim ſine auctoritate & mandato magiſtri Petrus poterat percutere. Et quæ Matth. 5. de non reſiſtendo referuntur, conſilii ſunt & perfectionis.

Dubium 2.

Quid requiratur ad juſtum bellum?

Reſolutio.

4. Ad juſtum bellū requiſita.

AD juſtum bellum quatuor requiruntur, quæ ſunt: *Auctoritas legitima: Cauſa juſta: modus debitus exequendi: Intentio bona & recta.*

Auctoritas legitima quæ?

Auctoritas legitima dicitur: quæ eſt in ſupremo & independente Principe vel Republica: Hi enim ſoli bellum offenſivum indicere poſſunt. Cujus *Ratio eſt*: quia bellum offēſivum eſt actus quidam extremus & ſupremus juſtitiæ

juſtitiæ vindicativæ, qui ideò pertinet ad judicem ſupremum, quia eſt princeps.

Bellum defenſivū quis bre poteſt gerere.

Dixi (*Hi enim ſoli bellum offenſivum indicere poſſunt*) propter Reſpublicas imperfectas, & principes dependentes, qui Superiorem agnoſcunt: hi enim, etſi bellum offenſivum ſuâ auctoritate indicere non poſſint, quia dependentes ſunt, bellum tamen defenſivum agere poſſunt non expectatâ ſententiâ principis, jure naturæ id eis non negante, quod cuilibet homini conceſſit, ut vim vi repellere liceat. Reſolutionem noſtram docet ſanctus Auguſtinus *lib. 22. contrà Fauſtum cap. 75.* & citatur *23. quæſt. 1. Cap.* Quid culpatur: *Ordo tamen* (inquit) *ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes principem ſit, exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſalutique communi. Bellum autem, quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi dubitari fas non eſt, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad ſubjugandam mortalium ſuperbiam.* In quibus verbis: belli ab hominibus ſuſcepti finis pax aſſignatur, illius verò, quod jubente Deo ſuſcipitur, cauſam eſſe Divina Juſtitia indicatur.

August. l. 22. contra Faustum c 75.

Cauſa juſta belli quæ?

Cauſa juſta eſt: Qua ad vindicandas injurias principi vel Reipublicæ illatas, ad damnum illatum reſarciendum, ſive bona recuperanda, vel ad conſervationem Reipublicæ contrà rebelles, hoſtes, fautores hoſtium, vel quocunq; modo Reipublicæ injuſtè nocentes, bellum inducitur. Duarum primarum cauſarum meminit ex Auguſt. *cap.* Dominus noſter *23. quæſt. 2. Iuſta autem* (inquit) *bella ſolent definiri, quæ ulciſcuntur injurias. Si genus & civitas petenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt.* Tertia cauſa ob conſervationem Reipublicæ, ex viſceribus juris naturæ ſumitur, & ad bellum defenſivum maximè pertinet. Has cauſas vide *Iudicum* 20. de bello Iſraëlitarum contrà Tribum Beniamin, ob injuriam factam uxori Levitæ. Item 2. *Reg.* 10. in bello, quod indixit David contrà filios Ammon, pro injuria ſuis nuntijs facta. *Item*: in bello contrà Amalech 1. Reg. 15.

C. Dominus noster 23 q.2.

Jud. 20.

2. Reg. 10.

1. Reg. 15.

Quis modus debitus belli indicendi?

Modus debitus exequendi, ſive modus debitus bellum indicendi vel gerendi conſiſtit, *Primò*, ut etiam ſubſiſtente cauſâ ultimum & extremum ſit remedium, primoque injuriæ ſatisfactionem, qui bellum indicit, per nuntios petat, & pacem offerat, nec niſi negatâ ſatisfactione & juſtitiâ bellum indicatur. Id conſtat in omnibus bellis, quæ ex beneplacito & conſilio principum ſunt indicta. Undè & monebat Deus Iſraëlitas Deuteron. 20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem.* Et *Iudic.* 20. miſerunt filij Iſraël ad filios Beniamin, ut traderent eos, qui erant in Gabaa, ad ſatisfactionem horrendi ſceleris, priuſquàm bellum contrà eos inirent.

Deut. 20 verſ. 10.

Qui in bello cum innocentibus?

Secundò, Ut quantùm fieri poteſt, nulli innocenti noceatur, nullus injuſtè & indebitè concutiatur, nulli injurioſè calumnia fiat, ut monet ſanctus Joannes. *Innocentes* autem cenſentur, qui nec ut pars, nec ut cauſæ antecedentes, concomitantes, aut conſequentes ad bellum pertinere cenſentur. Hoc modo innocentes communiter reputantur Eccleſiaſtici, ruſtici, & peregrini. Eccleſiaſtici quidem, quia in ſortem Domini vocati, ad bella non concurrunt. Ruſtici etiam & peregrini bellis ſe non immiſcent. Ut verò res clarior fiat, ſequentes particulas addidi.

Prima (*qui nec ut pars*) ubi enim eſt commune delictum Reipublicæ, aut civitatis, omnes, qui de Regno, aut Republica ſunt, tanquàm illius partes nocentes reputantur.

Secunda (*nec ut cauſa antecedentes, concomitantes, aut conſequentes, ad bellum pertinere cenſentur*) Ad *Antecedentes* cauſas pertinent: qui injuriam intulerunt vel dederunt auxilium ijs, qui injuriam fecerunt. Ad *Concomitantes*: qui ſimul arma ſumunt, & bellantes adjuvant armamentis, munitionibus, ſubſidijs. Ad *Conſequentes* ſpectant: qui etſi modò ad bellum non concurrant, conſtat tamen certò, quòd alijs deficientibus ſubrogabuntur, ità ut quaſi jam ſubrogati in actu primo cenſeantur. Sed hæc valde intricata ſunt, & ſæpè innocens cum nocente occiditur. Undè, ut modò bella geruntur, nil in conſcientia periculoſiùs, niſi fortè inter viros virtutis & milites veros, qui bellum non cauponant, ſed debito fine belligerant, aliàs mera latrocinia ſunt. *Finis & intentio bona* ad bellum juſtum requiſita eſt, ut ob pacem & bonum publicum geratur. Undè S. Auguſt. Epiſt. 205. ad Bonifacium: *Pacem debet habere voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus à neceſſitate, & conſervet in pace, &c. Eſto ergò etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Et lib. 22. contrà Fauſtum cap. 74. *Nec bella* (inquit) *per Moyſen geſta miretur aut horreat, quia & in illis divina ſecutus imperia, non ſæviens, ſed obediens fuit. Nec Deus, cùm jubebat iſta, ſæviebat, ſed digna dignis retribuebat, dignoſque terrebat. Quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri?* *Hoc* (inquit) *reprehendere timidorum eſt, non Religioſorum.* Et ſubdit fines malos & intentiones pravas in bello reprehenſibiles: *Nocendi* (ait) *cupiditas: ulciſcendi crudelitas: impacatus atque implacabilis animus; feritas rebellandi: libido dominandi, & ſi quæ ſimilia. Hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.* Hæc Auguſtinus.

Finis & intentio belli quæ?

Aug. Epiſt. 205. ad Bonif. poſt medium.

Idem l. 22. contra Fauſtum. c. 74.

Fines pravi in bello qui?

Corollarium.

Bellum offenſivum indictum ab inferiori ſupremo, &c.

Ex his *Infero primò*, Omne bellum offenſivum indictum ab eo, qui non eſt ſupremus, vel à Republica, quæ Superiorem agnoſcit, eſſe illicitum, omneſque, qui in tali bello ſcienter militant, peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ ipſimet intulerunt.

Infero

Peccat mortaliter qui abſque juſta cauſa bellum indicit.

Inſerò ſecundò, Principem, qui abſque juſta cauſa bellum indicit, ſimiliter peccare mortaliter, & ad damna reſtituenda teneri. Eſt enim illicitum & injuſtum bellum. Eadem Ratio eſt: quandò de juſtitia cauſæ verè & practicè dubitat.

Peccatum mortale in exceſſu modi.

Inſero tertio, Peccare mortaliter principes, qui in modo bellum exequendi graviter excedunt, non attendentes ad conſervationem innocentum, injuriarum propulſationem, concuſſiones injuſtas impediendas, &c.

Peccatum mortale defectu intentionis.

Inſero quartò, Principem, qui non recto fine, rectaque intentione ſcienter bellum indicit, peccare mortaliter; & eſſe cauſam primariam omnium peccatorum, quæ in illo bello geruntur, & ad omnia damna teneri.

Dubium 3.

Quid de Milite?

Diſtinguendum eſt hic de milite ſubdito principi bellum gerenti; & de milite externo, qui ex non ſubditis colligitur, & voluntariè ſe bello addicit.

Reſolutio 1.

Quilibet poteſt militare in bello juſto.

In bello juſto ſemper & ubique licet cuilibet Laico militare, niſi obedientia proprij principis obſtet. *Ratio* prioris partis eſt: quia (ut ſupponitur) bellum juſtum eſt bonum opus, licet autem aliter non impedito bono operi cooperari. *Ratio* poſterioris partis eſt: quia in his ſubditus principi obedire debet, ſi certa & juſta prohibitio præſumatur. Hæc enim pertinent ad civilitatem, & civilem obedientiam.

Clericus in majoribus Ordinibus militare non poteſt.

Dixi (*Laico*) Clericis enim militare, etſi Divino aut naturali Jure prohibitum non ſit, Jure tamen Eccleſiaſtico prohibetur *totâ 23. q. 8.* Quod maximè de Clericis in majoribus Ordinibus exiſtentibus intelligendum eſt, quos mortaliter peccare conſtat, ſi abſque licentia Summi Pontificis militent, ob pœnas in Canonibus contentas, quæ non niſi pro peccatis mortalibus ab Eccleſia imponuntur, ut habetur dictâ 23. q. 8. *cap. Clerici, & cap. Quicunque.* Quod de militia voluntaria intelligendum eſt: ubi enim aut coguntur à principe in quantum Reipublicæ membra: aut neceſſitas cogit, in defenſivo bello licet illis jure naturæ non tantùm à ſe, ſed etiam à Republica prælio & pugnâ malum repellere; imò in caſu certæ neceſſitatis ad id tenentur.

C. Clerici & C. Quicunque 23. q. 8.

Reſolutio 2.

Miles ſubditus tenetur etiã in bello dubio militare

Miles principi ſubditus tenetur ſtare judicio principis ſuper cauſa juſtitiæ, aut injuſtitiæ belli, adeoque ſimpliciter militare poteſt, etiamſi de juſtitia cauſæ dubitet. Ubi tamen conſtaret de injuſtitia manifeſta belli, non poteſt voluntariè militiæ nomen dare. *Ratio* prioris partis eſt: quia in dubio princeps jus poſſidet ad diſcernendum de juſtitia & injuſtitia cauſæ belli, cui ſubditus obedire tenetur. *Ratio* poſterioris partis eſt: quia non licet cooperari malo cognito & manifeſto. Dixi autem (*non poſſe voluntariè militiæ nomen dare*) ſuppoſito nimirùm quòd ſit in libertate ejus non dare, quia tunc merâ libertate cenſeretur malo cooperari. Si autem cogeretur à principe militare, tunc ei non imputatur in culpam: debet tamen ab omni illicito, quod ex injuſtitia belli provenit, quantùm poteſt abſtinere: ità ut defenſivam ſui & principis agat, non offenſivam.

Quid in bello injuſto ſi quis cogatur?

Reſolutio 3.

Miles externus non poteſt militare in bello injuſto.

Miles externus non poteſt abſque peccato mortali in injuſto bello alieni principis militare, ubi ei conſtat de belli injuſtitia. *Ratio eſt*: Quia ut ſupponitur, merâ libertate militat, nec ullo obedientiæ vel ſubjectionis reſpectu principi externo ſubjicitur.

Peccata militum?

De peccatis militum, quia ad ſacrilegium, furta, rapinas, calumnias, cædes & homicidia, juramenta, blaſphemias, &c. reducuntur, ex Tractatibus ſingularibus judicandum eſt. Ad quæ etiam pertinent Regum ac principum peccata, quæ bellorum, vel indiſciplinatæ militiæ cauſa ſunt. Et de his ſperamus dare ſingulares caſus 3. *Tomo* hujus Tribunalis.

Dubium 4.

An liceat militare ſub Principe infideli, ſive contrà infideles, ſive adverſus fideles? Et: An liceat Principi fideli milites infideles in ſuum adjutorium aſſumere ſuppoſitâ juſtitia belli?

Reſolutio 1.

Licet in bello juſto militare ſub infideli principe.

Ex natura rei, & ſuppoſitâ juſtitiâ belli, licet fideli ſub Imperatore & Principe infideli militare, modò cætera, quæ ſunt fidei & mandatorum Dei, ſint ſalva. *Ratio* eſt: quia (ut ſuperiùs diximus) bellum juſtum ex natura ſua eſt opus bonum & licitum, à quocunque auctoritatem legitimam habente inferatur. Et hanc ſententiam docet ſanctus Auguſtinus libro 22. contrà Fauſtum capite 75. *Cùm ergò* (ait) *vir juſtus, ſi fortè ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, rectè poſſit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans, cui, quod jubetur, vel non eſſe contrà Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt: ità ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi: innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi: quantò magis in adminiſtratione bellorum innocentiſſimè diverſatur, qui Deo jubente belligerat, quem malè aliquid jubere non poſſe, nemo qui ei ſervit, ignorat.* In quibus verbis ſupponit fidelem & juſtum ſub infideli & ſacri-

Auguſt. l. 22. contrà Fauſtum c. 75.

ſacrilego Rege ſervire poſſe, modò nîl contrà præcepta Dei & ſalurem ei præcipiatur. Undè addidi (*modò cætera, quæ ſunt fidei, &c. ſint ſalva*) ſi enim aliquod ſubſit periculum fidei, aut peccati, abſolutè non licet.

Reſolutio 2.

Non licet militare ubi eſt periculum fidei.

NOn licet, etiam in juſtiſſimo bello, ſub Principe vel Republica infideli, vel Hæretica militare, ſive contrà Infideles, ſive eriam contrà Fideles: ubi eſt aliquod periculum fidei & ſalutis. *Ratio* clata eſt: Quia hujuſmodi periculis nemo poteſt ſe exponere.

Pericula militandi, ſub Infidelibus.

Pericula autem, quæ in hujuſmodi militia ferè ex natura infideliratie, vel hæreſeos ſequuntur, ſunt. Ptimò, quòd apud Infideles vel Hæreticos exercitium Religionis Catholicæ nòn ſir liberum: ita ut Sacerdos, Capella & ordinaria Religionis Catholicæ exetcitia nequidem inter legiones Catholicas habeantur, aut permittanrur: ut modò in Hollandia, in qua etſi Legati Regum & Principum domi Religionis ſuæ exetcirium habeant, nihilominùs in exetcitu, ubi ſunr Gallorum regimina & legiones, nullus Sacerdos aut Capella, aut exercitium Religionis Catholicæ admittitur. Undè neſcio quid excuſare poſſit Reges Catholicos, ut cum certo animarum periculo poſſint humanum ſubſidium præferre ſaluti ſubditorum, ubi Sacramentorum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & aliorum mediorum, quæ tùm neceſſaria, tùm multùm utilia ſunr, omnis illis copia deeſt.

Secundò, Imminet periculum reſpectu Fidelium contrà quos bellum geritur; dùm ipſi ſubſidijs armorum Catholicorum opprimuntur in exercirio fidei Catholicæ & Religionis & ſalutaribus operibus, templa non modò vaſtantur, ſed ſacrilegis operibus addicuntur, Sacra violantur, Sacerdotes exulant, virgines Deo ſacræ vi opprimuntur, in oppidis & civitatibus, in quibus à principio CHRISTUS & fides Catholica floruit, plantatur Synagoga Satanæ. Nec excuſatio illa profana aliquid concludit: quòd Catholicus miles id non intendat, quòd per accidens id fiat, quòd ſtatus politicus id attendere non debeat. Quis enim poteſt intentiònem divertere ab eo, quod datâ victoriâ certò & infallibiliter fit & fiet Principe aut Republicâ hæreticâ vincente; etſi non neceſſariò phyſicâ neceſſitate: neque enim per accidens in re morali fieri dicuntur, quæ certò fiunt & conſequuntur. Minùs ſtatus politicus ſalutis ſtatum & Dei aras evertere, aut anteire debet, cùm omnis poteſtas, ſicut à Deo eſt, ſic Deo ſubjici neceſſariò debeat.

Tertiò, Imminet periculum ratione pravæ converſationis & permixtionis perfidiæ hæreticæ cum vera Religione. Undè, ſi non hæretici, qui tamen ſic converſantur, ut plurimùm fiunt Athei. Quæ pericula, etſi non tot; nec tam magna, frequenter tamen eveniunt, ſive cùm Regum Infidelium adversùs Infideles eſt bellum, ſi Catholici milites ſuæ Religionis exercitijs publicis in caſtris non relinquantur: ſive cùm principes Catholici milites hæreticos & Infideles ad ſua caſtra admittunt: niſi enim certa diſciplina eos coërceat, etiam quæ fidei Catholicæ ſunt, non tarò conculcant.

Propoſitiones generales notanda.

Igitur concludo hâc propoſitione: *Quòd ubicunque periculum imminet ſalutis, aut peccati mortalis in fide & moribus, ſive obſervantia mandatorum Dei, in militibus: vel communis ruina fidei Catholica, templorum, &c. non liceat Catholicis Regibus & Principibus ſubſidium mittere Principibus Infidelibus, nec militi Catholico in talibus caſtris militare.*

Similiter: *Non licere Regi Catholico ſive Principibus hareticum militem auxiliarem adhibere: ſi per illos Eccleſia aliquod damnum inferatur, & credant ſe id prohibere non poſſe.* Non enim facienda ſunt mala, ut eveniant, quæ opinamur bona.

Davidis recurſus ad Achis juſtificatus & explicatus.

Indolui videns communiter ab Auctoribus in contrarium citari ſanctiſſimum Regem David, qui Saule illum perſequente confugit ad Achis Regem Geth, ut habetur 1. *Reg.* 27. & 29. quaſi iverit pugnaturus pro Philiſtæis contrà Iſraël in bello, quod ſine dubio, prætetquam quòd ex parte Philiſtinorum injuſtum erat, perfidum bellum erat Regis infidelis contrà Fideles. Verè enim David non ivit ad Achis in auxilium ipſius, ſed in ſui-ipſius refugium. Undè nec voluit immiſceri exercitui Achis, ſed ſibi civitatem Siceleg donatione Regis acquiſivit: *Propter quam cauſam* (ait Scriptura) *facta eſt Siceleg Regum Iuda uſque in diem hanc.* Nec pugnâſſe legitur contrà Iſraël, ſed *agebat prædas de Geſſuri, & de Gerzì, & de Amalecitis*: quinimò, ut ibidem Scriptura refert: *Virum & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: nè fortè loquantur adversùm nos.* Et ſubdit Scriptura: *Hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philiſtinorum.* Non obſtat: quòd Achis voluerit illum ducere *cap.* 29. contrà Iſraël, & viſus ſit velle ire: Poterat enim ità ſe gerere, ut populo fideli plùs prodeſſet, & Achis deciperet, ſicut priùs decipiebat, dùm putabat, quòd cùm David prædas ab Amalecitis & alijs duceret, illæ adductæ eſſent de populo Iſraël. *Credidit ergò* (inquit Scriptura) *Achis David dicens: multa mala operatus eſt contrà populum ſuum Iſrael: erit igitur mihi ſervus ſempiternus.* Ex quibus conſtat ità David confugiſſe ad Achis infidelem, ut tamen nunquàm contrà fidelem populum militaverit, ſed piâ deceptione fefellerit Regem. Videant litteram, qui ſancto ejus exemplo volunt ſuas impietates firmare.

1.Reg. 27. v. 6 & 11.

Verſ. 12.

§. 4. *De Defenſione inculpatæ tutelæ in homicidio.*

Dubium 1.

An ad conſervandam vitam propriam in defenſione inculpatæ tutelæ liceat hominem occidere?

Aug. epiſt. 154. ad Publicolam in fine.

VIdetur negare ſanctus Auguſtinus Epiſtolâ ad Publicolam 154. *De occidendis* (inquit) *hominibus, nè ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro alijs, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, acceptâ legitimâ poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ.* Et lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. *Non ergò lex juſta eſt* (inquit) *quæ dat poteſtatem vel viatori, ut latronem, nè ab eo ipſo occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter ſtupratorem ſibi irruentem ante illatum ſtuprum, ſi poſſit, interimat?* Infrà: *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio?* Rurſùm: *Quomodò enim apud eam* (utique legem) *ſunt iſti peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Idem l. 1. de libero arbitrio c. 5.

Reſolutio.

Licet aggreſſorem interficere & qualiter.

LIcet cuilibet hoſtem ſe aggredientem ad occidendum ſervato moderamine inculpatæ tutelæ occidere. Fundatur hæc ſententia in ipſis fontibus juris naturalis, quo vitam meam corporalem debeo præferre vitæ corporali proximi, & ratione cujus vim vi repellere licet. Et habetur C. *Ius naturale* apud Gratianum *Diſt.* 1, ubi inter decreta juris naturalis ponitur: *Violentia per vim repulſio.*

C. Jus naturale D. 1,

Dixi (*ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*) ſi enim quis mortem poſſit aliquo modo evadere, eam impediendo, declinando, vel fugiendo, &c. tenetur: hoc enim jus vitæ ſervandæ periculum aliquâ ratione inevitabile requirit, nè ab altero quis occidatur. Undè ſi per levem percuſſionem, aut alio modo impediri poſſit, impediri debet.

Ad verba ſancti Auguſtini *Reſpondeo*, Illa conſilium potiùs continere, quàm præceptum. ſi enim permittitur militi, ut me aggredientem occidat, aut mihi, ut hoſtem alterum aggredientem occidam, cur & mihi reſpectu mei ipſius, ſi periclitatur vita mea, occidere non licet? Quinimò addit, ſe *Legem non reprehendere*, etſi dicat ſe neſcire, qualiter excuſet. Ego verò aſſigno legem, quam etiam ſanctus Auguſtinus non negat; legem (inquam) naturæ, qua vim vi repellere licet, &, ſi placuerit, addo jus Gentium & legem civilem, quæ in hoc, quòd talia homicidia permittat, impunè fieri, videtur auctoritate publicâ quemlibet in tali caſu conſtituere ſui defenſorem, & permittere, ut quis cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe aggredientem interficiat, juxtà primævum naturæ inſtitutum. Et in hoc caſu poſitâ auctoritate publicâ conveniente, vel interpretativè probante occiſionem ſe aggredientis, facilè ſatisfit & concordantur verba S. Auguſtini.

Dubium 2.

An pro honore, integritate ſervanda, aut bonis temporalibus liceat aggreſſorem occidere?

SEnſus dubij eſt: An liceat Virgini ſtupratorem aggredientem occidere, vel Domino furem domum invadentem?

De occiſione ſtupratoris S. Auguſtinus ſupracitatus negat: multò autem magis de ea, quæ fit ob furtum bonorum temporalium, *Quomodò enim* (inquit) *apud eam ſunt iſti peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt.*

Reſolutio 1.

Cautela in fure vel ſtupratore adhibenda.

SI virgo ſtupratorem aliter impedire, aut declinare valeat: aut Dominus furem impedire aut capere poſſit abſque occiſione: non poſſunt eos occidere. *Ratio* eſt: Quia hic nulla apparet neceſſitas, aut inculpata tutela.

Reſolutio 2.

Occiſio furis [illegible] jure na[illegible] illicita.

MEro jure naturali non licet virgini ſtupratorem, aut Domino furem occidere. *Ratio* eſt: Quia vita per ſe, & ex ſua natura præfertur integritati corporis, aut bonis temporalibus. Et ità interpretanda venit ſententia S. Auguſtini ſuprà.

Reſolutio 3.

Iure Gentium [illegible] civili adhibitâ cautelâ licet furem [illegible] occidere.

IN caſu neceſſitatis, quo virgo, ſive mulier ſtuprum evadere, aut Dominus gravia damna impedire non poteſt, niſi ſtupratorem, aut furem occidant; licet virgini ſtupratorem, & Domino furem occidere jure Gentium & civili. *Ratio* eſt: Quia in tali caſu videtur ex communi interpretatione, ob commune Reipublicæ bonum, & integritatis conſervationem, jus Gentium & poteſtas civilis id permittere, & velut facultatem, ſive poteſtatem ad hoc largiri. Undè qui id facit, impunè facit, & in foro conſcientiæ (ſi aliàs debitas cautelas adhibuit) excuſatus eſt, tùm quia furtum in re gravis momenti videtur vitæ fundamentum auferre, & integritas virginalis incomparabilis pretij eſt, tùm quia, qui ſic furem vel ſtupratorem occidit, jam non privatâ auctoritate id facit, ſed publicâ. Videndum tamen eſt, ut in rei veritate non potuerit aliter malum, quod imminebat, averti, & quod in rebus temporalibus damnum, quod inferebatur vel imminebat, tantum fuerit, ut ejus illatio mortem juxtà leges promereretur.

Neque

Neque mentiatur iniquitas ſibi. Res difficilior eſt de honore, quæ ut meliùs explicetur, pono alterum Paragraphum de duello.

§. 5. *De Duello.*

Dubium 1.

Quid ſit Duellum?

Reſolutio.

Diffinitio duelli. DVellum (prout modò in Canonibus & Legibus accipitur) *eſt pugna duorum ex condicto adversùs invicem pugnantium ad mortem ſibi invicem inferendam.*

Dixi (*pugna duorum*) hoc enim propriè duellum eſt, quod & *Monomachia* dicitur. Undè ſi plures ſimul non pugnent, non erit propriè (ut hîc accipitur) duellum, niſi ſervetur quædam dualitas, ità ut, ſi ſocios accipiant, ſicut principalis cum principali, ſic ſingulariter ſocius contrà ſocium ex adverſo pugnet.

Dixi (*ex condicto*) ſi enim ex accidenti duo ſibi invicem occurrentes pugnent, etiamſi unus alterum quæſierit, vel à propoſito occaſionem exploratus fuerit, non erit duellum propriè dictum, *Condictum* verò continet evocationem ad certum locum, certo tempore &c. & ſimiles cœremonias. Dixi (*ad mortem ſibi inferendam*) ſi enim ad exercitium corporis, ingenij, ſubtilitatis, abſque intentione vel periculo mortis fiat, duellum dicendum non erit.

Dubium 2.

An in aliquo caſu Duellum ſit licitum?

Varia duelli cauſæ. ADvertendum eſt *primò*, Duelli cauſas diverſas poſſe aſſignari. 1. Cùm indicitur duellum ad litem & controverſiam aliquam dirimendam, ità ut ei, qui ſuperat, juſtitia attribuatur. 2. Ob odium pugnantium, qui in mutuam cædem anhelant. 3. Ob oſtentationem virium, & ſubtilitatem pugnandi, ità tamen ut ſe mortis periculo pugnantes exponant. 4. Ad honorem conſervandum, qui imminutus aut perditus creditur, ſi quis duellum recuſet.

Advertendum ſecundo, In bellis & controverſijs ſedandis aliquandò indictum fuiſſe duellum, non tam ad probationem juſtitiæ, quàm ut bella ceſſarent, & alterutro occiſo, pax in favorem illius, qui vinceret, componeretur: ut de duello David cum Goliath Scriptura commemorat, & de duello Coriolanorum hiſtoriæ Romanorum referunt. His ſic prænotatis, ſit: *1. Reg. 17.*

Reſolutio 1.

Duellum in ſignum juſtitiæ illicitum eſt. DUellum licitum non eſt ad judicandum de juſtitia vel injuſtitia controverſiæ, vel litis, ità ut ei, qui in duello ſuperat, juſtitia tribuatur, niſi ſpecialis Spiritûs Sancti inſtinctu, qui duellum init certò & abſque tergiverſatione moveatur. *Ratio* eſt: Quia hoc modo vel à Deo, vel per modum ſortis à fortuna & à caſu, vel à Dæmone juſtitiæ ſignum requiritur. *Primum*: Tentatio Dei eſt: *Scriptum eſt* autem: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Dixi tamen (*niſi ſpeciali inſtinctu Spiritûs Sancti*, &c.) ut refertur de illo fabro Cambtonenſi, qui Judæum violatorem imaginis B. Virginis duello eſt aggreſſus, *ut ipſius perfidam malitiam convinceret.* *Secundum*: Sortilegium eſt: uti autem ſortibus ad aliquod contingens determinandum ex juſtitia, eſt peccatum mortale. *Tertium*: Dæmonis invocationem continet. *Matth. 4. verſ. 7.*

Reſolutio 2.

OB odium pugnantium duellum inire eſt peccatum mortale, & directè præcepto: *non occides*, & charitati opponitur.

Reſolutio 3.

AD oſtentationem virium vel ingenij inire duellum cum periculo mortis, eſt ſimiliter peccatum mortale. *Ratio* eſt: Quia nemini licet ſe exponere periculo peccati mortalis, qui autem ſic duellum init cum periculo vitæ ſuæ vel alterum occidendi, exponit ſe periculo peccati mortalis; ergò ſub peccato mortali id non licet.

Caſus principalis.

DIfficilior hic caſus eſt: An pro *honore ſervando* liceat duellum inire eo caſu; quo ſi duellum non acceptes, cenſeatur verè apud probos & prudentes, imò Principes diminutus honor tuus: ità ut reverà in militia & ſtatu nobilitatis infamis habearis, & nihili ampliùs fias. Et quidem hoc ſæculo Diabolicâ fraude res iſtuc venit, ut animi gratiâ & nefandâ libertate duella indicantur, & nihilominùs, qui illa refugiunt, in fama & honore periclitari videantur. *Caſus proponitur.*

Pro reſolutione igitur advertendum eſt *Primò*, *Verum honorem veramque famam* honeſtati virtutis tanquàm fundamento inniti: ſive illa in fortitudine bellica, ſive in magnanimitate, in prudentia rerum agendarum, &c. fundetur: extrà honeſtatem autem virtutis nec verum honorem, nec verum ſplendorem, aut famam reperiri, ſed tantùm imaginarium & vanum. Undè apud quoſcunque: ſi judicium de honore extrà terminos honeſtatis virtutis feratur, ſicut ſuper nihilo fertur, ſic & judicium vanum & inutile eſt. *Quid ſit verus honor?*

Advertendum ſecundò, Interdùm ſub titulo honoris & conſervationem totius familiæ periclitari, ità ut ſi quis duellum renuat, debeat cedere armis, aut officio, ex quo totius ſuæ familiæ vita & conſervatio certò de-

pendebat. His ſic prænotatis, pono ſequentes Reſolutiones.

Reſolutio 1.

Non licet quovis prætextu ad duellū provocare.

N*On licet ulli ob quamcunque cauſam privatâ auctoritate provocare aliquem ad duellum, multò minùs illud indicere, aut in duello pugnare, etiam quovis honoris, vel alterius cauſæ prætextu.* Ratio eſt : Quia ad duellum provocare, aut illud indicere, &c. eſt manifeſto diſcrimini ſuam, & alienam vitam exponere, ſive periculum tentare, an ipſe alterum, vel alter ipſum, aut uterque invicem ſe occident. Nullo modo autem licet auctoritate privatâ aliquem occidere. Nec aliqua hic cauſa fingi poteſt, quæ ad hoc ipſum urgeat, ſive enim honoris reparationem, ſive injuriam aut calumniam aliquam ſibi factam ab alio prætendat, alijs infinitis modis licitis illi, qui provocat, ſatisfieri poteſt abſque duello.

Dixi (*privatâ auctoritate*) In caſu enim poſſet Reſpublica, vel exercitus exponere duos pugnæ ſingulari ex condicto in bonum commune ad ſedanda in morte alterutrius bella, ut de David & Goliath ſuprà notatum eſt.

Reſolutio 2.

Caſus quo duellum acceptare licitum eſt.

N*On licet ulli acceptare duellum, multò minùs duellum inire quacunque de cauſa, etiam honoris, niſi in caſu, in quo liceret aggreſſorem injuſtum occidere, & ſeipſum vitæ diſcrimini exponere.* Ratio eſt eadem, quæ in ſuperiori Reſolutione : non enim poteſt quis ſe certo diſcrimini hominem occidendi exponere, &c. Dixi (*niſi in eo caſu, quo liceret aggreſſorem occidere, & ſeipſum vitæ diſcrimini exponere*) Pro quo nota : Verum honorem præponi bonis temporalibus & æquari vitæ : ideò in caſu, quo liceret aggreſſorem invadentem bona temporalia gravis momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, in eodem caſu liceret honorem verum per duellum tueri. Si ergò occurrat caſus in duelli præſentatione, quo, ſi illud non accepto, officium, militiam, aut gradum ob infamiam deſerere debeo cum graviſſimo detrimento meo, vel familiæ : tunc crederem licere duellum inire. *Ratio eſt* : Quia talis acceptatio non eſt niſi juſta defenſio contrà realem aggreſſorem, qui de facto moraliter meum honorem, officium, gradum aggreditur, ut mihi illa violenter eripiat, quæ jure naturæ eâdem vi defendere poſſum & debeo, cùm abſque horum amiſſione retrocedere nequeam. Hunc ſolum liciti duelli caſum mihi poſſum imaginari poſſibilem ; ſi tamen reverà omnia, quæ ſuprà ponuntur, actualiter in caſu reperiantur.

Nota bene.

Reſolutio 3.

Omnia duella prohibita ſunt.

O*Mnia duella quæcunque, & quâlicunque modo indicta vel acceptata ſunt, ſub peccato mortali & pœnis graviſſimis ab Eccleſia Dei prohibita.* Rationem huic prohibitioni dederunt : Primò, Res ipſa, quæ ex natura ſua, & per ſe peccatum mortale eſt. Secundò, Diabolica crudelitas, qua ſub colore honoris vani & futilis tuendi nefandam carnificinam animæ & corporis Dæmon excogitavit, quam omnibus modis tollere oportuit, nullâ admiſsâ. Undè nec Principum aut Regum authoritas & facultas ulli in hac cauſa modò ſuffragari poteſt, ſub quibuſcunque titulis (excepto titulo publici & univerſalis boni, de quo ſuprà) ob Eccleſiæ univerſalem prohibitionem firmis fundamentis innixam. Videatur graviſſima Bulla *Clementis VIII. Anno* 1592. edita, quæ incipit : *Illius vices*, ubi (renovans Decreta *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 19. *de Reform.* Nec non *Pij IV. & Gregorij XIII.*) Pugnantes in duello, ubicunque etiam in terris ab Infidelibus occupatis, caſtris, &c. pœnâ excommunicationis, proſcriptionis bonorum, perpetuæ infamiæ ferit, & ſi in duello mortui fuerint, Eccleſiaſticâ ſepulturâ privat. Similiter eorum patrinos. *Item* : Principes & Dominos permittentes, reſponſa & ſcripturas ferentes, omneſque quovis modo cooperantes. Lege Bullam miris execrationibus & maledictionibus adversùs duellum committentes, aut ei cooperantes refertam.

Dices: Pontifex non poteſt me privare jure naturali defenſionis proprij honoris & vitæ. *Reſp.* Pontificem non privare quemquam hoc jure, ſed modos pugnandi indebitos & execrabiles, ac Reipublicæ abominandos prohibere. Undè ſi quis te abſque condicto aggrediatur, defende te, occide ſi, potes, ſi aliter tuam vitam, tuumque honorem, non potes defendere. Cœremoniæ enim duellorum inventiones ſunt Dæmonum, quibus ſanguinem humanum & animarum damnationem ſitientes, ſibi cultum exhiberi curant, ſub titulo nefandi honoris humani conſervandi.

§. 6. *De Homicidio caſuali.*

Dubium unicum.

Quid ſit Homicidium caſuale, & an ſit peccatum?

R Eſtat hîc unicum examinandum ſuper homicidio caſuali.

Diffinitio homicidij caſualis.

Adverte itaque, Illud homicidium caſuale dici : *Quod nullatenùs eſt ab occiſore intentum, imò contrà intentionem & voluntatem ipſius mero caſu contingit.* Ex. g. Agricola ſegetes curru in horreum invehit, pendulus aliquis ad currum puer ipſo nec vidente nec ſciente rotâ obruitur : caſuale homicidium eſt; ut verò cognoſcatur, quandò homicidium caſuale ſit peccatum, aut pœnam concomitantem peccatum annexam habeat, pono ſequentes Regulas.

Regula 1.

Regula 1.

Nota. *QVi dat operam rei licitæ, ſi diligentiam ſufficientem adhibuerit, ne ex opere aliquis occidatur vel mutiletur, etſi aliquis occidatur, nec peccatum, nec irregularitatem incurrit.* Ratio eſt, quia verè homicidii & occiſionis cauſa voluntaria non eſt, ut patet in exemplo ſuprà allato: Simile eſt de venatore, qui adhibitâ omni cautelâ in feram jaculatur, caſu autem homo inter vepres abſconditus occiditur: Ille reus peccati non eſt, nec irregularitatem incurrit. Vide alia exempla C. *Lator de homicidio voluntario*, & C. *Dilectus.* C. *Ex litteris. Cap. ſignificaſti* eodem titulo.

Regula 2.

Nota. *QVi dat operam rei illicitæ, ex qua homicidium oriri ſolet, etiamſi diligentiam adhibuerit, ne mors aut homicidium accideret, ſi tamen ex natura operis mors alicujus ſecuta fuerit, eſt reus homicidij, & fit irregularis.* Ita Tit. *de homicidio C. continebatur*, & Cap. *Suſcepimus.*

Dixi (*Ex qua homicidium naſci ſolet*) ſi enim homicidium tantùm per accidens, & non ratione illicitæ rei oriatur, ſi diligentiam quis adhibeat, ne aliquis occidatur, non cenſebitur ob homicidium peccaſſe. *Explico*: Joannes dejicit arborem non ſuam, ſi adhibuit diligentiam ne arbor cadens occidat aliquem, & interim quis occidatur, Joannes non committit mortale peccatum. *Ratio eſt*: quia etſi illicitum ſit Joanni alienam arborem dejicere, ex illa re tamen, quatenus illicita eſt, non ſequitur mors, ſed ex dejectione arboris, quæ eſt res indifferens.

Regula 3.

QVi vacat rei etiam de ſe licitæ, ſi diligentiam debitam non adhibuerit, & mors alicujus ſecuta fuerit, reus eſt homicidii, & fit irregularis. Ita habetur Tit. *de homicidio cap. presbyterum*, & cap. *Ad audientiam.* Et hæc de ſexto præcepto. Nota.

Schema huius Tractatus.

Non occides. Exod. 20.

Hoc præcepto prohibetur
- Omnis injuſta hominis occiſio, (ſive
  - Sui
  - Proximi

  cujus ſpecies ſunt
  - Homicidium ſimplex
  - Parricidium, ſub quo
    - matricidium
    - Fratricidium
    - Uxoricidium.
  - Sacrilegium
  - Abortus
  - Latrocinium
  - Veneficium.
- Omnis injuria vitæ hominis (ut ſunt adverſaria,
  - Pugna in bello juſto
  - percuſſio Duello.
  - vulneratio
  - mutilatio.

  quorum etiam indictio ſola peccatum mortale eſt, etſi actu non pugnetur.
- omnia incentiva vitæ hominis in (ut ſunt juſtè adverſaria.
  - Invidia
  - Ira
  - Odium
  - Contumeliæ
  - Convitia
  - Irriſiones

  quatenus in homicidium, percuſſionem vel pugnas tendunt.

Non prohibetur tamen occiſio hominis
- Auctoritate publicâ judicis facta
- In bello juſto
- In defenſione inculpatæ tutelæ
- In caſu merè fortuito & omninò inculpabili.

Porrò omne damnum emergens ex occiſione, mutilatione, vulneratione quavis injuſta, annexam habet reſtitutionem aut compenſam.

Hæc omnia latè & diſtinctè deducuntur toto hoc Tractatu 6.

TRACTATVS SEPTIMUS DE SEXTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non mœchaberis. Exodi 20.

TITVLVS PRIMVS DE SVBSTANTIA HUJUS PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.

Quid nomine mœchiæ, ſive verbo mœchari intelligatur?

CONCLUSIO I.

Definitio mœchiæ.

NOmine *Mœchia in rigore intelligitur adulterium.* Eſt enim *mœchia* propriè concubitus conjugati cum altera conjugata vel ſoluta, aut econtrà conjugatæ vel ſolutæ cum alterius marito. Concluſio patet ex ipſa nominis ethymologia.

CONCLUSIO II.

Omnis impudicitia nomine mœchia prohibita.

S*Vb mœchia omnis impudicitia prohibetur.* Ratio eſt: quia illa ſub ſpeciebus impudicitiæ damnoſiſſima eſt, unde ſub nomine mœchiæ, quæ & adulterium dicitur, voluit Deus omnem illicitum concubitum aut impudicitiam prohibere. Ita ſanctus Auguſtinus quæſtione 71. in Exodum: *Si* (inquit) *furti nomine bene intelligitur omnis uſurpatio illicita rei alienæ,* &c. *profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.* Dixi (*adulterium ſive mœchiam eſſe damnoſiſſimam ſpeciem impudicitiæ:* Etſi enim graviores ſpecies impudicitiæ dentur in ratione peccati: adulterium tamen ex ſe eſt perniciosiſſimum, graviſſimum damnum inferens prolibus, familiæ, fidei & amori conjugali, nec non univerſæ Reipublicæ ut poſteà dicemus.

S. Auguſt. q. 71. in Exod. in fine.

QUÆSTIO II.

Quot ſint ſpecies impudicitiæ, quæ hoc præcepto prohibentur?

CONCLUSIO I.

Omnis impudicitia prohibita.

OMnis impudicitia mentis, oris & operis hoc ſexto præcepto non mœchaberis *prohibetur.* Concluſio clara eſt ex ipſa expoſitione Chriſti Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ubi in concupiſcentia mulieris ex ſolo viſu facta ponit mœchiam ſive impudicitiam hoc præcepto prohibitam. Et Matth. 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes,* &c. *Hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Undè a minori ad majus: Si ſolus viſus mulieris ordinatus ad ejus concupiſcentiam prohibetur, quantò magis verba & opera quæ concupiſcentiam interiorem conſequuntur. Sed de his infrà.

Matth. 5. v. 27. 28.

Matth. 15. v. 19.

CONCLUSIO II.

Septem ſpecies impudicitiæ.

S*Eptem ſunt ſpecies impudicitiæ, quæ hoc præcepto prohibentur, nimirùm: Fornicatio ſimplex, adulterium* (*cui adjungit S. Bonaventura concubitum conjugalem libidinoſum*) *ſtuprum, rapina, inceſtus, ſacrilegium, peccatum contra naturam.* Has ſpecies ſequentibus paragraphis explicabimus.

§. 1. *De fornicatione ſimplici.*

Dubium 1.

Quid, & quale peccatum ſit fornicatio ſimplex?

Reſolutio 1.

Deſcriptio fornicationis ſimplicis.

F*Ornicatio ſimplex, eſt concubitus inordinatus ſimplex & naturalis ſoluti cum ſoluta.* Dico (*concubitus ſimplex*) ad excludendas peculiares & graviores impudicitias & turpitudines, quæ etiam in concubitu ſoluti cùm ſoluta miſceri poſſunt, ratione quarum ad alias ſpecies peccatum pertineret, ut ſi ſit ſoluti affinis cum ſoluta affine, ſi aliquæ turpitudines ſpeciem mutantes miſceantur.

Dixi (*naturalis*) ad excludendum concubitum & commixtionem contra naturam.

Reſolutio 2.

Fornicatio ſimplex eſt peccat. m.

F*Ornicatio ſimplex ex natura ſua eſt peccatum mortale.* Eſt contra Gentiles, qui fornicationem

tionem ſimplicem non reputabant in peccatum. In quam ſententiam nonnulli Hebræorum, & aliquot parùm in hoc Chriſtiani Auctores deſcendere tantàrunt, eo fundamento, quòd ſolùm Mœchiam prohibuiſſet Deus. Quos explicatio CHRISTI ſuprà allegata ex *cap. 5. Math* convincit criminis & hæteſeos: contrariam enim ſententiam ſuſtineo eſſe contrà fidem. Probatur verò hæc Reſolurio ex ipſis Scripturæ viſceribus.

Deut. 22. v. 20. 21. Ex Lege veteri, Deut. 22. *Si non eſt in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris ſui, & lapidibus obruent, &c. quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui.* Ubi mors decernitur puellæ ſolutæ fornicanti, ſive integritatem perdenti per fornicationem in domo patris.
Tob. 4. verſ. 13. Et Tob. 4. *Attende* (ait) *tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.* Ubi utrumque, nimirùm fornicatio & adulterium nomine criminis prohibetur.

Secundò. Reſolutio manifeſta eſt ex novo Teſtamento, ad Roman. 1. ubi inter crimina, propter quæ Gentiles in reprobum ſenſum
Rom. 1. verſ. 29. traditi ſunt, refertur *Fornicatio. Repletos* (ait) *omni iniquitate, malitiâ, fornicatione.*
Epheſ. 5. verſ. 5. Ad Epheſ. 5. *Omnis fornicator aut immundus,* &c. *non habet hæreditatem in regno* CHRISTI *& Dei.* 1. ad
1. Cor. 5. verſ. 11. Corinth. 5. *Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator,* &c. *cum ejuſmodi nec cibum ſumere.*
Galat. 5. v. 19. 21. Galat. 5. *manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* &c. *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*
Coloſſ. 3. verſ. 5. 6. Coloſſ. 3. *Mortificate ergò membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam,* &c. *propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis.*
Hebr. 13. verſ. 4. Ad Hebr. 13. *Fornicatores enim & adulteros judicabit* (id eſt condemnabit) *Deus.* Undè &
Apoc. 21. verſ. 8. Apoc. 21. *Fornicatoribus,* &c. *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Ratio verò hujus reſolutionis eſt inordinatio gravis naturæ & generationis naturalis, quæ cum per ſe ſolùm ex natura ſua ordinetur ad prolis productionem & congruam educationem, vagus ille & incertus concubitus ei omnimodè adverſatur: non enim poteſt generatio prolis rectè dirigi ad finem, niſi certitudine & obligatione patris, curâ & cohabitatione parentum, à quibus proles poſſit educari. Sed & aliam rationem reddit Apoſtolus
1. Cor. 6. verſ. 15. 1. ad Corinth. 6. *Neſcitis* (inquit) *quoniam corpora veſtra membra ſunt* CHRISTI? *Tollens ergò membra* CHRISTI *faciam membra meretricis?*
Nota. q. d. Corpora noſtra membra ſunt CHRISTI, quia in corpore CHRISTI ſub illo capite militamus; niſi ergò Sacramento Matrimonij
Epheſ. 13. verſ. 32. (quod Sacramentum magnum eſt in CHRISTO & in Eccleſia) tradita fuerint ad invicem corporà in generationem filiorum: perfidè & perperàm, qui fornicatur, corpus ſuum facit membrum meretricis. Quapropter ſubdit:
Ibid. 1. Cor. 6. verſ. 18. *Fugite fornicationem, omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extrà corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat,* utpotè, quia illud impiè proſtituit. Undè iterùm eandem peccati rationem Apoſtolus exaggerat: *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti; qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* Verſ. 19.
q. d. Non poteſtis corpora veſtra, quæ ſunt CHRISTI, fornicatione profanare, ſi quis enim templum Domini violaverit, diſperdet eum Dominus.

Dubium 2.

Quæ peccata oriantur ex ſimplici Fornicatione?

Reſolutio.

Peccata ex fornicatione provenientia.

M*Ultiplicia peccata ex ſimplici fornicatione frequenter oriri ſolent.*

Primò, Impedimentum poſitum, nè proles naſcatur; dùm enim timent fornicatores honori ſuo derogatum iri, aut ut liberiùs ſuæ luxuriæ vacent: aut nimiâ libidine conantur diſſolvere conceptum; aut inchoatum actum carnis divertere, ne ſemen penetret; aut agitationibus excutere, aut potiones meretrici dare, quibus vel conceptus impediatur, vel formatus expellatur, ſive antè, ſive poſt animatum fœtum, quæ omnia ſunt graviſſima peccata mortalia.

Secundò, Neglecta cura prolis, ſive ob incertitudinem parentis, quia meretrix pluribus addicta eſt; ſive quia parens non vult prolem ſuam agnoſcere, & illius curam gerere, ad quod tamen ſub peccato mortali tenetur.

Tertiò, Hinc exponuntur pueruli non ſine periculo vel mortis, vel pravæ educationis, & conſequenter æternæ damnationis: quorum omnium cauſæ ſunt fornicatores.

§. 2. *De Adulterio.*

Dubium 1.

Quid Adulterium, & quale peccatum ſit?

Reſolutio 1.

Definitio adulterij.

A*Dulterium dicitur: Concubitus illicitus conjugati cum altena, vel conjugata cum alteno.* Quod quidem ex ratione perſonarum illicitè & libidinosè ſe cognoſcentium triplex eſt. Aut enim eſt concubitus conjugati cum ſoluta: vel, ſoluti cum conjugata: vel, conjugati cum alterius conjuge, ſiveècontrà.

Reſolutio 2.

Adulterium eſt peccatum mortale.

A*Dulterium eſt peccatum graviſſimum mortale multo gravius fornicatione ſimplici.* Ratio eſt: Quia non tantùm juri naturæ, ut fornicatio, contrariatur: ſed fidei ſacræ compromiſſæ, juſtitiæ, gratiæ, & veritati Sacramenti: denique,

que, bono prolis & familiæ injurioſum eſt, ac plurimorum malorum fons & origo. De fide ſacra res clara eſt: fidem enim ſibi mutuò Matrimonium contrahentes compromittunt.
1. Cor. 7. verſ. 4. Verſ. 3.
De juſtitia 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir.* Suprà: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* De bono Sacramenti, & inſeparabili conjugatorum affectu ad Epheſ. 5. latiſſimè, quod violare convincuntur adulteri. Denique quantùm adulterium officiat bono prolis & familiæ, ac quantorum ſit cauſa malorum, plenæ ſunt Scripturæ & Hiſtoriæ tam ſacræ, quàm profanæ, propter quotidianam malorum experientiam. Ex quibus nonnulla infrà expendemus.

Hebr. 13. Verſ. 4
Porrò gravitatem peccati adulterij Scriptura paſſim declarat ad Hebræos 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*
Iob. 31. verſ. 9. 10. 11.
Iob 31. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alij. Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima.*
Prov. 6. v. 30. 31. 32. 33.
Proverb. 6. *Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut eſurientem impleat animam: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur,* &c. Et alia ſuperiùs à nobis allegata ſunt §. 1. Dub. 1. de Fornicatione, quæ ſimul gravitatem adulterij exprimunt.

Dubium 2.

Quæ peccata ex Adulterio oriantur?

Notabilis locus Eccleſiaſtici.
ECcleſiaſtici 23. velut in compendio peccata, ſive ramos peccatorum, quos adulterium progignit, explicantur maximè ex parte uxoris adulteræ, his verbis:
Eccli. 23. V. 32. 33.
Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio: Primò enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit: Secundò, in virum ſuum deliquit:
Verſ. 34. 35.
Tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios ejus reſpicietur: non tradent filij ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum:
Verſ. 36.
derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur. Ex quibus omnibus pono ſequentes Reſolutiones.

Reſolutio 1.

Ex adulterio fœminæ ſeptem peccata oriuntur.
SEptem ferè peccata ex adulterio fœminæ, quandò ex illa generat, oriuntur. Illa ſic deduco ex loco illo Eccleſiaſtici. Primò, Fidem lege Dei firmatam frangit: ità ibi ſuprà:
Eccli. ſup. v. 33. &c.
Primò enim (inquit) *in lege altiſſimi incredibilis fuit.* Secundò, Peccat contrà juſtitiam. Ibi. *Secundò in virum ſuum deliquit*: mulier enim poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir, ideoque corpus, quod eſt viri, adulterio proſtituit & tradit. Tertiò, Fornicatur & peccatum carnis committit. Ibi: *Tertiò in adulterio ſuo fornicata eſt.* Quartò, Contrà juſtitiam iterùm in ratione alimenti & hæreditatis prolibus legitimi Matrimonij, aut prole deficiente hæredibus debitæ, proles & hæredes defraudat, cùm alimenta & hæreditas in proles adulterinas & illegitimas aut partiri, aut totaliter transferre ex conſequenti debeat. Ibi: *Et ex alio viro ſtatuit ſibi:* ſive ut in principio dixerat: *Statuit hæreditatem ex alieno Matrimonio.* Quintò, Scandalum toti Eccleſiæ Dei generat, ubi vel modica ſuſpicio adulterij aperitur. Ibi. *Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios ejus reſpicietur.* Quibus addo ego inimicitias, pugnas, lites graves, quæ ex ſuſpicione adulterij naſcuntur. Sextò, Cauſa eſt maledictionis filiorum, qui ex adulterio naſcuntur. Ibi: *Non tradent filij ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum.* Septimò, Ordinariè adultera moritur in impœnitentia, quia ſe videt reſtitutionibus, injuſtitijs, graviſſimis peccatis ita implicatam, ut nulli ſatisfacere poſſit Ibi: *Derelinquet* (Deus) *in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.* Verſ. 36.

Reſolutio 2.

Peccata ex adulterio viri.
PRæfata adulteræ peccata ſimiliter in adulterum quadrant. Eſt enim adulter, Primò, Fidei-fragus uxori, cui fidem promiſit. Secundò, Injuſtus, quia ſuum corpus, quod uxoris eſt, alienæ tradit, alienæque corpus à proprio viro injuſtè rapit. Tertiò, Fornicatur. Quartò, ſi adultera, cui commiſcetur, pariat, proles ex adulterio natas, in alienam curam, alimenta & hæreditatem injuſtè transfert. Et ità de cæteris conſequentibus in uxore adultera.

Petes primò, An omnia hæc peccata in Confeſſione ſint ſpecialiter exprimenda? *Reſpondeo primò*, Illa ſpecificanda non eſſe, quæ omne adulterium conſequuntur, ut ſunt: Fidei violatio, traditio injuſta corporis, fornicatio; hæc enim, ubi quis adulterium confitetur, ſubintelliguntur. *Reſpondeo ſecundò*, Illa, quæ adulterium neceſſariò non comitantur, aut conſequuntur, & ad peccati gravitatem & obligationes aliquâ ratione pertinent, confitenda, & in Confeſſione exprimenda eſſe. *Ex. g.* 1. Si ex adulterio proles nata ſit, & ſupervivat. 2. *Si* ipſa ex communi re familiari alatur. 3. *Si* hæreditatem nacta ſit ex linea paterna, aut etiam materna adulteræ; illa enim bona, quantumvis ex matre proveniant, legitimorum ſunt, niſi fortè ſint parafernalia, de quibus infrà. 4. *Si* ſcandala foris nata ſunt, aut graves inimicitiæ, pugnæ, vulnerationes, & interdùm homicidia ex adulterio, vel ejus ſuſpicione, quia verè illis cauſam dedit. Et alia hujuſmodi, quæ ſingula referre non poſſumus, ſufficitque omnia unâ Regulâ complecti.

Regula

Regula Generalis.

De peccatis ex adulterio provenientibus, in confeſſione exprimendis.

Omnia mala & peccata, quæ ſpecialiter extra rationem eſſentialem & communem adultery, adulterium concomitantur, vel de facto ex eo conſequuntur, ab adulteris explicanda ſunt in confeſſione ſacramentali. Ratio eſt: quia adulteri illis ſaltem cauſam dederunt, vel de facto illis cooperati ſunt.

Obligationes adulteri prole ſubſecuta. *Petes ſecundò*, Ad quid obligatur adulter, qui alienam impregnavit, ex qua proles ſecuta eſt, vel adultera quæ genuit? *Reſpondeo primò*: Adulterum, ſi ſciat moraliter ſuam eſſe prolem, teneri illi ad alimenta, & ad reſtitutionem omnium damnorum quæ ex hac illegitima prole viro & familiæ ipſius adulteræ, ex qua prolem ſuſcepit, provenient. *Ratio eſt*: quia omnibus illis damnis cauſam realem dedit. *Obligationes adulteræ.* *Reſpondeo ſecundò*, adulteram ſimiliter teneri damna omnia, quæ proprio marito & familiæ ex prole adulterina evenire poſſunt, avertere: undè ſi illam tantùm prolem habet, nullamque aliam ex legitimo thoro ſuſcepit, ſi ipſi paraphernalia ſuppetunt, aut induſtria ſingulari poſſit aliqua bona acquirere, quibus damno ſuppleat, iſta in communem familiam expendere debebit, ut damna compenſet: Si verò alias legitimas proles habeat, debet etiam illis paraphernalibus aut aliis induſtriâ extraordinariâ acquiſitis, damna ſupplere: imò eleëmoſynas, quas aliàs ſecundùm ſuum ſtatum facere poteſt, debet in prolem illegitimam reſervare, & in ejus alimenta convertere, & ab eleëmoſyna aliis pauperibus donanda abſtinere. *Nota.* Quinimò, ſi aliundè non poteſt provideri, jure & ordine charitatis conſiderato, ratione extremæ neceſſitatis, quâ proles illegitima illo tempore laborat, cùm non niſi eleëmoſynâ alienâ ſuſtentari poſſit, mater poteſt per modum eleëmoſynæ neceſſarium alimentum & veſtimentum illegitimæ proli providere, ex iis quibus aliàs alteri in extrema neceſſitate poſito providere poſſet: Et alia poteſt excogitare media, ut in teſtamentorum inſtitutione, & donationibus liberalibus in poteſtate ſua exiſtentibus, per quæ damna ex prole adulterina orta compenſentur. Ad ſtatum etiam aliquem religioſum poteſt etiam de facto omni ratione proles induci ad evitanda ſequentia damna: cùm enim ipſa nullum in familiam jus habeat: nulla fit ei injuria, ſi ad ſtatum aliquem religioſum inducatur, ut damna injuſta præveniantur. Poſſet & prolem ad artem aliquam vel officium promovere, ex quo lucrari valeret, vel in commune lucrum ſuâ induſtriâ conferre æquivalens ei quod ex bonis familiæ ſive ratione alimentorum, ſive hæreditatis injuſtè participat.

Varia ſententia. *Petes tertiò*: Quid ſi adulter vel adultera proli illegitimæ providere non poſſit? Hic aliqui dicunt: Debere proli illegitimitatem ſuam manifeſtare ut ſibi provideat, ne injuſtè bonis legitimorum perfruatur. Alii dicunt de conſilio prudentis Confeſſarii adulteram poſſe aut debere adulterium & prolem natam marito manifeſtare, maximè in articulo mortis, ut maritus proli illegitimæ providere poſſit donationibus & legatis ac aliis modis licitis, ut legitima proles vel hæredes indemnes ſerventur. Verùm hæc ſpeculativa ſunt, nec ſine graviſſimo periculo honoris, vitæ, matri diſpendio ullarenùs practicati poſſunt. Quid enim ſi id dicat proli? Proles non tenetur matri etiam juranti credere: non tenetur cum famæ dedecore à familia ut ſpuria recedere? Quod ſi dicat marito? Jam illum præcipitat in pericula iræ, divortii, uxoricidii, triſtitiæ, ac in tricas & laqueos diſpendii honoris proprii, quibus conſumetur. Quomodo enim poteſt prolem illegitimam, quæ pro legitima in foro externo habetur, ipſâ nolente exhæredare, ejicere, ſeparare? Quomodo poteſt aut debet uxori fortè in prolem malè affectæ credere? Quomodo poteſt maritus illius adulterii ab uxore commiſſi vel ſuſpicionem foris dare, & ſe hominum opprobrium facere, tanquam (ut Hiſpanus loquitur) *cornutum*, &c.

Reſponſio. *Reſpondeo* itaque: Nos ex dictis graviſſimum jugum, & irreparabile detrimentum adulterii in conſcientia agnoſcere, cui vix unquam legitimè ſatisfieri poteſt. Dicendum tamen eſt, ubi vera ſubeſt impoſſibilitas damni aut avertendi aut reſarciendi, adulteros ob impoſſibilitatem excuſari à reſtitutione: Videant tamen, qualiter condignam dictis peccatis pœnitentiam agere valeant: neque enim exigui criminis eſt ſe voluntariè in illas impoſſibilitates præcipitaſſe. *Pro Confeſſario adulterorum.* Confeſſarius itaque quidquid viderit conſideratis circumſtantiis ab illis exigi poſſe ad reparanda vel avertenda damna vel ad pœnitentiam ſalutarem agendam facto debito examine exigat: ſi impoſſibilitas appareat damna illata reparandi, de iis quæ conferre poſſint ad ſalutem provideat, & benè ſuper agendis in futurum conſulat illis.

De pœnis adulterorum hîc non ago, quia ad forum externum ſpectant, & huic noſtro tribunali nil conferunt.

Appendix.

Dè concubitu conjugali libidinoſo extra metas honeſtatis matrimonii.

Sanctus Bonaventura in confeſſionali cap. 2. part. 14. ad ſeptem differentias Luxuriæ in ſexto præcepto addens octavam: *Poteſt* (inquit) *addi octava differentia, ſcilicet: Libidinoſus coitus conjugalis, qui aliquando provenit ex fragilitate, aliquando ex impetuoſitate, metis rationis & honeſtatis tranſcendens, & ideo ſemper eſt mortale peccatum, &c.* S. Bonav. in Conf. c. 2. Pro qua doctrina vera

& certa

Digitized by Google

& certa declaranda: *Adverto primò*, Matrimonium reſpectu facto ad carnalem concubitum duos tantùm habere fines: *Prolis generationem:* vel *fornicationis ſive illicitæ libidinis evitationem*, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem autem unusquisque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum.* Nimirùm: ſi continere non velit, aut ſe voto contrario non adſtrinxerit. Idque ut dicit Apoſtolus ibidem: *ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* Infrà: *Ego autem vobis parco.*

Duplex concubitus matrimonialis finis.

1. Cor. 7. v. 2.

Verſ. 28.

Limites 2. finis.

Adverto ſecundò, Indulgentiam ſecundi finis ad *evitandam fornicationem*, non excedere limites naturalis honeſtatis & rationis, qui limites neceſſariò excludunt turpitudines & impetus ac modos brutales.

Limites honeſtatis in concubitu carnali qui?

Adverto ſecundò, Limites naturalis honeſtatis & rationis, in hoc contineri, ut ordinarii & ordinati modi amoris honeſti & humani ordinati ad concubitum ſive coitum naturalem & rationalem non excedantur. His itaque animadverſis pono Regulam generalem.

Regula generalis.

Peccant conjuges limites honeſtatis in concubitu excedentes.

Conjuges limites honeſtatis naturalis & rationis in concubitu & coitu conjugali excedentes, pro gravitate exceſſus peccant mortaliter aut venialiter. Ratio eſt: quia indulgentia ultra generationem prolis ad evitandam fornicationem tantùm data eſt, & tantùm dari potuit intra limites honeſtatis matrimonialis, & rationis humanæ (neque enim poteſt lex divina naturalis, cùm à regula primæ veritatis procedat, violari) ergo qui hos limites excedit, juxta rationem exceſsûs peccat. Antecedens probat Apoſtoli ſententia ad Hebræos 13, *Honorabile connubium, thorus immaculatus.* In eo enim quòd *honorabile* dicit, cùm honor ſit honeſtatis proprietas individua, omnem inhoneſtatem excludit. Cùm verò addit: *Thorus immaculatus:* omnem turpitudinem contra rationem humanam prohibitam cenſet. Ex quibus patet eos graviſſimè peccare, qui putant omnes tactus, omnes actus, omnes turpitudines in conjugio ſibi licere. Heu quot beſtialitates & peccata non tantùm contra honeſtatem & rationem, ſed etiam contrà naturam conjuges ſæpiùs committunt, ita, ut turpe ſit non modò dicere, ſed cogitare.

Hebr. 13. v. 4.

Nota.

Placet caſus enumerare (etſi non omnes) quos ex Alexandro de Ales ſuo magiſtro ſanctus Bonaventura loco citato exprimit: & quos verbis paucis immutatis & additis, poſt ſanctum Bonaventuram tradit Cancellarius Pariſienſis Gerſon in compendio Theologiæ, Tit. de vitio ſeu peccato Luxuriæ ad finem. *Concubitus dicti* (id eſt conjugalis) ait *aſſignatur triplex modus, licitus, fragilis, impetuoſus: Licitus iterùm fit tripliciter: ſcilicet vel causâ prolis ſuſcipiendæ ad honorem Dei & cultum: vel causâ reddendi debitum, dum exigitur: vel causâ fornicationis vitanda*, &c. Primus *eſt pietatis*, ſecundus *eſt juſtitiæ*, tertius *eſt cautela*, &c. Fragilis *eſt, quando fit causâ delectationis. Et tunc diſtinguitur: quia ſi amor illius delectationis ſit ita fervens, quòd præponatur Deo, tunc peccatum eſt mortale: Si verò non præponatur Deo, tunc eſt peccatum veniale*, &c. Impetuoſus eſt, *qui ex ſola libidine proveniens, metas rationis & honeſtatis tranſcendit. Quod fit* (inquit) *quinque modis:* Nos tres ex illis referemus. Primo modo *per quaſdam meretricias blanditias ad magis exſaturandam libidinem* (meretriciæ autem blanditiæ dicuntur tactus, actus, oſcula enormia, quæ omnem humanam verecundiam & conjogalem reſpectum ac honorem abjiciunt, quibus homines brutaliter magis, quàm humanè ad exſaturandam libidinem meretricio concubitu utuntur. Secundo modo: *Quando fit contra naturalem modum*) ut ſi extra vas naturale fiat vel modo quodam extraordinário qui junctus ſit cum gravi & irrationabili turpitudine; Aut ſi in eo ſit periculum proximum effuſionis ſeminis extra vas. Tertio modo, cùm ad *prægnantem partui vicinam, vel ad eam quæ in fluxu menſtruoſo eſt, acceditur.* Si nimirùm ex dicto concubitu aliquod ſubſit periculum abortus, vel ſuffocationis fœtus in utero, vel etiam monſtruoſi aut morboſi fœtus ratione menſtrui. Hæc enim pericula ſubeſſe probant frequentiſſimi eventus ex illis cauſis procedentes, quos concubitus (teſte ſancto Ambroſio) & beſtiæ ipſæ vitant. Sub his tribus membris peccata mortalia conjugum continentur, vel ad illa reducuntur, & prudenter à pœnitentibus ac Confeſſariis expendi debent.

Gerſon in compend. Theolog. tit. de vitio Luxuriæ ad finem. *Modi & caſus in concubitu matrimoniali contingentes.*

§. 3. *De Stupro.*

Dubium 1.

Quid & quale peccatum ſit ſtuprum?

Reſolutio 1.

Stuprum eſt defloratio virginis contra ipſius liberam voluntatem.

Definitio ſtupri.

Dixi (*defloratio virginis*) ſi enim corrupta violenter opprimatur, non tam ſtuprum reputatur, quàm oppreſſio, ſequiturque ſpeciem luxuriæ, quantum ad actum, etſi injurioſa illa oppreſſio ſpeciale peccatum dicat, quod in jure civili morte mulctatur, etiamſi publicæ meretrici fieret. In ſtupro autem attenditur particularis malitia ex injuſta ablatione clauſtri virginalis.

Dixi (*contra ipſius liberam voluntatem*) ſi enim virgo conſentiat liberè in copulam, non eſt ſtuprum, quod ſingularem ſpeciem luxuriæ conſtituit: quia in hoc patienti liberè coitum injuria non fit. Stuprum autem non cenſetur ſpeciale peccatum, niſi ratione injuriæ & injuſtitiæ, quæ in pretioſi illius doni virginalis clauſtri ablatione, perſonæ illud poſſidenti infertur: ſcienti autem & volenti nulla fit

Defloratio cum virginis conſenſu ſtuprum non eſt.

la fit

la ſit injurla aut injuſtitia, quantum eſt ex parte virginis. Dico (*quantum eſt ex parte virginis*) addunt enim, non malè, quidam Doctores

Nota.

in ſtupri diffinitione particulam (*contra voluntatem parentu aut tutoru*) quæ particula etſi ad diffinitionem ſtupri neceſſaria non ſit: indicat tamen circumſtantiam aggravantem, quæ & à ſtuprante, & à Confeſſario expendi debet: infertur enim gravis injuria parenti & tutori, ſub cujus protectione & cuſtodia virgo velut in depoſito conſtituta eſt, ſed hæc injuria extrinſeca eſt ſtupro, & menſuranda eſt ex ratione circumſtantiarum, ut de peccati qualitate judicetur: ſi enim is qui defloravit, dolis, fraudibus & mediis injuſtis puellam decepit, & à domo paterna abſtraxit, vel in domum paternam ſcalis, aut modis indebitis ſe inſinuavit, tunc cenſetur injuriam intuliſſe parenti: ſi autem nil horum agat, ſed puellam volentem, & de ſeipſa diſponentem, communi converſarione accepit, & cum ipſa concubuit, pater vel tutor imputet ſuæ negligentiæ & dormitanti vigilanriæ ac cuſtodiæ, aut certè puellæ procacitati & libertati: undè in hoc caſu is qui conſentientem defloravit, ad nihil tenetur. Supradicta autem magis debent conſiderari raptu, quàm in ſimplici ſtupro. De raptu poſteà.

Petes: Quando cenſeatur virgo non conſentire, ſive quando cenſetur copula virgini involuntaria? *Reſp.* Tunc cenſetur copula

Conditiones ſtupri.

involuntaria, & conſequenter ſtuprum. Primò, Quando violentia intercedit. Secundò, quando metus in conſtantem puellam cadens additus eſt. Tertiò, quando dolis & fraudibus puella eſt inducta, ut promiſſionibus fraudulentis matrimonii, vel magnæ dotis, &c. Quartò, quando magnis importunitatibus, quæ in fragili ſexu æquivalent, ſi non veræ coactioni, ſaltem inductioni ex parte involuntariæ.

Reſolutio 2.

Stuprum peccatum mortale eſt ſpecie diſtinctum à luxuria.

STuprum, *præter peccatum mortale concubitûs illiciti ſuperaddit malitiam gravem injuria virgini illata, ratione cujus ſpeciem diſtinctam Luxuriæ conſtituit.* Reſolutio patet ex dictis. Cùm enim virginitas & integritas clauſtri virginalis ſit donum quoddam ſummæ apud homines æſtimationis, tum in ſe, tum in ordine ad ſtatus in Eccleſia Dei ſuſcipiendos, ſive ſint religionis, ſive matrimonii: Graviſſimam injuriam & injuſtitiam committere cenſetur, qui contra voluntatem virginis clauſtrum virginale frangit, ſive illam integritatem tollit, cujus poſſeſſio illi in utroque homine pro theſauro eſt, & quam à Domino quilibet accepit *ut* (re-

1. Theſſ. 4. 4.

ſte Apoſtolo) *ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.*

Quid de violatione virginitatis in viro?

Petes: An quod dicitur de fœmina, virgine, idem proportionaliter dici poſſit de viro? *Reſp.* etſi conſideratis circumſtantiis non ſit injuria tanta, nec infamia, nec æſtimatio tanta in viro, qui ſui in hoc ſolus eſt cuſtos, tamen dato caſu, quod violentiâ, fraude, dolis contra liberam voluntatem ſuam cogatur, vel vehementer inducatur aliquis adoleſcens virginitatem ſuam illicito concubitu violare, non minùs eſt peccatum, & ſtupri rationem habet. Exempla habes in procaci muliere, quæ ad labefactandam pudicitiam S. Thomæ Aquinatis à parentibus inducta fuit, quam ratione fugavit. Tales ad ſanctum Bernardum immiſſæ ſunt, graviſſima etiam exempla in Chronicis Ordinis noſtri referuntur, ubi adoleſcentuli pudici pro caſtitate certantes, inter procacium mulierum effetos conatus mortui ſunt.

Nota.

Ex quibus addo pellices illas nefandas, quæ puellas virgines ad ſui-ipſius ſtuprationes per tactus & actus, ſimulatoſque concubitus horribiles inducunt, aut etiam illis illecebras illas inferunt, peccare non tantùm peccato contra naturam, ſed etiam ſtupri reas eſſe.

Id proportionaliter dicendum de peſſimis illis & impiis nebulonibus, qui adoleſcentes pudicos & virgines vel tactibus enormibus cogunt, vel illos pelliciunt, ut ſimilibus actibus virginitatis decus etiam involuntariè damnabiliter perdant, imò proſtituant.

Dubium 2.

An quid teneatur ſtuprator virginis?

Reſolutio 1.

Deflorans virginem cum ejus conſenſu ad nil tenetur.

SI liberâ voluntate virgo in copulam conſenſit, *nec illi promiſſione matrimonii, dolo vel fraudibus virginitatem ſtuprator eripuit, ad nil tenetur reſpectu virginis.* Ratio eſt: quia ut frequenter dictum eſt, ſcienti & volenti nulla fit injuria. Dixi (*reſpectu virginis*) ſi enim veram injuſtitiam commiſerit contra parentem, ex eo quòd iniquis modis tutelam & cuſtodiam ejus violaverit, prudenti judicio damnum, ſi quod patri vel tutori reverà ſit illatum, eſt æſtimandum. Si verò filiæ defloratio liberam petu-

Nota.

lantiam virginis conſecuta fuerit, vel aliqua negligentia in parente fuerit, ſtuprator ad nil tenetur.

Dices: Exodi 22. decernitur: *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem; ſi pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere conſueverunt.* Item Deut. 22. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa & res ad judicium venerit: dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam.* Ergo in omni caſu tenetur ſtuprator virgini, & ejus patri ad ſatisfactionem. *Reſp. primò neg. conſeq.* Ad Scripturas dico illas continere præcepta judicialia tantùm, & quæ externum forum contingunt, non autem forum internum, de quo nunc agimus. *Reſp. ſecundò*, eum,

Exod. 22. v. 16. 17.

Deut. 22. v. 28. 29.

qui

Digitized by Google

qui nolentem defloravit virginem, ſive vim intulerit, ſive fraudulentis promiſſis & importunitatibus eam deceperit (hoc enim indicant verba Scripturæ, *ſeduxerit*, &c. apprehendens *concubuerit*) in foro conſcientiæ aut teneri eam ducere, ſi virgo conſentiat, aut teneri illam dotare, & ſecundùm prudens judicium Confeſſarii, vel viri boni injuriæ ſatisfacere (non enim flos virginitatis pretio per ſe æſtimabilis eſt, ſed ab extrinſeco tantùm) ut vel ſibi honeſtè vivere, vel alteri honeſtè nubere poſſit, vel ut ei aliqua ſaltem ſatisfactio fiat. Et ad hoc pœnitentem debent cogere Confeſſarii, ubi pœnitentibus media ſubſunt. Securius eſt autem ut in uxores ducant, quas ſic defloraruut. *Reſp. tertiò*: Ubi res ad forum contentioſum deducta eſt, coguntur ſtupratores ſtare legibus Eccleſiaſticis & civilibus.

Reſolutio 2.

Virginem deflorans ſub matrimonii promiſſione tenetur illam ducere.

QVi virginem defloravit, promittens ei matrimonium, tenetur in foro conſcientiæ eam ducere, etſi nulla adeſſet promiſſionis probatio: In caſu autem quo illam ducere non poſſit, tenetur ad dotem ſecundùm æſtimationem prudentem, & qualitatem ac divitias perſonæ, quæ promiſit.* Ratio eſt: quia ex una parte mulier promiſſo ſatisfecit, & conditio ſub qua vir matrimonium promiſerat, adimpleta eſt, concubuit enim cum illa. Ad alteram igitur obligatur, nimirùm defloratam ducere, aut illi ſatisfacere juxta judicium prudens.

Caſus in quibus non tenetur deflorans ad matrimonium.

Dixi (*in caſu autem quo illam ducere non poſſet*, &c.) Caſus illi ſunt: Magna perſonarum inæqualitas, grandes parentum inimicitiæ, gravia ſecutura odia, timor mortis, &c. *Ex. gr.* Magnus nobilis promiſit vulgati puellæ nuptias, ut cum illa concumberet, non tenetur illam ducere: quia puella debuit attendere promiſſionem eſſe fictam, & rationabiliter impoſſibilem, ideoque eum ſolo intuitu copulæ matrimonium promiſiſſe, nec verè illud intendiſſe, undè ex parte debet ſibi deceptionem

Nota. imputare. Tenetur verò nobilis illam dotare, non tantùm ſecundùm conſiderationem ſtatus puellæ, ſed aliquo exceſſu majori, cum aliqua proportione ad ſperatas ſaltem ultra ſortem ſuam nuptias, ob virginitatem ſuam proſtitutam.

§. 4. *De raptu.*

Dubium unicum.

Quid & quale peccatum ſit raptus?

RAptum Antiqui & moderni nonnulli confundunt cum ſtupro, quia ordinariè in raptu ſtuprum committi ſolet: Ego à ſtupro planè diſtinguo: Raptus enim poteſt eſſe tam puellæ corruptæ, quàm virginis; imò & nuptæ.

Reſolutio 1.

Diffinitio raptus.

R*Aptus eſt eductio violenta puellæ, ſive corrupta, ſive incorrupta, à domo patris vel quaſi patris, eo prætextu, ut in uxorem habeatur.* Hæc diffinitio ſumitur partim ex Magiſtro ſententiarum lib. 4. D. 41. partim à nobis ſuppleta eſt.

Dixi (*eductio violenta*) quia ſi liberè conſentiat, & liberè cooperetur egreſſui, non eſt raptus. Dixi (*è domo patris vel quaſi patris*) ſufficit enim quòd violenter educatur è domo ejus, qui illius curam quaſi pater gerit, ut eſt avunculus, tutor, &c. Dixi (*corrupta vel incorrupta*) Corruptio enim vel incorruptio puellæ ex ſe nihil facit ad raptum, ſi violentia adſit: Quinimò vidimus uxores invitis maritis violenter ad infandas nuptias, aut potiùs concubinatum rapi. Dixi (*prætextu ut in uxorem habeatur*) id eſt, ut raptor illâ tamquam uxore utatur. Sæpiùs enim oon tam in ordine ad futurum matrimonium, quàm ſub prætextu matrimonii, ad concubinatum rapiuntur: Si autem filia violenter rapiatur ad ſolum concubitum illicitum violenter extorquendum, *oppreſſio* eſt, nec in ſtricta ſignificatione *Raptus* includitur, etſi non tantùm pœnis raptus, ſed etiam gravioribus talis puniatur. Ex quibus *infero*: Quando puella vel mulier ſciens & volens è paterna vel mariti domo educitur, in ſpeciali ſignificatione raptus talem eductionem non contineri (quamvis ſpecialis injuria ab extrinſeco reputetur, & ſuam malitiam ſpecialem & obligationes habeat) unde fornicatio erit in puella ſoluta: Adulterium in uxore aliena, &c.

Reſolutio 2.

Raptus eſt peccatum mortale à fornicatione ſpecie diſtinctum

R*Aptus verus eſt graviſſimum peccatum mortale in rapiente, majus fornicatione.* Concluſio patet: quia non tantùm ordinatur ad illicitum concubitum, ſed ad violentum & ex circumſtantiis coactum, vel ad matrimonium contra liberam voluntatem.

Dixi (*raptus verus*) ubi enim in eductionem & in concubitum, vel in matrimonium conſentit puella vel fœmina, non eſt raptus verus, ſed voluntaria eductio, & ficta in modo violentia.

Reſolutio 3.

Pœna in raptores.

E*Tſi variæ pœnæ contra raptores in jure antiquo Eccleſiaſtico & civili contineantur, in foro tamen conſcientiæ iſtæ ſolæ ſunt pœnæ debitæ, quod S. Concilium Tridentinum exprimit* ſeſſ. 24. de reform. matrimonii cap. 6. his verbis: *Decernit S. Synodus: Inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat.* Subdit autem Concilium pœnas. *Et*

Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6.

nihilo-

nihilominùs (inquit) *raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.*

§. 5. *De Inceſtu.*

Dubium.

Quid, & quale peccatum ſit Inceſtus?

Reſolutio 1.

Diffinitio inceſtûs.

INceſtus eſt concubitus prohibitus cum conſanguinea, vel affine uſque ad quartum gradum conſanguinitatis vel affinitatis. Ità paſſim Theologi.

Inceſtus eſt ſpecies diſtincta luxuriæ.

Inceſtus ſpeciem particularem conſtituit ſub genere luxuriæ, ſeu concubitûs illiciti: ex eo quòd contrarietur honori ſanguinis, & neceſſariæ converſationi, quæ in gradibus illis requiritur, & omnem converſationem & familiaritatem neceſſariam deſtruat. Cùm enim perpetuò in una domo conſanguinei & affines ſimul communiter converſari & agere debeant, non ſine ſummâ confuſione parentes filijs, filij parenti, fratres & ſorores adinvicem miſcerentur. Porrò jure Divino naturali etſi omnes gradus in linea recta ſint prohibiti, ſolus tamen primus tranſverſalis prohibetur. Alij autem tres collaterales ſequentes ſolo jure Eccleſiaſtico. Undè Eccleſia diſpenſat in omnibus collateralibus uſque ad primum collateralem. In recta verò linea, aut in primo gradu collaterali conſanguinitatis nunquam. Nullam enim diſpenſationem donat inter patrem & filiam, vel matrem & filium, ſive vitricum & filiam, & filium ac novercam, neque inter fratres & ſorores: quia illa juris Divini naturalis ſunt, & ſolus Deus in primo collaterali diſpenſavit, genere humano necdùm propagato. Hinc etiam in affinitate contracta ex illicita copula ſuſtulit omnes gradus poſteriores collaterali ſecundo, nec voluit in illis affinitatem vel conſanguinitatem contrahi ad Matrimonij impedimentum: quia illi gradus ex jure Eccleſiaſtico ſunt, non ex naturali Divino.

Gradus prohibiti.

Reſolutio 2.

Levit. 20. INceſtus eſt peccatum mortale graviſſimum. Undè Levit. 20. mors diverſis gradibus inceſtuoſorum decernitur, & ratio additur: quia tantum ſcelus, nefas, &c. commiſerunt. Undè 32. q. 7. c. Adulterij, ex Auguſt. lib. de adulterinis conjugijs dicitur: *Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab inceſtu. Pejus eſt enim cum matre, quàm cum aliena uxore concumbere.* Et 35. q. 3. c. Nec eam, ex Gregor. Epiſt. ad Fœlicem Epiſcopum: *Nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliquâ illicitâ pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profectò licet Chriſtianorum, aut licebit. Quia inceſtuoſus eſt talis coitus & abominabilis Deo, & cunctis hominibus.* Confirmat hæc S. Pauli judicium adversùs inceſtuoſum Corinthium, quem in horrorem ſceleris tradidit Satanæ, ut ſpiritus ſalvus fieret.

C. Adulterij 32, q. 7. — C. Nec eam 35. q. 3. — 1. Cor. 5.

Petes: An in Confeſſione Sacramentali gradus inceſtûs ſit exprimendus? *Ex. g.* An ſufficiat pœnitenti dicere: Ego commiſi inceſtum cum conſanguinea, vel affine? An verò addendum ſit: In primo, ſecundo, tertio, quarto gradu, &c. Rursùs: An quia primus gradus duplex eſt, rectus & transverſalis: Rectus quidem patris cum filia, filij cum matre, filiæ minoris cum avo, aviæ cum filio minori: illi neceſſariò exprimendi ſint, vel an ſufficiat pœnitenti, ſi dicat, ſe in primo gradu inceſtum commiſiſſe? *Reſp. primò*, Neceſſariò exprimendos eſſe gradus duos primos collaterales, ut fratris cum ſorore, cognati germani cum cognata germana. *Ratio* eſt: Quia gradus illi turpitudinem quandam ſpeciei velut infimæ conſtituunt. Et quidem primus collateralis ex præcepto Divino naturali concubitum non admittit, nec in gradu iſto diſpenſatio intervenire poteſt, niſi ex jure poli, ut ante propagationem generis humani. Alter autem gradus, etſi ſit juris Eccleſiaſtici, tanti tamen æſtimatur, ut non ſolùm inceſtus culpâ damnetur, ſed etiam affinitatem Matrimonium dirimentem ex quavis copula, etiam illicita, inducat: quæ multum conferunt ad judicium Sacramentale.

Explicatio graduum in Confeſſione neceſſaria eſt.

Dixi (*Gradus duos primos collaterales*) quod intelligendum venit tam de gradibus conſanguinitatis, quàm affinitatis. Alios duos gradus tacui, quia etſi ad inceſtum pertineant, non videntur tamen ſpeciem particularem conſtituere ſub inceſtu ex copula illicita, quia à Concilio Tridentino ſublata eſt affinitas, quæ ex illa reſultabat: & quamvis duorum illorum graduum ratio debeat haberi per modum circumſtantiæ aggravantis, vel minuentis: non videntur tamen ſpeciem immutare; quamvis debeat in Confeſſione Sacramentali exprimi ratio communis inceſtûs. Undè non cenſeretur pœnitens diminutam Confeſſionem feciſſe, qui diceret: commiſi inceſtum ſub ſecundo gradu, non exprimendo, an in tertio, an in quarto: ſequendo ſententiam veram, quæ docet, circumſtantias tantùm aggravantes non neceſſariò confitendes.

Reſpondeo ſecundò, In linea recta gradus omnes tàm reſpectu aſcendentium, quàm deſcendentium debere exprimi in Confeſſione, nec ſufficere pœnitenti ſe accuſare in genere de inceſtu in primo gradu, ſed debet exprimere, ſi cum matre, aut cum avia, & ècontrà ſi filia cum patre, aut cum avo. *Ratio* eſt: Quia

gradus primus & reliqui in linea recta reſpectu aſcendentium & deſcendentium graviſſimam turpitudinem & horribilem libidinem continent. Undè nunquàm Divina Sapientia in prima etiam neceſſitate propagationis generis humani Matrimonium patris cum filia admiſit. Et Levit. 20. diſtinctiſſimè illa prohibentur, ut & ſingulariter concubitus cum noverca vel nuru.

Reſpondeo tertiò, Ubi Confeſſarius ex ſpecificatione graduum, vel ſpecialis reſpectus aſcendentium, vel deſcendentium in gradibus in cognitionem perſonæ complicis deveniret: in tali caſu graduum qualitates exprimendæ non ſunt, ſed ſufficit de inceſtu ſe accuſare. *Ratio eſt*: Quia illa accuſatio in gravem infamiam tertiæ perſonæ cederet, quæ jure Divino naturali caveri debet, donec Confeſſarius occurrat, cui perſonæ ſunt ignotæ, & aliàs malitia principalis peccati nomine inceſtûs in hoc caſu ſufficienter exprimitur.

§. 6. *De Sacrilegio.*

Dubium I.

Quid ſit in materia luxuriæ ſacrilegium, & quale peccatum?

Reſolutio I.

Diffinitio Sacrilegij. SAcrilegium in hac materia propriè dicitur: *Peccatum carnis, ſive concubitus illicitus, alterutro vel utroque peccantium ſolemni voto caſtitatis aſtricto.* Dixi (*Peccatum carnis, ſive concubitus illicitus*) Exiſtimo enim perſonam voto ſolemni caſtitatis Deo conjunctam non ſolùm ſacrilegium committere concubitu carnali illicito,
Nota. ſed etiam alijs peccatis carnalibus, ut ſi mollitiem, ſodomiam, beſtialitatem committat; tenetur enim, qui in ſeipſò, vel in alio horrenda hæc peccata admittit vel committit exprimere: quòd voto ſolemni caſtitatis erat Deo aſtrictus.

Dixi (*Alterutro vel utroque peccantium* &c. (ſive enim unus tantùm ſit voto ſolemni adſtrictus, ſive uterque, eſt ſemper ſacrilegium, modò uterque maculetur. Quandò tamen uterque voto ſolemni adſtrictus eſt, debet pœnitens id exprimere, quia eſt virtute duplex ſacrilegium, & injuria duplex: una quæ in ſe, altera quæ in alteram perſonam Deo ſacratam committitur, etſi unum integraliter ſit peccatum.
Nota. Dixi (*modò uterque maculetur*) ſi enim quis Deo ſolemni voto caſtitatis adſtrictus in perſona libera & ſoluta turpitudinem *Ex. g.* mollitiei vel pollutionis excitaret, ità ut ipſe in corpore ſuo nil pateretur, peccaret quidem mortaliter excitando in perſona ſoluta mollitiem, non eſſet tamen ſacrilegium: quia injuria illa non fit perſonæ Deo ſacratæ, ſed ſolutæ, etſi à ſacrata fiat. Aliud eſſet ſi ſimul pollueretur, aut corpus perſonæ illius excitantis propriâ aliquâ immunditiâ fœdaretur. Quæ intelligenda ſunt de ſacrilegio externo commiſſo; aliàs interni ſacrilegij ſunt rei.

Dixi (*Voto ſolemni caſtitatis adſtricto*) Etſi enim, qui ſimplex votum caſtitatis emiſerunt, *Nota.* teneantur, ſi peccent carnaliter, illam circumſtantiam voti exprimere (quia eſt ſpecialis malitia conſtituens ſpecialem ſpeciem peccati contrà votum, & præceptum ſecundum primæ Tabulæ) non committunt tamen propriè dictum ſacrilegium, quia etſi per tale votum ſimplex ſint Deo ſuâ promiſſione obligati; non ſunt tamen Deo conſecrati, nec traditi. Undè ſi nubant, Matrimonij vinculum cum homine prævalet promiſſioni factæ Deo, & quamvis peccaverint, & abſque diſpenſatione non poſſint exigere debitum conjugale, illud tamen abſque novo peccato reddere poſſunt, & exigente marito debent. Videant, *Nota.* qui devotas etiam ſimplici voto Deo obſtrictas audaciâ profanâ præſumunt virginibus Deo per vota ſolemnia ſacratis necdum æquare, ſed etiam præferre. Portò ſolemni voto *Votum caſtitatis ſolemne quod.* adſtricti cenſentur: Qui in Religione approbata votum caſtitatis ſecundùm Regulam emiſerunt, ſive choro ſint addicti, ut Clerici, ſive Laici vel Converſi ſint, modò Regulam profeſſi ſint, & vota Religionis emiſerint. *Item*: Qui à Subdiaconatu incluſivè ſacros Ordines ſuſceperunt. Ex quibus *Infero primò*, Omnes, *Nota.* qui in Religionibus vota ſolemnia Religionis ſecundùm Regulam approbatam non emiſerunt, non reputari perſonas ſacras, & peccata carnis, ac illicitos illorum concubitus ex parte ſua non eſſe ſacrilegia, quamvis ratione voti ſimplicis, vel ſcandali graviùs peccent. Tales ſunt Oblati & Donati apud Ciſtercienſes, qui ſolùm promittunt obedientiam de bono, & quamvis habitum geſtent ſimilem Religioſis, non eſt tamen verè habitus religioſus, ſicut nec ipſi ſunt Religioſi. Tales ſunt Beniguæ, Beatæ, Tertiariæ vota Religionis ſecundùm aliquam regulam non profeſſæ. Tales ſunt Novitij & Novitiæ ante profeſſionem emiſſam: qui nimirùm ex nominatis voto caſtitatis ſimplici ſunt aſtricti.

Nota. *Infero ſecundò*, Etſi Canonici & Clerici ſimplices, id eſt, majoribus Ordinibus non inſigniti, deſervientes Eccleſijs ex vi muneris ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, eorum tamen peccata carnis non reputari ſacrilegia: quia ut tales nullo voto ſunt adſtricti.

Reſolutio 2.

Sacrilegiũ externum. EXtrinſecum ſacrilegium committunt: *Qui in locis Deo conſecratis concubitus illicitos habent, aut peccata carnalia cum effuſione ſeminis committunt, ut ſunt peccata mollitiei, ſive pollutionis voluntariæ, ſodomiæ, beſtialitatis, &c.* ſed de hoc aliàs, cùm docuimus effuſione illicitâ ſeminis humani Eccleſias profanari. Ad locum

Deo

Digitized by Google

Deo conſecratum & Eccleſiam pertinenr capellæ adjacentes, ſacriſtia ſimiliter cum Eccleſia uno pariete connexa cæmeterium, &c. Ad ſacrilegium etiam ſpectat: ſi quis in habitu ſacro, in Planeta, caſula, Tunica, Alba, vel aliis ornamentis ſacris fœdum concubitum haberet, illa enim iſtis fœdiratibus ſicut & Eccleſiæ contaminantur. Undè qui ſacris amictus, peccatum carnis committeret, crederem illum teneri circumſtantiam illam exprimere, tamquam ſacrilegium extrinſecum conſtituentem.

Nota.

Dubium 2.

An coitus illicitus cum filia ſpirituali reputetur ſacrilegium?

Filiatio ſpiritualis duplex.

DUplex hic diſtingui debet filia ſpiritualis: Alia enim dicitur *filia ſpiritualis*, quæ eſt verâ cognatione ſpirituali conjuncta: ut eſt illa, quæ eſt è ſacro fonte levata, aut à miniſtro ex officio baptizata: Hæc enim verâ cognatione ſpirituali tum reſpectu patrini, tum reſpectu baptizantis filia ſpiritualis dicenda eſt: unde & paternitas & compaternitas, & maternitas ſive commaternitas ſpiritualem cognationem etiam dicunt inter patrem & matrem baptizati & patrinum ac matrinam & baptizantem. Alia dicitur *filia ſpiritualis* ratione Sacramenti Pœnitentiæ, & hæc filiatio nullam veram cognationem includit, ſed tantùm reſpectum quemdam decentiæ & congruitatis.

Reſolutio 1.

Concubitus cum filia ſpirituali ex cognatione ſpirituali eſt inceſtus & ſacrilegium.

COncubitus carnalis patrini cum filia, quam de ſacro fonte levavit, aut baptizantis cum illa quam baptizavit, partim eſt inceſtus, partim ſacrilegium: ſeu, ut uno verbo dicamus, eſt inceſtus ſacrilegus & graviſſimum peccatum: Inceſtus quidem ratione cognationis ſpiritualis contractæ; Sacrilegium verò quia cognatio eſt ſacra, & ex Sacramento originem ducens. Idem dicendum proportionaliter de filio ſpirituali carnaliter cognoſcente ſuam matrinam, & de compatribus ſuas commatres cognoſcentibus. Quæ benè perpendenda ſunt.

Reſolutio 2.

Concubitus cum filia confeſſionis quale peccatum.

COnfeſſarius cognoſcens carnaliter filiam ſpiritualem, quæ ei confeſſa eſt, extra omnem actionem & circumſtantiam Sacramenti, etſi ex parte ſua quia eſt Sacerdos, ſacrilegium committat, non tamen ex parte filiæ ſpiritualis. Ratio eſt: quia ſicut illa Sacramenti adminiſtratio nullam cognationem inducit, ſic nec aliquam perſonarum ſanctificationem, aut ſacram ab invicem dependentiam tranſacto Sacramento.

Dixi (*extra omnem actionem & circumſtantiam Sacramenti*) Qui enim in ipſo confeſſionali, vel in actione ipſa confeſſionis pœnitentem ſolicitaret, induceret, tangeret, aut impudicitias aliquas committeret, graviſſimo ſacrilegio Sacramentum ipſum cenſeretur afficere, ideoque deberet hanc ipſam circumſtantiam confiteri. Idem dicendum: ſi uteretur occaſione confeſſionis ad illam ſolicitandam, etiamſi extra illam poſteà contingeret peccatum: quia reverà hæc circumſtantia confeſſionis aliquid confert ad ſequentem actum, & verè intulit injuriam Sacramento, qui illo abuſus eſt ad concubitum carnalem, ſive ad peccatum carnis poſteà perpetrandum. Hinc Pius Papa IV. in Bulla quæ incipit: *Cùm ſicut nuper*, data anno 1561. mandat, ut tales tamquam de hæreſi ſuſpectos inquiſitores inquirant. Et Gregorius XV. in Bulla quæ incipit: *Univerſi Dominici gregis* data Romæ anno 1622. confirmans *Decretum Pii IV.* illam ad omnes cujuſcumque conditionis & ſtatus extendit, ſingulariterque declarat & exprimit modos delictorum: *Qui* (inquit) *ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive anteà vel poſt immediatè, ſeu occaſione vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam confeſſione non ſecutâ, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones ſive tractatus habuerint in officio S. inquiſitionis, ut infrà puniantur.* Perſtringit autem inferius graviſſimas pœnas illis imponendas, & tamquam hæreticos tractandos declarat, vultque ad judicium ſufficere teſtimonium ſingulare adjunctis præſumptionibus, & indiciis nonnullis. Inſuper mandat Confeſſariis, ut pœnitentes, quos noverint ab aliis ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitatores ordinariis, ſive inquiſitoribus.

Nota benè.

Greg. XV. in Bulla quæ incipit: Univerſi Dominici Gregis.

Nota.

Ex quibus omnibus conſtat omnia illa, quæ occaſione confeſſionis ad inhoneſtatem polliciunt, ſacrilegia eſſe. Dico (*occaſione confeſſionis*) quia ſi quis abſque ullo reſpectu ad confeſſionem, vel ad dicta in confeſſione, ob familiaritatem aut aliam ob cauſam extra omnem rationem confeſſionalis, ex fragilitate cum filia confeſſionis peccaret, ſacrilegium non committeret, nec iſtam circumſtantiam explicari debere arbitror cum modernis Theologis.

Digitized by Google

§. 7. De peccato contrà naturam.

Dubium 1.

Quid & quotuplex ſit peccatum contrà naturam, & quantum?

Reſolutio 1.

Definitio peccati contrà naturam.

PEccatum contrà naturam, *eſt actus libidinoſus, quo quis ordinatis vaſis & medijs ad generationem à natura inſtitutis contrà naturam abutitur? vel inordinatis utitur, ut libidini ſatisfaciat.* Hæc deſcriptio magis exemplis, quàm diſcurſibus explicari debet, patebitque ſingulariter cum explicabimus ſtatim diviſionem peccati contrà naturam.

Reſolutio 2.

Tres ſpecies peccati contrà naturam.

TRes ſunt ſpecies peccati contrà naturam: *Mollities, Sodomia, Beſtialitas.* Mollities: *eſt libidinoſa & voluntaria ſeminis provocatio & effuſio extrà vas naturale ad generationem ordinatum,* & ordinariè vocatur *Pollutio*, eſtque mortale peccatum ex natura ſua. *Quid mollities.* Undè 1. ad Corinth 6. *1. Cor. 6. verſ. 9. 10.* *Nolite errare, neque molles, neque maſculorum concubitores, &c. regnum Dei poſſidebunt.* Et hæc etiam vocatur *Immunditia* ab Apoſtolo ad Galat. 5. *Galat. 5. verſ. 19. Verſ. 21.* *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ad Epheſ. 5. *Epheſ. 5. verſ. 5.* *Omnis fornicator aut immundus, &c. non habet hæreditatem in regno* CHRISTI *& Dei.* Ad Coloſſ. 3. *Coloſ. 3. verſ. 5.* Inter peccata, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ, numerat *fornicationem, immunditiam,* &c. Item propter peccatum *Mollitiei* percuſſus fuit Onan à Domino Geneſ. 38 *Geneſ. 38 verſ. 9. 10.* Quia *ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcircò* (ait Scriptura) *percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret.*

Nota de mollitie carnis.

Dixi (*libidinoſa & voluntaria ſeminis provocatio & effuſio*) ad actum & ſubſtantiam illius peccati pleniùs explicandam. Datur enim fluxus ſeminis, qui libidinoſus non eſt: datur libidinoſus, qui voluntarius non eſt: datur provocatio ſeminis libidinoſa & voluntaria, quæ ad effuſionem non pervenit, ſed eſt velut inchoata mollities, eſtque mortale peccatum, & ad mollitiem reducitur. Eſt tandem ſeminis effuſio libidinoſa & voluntaria, quæ mollitiei peccatum complet. Vide quæ de pollutionibus latè deduximus hoc *Tomo 2. Tract. 2. p. 2. Tit. 4. quæſt. 2.* In examine tertiæ diſpoſitionis *Dubio 1. per totum,* nè cogamur eadem repetere.

Dixi (*extrà vas ad generationem ordinatum*) Ex hac enim cauſa eſt peccatum contrà naturam, quia ſemine, quod eſt medium ordinatum ad generationem, ſi congruo vaſi infundatur, abutitur, qui ſe polluit contrà naturam.

Quid Sodomia.

Sodomia eſt: *Coitus libidinoſus & inordinatus in vaſe à natura ad generationem non ordinato.* Et illud eſt peſſimum peccatum, quod à Sodomitis *Sodomia* nuncupatum eſt, propter quod Sodomitæ omnes cum quinque eorum civitatibus igne cœleſti ſunt abſumpti. *Geneſ 19.*

Porrò coitus ille non tantùm eſt maſculorum in maſculos, ſed etiam maſculorum in fœminas, etiam conjugatorum, ſi contrario vaſe coire contendant; imò & fœminarum in fœminas, ementitis virilibus congreſſibus & fictis modis. Hoc enim indicare videtur Apoſtolus ad Romanos 1. *Roman. 1. verſ. 26.* *Propterea* (inquit) *tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ* (ſive ut ſuprà, *ut contumelijs &c. afficiant corpora ſua*) *nam fœminæ eorũ immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contrà naturam. Similiter autem & maſculi* *Verſ. 27.* *relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes,* &c. Et ad has turpitudines conſtituebantur apud Gentiles *Ephebia,* de quibus 2. *Machabæorum* 4. *2. Mach. 4. verſ. 9.*

Dixi (*Coitus in vaſe à natura non ordinato*) in hoc enim *Sodomia* à *Mollitie* diſtinguitur: quænam autem illa ſint, turpe nimis eſt dicere: audivi tamen, quod horribile eſt, quoſdam perditiſſimos etiam in ore coire. Et in hoc turpitudo illa contrà naturam conſiſtit: quamvis autem (ut ſuprà dixi) interdùm vaſa fingantur, & mulieres fictis modis & inſtrumentis in invicem exardeſcant, ſi tamen in vaſe aliquo contrà naturam non fiat, mollitiei peccatum magis judicandum erit, quàm ſodomiæ. Utrumque tamen turpiſſimum eſt, & vitium Diabolicum.

Quid beſtialitas.

Beſtialitas eſt: *Coitus libidinoſus & inordinatus hominis cum bruto ſive paſſivè, ſive activè, & in quocunque vaſe fiat.* Undè Levit. 18. *Levit. 18. verſ. 23.* *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo: mulier non ſuccumbet jumento, nec miſcebitur ei, quia ſcelus eſt.* Et cap 20. *Et cap. 20. v. 15. 16.* *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo, ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Dixi (*in quocunque vaſe fiat*) illud enim non minuit crimen, ſed magis auget. Confundor hæc ſcribere, & calamus refugit. Pœnæ Civiles oſtendunt, quàm abominabilia ſint peccata.

§. 8. De Oſculis, Amplexibus, & Tactibus impudicis.

Dubium 1.

An oſcula, amplexus & tactus impudici ſint ſemper peccata mortalia?

Oſcula & amplexus indifferentes.

PRo reſolutione *Advertendum* eſt *Primò*, Oſcula, amplexus, & tactus corporis proprij vel alieni de ſe, & ex natura ſua eſſe planè indifferentia ad bonum vel malum: ſunt

enim

enim actus merè naturales, quorum bonitas ab uſu bono vel malo depender: undè & naturalem, moralem, vel meritoriam bonitarem, ſicut & malitiam ſortiri poſſunt, ut in ſequentibus patebit.

Multiplex uſus oſculorum.

Advertendum ſecundò, Oſculis hominem multipliciter uti poſſe. Primò, Ad teſtandum amotem & amicitiam bonam. Sic parentes oſculantur. Geneſ. 27. *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.* Et Laban cap, 31. graviter conqueritur de Jacob ab eo fugiente: *Non es paſſus ut oſcularer filios meos & filias.* Secundò, Ad reverentiam & pietarem. *Luc.* 7. CHRISTUS reprehendit Simonem: *Oſculum mihi non dediſti. Hac autem* (Magdalena) *ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Terriò, Ad pacem & animorum ſanctam unionem 1. ad Theſſ. 5. *Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.* Quarrò, Ad laſciviam & lubrieitatem, Proverb. 7. de muliete vaga & meretriee: *Apprehenſumque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur.* Et quod de uſu oſculorum dictum eſt, idem ptoportionatè dici poteſt de amplexibus.

Geneſ. 27. verſ. 26. Et 31 verſ. 28. Luc. 7. verſ. 45. 1 Theſſ. 5 verſ. 26. Prov. 7. verſ. 13.

Duplex uſus tactuū

Advertendum tertiò, Tactibus corporis proprij vel alieni, etiam in partibus ſecretioribus, dupliciter hominem uti poſſe. Primò, Cauſâ juſtæ neceſſitatis, aut congruæ utilitatis: ſic tam vir, quam mulier ad opera naturalia, ad naturæ ſublevationem, ad medicinas exigente juſtâ neceſſitate vel utilitate congruâ ſe tangit, vel eriam ab alio ſe tangi permittit. Secundò, In ordine ad excitandam libidinem, vel delectationem libidinoſam in carne: idque dupliciter. Primò, Poſitivè in ſe rales motus excitando illo fine pravo. Secundò, Permiſſivè tales motus excitatos voluntariâ complacentiâ ſuſtinendo. His ſic prænotatis, pono ſequentes Reſolutiones.

Reſolutio 1.

Oſcula & amplexus bona.

O*Scula & amplexus intuitu affectûs boni & caſti, ſive ad amorem bonum, ſive ad reverentiam & pietatem, ſive ad pacem proteſtandam, à quolibet in quolibet ſexu honeſte data, reputantur ex natura affectûs honeſti bona, & non tantùm cum morali honeſtate, ſed etiam interdùm meritoriè dari poſſunt.* Hæc Reſolutio ex dictis patet: celebrantur enim in Scriptura tanquàm ſigna benevolentiæ, amoris & patis.

Nota.

Dixi (*reputantur ex natura affectûs honeſti bona*, &c.) tantum enim boni participant, quantum affectus eſt bonus & purus. Unde etſi quendam pruritum & concomitantem delectationem in carne otdinariè habeanr; ſi tamen purus ſit affectus ab omni libidine, honeſtatem & bonitatem non amittunt.

Reſolutio 2.

Oſcula & amplexus libidinoſi peccata mortalia.

O*Scula & amplexus, quæ vel ex affectu libidinoſo procedunt, vel cum affectu libidinoſo ſunt conjuncta, extrà conjugium, ſive ad concubitum carnalem ordinentur, ſive in delectatione carnali & libidinoſa ex ipſo oſculo orieute ſiſtant, naturâ ſuâ ſunt peccata mortalia, niſi levitas materia, aut imperfectus conſenſus excuſet.* Dixi (*vel cum affectu libidinoſo ſunt conjuncta*) etſi enim quis oſculum det honeſto affectu, ſi tamen ex oſculo delectatio aliqua libidinoſa ſuccedat, & oſculum concomitetur, & ubi delectationem libidinoſam advertit, non ſtatim reſiſtat, aut à continuandis oſculis non abſtineat, peccat mortaliter: etſi enim oſculum ab effectu (ut ſupponitur) honeſto incœperit, ab impudico tamen & libidinoſo continuatur. Undè quod diximus ſuptà: delectationem carnis ordinatiè oſculum concomitantem non vitiare actum honeſtum, intelligendum eſt; modò affectus & delectatio non fiat libidinoſa Ex quo *Advertendum* eſt, Summum periculum eſſe in moroſis & fixis oſculis perſooarum alterius ſexûs, etiam ex motivo honeſtatis, etſi enim à motivo primo honeſto procedant, delectatio tamen in carne illa conſequens ſtatim rapit imaginationem, & potentias rationales, niſi valdè leviter, & leviſſimo attactu fiant pet actum levirer tranſeuntem, in hoe enim conſiſtit honeſtas. Nota.

Graviter itaque reptehendendi ſunt, nec otdinariè peccatum mortale ſaltem tatione peticuli evadunt, qui ſub prætextu parentelæ, honeſtæ amieitiæ, moroſis & repetitis oſculis utuntur, etſi enim in adventu & valedictione oſculum honeſtum & leve permittatur; nullatenus tamen permittuntur moroſa, & incongruè repetita oſcula: nec ſibi de intentione & affectu caſto blandiantur: tela enim inimici ignita ſunt, & ſagittarius ille inviſibilis etiam in die pleno caſtitatis ſagittas venenatas emittere novit, qua ratione monet Pſalmiſta caveri: *A ſagitta volante in die.* Nec ſufflatot ille dotmit, *cujus* (apud Job cap. 41.) *halitus ejus prunas ardere facit.* Er ut benè concludit Salomon in iſtis nimis exercitatus, Proverb 6. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Hinc omnis excuſatio, quæ in iſtis ptætenditur, aut malitioſa eſt, aut futilis. Nolim tacere non minùs intetdùm periculi eſſe in moroſis illis puetorum oſculis & amplexibus (excipio matres, nutrices, famulas pueris abblandientes, & hujuſmodi) ex quibus natura corrupta interdùm impuras delectatioues haurit. Etſi enim in puetili catne libido abſit, in ijs tamen, qui incongruè iſtis oſculis utuntur, non raro libidinem excaleſcere miſeriæ humanæ probant. Nota. Pſal. 90. verſ. 6. Job. 41. verſ. 12. Prov. 6. v. 27. 28.

Oſcula in conjugio quæ licita

Dixi (*extrà conjugium*) In conjugio enim licita ſunt, in quantum ad conjugales actus, & amorem conjugalem conſervandum otdinantur. Cavenda ſempet merettricia impuritas, quæ ſacri connubij caſtis aditibus ſe latenter inſinuat.

Dixi (*Sive ad cancubitum carnalem ordinentur, ſive in delectatione carnali & libidinoſa ex o-*

Nota.

ſculo oriente ſiſtant) Æqualis enim eſt periculi, cùm non ſolùm concubitus illicitus ſit prohibitus, ſed etiam quælibet delectatio carnalis moroſa, ut infrà dicetur.

Dixi (*niſi levitas materiæ, aut imperfectus conſenſus excuſet.*) admitto enim levitatem materiæ in motibus carnis, qui facilè ſubrepunt, & à quibus homo vix .n hujuſmodi liber eſſe poteſt. Undè levitatem non attendo in ipſo oſculo, ſi oſculum aliàs impudicum ſit, & ad libidinem tendat, ſed levitatem in motu carnis levi & ſubreptitio, ratione cujus oſculum non infigitur, vel qui ex oſculo aliàs non inhoneſto conſurgit. Imperfectionem autem conſenſûs pono in inadvertentia & motibus ſive primò-primis, ſive ſecundò-primis, de quibus altero Tomo egimus *Tract.* 3. *Tit.* 2. *quæſt.* 5. *per totam.*

Quæ materia levitas in oſculo.

Reſolutio 3.

Tactus qui liciti?

T*Actus omnes in quacunque parte corporis ſive proprij, ſive alieni, quos juſta neceſſitas, vel congrua utilitas exigit, per ſe peccata non ſunt, imò materia meriti eſſe poſſunt.* Explico · Medicus debet in partibus etiam naturæ ſecretioribus mederi mulieri : mulier abſque peccato poteſt permittere, & medicus, quantùm juſta neceſſitas exigit, tangere poteſt mulierem. *Similiter:* Invenio mulierem cecidiſſe, nec eam de luto levare poſſum, niſi amplexer, aut tangam etiam in partibus, in quibus excitari ſolet libido, ſi aliter commodè extrahi non poteſt, licet omninò cuilibet juſtam charitatis operam impendere, & illam tangere. *Ratio* eſt : quia tactus non plùs malitiæ habent, quàm affectus inordinatus communicat: hic autem ordinariſſimus, imò neceſſarius affectus charitatis ad omnia neceſſaria urget. *Similiter* : Ex congrua utilitate licet naturam juvare etiam aliquo tactu, fricatione aut actione ſimili, quam humana ratio requirit.

Dixi verò (*per ſe peccata non ſunt*) per accidens enim eſſe poſſunt, ut ratione libidinoſi motûs, qui ex hujuſmodi tactibus & actibus oriri poteſt, ſi conſenſus inordinatus voluntatis concurrat, aut ſit periculum grave conſentiendi in libidinem, & motus pravos ſubortentes. Undè Medico ex neceſſitate artis in partibus ſecretioribus medenti non imputantur motus brutales, qui interdùm ſuperveniunt, ſi ipſis libidinosè non conſentiat, ſed ex neceſſitate eos patiatur, ſicut & mulier, quæ Medicum pati tenetur.

Reſolutio 4.

Tactus illiciti qui?

O*Mnis tactus impudicus ab affectu impudico & libidinoſo proveniens, niſi materia levitas, aut imperfectus conſenſus excuſet, eſt peccatum mortale.* Ratio eſt : quia vel ad concubitum ordinatur, vel ad delectationem libidinoſam, quæ ex tactu oritur: utrumque autem eſt mortale peccatum ex natura ſua, niſi, ut dixi, levitas materiæ aut imperfectus conſenſus excuſet.

Dicitur porrò tactus impudicus ex duplici capite. *Primò*, Ex ratione materiali ipſius tactûs, utpotè quòd in membris verecundis aut libidinoſis mulieris fiat, ut mamillis, lumbis, vulva, &c. *Secundò*, Ex ſolo affectu impudico & libidinoſo: ut tactus manuum, faciei, brachij, preſſio pedis, &c. Et prioris quidem generis tactus turpis eſt, & turpitudinem annexam habet, eſtque extrà caſum juſtæ neceſſitatis in corpore alieno naturâ prohibitus, præter rationem libidinis, quæ ex tactu excitatur, ob verecundiam inſertam naturæ poſt peccatum : ipſa enim membrorum illorum nuditas in proprio corpore erubeſcentiam etiam naturalem cauſat. Cæterùm ultra illam naturalem turpitudinem, quæ tactui ex natura conjuncta eſt, tactus ille ſub peccato mortali prohibetur, quia per ſe ad libidinem incitat, & libidinoſis eſt via ad concubitum & delectationes laſcivas.

Duplex tactus impudicus.

Quantùm verò ſpectat ad tactus ſecundi generis : non plùs habent malitiæ, quàm affectus impudicus ſuggerit. Ex eo enim totam malitiam accipiunt. Undè ſi affectus tendat in concubitum vel delectationem carnalem & libidinoſam, tactus manuum aut faciei, quamvis ſit honeſtus ex natura & materiali ſuo, eſt peccatum mortale ex ratione, ut dixi, affectûs, à quo imperatur, vel cujus delectationem fovet & conſervat.

Quapropter non abblandiantur ſibi : qui ſolas manus mulieris, aut faciem tangunt. Si enim tactus illi ab effectu ad libidinem excitandam vel fovendam procedant, ſunt peccata mortalia, niſi, ut ſemper dixi, levitas materiæ excuſet, quæ menſuranda eſt juxtà ea, quæ diximus ſuprà ad finem Reſolutionis ſecundæ.

Nota.

Dubium 2.

Quid de aſpectibus impudicis, & obſcænis colloquutis?

Reſolutio 1.

A*Spectus impudicus dicitur : qui ad libidinem in ſe vel in alio excitandam dirigitur.* Dico (*in ſe*) ſolet enim aſpectus mulieris in aſpiciente interdùm motus libidinis excitare.

Quid aſpectus impudicus?

Dico (*vel in alio*) Nutibus enim oculorum, & blandis aſpectibus alius citò capitur. Ignea enim (ut dixi ſuprà) ſunt tela inimici. Undè eſt illud Thren, 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam, in cunctis filiabus urbis meæ.* Et 2. Petr. 2. Carnales illi Hæretici, de quibus ibi, deſcribuntur : *Habentes oculos plenos adulterij.* Et Iſai. 3. Deſcribitur luxuria filiarum Syon: *Et nutibus oculorum ibant*, &c.

Thren. 3. verſ. 51.

2. Petr. 2. verſ. 14. Iſai. 3 verſ. 16.

Reſolutio 2.

Ex tribus capitibus aſpectus impudicus fit peccatum mortale. QValibis aſpectus ex natura ſua ſit indifferens, ex tribus tamen capitibus peccatum mortale eſſe poteſt. Primò, ſi vir vel mulier ſe aſpiciant ad libidinem excitandam, juxta rationem libidinis, quam intendunt, ſive in ordine ad concubitum, ſive ad delectationem carnalem & libidinoſam, peccatum expendendum eſt: Si igitur vir mulierem vel ſpeciem ejus, aut partes impudicas, vel aliud ad libidinem provocans reſpiciat, ut ad coitus complacentiam ſe excitet, mortaliter peccat. *Similiter*: ſi delectationem moroſam carnis ex cogitatione per talem aſpectum excitandam quærat.

Secundò, peccant mortaliter vir vel mulier, qui oculorum nutibus & laſcivis aſpectibus invicem ad copulam vel delectationes carnales ex intentione provocant, vel provocare intendunt.

Tertiò, mortaliter peccant, qui ex aſpectibus hujuſmodi ſe vel alios voluntariè proximo periculo laſcivæ delectationis vel deſiderii exponunt. Quæ quidem intelligenda ſunt extra rationem conjugii & actuum in conjugio licitorum. Hanc reſolutionem docet Salva-
Matth. 5. v. 28. tor Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam* (id eſt, eo affectu vel fine ut concupiſcat, ſive ad copulam, ſive ad delectationem ex cogitatione aut affectu concomitante oriundam) *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, id eſt, jam peccato mortali mœchiæ mentalis prohibito ſexto præcepto, peccavit. Et Job 2. 31. *Pe-*
Iob. 31. v. 1. 2. *pigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ut autem oſtendat ſe de aſpectu & cogitatione, quam conſequitur carnalis affectus cum mortali peccato, propoſitionem illam intelligere, ſubdit: *Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipo-*
Ibid. *tens de excelſis?* Infrà: *Si ſecutum eſt oculos meos*
v. 7. 9. 10. *cor meum*, &c. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere*, &c. *Scortum alterius ſit uxor mea*, &c. quibus verbis peccati abominationem indicat. Ex quibus omnibus pono ſequentes Regulas generales.

Regula 1. generalis.

OMnis aſpectus voluntarius & deliberatus mulieris, aut cujuſcumque rei ad libidinem incitantis, in materia gravi juxta rationem delectationis voluntariæ ex aſpectu provenientis, aut periculum proximum ipſius, eſt peccatum mortale ejuſdem ſpeciei, cujus eſt delectatio ex aſpectu conſecuta. Patet ex ſupradictis.

Regula 2. generalis.

VIr vel mulier, qui aſpectu impudico tentat ad libidinem alterum incitare, eodem mortali peccato offendit, quale eſt illud, ad quod tali aſpectu incitare tentabat. Undè inter ſolutum & ſolutam eſt peccatum fornicationis ſimplicis, ubi autem alteruter junctus eſt matrimonio, eſt peccatum adulterii. *Ratio eſt*: quia aſpectus impudicus ſpeciem ſortitur à qualitate affectûs ipſius reſpicientis, ſive ab intentione quam habet, vel à delectatione ſubſequente aut concomitante, ſive etiam à periculo cui ſe exponit.

Reſolutio 3.

ETſi verbum obſcœnum ſive ſcurrile ex natura ſua ſit tantùm veniale peccatum, ex duobus tamen capitibus peccatum mortale fieri poteſt. Primò, ex intentione loquentis, ſi per illa intendat mulierem aut quemlibet audientem provocare ad libidinem. *Secundò*, ex fragilitate audientium: ſi nimirùm advertat, aut advertere debeat audientes ad libidinem vel ſcandalum incitandos. Hæc ipsâ naturâ rei, & communi doctrinâ ſatis conſtant, ita, ut non ſit neceſſè rationes congerere. *Quid de verbis impudicis?*

§. 9. De cogitationibus venereis, & delectatione moroſa.

Dubium 1.

An cogitatio venerea ſit peccatum mortale?

Reſolutio 1.

SOla cogitatio venerea, abſque delectatione & conſenſu in objectum pravum vel delectationem, non poteſt eſſe peccatum mortale, quantumvis in mente duret. Ratio eſt: quia, ut talis, habet ad ſummum rationem ſuggeſtionis aut repræſentationis; ſuggeſtio autem, aut ſola repræſentatio objecti peccatum non cauſat. Vide à nobis dicta & deducta de motibus ſenſualitatis ac partis rationalis, & de delectatione moroſa & voluntaria *Tom. 1. tract. 3. tit. 2. quaſt. 4. 5. & 6. per totas*, ubi hæc materia de cogitatione, delectatione & conſenſu latiſſimè deducitur, &c. ita ut nil ſuperſit addendum. *Cogitatio venerea quale peccatum?*

T I T V L V S II.

De gula & ebrietate.

QUia abſque Cerere & Baccho friget Venus, & abundantia cibi & potûs, non rarò eſt incentivum carnalis concupiſcentiæ & libidinis, hîc congruo loco pauca de his à nobis declaranda ſunt.

QUÆSTIO I.

Quid ſit gula, & qualiter contingat peccari peccato gulæ?

CONCLUSIO I.

Deſcriptio Gulæ & ejus modi immoderati.

GVla eſt immoderatus & inordinatus uſus ciborum. Porrò inordinatio & immoderatio illa variè contingit. Primò, in exceſſiva repletione ultra naturæ ordinarium appetitum. Secundò, in exceſſiva ciborum delectatione. Tertiò, in immoderata & inordinata protelatione & multiplicatione commeſtionum. Quartò, in exceſſiva præparatione ciborum.

CONCLUSIO II.

Gula quando mortale peccatum.

ETſi Gula ex natura ſua ſit tantùm veniale peccatum; contingit tamen illam fieri mortale ex variis capitibus & circumſtantiis.

Primò, cùm quis tantâ ingluvie ciborum ſe replet, ut ſciens & advertens vel advertere debens ſibi morbos graves cauſet, aut enormiter temperantiæ modum & rationem excedat. *Ratio* mea eſt: quia hoc modo homo rationalis creaturæ ſtatum enormiter lædit, & naturam ipſam horrendè deturpat.

Secundò, Cùm quis ex nimia delicatorum ciborum ſumptione ſentit ſibi cauſari motus graves libidinoſos; ſi enim advertens graves illos motus cum periculo conſensûs in aliquam libidinem à cibis illis & nimietate ſe non temperet, mortaliter peccat, quia cauſam & fomitem Luxuriæ ſubminiſtrat.

Tertiò, Cùm quis ita ſympoſiis & conviviis vacat, ut ſuæ ſalutis curam omittat, ac continuis periculis crapulæ & ebrietatis ſe exponat.

De his Scripturæ paſſim. Ad Roman. 13. Apoſtolus inter opera tenebrarum ponit commeſſationes, & gradatim indicat ex iis libidines & luxurias ſuboriri: *Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis,* &c. Et ad Galat. 5. Inter peccata carnis, quæ committentes non obtinebunt Regnum Dei, ponit *commeſſationes*. Et 1. Petr. 4. Inter peccata mortalia in quibus Gentes ambularunt, ponuntur: *Vinolentia, commeſſationes* & *potationes*. Iterùm Deut. 21. lapidari jubetur filius accuſatus à patre de *commeſſationibus*. Et in Epiſt. Judæ de impiis dicitur: *Hi ſunt in epulis ſuis, maculæ convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes,* &c. Et Eccli. 37. monet Sapiens: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt.* Denique ad Philip. 3. Commeſſatores illos aſſiduos, quorum tota cura eſt in conviviis & cultu ventris, ſic deſcribit Apoſtolus: *Quorum* (ait) *Deus venter eſt.* Ex quibus Scripturis patet explicatio trium punctorum ſuperiorum in quibus gula peccatum eſt mortale. Turpitudines ſingulares non exprimo: Guloſis enim manifeſtæ ſunt.

Rom. 13. v. 13.
Galat. 5. v. 21.
1 Pet. 4. v. 3.
Deut. 21. v. 20.
Epiſt. Judæ v. 12.
Eccli. 37. v. 32. 33. 34.
Philip. 3. v. 19.

QUÆSTIO II.

Quid ſit ebrietas, & quale peccatum ſit?

CONCLUSIO I.

Quid ebrietas.

EBrietas eſt voluntaria & immoderata ſumptio potûs inebriantis, ad gravem rationis perturbationem perveniens. Dicitur (*voluntaria*) ut excludatur omnis involuntaria, quæ vel ex errore vel inadvertentia, aut indeliberatione provenit: ut contingit in iis, qui fortitudinem potûs non norunt, vel ſufficienter futuram ebrietatem ob cauſas & circumſtantias advertere non potuerunt.

Dixi (*immoderata*) ſi enim quis commodæ neceſſitati naturæ ſatisfaciens ex mera infirmitate naturæ, vel potûs malitiâ inebrietur, de ebrietate vitioſâ non cenſetur condemnandus. Dixi (*ad gravem rationis perturbationem perveniens*) illa autem cenſetur gravis, non quæ rationem omninò tollit, ut quidam autumant, ſed quæ ita conturbat, ut rationabiliter ſe dirigere nequeat: Ridiculum ſanè eſt, quod nonnulli affirmant, eum qui crapulâ & vino velut ſepultus jacet in platea, ſi ſignum poſſit dare, ut currus divertat, vel ſe ſubmovere, ne currus ſuper ſe tranſeat, ebrium non eſſe. Ridiculum (inquam) & viris doctis indignum exemplum eſt: Sanè brutum etiam naturali inſtinctu ſe ſubtrahit, in quo igitur iſte, qui ſolum ſignum edere poteſt, differt à beſtia, ſi inſtinctu merè naturali ſe ſubducere poſſit, aut ſignum facere ut amoveatur? Sufficit profectò ad ebrietatem perfectam judicandam, ut qui ebrius eſt, ſe in communibus ratione dirigere non poſſit: Non tamen ad ebrietatem ſufficit titubatio, aut balbuties (quamvis ſit ſignum intemperantiæ & effectus nimiæ potationis) niſi etiam deſit communis ratio neceſſaria homini, ut ſeipſum in neceſſariis naturæ dirigat.

Nota.

CONCLUSIO II.

Ebrietas & immoderantia potus in duobus caſibus, peccatum mortale.

IN duobus caſibus voluntaria immoderantia potûs, eſt peccatum mortale. *Primò*, quando ad gravem rationis perturbationem hominem deducit, ut non poſſit communes actiones neceſſarias dirigere. Dico (*dirigere*) etſi enim quis per ſe illas exercere non valeat ob titubationes & motus impedimenta, ebrius tamen non cenſetur cùm poteſt dirigere famulitium, & auxilium rationabile ſibi poſtulare.

Secundò, Quando immoderantia enormiter temperantiam lædit; cenſetur autem enormiter temperantia lædi: quando tanta vini abundantia, & tam continua ſumitur, ut monſtruoſa potitatio reſpectu communis uſus cenſeatur: Et hæ potitationes vocantur *vinolentia*, etſi ratio non perturbetur. Undè eſt illud Iſai. 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam,* Iſai. 5. v. 11.

ſtandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æ-
Verſ. 22. *ſtueris.* Infrà: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Et communiter Scriptura non ſolum rationis privationem attendit, ſed etiam exceſſum brutalem & enormem, qui conſideratur ex qualitate, continuatione, & aliis circumſtantiis potationum. Et ſuprà 1. Petr. 4. *Potationes,* 1. Pet. 4. v. 3. *vinolentiæ, commeſſationes* ſimul inter peccata graviſſima Gentilium recenſentur. Dixi autem (*enormiter*) plùs enim potus, quàm natura exigat, ad hilaritatem & recreationem aliquam ſumere, per ſe peccatum non eſt.

CONCLUSIO III.

Alterum inebriare **A**Lterum inebriare ſive in ebrietatem voluntariè inducere, eſt peccatum mortale.* Ratio eſt: quia mortaliter peccat, qui ad peccatum mortale alterum inducit, ebrietas autem, ut diximus, eſt peccatum mortale. *Alterum inebriare peccatum mortale.*

CONCLUSIO IV.

G*Vla & ebrietas multorum peccatorum ſunt cauſa.* Concluſio patet ex quinque filiabus gulæ, quas recenſet S. Gregorius *l. 31. moral. in Iob c. 17.* quæ ſunt *inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis,* ſub Immunditia comprehendens omnem libidinem ex gula provenientem. Hæc de 6. præcepto ſint dicta.

SCHEMA

Super 6. præcepto Decalogi
Non mœchaberis. Exod. 20.

Non mœchabaris, Exod. 20.

- Hoc præcepto omnis actus libidinoſus prohibetur, cujus potiſſimum
  - Septem ſunt ſpecies
    - Simplex fornicatio
    - Adulterium
    - Inceſtus
    - Stuprum
    - Raptus
    - Sacrilegium
    - Peccatum contra naturam, & hoc eſt triplex
      - Mollities
      - Sodomia
      - Beſtialitas.
  - Ad hæc pertinent impudica
    - Oſcula
    - Amplexus
    - Tactus
    - Aſpectus.
  - Ad ſuperiora reducuntur
    - Gula & Ebrietas.

De his omnibus latè toto iſto Tractatu 7.

TRACTATVS OCTAVUS
DE
SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO,
Non furtum facies. Exodi 20.

TITVLVS PRIMVS
DE
SVBSTANTIA SEPTIMI PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.
Quid prohibeatur iſto præcepto
Non furtum facies?

Furti acceptio duplex. **A**Dvertendum Furtum dupliciter ſumi poſſe. Primò, ſpecificativè prout definitur: *Injuſta ablatio ſive detentio rei alienæ invito domino.* Secundò, generaliter, pro omni damnificatione injuſta proximi in bonis fortunæ & temporalibus, ſive fiat auferendo, detinendo, deſtruendo, ſive alio quovis modo.

CONCLUSIO UNICA.

P*Ræcepto ſeptimo Decalogi: Non furaberis, non prohibetur ſola acceptio vel retentio rei alienæ invito domino, ſed etiam omnis injuſta damnificatio in bonis fortunæ & temporalibus quocumque nomine exprimatur.* Eſt communis interpretatio. Sicut enim in ſexto præcepto *Prohibita nomine furti.*

ſub

ſub nomine *adulterij* per quamdam Antonomaſiam omnia peccata carnis ſunt comprehenſa: ita & ſub nomine *furti*, omnis injuſta illatio damni in bonis fortunæ. Undè ſanctus Auguſt. lib. quæſtionum ſuper Exodum quæſt. 71. *Furti* (inquit) *nomine benè intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ: Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit: ſed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi auffertur.*

Auguſt. l. qq. ſuper Exod. q. 71.

QUÆSTIO II.

Quæ cenſeatur res aliena?

Jure naturæ omnia communia.

ADvertendum primò, Jure naturæ omnia bona fortunæ eſſe communia, ut habetur c. *Ius naturale* apud Gratianum *D.* 1. ita ut *meum ac tuum frigidum illud verbum* dicente S. Chryſoſt. in orat. de ſancto Philogonio *Tom.* 3. Non ex natura integra, ſed ex corrupta provenerit: ſtante enim innocentiæ primævo ſtatu, nulla rerum proprietas fuiſſet, ſed quilibet de rerum communium fructibus participaſſet, uſu quodam communi.

Diviſio bonorum facta eſt jure gentium.

Advertendum ſecundò, ne quidem poſt peccatum ex jure præciſo naturæ diviſionem bonorum factam fuiſſe, ſed jure Gentium, quod etſi ex jure naturali procedat, dominia tamen & ſervitutes introduxit, quia abſque illis Reſpublicæ & hominum ſocietates formari & conſervari non poterant.

Advertendum tertiò, à rerum diviſione permiſſa & legibus ſtabilita, ſortitione aut occupatione res communes factas eſſe proprias vel appropriatas ſive Principibus ſive Rebuspublicis & ſocietatibus in communi, ſive perſonis in particulari.

Diverſa ratio dominii & uſus rerum.

Advertendum quartò, diverſimodè rem alicui appropriatam eſſe, nimirùm: dominio vel quaſi dominio, uſu fructu, uſu juris, uſu ſimplici facti.

Quid dominium.

Dominium dicitur: Jus ad rem, quo quis de re ſua poteſt facere quidquid vult, donando, vendendo, commutando: in quo, ſi non impediatur, jam poſſeſſionem rei habere dicitur, ita ut dominium ſonet jus habituale: Poſſeſſio actuale; Proprietas poſſeſſioni ſuperaddat, quòd dominus poſſidens in ſuo jure æqualem non habeat, poteſt enim res in indiviſo plures dominos & poſſeſſores habere, non tamen proprietarios.

Quid uſus fructus.

Uſus fructus, ut perfectum dominium excludit, eſt: quo quis jus habet, non in rem, ſed in uſum fructuum, qui ex re procedunt, ita ut illis fructibus tam pro ſe, quàm pro alio juxta beneplacitum uti poſſit.

Quid uſus juris.

Uſus juris eſt: Jus utendi re, vel fructibus rei pro ſe ſolo, & non pro alio.

Quid ſimplex uſus facti.

Simplex facti uſus eſt: quando quis abſque ullo jure, ſed ſolâ facultate veri domini, re utitur etiam ad illius conſumptionem, juxta neceſſitatem vel commoditatem ſuam. Talis eſt uſus rerum apud veros Fratres minores, qui utuntur neceſſariis ad vitam, ſive cibo, ſive domo, ſive veſtimento, nullo quidem jure rigoroſo, ſed ſolâ facultate donantium, benefactorum, vel Summi Pontificis, qui dominium rerum fratrum uſui neceſſariarum, ubi donantes ſibi illud non reſervarunt, in ſe ſuſcepit: Et caſu quo non ſuſciperet, & donantes dominium ſibi reſervare nollent, ad communem naturæ uſum & dominium ſolius creatoris reverterentur, haberetque, ut ait venerabilis Dei ſervus F. Gilbertus Nicolai, tantum juris frater minor in cibo quem manducat, quantum habet jus avis in grano, quod comedit.

Nec iſta repugnant juri civili: Sequuntur enim Fratres minores, & aſſequuntur filiorum conditionem, quâ ut habetur tit. de acquirenda rerum poſſeſſione L. Quidquid: *Quidquid filius-familias habet ex peculio ſive cibaria ſint, ſive veſtes, ſive pecunia, vel alia, quæ uſu conſumuntur, ſolum habet uſum facti, & proprietas reſidet apud patrem.* Undè & de ſervo gloſſa 12. quæſt. 1. c. *Non dicatis*: *Nunquid* (ait) ſervus *dicitur poſſidere veſtem? Non videtur, quia veſtis quâ utitur ſervus, eſt de peculio domini.* His ſic prænotatis ſit

[illegible] q. 1.

CONCLUSIO I.

Quid res aliena?

RES *aliena dicitur, quæ nec dominio, nec uſu fructuum, nec uſu juris, nec conceſſione ſimplicis uſus facti eſt noſtra.* Concluſio patet ex ſufficienti enumeratione partium: nihil enim noſtrum eſt, niſi aliquo iſtorum modorum ſit noſtrum, quod autem noſtrum non eſt, res aliena eſt.

CONCLUSIO II.

Quis dicendus fur?

QUicumque *injuſtè rem aliquam uſurpat, ſubtrahit, detinet, deſtruit, conſumit invito eo qui ejus dominium, uſum fructum, jus utendi, vel ex veri domini conceſſione ſimplicem facti uſum habet, peccat contra præceptum ſeptimum* Non furtum facies, *ſive furti in genere accepti eſt reus.* Ratio eſt: quia verè uſurpat, detinet, ſubtrahit vel conſumit rem alienam invito Domino. Undè & qui Fratrum minorum res auferunt, etiam reſpectu fratris minoris, furtum committunt: quia etſi frater minor dominium vel jus in rem non habeat, ex conceſſione tamen Domini illâ utitur, illamque certo modo habet: Quapropter & illam defendere nomine concedentis, tamquam ſibi applicatam, & illam à rapiente nomine concedentis, ratione uſus ſibi applicati, repetere poteſt. Ea autem in noſtris bonis habere ex communi axiomate juris dicimur, quibus habitis defenſionem, non habitis repetitionem habemus. Quod omni modo habendi etiam per ſimplicem facti uſum applicari poteſt.

Nota.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur, ut juſtè aliqua res dicatur noſtra?

CONCLUSIO I.

Duo requiſita ut res noſtra dicatur.

DVo potiſſimùm requiruntur, ut aliqua res dicatur noſtra aliquo ex modis quæſtione ſuperiori recenſitis, nimirùm: *Titulus legitimus, & ratione tituli aliqua rei vel juris ad rem apprehenſio*: Abſtineo autem a verbo *poſſeſſionis* ſimpliciter, quia non ſemper realis poſſeſſio requiritur.

CONCLUSIO II.

Tres tituli quibus res noſtra dicuntur.

TItuli legitimi juris vel quaſi juris, quibus res noſtra dicuntur, fere ad tria generalia capita reducuntur, quæ ſunt: Titulus hereditatis ſive ſucceſſionis: Titulus donationis vel legati: Titulus legitimæ acquiſitionis: Qui ultimus in varios titulos ſubdividitur, nimirùm: In titulos, quibus ultra hereditatem, ſucceſſionem, legatum vel donationem legitimè res acquiritur, quorum primus eſt *titulus laboris & induſtriæ*, ſub quo continetur quod ſtudio, ſapientiâ, ſcientiâ, arte, opere ſpirituali vel corporali manuum licitè acquiſitum eſt. Secundus eſt *titulus mercaturæ & negotiationis*, ſub quo omnes contractus venditionis, emptionis, commutationis, mutui, cambij, ſocietatis, elocationis, emphiteuſis, cenſus annui, &c. continentur. Tertius denique titulus eſt *uſucapionis & præſcriptionis*. De quibus omnibus ſingulariter agendum erit, & ſub ſingulis titulis furta & injuſtitiæ, ac damna injuſta cum eorum reparationibus in ſpeciali examinanda erunt, ut omnis confuſio evitetur.

Tituli variis acquiſitionis rerum.

QUÆSTIO IV.

Quot ſint furti ſpecies?

CONCLUSIO UNICA.

Quinque furti ſpecies.

QVinque furti ſpecies ordinariè aſſignantur, nimirùm: Furtum ſimplex, plagiatus, peculatus, ſacrilegium, rapina.

Furtum ſimplex eſt: Quando privatus aliquid à privato injuſtè capit, vel in privatis bonis privatum damno afficit. *Plagiatus* eſt: Quando injuſtè homo liber vel alienus ſervus in ſervitutem abducitur. *Peculatus* committitur circa bona publica Reipublicæ, ab illis, qui ea in ſuos privatos uſus deducunt, populum injuſtis exactionibus opprimunt, &c. *Sacrilegium* dicitur: Quando res ſacra aut in loco ſacro depoſita furto ſurripitur. *Rapina* denique: Quando in auferenda, vel retinenda, aut deſtruenda injuſte re aliena vis aliqua infertur. De quibus omnibus ſuis locis.

QUÆSTIO V.

Quale peccatum ſit furtum?

CONCLUSIO UNICA.

Furtum ex ſua natura peccatum mortale.

FVrtum, ſive ſit ablatio, ſive acceptio, ſive detentio rei alienæ, ſive damnificatio injuſta invito Domino, ex natura ſua eſt peccatum mortale, nec fit veniale niſi ob materiæ levitatem vel ignorantiam. Eſt communis ſententia.

Petes primò: An liceat aliquando furari? *Reſp. primò*: Nunquam licere furari furto propriè dicto. *Ratio eſt*: quia furtum ſemper manifeſtam injuſtitiam continet. *Reſp. ſecundò*: Licere ſæpè rem, quæ priùs alterius erat, ſurripere & ſibi uſurpare. *Ex. gr.* Tempore gravis & extremæ neceſſitatis: tunc enim propriè furtum non eſt, quia in tali caſu reditur ad jus naturæ, quo quilibet ſuæ vitæ conſulere tenetur, & bona tunc temporis ſunt communia: undè qui in neceſſitate extrema fuit, & neceſſaria vitæ tunc ſurripuit, etiamſi ad pinguiorem fortunam rediret, non tenetur reſtituere: quia verè ſuo jure uſus fuit. *Similiter*: Licet furioſo vel ei qui alterum injuſtè invadit, gladium & arma eripere, &, ſi opus eſt, confringere & abjicere. Et plura ſimilia exempla occurrunt. *Nota.*

Petes ſecundò: Quæ cenſeatur materia gravis in furto? *Reſpondeo* id ex prudenti judicio & circumſtantiis expendendum eſſe: non enim eadem materia reſpectu cujuſcumque cenſetur gravis.

Gravitas materiæ in furto.

Communiter gravem materiam in furto reſpectu *perſonarum ordinariarum*, ſive quæ reputantur honeſtorum mediorum tres Julios Doctores aſſignant, qui ſunt monetæ Belgicæ circiter octodecim aſſes.

Reſpectu *potentum & divitum* hujus mundi, à quibus furto res ſurripitur, aureum ponunt.

Reſpectu *pauperum*, penuria & indigentia eorum attendenda eſt, & ratio damni. Plùs enim damni illis infertur ſublatione unius aut alterius aſſis, vel ſublatione alicujus inſtrumenti ad artem quâ victitant neceſſarii, quàm magnæ ſummæ, quæ à potente ſurripitur, vel unius floreni à communi divite.

Nota.

Habenda eſt etiam ratio rerum & perſonarum: ut filiorum-familias, quorum furta domeſtica non debent menſurari menſurâ alienorum. Deinde reſpectu filiorum debent etiam æſtimari res, quæ auferuntur: poculenta enim & eſculenta communiter in familiis non æſtimantur in quorum ſurreptione parentes æſtimantur magis inviti & nolentes reſpectu filiorum circa modum accipiendi, quam circa rem acceptam. Et quamvis oſtendant acceptiones illas ſibi graviter diſplicere, id potiùs fit per modum correptionis & diſciplinæ, quàm in ordine ad injuſtitiam formaliter conſideratam. Quæ omnia debet prudens Confeſſarius attendere; nec enim ſufficerent

volu-

volumina, ſi ſingula exprimi deberent, cùm tota ratio peccati in furto pendeat ab æſtimatione damni, ab involuntario perſonæ à qua res accipitur, & à ratione injuſtitiæ, quæ conſideratis perſonis, eſt minor majorve, & aliquando inter filios-familias nulla.

TITVLVS II.

De titulo hereditatis & legitimæ ſucceſſionis, & de injuſtitiis in hujuſmodi committi ſolitis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit hereditas & ſucceſſio legitima?

CONCLUSIO I.

Definitio hereditatis HEreditas eſt devolutio juridica bonorum temporalium in perſonam aliquam, ratione ſtirpis ſive ſanguinis, vel liberæ inſtitutionis.

Dicitur (*devolutio*) non enim propriè hereditas acquiritur, ſed heredi relinquitur: undè & heres ſimpliciter illam adit per ſolam acceptationem, ad quam traditio, vel inductio in poſſeſſionem non requiritur.

Dixi (*devolutio juridica*) cùm enim non ſit merè juris naturalis, ſed juris gentium, debet illa devolutio ſecundùm leges civiles & politicas fieri: principum enim, & Reipublicæ fuit certas leges in his præbere, ut confuſiones vitarentur. Undè in aliquibus regionibus hereditas immobilium eſt tantùm primogenitorum, in aliis habetur ratio feudorum pro primogenitis, in aliis autem bonis æqualiter aut ferè æqualiter omnes proles participant.

Dixi (*ratione ſtirpis ſive ſanguinis*) hereditas enim communiter ſanguinem ſequitur, maximè ubi ab inteſtato devolvitur, ſive fiat in linea recta, ſive in transverſali.

Addidi verò (*vel legitima inſtitutionis*) propter teſtatores liberos, qui in ſuis teſtamentis juxta leges poſſunt interdùm ſuccedentes ab inteſtato, ſive heredes ex ratione ſanguinis hereditate privare, & alios, etiam qui de ſanguine aut ſtirpe non ſunt, heredes inſtituere. De quibus jura ſunt conſulenda.

Porrò præter ſucceſſionem ſtrictam hereditatis, dantur aliæ ſucceſſiones, quæ hereditatis naturam ſequuntur, & generaliori nomine ſucceſſio legitima vocari poſſunt, ſuper quibus ponitur

CONCLUSIO II.

Quid ſucceſſio legitima. SVcceſſionis legitima titulo generaliter dicuntur bona temporalia poſſidere, quando in illos titulo aliquo velut hereditario devolvuntur, ut ratione principatus, officii, beneficii, &c. nullâ habitâ ratione ſtirpis, ſanguinis vel teſtamenti. Tales ſunt ſucceſſiones in Regnis electivis, magiſtratuum officiis, prætoratibus, regiminibus, prælaturis, beneficiis. Hoc ipſo enim quo quis ad tale munus inſtituitur, eo ipſo in eum devolvitur jus in bona omnia, quæ tali muneri ſunt annexa.

QUÆSTIO II.

Quæ injuſtitiæ in hereditatibus adeundis committi ſoleant, & qualiter reſarcienda?

HÆ quæſtiones melius explicantur & reſolvuntur per Canones & regulas generales, ſit igitur

Regula 1. generalis.

QVicumque hereditatem ſibi non competentem ſciens & ſcire debens, ſive in totum ſive in partem, ſive in immobilibus, ſive in mobilibus adit vel acceptat, & quovis modo accipit, peccat m[illegible]taliter & ad reſtitutionem tenetur verò heredi. H[illegible]c autem injuſtitia committi ſolet ſub titulis fictis, coloratis, fraudulentis, & à parte rei injuſtis, etſi tricis & ſubtilitatibus advocatorum, imò ſæpè ſæpiùs informationibus erroneis ipſorum prætendentium in judicio hereditates ſint ipſis adjudicatæ. Quamdiu enim de fictione, fraude, mentito titulo, colore, illis conſtat, bona illa reſtituenda ſunt. *O·cup[illegible] est p[illegible] mortale.*

Dixi (*ſciens*) quia quamdiu non ſcit, ad id non tenetur: *Melior* eſt enim *conditio poſſidentis*, quæ poſſeſſio non tantùm intelligitur reſpectu rei, ſed etiam reſpectu tituli: ſufficit enim juſtitia tituli, quem quis credit omninò ſe habere, ad hereditatem licitè adeundam & retinendam.

Dixi (*vel ſcire debens*) propter eos, qui etſi habeant cauſas graves & juſtiſſimas practicè de juſtitia dubitandi, refugiunt tamen inquirere, chartas etiam domeſticas perlegere; imò ſi quam inveniunt ſibi non faventem à propoſito vel abjiciunt, vel comburunt: Hi quamdiu in tali ſtatu ſunt, cenſentur illicitè poſſidere, & in continuo peccato ſunt, quoniam deeſt illis titulus & bona fides, quæ ad quodlibet jus & poſſeſſionem licitam requiruntur.

Dubium notabile.

An heres teneatur inquirere de omnibus titulis ſuæ hereditatis?

Quando non tenetur heres inquirere? REſpondeo primò: Ubi nullum dubium formale & practicum de aliquo injuſto vel dubio titulo in hereditate intervenit: Non tenetur inquirere. *Ratio eſt*: quia debet ſupponere ſe juſtè poſſidere id, de cujus poſſeſſionis injuſtitia nulla vera dubitatio eſt. Dixi (*dubium formale & practicum*) neque enim ſpeculativis dubiis & ſcrupulis congruè attendere poteſt, quæ non niſi variarum ſuſpicionum & judiciorum impertinentium, ac

ac turbationis inutilis & damnoſæ ſemina ſunt.

Quando tenetur. *Reſpondeo ſecundò*: Si practicum aliquod dubium de injuſtitia hæreditatis vel partis ejus exurgat, teneri prudenter & ſedatè inquirere ex chartis & monumentis, ex publicis teſtimoniis & relatione proborum, qui eorum notitiam & experientiam certam habent (non enim prudenter poteſt credere vulgi rumoribus, & perſonarum quarumcumque dicteriis) ex argumentis etiam ſolidis ex natura rei & ſucceſſionis provenientibus: quòd ſi inquiſitionibus ordinariis & moralibus factis (non enim tenetur ad extraordinarias & extremas) non poſſit certò deprehendere injuſtitiam, dubium poteſt deponere: imò dubio adhuc vexante, poteſt abſolutè reſolvere quòd juſtè poſſideat, & firmiter illi axiomati inhærere: quòd *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: Et quòd: illa pars ut ſecurior ſibi ſit eligenda; quia & à periculo peccati liberat, & à turbationibus inutilibus & non fundatis mentem eruit & componit. Vide dicta *Tom. 1. tract. 5 tit. 4. q. 2. 3. 4. & in regulis.*

Nota. *Reſpondeo tertiò*: Ubi argumenta ex chartis, inſtrumentis, vel teſtimoniis virorum omni exceptione majorum de injuſtitia certò non concludunt; Nemo debet inquirere in vitam ſuorum parentum & prædeceſſorum. *Ratio eſt*: quia quilibet tamdiu habendus eſt probus, quamdiu non probatur malus, & alias charitas chriſtiana & reverentia paterna mandat, ut ſemper in meliorem partem actiones proximi & maximè parentum interpretemur.

TITVLVS III.

De donatione & legato, ac injuſtitiis in illis occurrentibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit donatio, & quibus conditionibus ſubſiſtat?

CONCLUSIO I.

Definitio donationis. D*Onatio eſt liberalis, & gratuita alicujus rei vel juris in alterum translatio, facta legitimè ab eo qui potens eſt.*

Dixi (*liberalis & gratuita*) ſi enim fiat ex obligatione vel in mercedem; jam non eſt donatio, ſed ſolutio & merces.

Dixi (*alicujus rei vel juris*) quia non tantùm res, ſed etiam uſus fructus & jus utendi traduntur, imò & ſimplex uſus facti, qui etſi jus propriè non dicat, dicit tamen poteſtatem & facultatem utendi re, durante Domini voluntate.

Dixi (*translatio*) quomodocumque enim donatio fiat, aliquid transfertur, utique res, uſus, vel utendi facultas, &c.

Dixi (*facta legitimè ab eo, qui potens eſt*) donationes enim ſuas conditiones habent, ſine quibus non ſubſiſtunt, de quibus ſtatim.

CONCLUSIO II.

Conditiones ad donationem requiſita. Q*Vatuor conditiones ad validam donationem requiruntur.*

Prima, ut ſit de re, quæ eſt donantis, & in poteſtate ejus: nemo enim dat quod non habet, & donatio ejus, quod alterius eſt, furtum eſt, & non donatio.

Secunda, ut res alteri non ſit obligata, utpotè ex pacto, promiſſione, acceptata, aut lege fideicommiſſi, & ſimilibus, quæ ita ſupponunt rem eſſe poſſidentis, ut tamen alteri ſuo tempore cedat.

Tertia, ut donatarius, ſive is cui datur recipere poſſit: ſic enim regularis abſque licentia ſuperioris nil legitimè recipere poteſt, & frater minor ne quidem cum facultate ſuperioris poteſt pecunias recipere.

Quarta, ut donans dare poſſit. Plurimi enim vel dare non poſſunt, vel in tanta quantitate non poſſunt.

Qui dare non poſſint? Et *primo* quidem: *Ratione non utentis* donatio non ſubſiſtit: ſive ob ætatem infantiæ, & puerilitatis, ſive ſenectutis, ſive ob morbum, amentiam vel alium quemcumque defectum illâ non utatur.

Secundò, ſi *pubertatis* annos non attingit, ut maſculus ante annum decimum quartum, fœmina ante duodecimum: qui etſi ratione utantur, non tamen ſolidâ & ſufficienti. Undè jure communi cautum eſt, ut eorum donationes non ſubſiſtant. Quia vel de defectu rationis ſufficientis, vel de inductione & fraude eſt ſuſpicio.

Tertiò, prodigus, qui à magiſtratu curatorem accepit. Cùm enim Magiſtratus ſubditorum ſit pater, ipſius mandatum in ſupplementum paternæ poteſtatis tranſit, & prodigus Magiſtratui tamquam patriæ poteſtati ſubditur, ita ut tamquam impotens & minorennis adminiſtrationem non habeat, ſicut nec filius-familias quamdiu ſub poteſtate paterna eſt.

Quartò, filius-familias poſt pubertatis annos, exceptis bonis Caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus nil abſque parentis aſſenſu dare poteſt.

Quartò, juxta morem regionis & patriæ *minorennis*, qui quantumvis ſuorum bonorum dominus ſit, abſque conſenſu tamen curatoris nil dare poteſt, niſi fortè juxta morem ordinarium eorum, qui ejuſdem conditionis ſunt, ex interpretatione communis uſus rerum-publicarum & regionum.

Sextò, Vxor nil poteſt dare validè abſque mariti conſenſu, niſi, ut aliàs diximus, in eleëmoſynas ordinarias, & donaria quæ ſui ſtatûs & conditionis mulieribus maritatis communi uſu inter probos & morigeros conjugatos congrua reputantur: (excipe tamen bona paraphernalia, de quibus ſemper liberè diſponere poteſt) non enim, ut dixi, arctandæ ſunt ut ancillæ & minorennes, ſed ut collaterales rei domeſticæ adminiſtratrices, & matres-familias, modò rationem benè inſtitutæ œconomiæ domeſticæ, & rei familiaris proventus ordi-

narios in donationibus juxta morem communem non excedant.

Septimò, Superiores Regularium ultra communem uſum proborum & eleëmoſynas congruas nil dare poſſunt: quia bonorum monaſterii non Domini, ſed diſpenſatores & adminiſtratores ſunt, & juxta fundatorum intentiones ac fundationum qualitates, ita ſibi & monaſterio providere debent, ut tamen in eleëmoſynas & opitulationes quas pauperibus debent, reliquum providè impendant.

Octavò, Subditi Regulares nil dare poſſunt ſine expreſſo vel tacito conſenſu Superiorum.

QUÆSTIO II.

Quæ injuſtitia in donationibus committantur, & an recipientes, ad reſtitutionem teneantur?

ADvertendum. Multos prohiberi donare, & multa ab impotentibus dari, quæ tamen, ubi data ſunt ab eis non requiruntur, nec recipientes obligantur ad reſtitutionem: Igitur juxta ea quæ ſuperiori quæſtione de non potentibus dare ſunt dicta, hic pono Concluſiones pro accipientibus.

CONCLUSIO I.

Accipiens aliquid dono ratione non utentis, tenetur ad reſtitutionem.

QVicumque aliquid accipit ab eo, qui ob defectum uſus rationis non poteſt dare, injuſtè poſſidet, & tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt: quia donatio eſt actus rationis, undè qui ratione non utitur, donationem facere non poteſt: ſine titulo ergo accipit, & ſuâ auctoritate alienum accipere convincitur, quando in ſubſtantia ſua donatio non ſubſiſtit, ſed eſt mera rei alienæ acceptio.

CONCLUSIO II.

Accipiens donum ab impubere, tenetur ad reſtitutionem.

QVicumque ab impuberibus aliquid alicujus momenti donatione accipit, injuſtè accipit, & niſi interveniat conſenſus parentum vel tutorum, ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt: quia impubes jure declaratus eſt rationis ſive judicii ſufficientis impos ad donationes rerum alicujus momenti, quia de facto iis, & earum congruentia dijudicare non poteſt. Undè quoad ſubſtantiam donationis veræ, ob ſuſpicionem fraudis in extorquentibus vel defectus rationis impuberum, juſtè judicatum eſt publicâ auctoritate donationes hujuſmodi non ſubſiſtere. Dixi nihilominus (*aliquid alicujus momenti*) quæ enim parvi momenti ſunt, iſta juxta communem puerorum conditionem permittuntur, & validè donari cenſentur, quia etſi non ſit in illis ſufficiens judicium de re magna, indulgetur tamen pueritiæ proportionalis quædam donatio rerum, quæ communi æſtimatione minoris momenti reputantur.

CONCLUSIO III.

Quid de recipiente donum à prodigo.

QVi accipit res alicujus momenti à prodigo, ſub curatore à magiſtratu poſito, quando id ſcit & novit, peccat mortaliter, non tenetur tamen ad reſtitutionem, niſi repetatur. Ratio eſt: quia reductio prodigi ad curatores per Magiſtratus tantùm intendit diſſipationem bonorum impedire, non autem omnimodam diſpoſitionem: undè etſi prodigus donans illicitè donet, non tamen omninò invalidè. Si autem res non repetatur, tunc videtur quoad valorem & effectum donatio ſtabiliri, etſi licita non fuerit; ita, ut non tantùm donans donando, ſed & recipiens (niſi materiæ levitas vel ignorantia excuſet) mortaliter peccaverit acceptando: quia rei malæ, id eſt, prodigalitati hominis publicè declarati ſcienter cooperatus eſt.

CONCLUSIO IV.

Quid de recipiente donum à filio familias.

QVi à filio familias aliquid alicujus momenti, præterquam de bonis caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus donatione recipit, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, niſi de conſenſu tacito vel interpretativo patris conſtet. Ratio eſt: quia id quod donat filius-familias, extra bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia, non eſt ejus, ſed alienum eſt. Undè requiritur conſenſus tacitus vel expreſſus patris, qui eſt dominus bonorum non tantùm ut donatio ſit licita, ſed etiam ut ſit valida. An autem parentes conſentiant, ex ratione rei & circumſtantiis facilè judicari poteſt. Sæpè enim (ut dixi ſuperiùs) modus magis diſplicet quàm res, & quamvis donatio diſpliceat, illam tamen parentes ratam habent: unde ſi ſciant donationem factam & non repetant, cenſentur conſentire.

CONCLUSIO V.

Quid de recipiente donum à minorenni.

MInorennes juxta ætatem in regionibus conſtitutam ſi aliquid alicujus momenti dant, donatio cenſetur valida, etſi eam tutor revocare poſſit, nec qui accipit ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt: quia verè bonorum ſuorum eſt dominus, nec ulli injuriam facit: Et quamvis bonorum adminiſtratio ſit penes tutorem, id tamen tantùm fit ad evitandam prodigalitatem, & profuſionem nimiam, & tota adminiſtratio eſt in utilitatem pupilli vel minorennis, unde nemini fit injuria.

Dixi autem (*tutorem revocare poſſe donationē*) quia etſi minorennis ſit dominus bonorum, adminiſtrationem tamen non habet, ſed tota adminiſtratio eſt penes tutorem, ita ut ſecundùm jura abſque conſenſu tutoris date non poſſit, ideoque tutor in judicio repetere poterit.

CONCLUSIO VI.

Quid de donationibus uxoris.

QVidquid uxor dat, præter paraphernalia, extra rationem obligationis & utilitatis aut neceſſitatis familiæ, vel præter uſum communem fœminarum ſuæ ſortis, invalidè & illicitè donat, & ex dote vel parte quæ ſibi contingeret mortuo marito, vel aliundè, tenetur ipſa ad compenſationem. Unde qui ſcienter aliquid ex illis ab uxore invito marito recipit, rem ſuam non facit; ſed ſi uxor ex ſuis utpote paraphernalibus vel lucris ſingularibus non compenſat, accipiens tenetur reſti-

Nota.

reſtituere vel compenſare. Porrò in his omnibus, quando non conſtat de injuſta donatione, ſemper præſumendum eſt de conſenſu mariti, vel ex bonis ſuis paraphernalibus fieri donationes, niſi ſint profuſæ ultra communem rationem rei familiaris, quia uxor bonorum communium eſt etiam domina, etſi dependens. Adverte tamen uxorem parentibus in neceſſitate conſtitutis, imò & aliis in extrema neceſſitate, ex bonis communibus poſſe ſubvenire: quia hoc præceptum charitatis poſtulat, & maritus in caſibus illis habetur irrationabiliter & injuſtè nolens, niſi ſimilis neceſſitas ipſi immineret.

CONCLUSIO VII.

P*Arentes & alij, qui à Superioribus Regularibus profuſè, ultra modum eleemoſynarum quas Superior dare poteſt aliqua recipiunt, tenentur ad reſtitutionem.* Ratio eſt: quia Superior regularis bonorum communium diſpenſator & adminiſtrator eſt, non Dominus, & talis donatio non tantùm illicita eſt, ſed etiam invalida. Dixi (*ultra modum eleemoſynarum, &c.*) Poteſt enim Abbas eleëmoſynas, quas dare poteſt, ordine charitatis, ad parentes indigentes contrahere, ut ampliores accipiant. Imò in gravi & extrema neceſſitate poteſt etiam de bonis monaſterii, quatenùs abſque gravi damno illius fieri poteſt, etiam ampliores eleëmoſynas elargiri: Non poteſt tamen ne quidem de eleëmoſynario parentes ditare, vel ad ſuperfluitatem illis providere.

CONCLUSIO VIII.

Q*Vi à Religioſo ſubdito quem ſcit abſque Superiorum conſenſu dare, aliquam rem alicujus momenti accipit, invalidè accipit, & tenetur ad reſtitutionem.* Ratio eſt: quia religioſus nil habet proprii. Dixi (*aliquam rem alicujus momenti*) de rebus enim parvi valoris, maximè intuitu pietatis, communiter tacitus Superiorum conſenſus ſupponitur. Et in noſtro Ordine Minorum in declaratione Regulæ quæ incipit: *Exiit qui ſeminat art. 6.* Pontifex hanc facultatem datam declarat, quam tamen limitandam ad arbitriũ Superioris relinquit, cujus conſenſus expectatur, ut legitimè fiat.

Dubium incidentale.

An donationes conjugum inter ſe tempore conjugij validæ ſint?

R*Eſpondeo primò*: Circumſcriptis Decretis particularibus, donationes illas valere jure naturæ & gentium. *Ratio eſt*: quia, ut ſupponitur, ſuarum rerum ſunt domini, & ſi non impediantur, poſſunt pro ſua voluntate de illis diſponere.

Nota. *Reſpondeo ſecundò*, Donationes inter vivos factæ per conjuges tempore matrimonii jure communi ſunt invalidæ, etiam in foro conſcientiæ, ideoque reſcindi debent, aut reſtitutione juſtâ compenſari, ſumitur ex *l. 32. Cùm hic ſtatus lib. 24. ff. de donat. inter virum & uxorem*, &c. *Finali eodem titulo*. Hujus legis ratio fuit, ne mutuo amore & ſolicitatione ac importunitatibus ſe invicem conjuges ſpoliarent, in grave damnum hæredum.

Dixi autem hujuſmodi donationes in foro conſcientiæ invalidas eſſe, ratione nimiùm injuriæ, quæ ex iſtis naſci ſolet, non ſolùm contra particulare bonum perſonarum, ſed etiam contra bonum commune Reipublicæ: undè etſi jure naturæ ratione dominii donatio in ſe eſſet valida; ex fundamentis tamen ejuſdem juris impeditur, quia bonum commune Reipublicæ & ejus conſervatio juri particulari præponi debet. Nota.

Dixi (*donationes inter vivos*) ſi enim ſint donationes causâ mortis, tunc legati naturam ſortiuntur, & valere poſſunt juxta rationem jurium in legatis.

Dixi etiam (*donationes*) quia contractus venditionis, emptionis, mutui, compenſationis inter conjuges non prohibentur.

QUÆSTIO III.

Quid ſit legatum, & qualiter injuſtitia in legatis obrepat?

CONCLUSIO I.

L*Egatum eſt quod à legante per teſtamentum, codicillum, aut donationem causâ mortis præter hæreditatem relinquitur.* *Diffinitio Legati.*

Dixi (*præter hæreditatem*) in hoc enim legatum ab hæreditate diſtinguitur, quòd hæreditas lineam ſanguinis, aut inſtitutionem ſingularem per modum ſucceſſionis ſequatur, etiam interdùm ab inteſtato: Legatum autem ſingulariter de quibuſcumque & in quoſcumque per modum donationis causâ mortis, ultra & extra hæreditatem, fieri poſſit, niſi jura prohibeant.

CONCLUSIO II.

L*Egatum ſequitur naturam donationis, niſi quòd fiat causâ mortis, & non niſi poſt mortem legantis valeat, ſupponatq; legatarium, id eſt eum, cui legatum ſit, ſupervivere, ut legato frui poſſit: neq; legatum ad hæredes legatarij tranſit, niſi exprimatur.* *Legatum eſt ſpecies donationis.*

Ex quo infero: omnes injuſtitias, quæ in donationibus invalidis vel illicitis intervenire ſolent, ſimili proportione intervenire in legatis, utpotè, ſi res legata non ſit donantis, ſi alteri obligata eſt pacto, promiſſione, fideicommiſſo, donatione: ſi legatarius, ſive is cui ſit legatum, recipere non poſſit: ſi legans dare non poſſit juxta omnes conditiones *quæſt. 1, concl. 2* relatas. Nota.

Huc ferè pertinent & referuntur omnes injuſtitiæ, quæ in teſtamentis occurrunt: In iis enim quæ teſtamento relinquuntur, vel legantur, ſive ſit hæreditas, ſive legatum ſingulare, *Injuſtitia in teſtamentis.*

 inju-

injuſtitia tota provenit ex his capitibus : aut quia res fuit teſtatoris: aut non in ejus poteſtate, quia alteri obligata : aut quòd lege impediretur teſtari : aut quòd modus legibus præſcriptus ſervatus non ſit , ſuper quibus Juriſperiti conſulendi ſunt: quia modò in his tot ferè conſuetudines & leges , quot patriæ & regiones ; & quæ Canoniſtæ de ſeptem teſtibus, de conſtituendo hærede, de teſtamentis in cauſas pias & de alijs conditionibus dicunt , modò partim exoleverunt , partim in tantam controverſiam abierunt, ut non poſſit dari de ijs certa ſententia. Idcircò à propoſito abſtineo.

TITVLVS IV.

De Labore & Induſtria in acquiſitione bonorum temporalium, & de injuſtitijs in illis occurrentibus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit labor prout ordinatur ad acquiſitionem bonorum temporalium?

CONCLUSIO UNICA.

Definitio laboris LAbor in hac materia eſt fatigatio , vel functio aliqua corporis vel animi cum ordine ad fructum , vel ex pacto ad aliquam mercedem. De hoc labore Apoſtolus Actor. 20. *Argentum* (ait) *& aurum, aut veſtem nullius concupivi ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea , quæ mihi opus erant , & his qui mecum ſunt , miniſtraverunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.*

Actor 20. v. 33. 34. 35. 1. ad Corinth. 4. *Laboramus* (ait) *operantes manibus noſtris.* 2. ad Theſſal. 3. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione nocte & die operantes , ne quem veſtrum gravaremus.* Et de laboribus Patriarcharum paſſim Scriptura multa commemorat.

1 Cor. 4. v. 12. 2. Theſſ. 3. verſ. 8.

Duplex labor. Dixi (*corporis vel animi*) non enim animus minùs , quam corpus laborat & fatigatur. Undè duplex eſt labor : alter *Corporis*, ſive corporalis alter *Spiritûs*, ſive ſpiritualis , qui & ſimul frequenter conveniunt, ut tam ſpiritus, quàm corpus laboret. De *labore corporis* nil magis commune : *Homo* enim (teſte Iobo) *naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* De *labore ſpiritûs* Eccleſ. 1. *Dedique* (inquit) *cor meum ut ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam, & agnovi quod in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus , eò quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, addit & laborem.* De quibus omnibus vide capita ſequentia 2. 3. & 4.

Iob 5. v. 7. Eccleſ. 1. verſ. 17. Verſ. 18.

Duplex finis laboris. Dixi (*cum ordine ad fructum, vel ex pacto ad aliquam mercedem*) Hi enim ſunt duo fines laboris humani. *Primus* , Ut quis ſibi ſuiſque fructificet, quandò pro ſe , vel in gratiam ſuæ familiæ ſine reſpectu ad alterum laborat. *Secundus* , Ut ex pacto inito mercedem ſui laboris accipiat.

QUÆSTIO II.

An in labore & induſtria injuſtitia committi poſſit?

LAbor & induſtria dupliciter conſiderari poteſt. *Primò* , Ut reſpicit laborantem vel propriam ejus familiam abſque obligatione ad alium. Talis eſt labor , quo quis proprium agrum colit , proprias veſtes ſibi & ſuæ familiæ conficit , generaliter, quo ſibi ſuiſque laborat. *Secundo* , Ut reſpicit proximum ſive perſonam aliam, ut jam immediate non ſibi, ſed in utilitatem alterius laboret , & ſuam induſtriam impendat : ut ſi quis alienum agrum colat, veſtes alteri conficiat , ſive quovis modo in alterius emolumentum vel obſequium, cui nullo titulo tenetur, operam ſuam impendat. *Duplex reſpectus laboris.*

Rurſus: Labor & induſtria, prout alterum reſpicit, dupliciter conſiderari poteſt. Primò, aut enim ſolam meã operam & induſtriam ex pacto ſive quadam elocatione alteri impendo, & velut in alieno laboro: ut de ijs conſtat, qui ad excolendam vineam patrisfamilias conducebantur. Aut impendo operam & induſtriam in aliqua materia à me comparata, ut & operam, & operis materiam vendam ac diſtraham, ut ex illarum pretio mihi bona conquiram. Hoc modo agricola non pro ſe agrum colit & ſeminat, ſed pro alijs , quibus triticum ſuum vendet. hoc modo artifices emunt pannum , corium , ferrum, ut alijs veſtes , calceos , & vaſa ferrea conficiant ac vendant. His ſic prænotatis, ſit : *Dupliciter quis laborat in ordine ad alterum. Matth. 20.*

CONCLUSIO I.

LAbor & induſtria ut propriam perſonam & familiam reſpicit , per ſe opus innocens eſt, & injuſtitiam non admittit. Ratio eſt : Quia omninò voluntati operantis ſubjacet, nec, ut dictum eſt, obligationem ad alium admittit, quæ eſt injuſtitiæ fundamentum. Undè benè Pſaltes Pſal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis , beatus es , & benè tibi erit.* Hinc & labores Patriarcharum in Scriptura commendantur , qui alij non erant , quam in agricultura & pecoribus educandis. Et Geneſ. 4. Cain deſcribitur agricola , & Abel paſtor ovium , ut oſtendat Scriptura , quòd à labore & arte peccatum non proceſſit, ſed ab animi malitia. Et Geneſ. 31. Jacob volens ſe juſtificare apud Laban : *Laborem* (ait) *manuum mearum reſpexit Deus.* *Labor innocens. Pſal. 127. verſ. 2. Geneſ. 31. verſ. 42.*

Dixi (*per ſe*) per accidens enim injuſtitia provenire poteſt , ut ſi quis ſibi in alieno agro invito Domino laboret , & fructus ſuos injuſtè faciat.

CONCLUSIO II.

IN mero labore & induſtria ad alterum ex pacto multiplex injuſtitia contingere poteſt, ſive ex parte operantis in alieno, ſive ex parte ejus , pro quo operatur , de quibus ne ſim longior , catalogum texo. *Labor patens injuſtis.*

Injuſti-

Iniuſtitiæ ex parte operantis ex pacto ſive opera elocata, & mercede conducta.

Operariorum injuſtitia.

PRimò, Si opetatius exceſſivum pretium pto ſuo labore poſtulet, ultrà vel taxatum jure, vel ordinarium, quod hujuſmodi operæ & induſtriæ correſpondet. *Advertendum* tamen eſt, operas & induſtrias nonnullas eſſe, quæ ordinarium pretium non habent, ſed æſtimationem variam ſequuntur juxtà raritatem, ſubtilitatem, & ingenij ac artis ſublimitatem, ut de picturis, ſculpturis, & alijs artificioſis operibus conſtat, quæ idcircò tanti pretij ſunt, quanti æſtimantur.

Secundò, Si laborem & operam condictam & neceſſariam nonadhibeat.

Tertiò, Si in tempore condicto vel requiſito deficiat, ità ut grave damnum ei, qui operam conduxit, ex hoc proveniat: quomodò peccat agricola vel hortulanus conductitius, qui tempore debito non arat, non ſeminat, non plantat, non metit, &c.

Quartò, Si induſtriam vel fidelitatem requiſitam ex pacto non adhibuit, ut res debitè fieret.

Quintò, Si res vel materia, quam elaborandam ſuſcepit, ipſius negligentiâ deterior fiat & pereat. In his omnibus injuſtitia committitur, & juxtà rationem damni & infidelitatis peccat operatius mortaliter, vel venialiter. *Ratio* eſt: quia qui operam ſuam ex pacto alicui addicit, tenetur ad omnes conditiones pacti, & rationem operis, ut benè fiat.

De operibus Animi, ſeu Ingenij.

EOdem modo commenſurandæ ſunt operæ ſpirituales conductitiæ *Ex. g.* advocatorum & aliorum, qui ſtudia & liberales artes ſui ingenij velut ex condicto & virtuali pacto elocant.

Peccata advocatorum.

Advocatus enim peccat, *Primò*, Si ſtipendia ſui operis & ingenij ultrà taxam curiæ recipit, aut plures operas, quàm impenderit, computat.

Secundò, Si injuſtam cauſam ſcienter defendit, ex hoc enim partem adverſariam injuriâ afficit, imò & partem, quæ illum impendit, quæ ſi ſciret cauſam eſſe injuſtam, fortè ceſſaret à proſecutione litis.

Tertiò, Si negligens ſit in adhibendo debito labore & ſtudio; in conſultando: uti & procurator in ſolicitatione.

Quartò, Si tempore oportuno defenſiones, reſponſiones & articulos deſideratus non curat exhibere.

Quintò, Si ab adverſaria parte permittat ſe corrumpi muneribus, pecuniâ, &c. Eædem ferè conſiderationes veniunt ſuper perſona judicis, qui non adhibet laborem, ſtudium, conſultationes debitas ad cognoſcendam juſtitiam cauſæ: tenetur enim ad omnia illa ex pacto virtuali juſtitiæ cum Principe vel Republica in acceptione officij inito. Similia etiam contingunt in procuratore. *Item*, Huc referendæ ſunt operæ paſtorum quoad ea, ad quæ ex juſtitia tenentur ſuis ovibus ratione officij & mercedis. Huc etiam refer operas medicorum.

Peccata paſtorum & medicorum.

In omnibus porrò, ut dixi, æſtimandus eſt & defectus ex parte operantis, & damnum, quod alteri (cui ex pacto quis obligatur vel ex condicto operis) ſuâ negligentiâ provenit.

Injuſtitia ex parte paciſcentis cum operarijs, ſive ex operariorum mercede defraudata.

Operariorum merces defraudata.

GRaviſſimum peccatum, quod inter peccata in cælum clamantia refertur, eſt *Merces operariorum defraudata*. Jacob. 5. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Et Tobias c. 4. monet filium ſuum: *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.* *Item*: Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te uſque manè.* Et Deut. 24. *Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui ſive advena*, &c. *Sed eâdem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, ex eo ſuſtentat animam ſuam: nè clamet contrà te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

Iacob. 5. verſ. 4. *Tob 4. v. 15.* *Levit. 19. verſ. 13.* *Deut 24. verſ. 14. Verſ. 15.*

Ex quibus patet variè operatiorum mercedem poſſe defraudari. Primò, Omninò illam negando. Secundò, Illam diminuendo, vel injuſtè immutando: de quo conqueritur Jacob contrà Laban Geneſ. 31. *Immutâſti quoque* (inquit) *mercedem meam decem vicibus*. Tertiò, Cum gravi damno operarij illâ differendo, utpotè, quia pauper eſt, & mercede ſuâ indiget ad quotidianum victum & ſuſtentationem ſui & ſuæ familiæ, Undè ſæpè præ inopia tabeſcunt. Quartò, Injuſtè operarios opprimendo, cogendo illos laborare ferè pro nihilo, aut pro inæquali, aut multùm diminuto pretio, quod tamen pauperes operarij coguntur acceptare, nè vacent ab opere, quia non habent alios, qui illos in loco illo impendant. Et in his ſummæ injuſtitiæ fiunt, dùm potentes illi mercatores cariſſimè, quæ ex operibus mercenariorum proveniunt, divendunt, & pro fruſto panis (ut dicitur) pauperum operas conducunt. Undè ſanguine & ſudore pauperum diteſcunt, ſeque mille injuſtitijs intricant: & interim de his omnibus conſcientiam non faciunt, nec ſe accuſant.

Geneſ 31. verſ. 41.

Operum ſpiritualium merces defraudata.

Huc referri debent injuſtitiæ, quæ committuntur in obſequijs & operibus ſpiritualibus, eorumque mercede. *Ex. g.* Dives præbendarius per pauperes Sacellanos ſibi deſerviri facit in ſuis præbendis, ità ut Sacellanus ſuſtineat totum pondus operis & ſervitij, ad quod præbendarius tenetur; interim cùm ex præbenda recipiat mille, vix paucos obolos dat pauperculo Sacellano, ut congruam Sacerdoti vitam degat honeſto alimento vel veſtimento.

TITVLVS V.

De Mercatura, ſeu Negotiatione, ejuſque ſpeciebus, ac injuſtitijs in illa committi ſolitis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Mercatura & Negotiatio, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Definitio Mercaturæ.

MErcatura ſive negotiatio ſic deſcribi poteſt: *Contractus juſtitiæ, quo Dominium vel uſus alicujus rei, vel quaſi rei, ex pacto transfertur in alterum, ad aliquam commoditatem ſive utilitatem contrahentium vel Reipublicæ & communitatis.*

Dicitur (*Contractus juſtitiæ*) In omni enim mercatura aut negotiatione legitima partes ad invicem paciſcuntur, & correlativè contractant. Contractionis autem ſive contractûs fundamentum eſt aliqua juſtitia, vel naturalis, vel civilis, ſive politica naturalibus juſtitiæ principijs innixa.

Dicitur (*quo dominium vel uſus rei, vel quaſi rei ex pacto transfertur in alterum*) In his enim diverſæ ſpecies contractuum deſignantur: nam in quibuſdam transfertur dominium, ut in venditione, emptione & permutatione. In alijs uſus tantùm, ut in commodato & elocatione, in alijs res ipſa. In nonnullis ſolùm quaſi res, utpotè *Ius* quoddam vel præeminentia, cui nulla ſubeſt realitas.

Dicitur autem (*ex pacto*) ad excludendam meram donationem, quæ non pertinet ad mercaturam vel negotiationem.

Dicitur (*ad aliquam commoditatem contrahentium, vel Reipublicæ & communitatis*) In hoc enim fundatur legitima lucri receptio, & tota juſtitia & honeſtas mercaturæ & negotiationis.

CONCLUSIO II.

Species mercaturæ.

VAria ſunt ſpecies Mercaturæ ſeu negotiationis, quas ex propoſita diffinitione ſic diſtribuimus. Aut enim per contractum mediante pecuniâ res ipſa in ſe transfertur, & eſt *Emptio & Venditio:* Aut res pro re transfertur, & eſt *Permutatio:* Aut dominium rei, res & uſus transfertur mediantibus obligationibus nonnullis appoſitis, vel ſecundùm tempora modificatis, & eſt *Cenſus* vel *Emphyteuſis*. In cenſu enim & emphyteuſi etſi transferatur dominium rei & res ipſa ac uſus: remanet tamen ſemper obligatio aliquid pendendi & reſtituendi ad menſes, annos, & certa tempora, prout in contractu cenſuali fuerit explicatum. Aut uſus tantùm rei transfertur, & eſt *Elocatio, Mutuum, Impignoratio*, aut id genus.

Denique vel contractus fit inter duos reſpectivè transferentes vel recipientes dominium vel uſum rei: vel inter plures, quaſi unam perſonam ex alterutra parte conſtituentes. Si inter duos tantùm, ratio nominis non mutatur: ſi inter plures communi conſenſu aggregatos, vocatur *Societas*.

Ex his variarum ſpecierum mercaturæ & negotiationis catalogum pono: quæ ſunt octo, ſcilicet: *Emptio & Venditio, Permutatio, Cenſus, Emphyteuſis, Elocatio, Mutuum, Impignoratio, Contractus ſocietatis.*

QUÆSTIO II.

An Mercatura ſive negotiatio licitè & honeſtè exerceri poſſit?

ILlicitam eſſe mercaturam viſus eſt aſſerere S. Chryſoſt. *homil.* 38. in c. 21. *Matth.* exponens illa verba: *Et ejiciebat vendentes & ementes de templo*: *Significans* (inquit) *quia homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere, & ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator*, &c. Undè & Apoc. 13. beſtia ſecunda, quæ habebat duo cornua, ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco, *Faciet, nè quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.*

S. Chryſ. hom. 38. in Matth. 21.

Apoc 13. v. 16. 17.

CONCLUSIO UNICA.

MErcatura & negotiatio per ſe abſque culpa & injuſtitia exerceri poteſt, imò neceſſariò exercetur pro conſervatione vitæ & ſocietatis humanæ. Hanc Concluſionem benè deducit S. Chryſoſt. *homil in* 1. *ad Corinth.* ubi oſtendit: Deum hoc vinculo voluiſſe homines ad invicem colligare, ut unus alterius indigeret adminiculo, & una regio aliquibus gauderet, quibus altera indiget, & econtrà, ut ſic per mutuam negotiationem ſibi invicem ſuccurrentes ſocietate & affectu invicem jungerentur. Si enim agricola pro ſeipſo tantùm ſeminaret, quomodò cæteri viverent? Si ovium paſtor ſibi tantùm ab ove lac, lanam, carnem acciperet, undè alij nutrirentur, & veſtem ſibi compararent? Hæc eſt igitur ratio mercaturæ & negotiationis, ut ſibi invicem homines neceſſaria ſubminiſtrent, & ſuis negotiationibus ſimul convivant. Undè & in principio, cùm pecunia necdùm adinventa eſſet, res pro re, ſive ſpecies una pro altera commutabatur: ſupervenientibus verò difficultatibus, ut notat Plinius *Lib* 33. *Nat. hiſtor.* nobiliſſima metalla, *aurum* ſcilicet & *argentum* fuerunt adinventa tanquàm negotiationis inſtrumenta. Undè primas negotiationes clariſſimi viri exercuerunt, & Regibus chari fuerunt, de quibus Iſaias c. 23. ad Tyrum ſermonem dirigens *Cujus* (inquit) *negotiatores Principes, inſtitores ejus inclyti terræ.*

Iſai 23. verſ. 8.

Dixi (*per ſe*) id eſt ex natura ſua: Quòd enim mercatura & negotiatio facta ſit mala, id avaritiæ & malitiæ hominum imputandum eſt, quæ fraudibus, dolis, uſuris, injuſtitijs illam deturpavit. Et hoc modo intelligendæ ſunt Scripturæ, quæ mercaturam damnare videntur, ut eſt illa Eccleſiaſtici 26, *Duæ ſpecies difficiles*

Eccli. 26. verſ. 28.

ciles & periculoſæ mihi apparuerunt: Difficilè exuitur negotians à negligentia (nimirùm ſalutis) *& non juſtificabitur canpo à peccatu laborum.* Et planiſſimè Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

2. Tim. 6. v. 9.

Verſ. 10.

Juſtitia negotiationis in tribus fundatur.

Petes: Cùm quis negotiatione intendat lucrum, in quo conſiſtat negotiationis juſtitia? *Reſpondeo*, lucrum mercaturæ & negotiationis potiſſimùm fundari in tribus. Primò, in valore rei, quæ eſt negotiationis materia. Secundò, in opere, labore & induſtria ejus, qui res conquirit, diſponit, & neceſſitatibus humanis adaptat. Tertiò, in commoditate, quam Reipublicæ vel hominibus indè parat: quibus pericula, quæ in iſtis omnibus ſubit, jungenda ſunt, quorum laborum & operum ratione dignus eſt operarius mercede ſuâ. Unde mercator ſibi ſuæque familiæ alendæ, conſervandæ & multiplicandæ neceſſaria juſtè conquirit, juxta rationem valoris rerum, operis & utilitatis alienæ, & totius Reipublicæ. nec eſt tam parva negotiatio, ex qua commodum non percipiat Reſpublica, vel aliquod ejus membrum. Quæ omnia in decurſu patebunt, ſingulariter enim omnes mercaturæ & negotiationis ſpecies explicandæ ſunt, quod pro Lectorum commoditate per Sectiones faciemus.

SECTIO I.

De venditione & emptione, ac injuſtitiis in illa contingentibus.

Dubium 1.

Quid ſit venditio & emptio?

Reſolutio.

Definitio venditionis & emptionis.

VEnditio: *eſt contractus, per quem fit tranſlatio dominii alicujus rei vel juris de una perſona ad alteram, mediante pretio legitimo.* Et conſequenter: *emptio*: eſt *contractus receptionis dominii alicujus rei vel juris ab altero, dato pretio legitimo.* Partes diffinitionis ſatis conſtant: *Contractus* enim eſt genus diffiniti: *Tranſlatio dominii* excludit commodatum, depoſitum, elocationem, &c. Quod dicitur (*rei vel juris*) eſt, quia dominia non ſunt tantùm rerum, ſed etiam juriſdictionum. Dicitur autem (*mediante pretio legitimo*) quia propriè venditiones & emptiones fiunt pecuniâ mediante.

Diviſiones pretii legitimi.

Porrò *legitimum pretium* duplex eſt: Aliud enim quod eſt *jure taxatum*: aliud, quod *prudenti æſtimatione* hominum expertorum determinatur. Et hoc quidem iterùm eſt triplex: Aliud, *vulgare*: quod nimirùm vulgari & communi æſtimatione circumfertur: Aliud: *extraordinarium*: quod accrementum & decrementum ſumit juxta circumſtantias, utpotè, raritatem, abundantiam mercium, expenſas graviores vel minores, & pericula in rebus comparandis, annonæ caritatem, &c. Aliud *ſingulare*: quod eſt rei ſingularis, cujus æſtimatio ab hominum opinione pendet, ut eſt gemmatum, picturarum, avium, canum, &c. quæ ſingulari æſtimatione & opinione hominum venduntur & emuntur.

Pretii vulgaris tres gradus.

Rursùs, Pretium vulgare & extraordinarium ſuos gradus habet: Eſt enim *ſummum, medium*, & *infimum. Summum* eſt, ultra quod, omnibus conſideratis circumſtantiis, res vendi non poteſt abſque injuſto lucro; *Medium* eſt, quod attentâ rei & circumſtantiarum conſideratione medioctitatem ſervat, ita ut emens non lædatur, & interim rationabile & mediocre lucrum intra limites juſtitiæ vendenti cedat. *Infimum* eſt, ſub quo abſque vendentis damno deſcendi non poteſt. Hæc autem omnia prudenti & juſto mercatorum conſilio relinquuntur.

Dubium 2.

Quæ injuſtitiæ in contractibus venditionis & emptionis occurrant?

Quatuor in venditione & emptione concurrunt.

ADvertendum: Quatuor in contractu correlativo venditionis & emptionis intercedere, nimirùm: vendentem, ementem, rem quæ venditur & emitur, ac pretium quo venditur & emitur: ſecundùm hæc quatuor injuſtitiæ committi ſolent.

Reſolutio 1.

Injuſtitia reſpectu rei quæ venditur.

R*Eſpectu rei quæ venditur, injuſtitiæ ſequentes committuntur.* Primò, ſi res defectuoſa & in ſua qualitate diminuta vendatur pro re integra, & in ſua qualitate perfecta: maximè ſi defectus intuenti non appareat, vel apparere non poſſit, eò quòd ipſe qualitatis rei ſit ignarus: tenetur enim ille qui vendit rei defectum aperire. Undè monet Apoſtolus 1. Theſſ. 4. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus.* 1. Theſſ. 4. v. 6.

Secundò, ſi emptore explicante finem ſuæ emptionis, illi vendis rem quam ſcis omninò ineptam ad illum finem, ad quem vult illam emere.

Tertiò, ſi venditor vendat rem non ſuam.

Quartò, ſi vendit rem jure prohibitam, vel ementi damnoſam, emptore ignorante, ut faciunt pharmacopolæ, quid pro quo, vel pharmaca adulterina miſcentes præter conſilium & judicium medicorum.

Quintò, ſi vendit rem non vendibilem, ut rem ſpiritualem vel ſpirituali annexam. Eſt enim Simonia de qua alias.

Reſolutio 2.

Injuſtitia reſpectu pretii.

R*Eſpectu pretii injuſtitiæ committuntur:*
1. Si taxatum jure pretium exceditur.

2. Si

2. Si vulgare nullâ datâ juſtâ causâ.

3. Si extraordinarium, ſummum, ſive in ſupremo gradu.

4. Si ſingulare ultra hominum opinionem.

Exceptiones.

Excipiuntur ſequentes *caſus*: *primò*, ſi rem vendo mihi utilem & ferè neceſſariam, quâ reverà non libenter, & ſine aliqua mea incommoditate & damno non careo: poſſum enim tunc excedere pretium quodcumque ex aſſignatis, damno meo vel incommoditate rationabiliter computatâ, prudenti & juſtâ æſtimatione; maximè ſi meum damnum, & incommoditatem aperio emptori.

Secundò, ſi debeo & cogor emptori vendere, qui dilatione ſolutionis me damno gravi afficiet, ſive ratione lucri reverà ceſſantis, ſive damni realiter emergentis, utpotè quia ad multos annos non ſolvet, vel non niſi multo meo incommodo & longâ proſecutione ſolutionis. Dixi tamen (*ſi debeo & cogor*) ut ſi eſt perſona potens, vel Magiſtratus, qui me damno aliquo afficere poteſt, ſi non vendo: ſi enim non debeo nec cogor, melius eſt non vendere, quam ſe periculo injuſtitiæ exponere.

Reſolutio 3.

Injuſtitia ex parte vendentis.

EX *parte vendentis injuſtitia committitur.*

Primò, ſi mendaciis pernicioſis perſuadeat rem eſſe bonam & integram, quæ mala eſt, aut pluris valere quàm valet,

Secundò, ſi perjurium addat: præterquam enim quòd pretium in venditione in his duobus caſibus excedatur: Mendacium pernicioſum & perjurium cauſat injuſtitiam, & duplex peccatum committitur.

Tertiò, Huc referenda ſunt Monopolia & pacta mercatorum, qui frumentum, vinum & alia impiè coacervant, nec vendere volunt, ut annonæ caritatem & neceſſitatem cauſantes vendant inordinato pretio ſuas merces, ex quadam coactione, ratione invaleſcentis penuriæ. Quos, ultra pretii injuſtitiam & exceſſum, ſummæ crudelitatis arguunt SS. Patres tamquam Reipublicæ proditores & perditores. Vide S. Gregorium Nazianzenum *Orat. in laudem Baſilii magni*, ubi de crudelitate eorum, qui tempore famis frumenta coacervant, ſic loquitur: *Obſervant* (ait) *tempus, & ut penuriam inducant, negotiantur, calamitatesq; pro agricultura exercent. Non enim audiunt ut Domino fœneretur qui miſeretur pauperum; Nec quòd frumentum ſuppreſſum populi ſit execratio: neque aliud quid quod promiſſum eſt humanioribus, aut inhumanioribus comminatum, ſed magis inſatiabiles ſunt quàm oportet, ac malè ſapiunt: quoniam populo ſua, ſibi verò Dei claudunt viſcera*, &c. *Et hæc faciunt frumentatores, & tritici negotiatores, nec cognatos venerantes, neque erga Deum grati, à quo ipſi habent cùm alij premuntur.* Hæc Nazianzenus, juxta interpretem meum. Aliæ enim verſiones alia verba habent, ſed eundem ſenſum. De his etiam S. Chryſoſt. Orat. in Kalendis habita. *Maledictus, qui rei frumentariæ caritatem auget.*

S. Greg. Nazianz. in laudem Baſilii magni ante med.

Alludens ad illud Proverb. 11. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium.* Vide etiam S. Hieronymum in illud Amos 8. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces: & ſabbatum & aperiemus frumentum, ut imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, & poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus.*

S. Chryſ. Orat. in Kalend. Proverb. 11. v. 26. S. Hieron. in Amos 8 v. 4. 5. Verſ. 6.

Quartò, ſi menſuram fraudulenter immutet, juxta illud Proverb. 20. *Pondus & pondus, menſura & menſura; utrumq; abominabile eſt apud Deũ.* Micheæ 6. *Nunquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa? in quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate*, &c.

Prov. 20. v. 10. Mich. 6. v. 11. 12.

Reſolutio 4.

Injuſtitia ex parte ementis.

EX *parte ementis injuſtitia committitur*,

Primò, ſi rem ſcienter multò minoris emit, ex eo enim quòd venditor illius pretium commune ignoret, cenſetur circumvenire, nulli autem fraus & dolus patrocinantur.

Secundò, ſi cogat venditorem ad vendendam rem minori pretio, *Ex. gr.* quia venditor illi debitor eſt, & premit eum ut ſolvat, nec vult merces illius accipere in ſolutionem, niſi diminuto injuſtè pretio. *Item*: ſi ſciat venditorem eſſe in gravi neceſſitate, à qua ut ſe ſublevet, cogitur merces vendere quovis modo.

Tertiò, Si ſimulet emptor ſe non indigere mercibus, ſciens quia nullus mercator alius illas emet, ut ſic cogatur venditor ad vendendum. Et infinitæ tales praxes ſunt, quibus mercatores divites pauperes opprimunt injuſto mercatu & emptione.

Quartò, Si fraude, deceptione, aut mendaciis venditorem circumveniat, ut merces ejus injuſto pretio habere poſſit, pro omnibus autem ſupradictis pono duas Regulas generales.

Regula 1.

O*Mnis injuſta læſio in re gravi in venditione & emptione, quovis reſpectu fiat, ſive ob exceſſum vel diminutionem pretij extra rationem juſtitiæ, ſive ob fallaciam vel deceptionem in re, ſive ex fraudulentia, vel circumventione vendentis aut ementis, eſt peccatum mortale.*

Regula 2.

O*Mne accrementum vel decrementum pretij rerum, quod non ſequitur reales & practicos terminos juſtitiæ in mercatura, iniquum eſt & injuſtum, non obſtantibus quibuſcumque ſpeculativis conſiderationibus de poſſibili.*

Termini reales mercaturæ.

Reales autem termini ſunt, Primò, officium mercatoris, quod ut publicæ utilitati deſerviat, conſervari debet ipſo fructu mercaturæ. Unde licet mercatori ex officio rem pluris vendere, quàm alteri, cui hoc officium

non incumbit: quia ſe & familiam ac mercaturam pro publico bono fovere debet.

Secundò, Conſiderari debet damnum rerum emergens & lucrum ceſſans.

Tertiò, Debet haberi ratio laborum, expenſarum, periculorum, quæ in rebus conquirendis, advehendis, conſervandis impenduntur aut concurrunt.

Quartò, Æſtimanda eſt penuria mercium, & copia emptorum, vel neceſſitas plurium, quibus ſatisfacere oportet.

Quintò, Attendendum eſt tempus, in quo alias merces ſuas venditor eſſet de facto conſervaturus ad ſuam utilitatem majorem: Econtra tempus, quo tenetur vendere, ne res corrumpantur, aut ſit periculum illas amittendi: in priori enim majori pretio, in poſteriori verò minori vendi vel emi debent, aut poſſunt.

Sextò, Conventiones juſtæ attendi debent: ut ſi res tantum vendatur ad tempus: ſi cum conditione retrovendendi: ſi cum aliquo gravamine juſtæ ſolutionis: ſi cum periculo vero & non ficto damni emergentis vel lucri ceſſantis. Semper tamen in omnibus attendendum eſt, ne mentiatur iniquitas ſibi.

SECTIO II.

De permutatione & Cambio.

Dubium I.

Quid ſit Permutatio?

Reſolutio.

P*Ermutatio eſt mutua & actualis traditio rei pro re, ita ut utriuſque rei utrumque dominium in mutuatores tranſeat.* Diſtinguitur à mutuo, quòd mutuum non includat traditionem reciprocam alterius rei, ſed tantùm obligationem redditionis rei ſpeciei ejuſdem per ſe; per accidens autem æquivalentis aut pretii, ſi res mutuata uſu conſumitur. Permutatio autem requirit utrimque traditionem rei pro re.

Porrò non tantùm res, ſed etiam jura cum rebus poſſunt permutari: imò res aliqua tradi poteſt in permutationem ad jus aliquod acquirendum, & econtrà. Sic enim quis tradit dominium pro aliqua juriſdictione temporali: imò & uſus alicujus rei pro fundo vel domo. Duæ verò ſunt permutationis ſpecies: Alia eſt rerum, quæ formaliter pecunia non ſunt: Alia eſt pecuniarum, quæ propriè cambium vocatur.

Dubium 2.

Quæ injuſtitiæ occurrant in permutatione rerum, quæ non ſunt pecunia?

Reſolutio.

Injuſtitiæ in rerum permutationibus. D*Uæ potiſſimùm injuſtitiæ occurrunt in rerum permutatione quæ pecunia non ſunt.* Prima, *Rerum grandis inæqualitas, ſive in exceſſu, ſive in defectu.* Secunda: *Fraus & deceptio in permutationibus*

Rerum inæqualitas attendi debet primò, in æſtimatione prudenti earum: Secundò, in fine & uſu, ad quem res permutantur. Tertiò, in utilitate, quam permutantes ſibi proponunt: *Ex quibus ſumatur rerum inæqualitas.* undè ſi res in æſtimatione ſint multùm inæquales, pro ratione inæqualitatis peccatum mortale incurritur, niſi partes ſcientes & advertentes voluntariè ſibi condonent, ita ut intercedat quædam virtualis & partialis donatio illius quod excedere judicatur. *Item:* Etſi in rebus ſit magna inæqualitas, interdùm tamen uſus rei minoris majoris æſtimatur: *Ex.gr.* In *Nota.* *neceſſitate*: Panis magis quàm pictura aliqua, etſi hæc ſit majoris æſtimationis in pretio. *Item:* In *utilitate*: ut artifici utilius eſt aliquod inſtrumentum ſuæ artis, pro quo utique libenter rem majoris multò valoris daret. Modò igitur abſit fraus & dolus inter permutantes, cenſetur (ut dixi) partialis donatio, vel æſtimata compenſatio intercedere, & omnem injuſtitiam ratione inæqualitatis in rebus permutatis auferre.

SECTIO III.

De cambio ſive pecuniarum permutatione.

Dubium I.

Quid, & quotuplex ſit Cambium?

Reſolutio I.

Definitio Cambii. C*Ambium, eſt permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia.* Dicitur (*permutatio pecuniæ*) ut excludantur permutationes rerum, quæ pecunia non ſunt, ut tritici pro ſiligine, mellis pro vino, de quibus ſuprà. Dicitur etiam (*permutatio*) ut diſtinguatur cambium à mutuo: Mutuum enim non eſt permutatio: quia non eſt rei pro re, ſed eadem res mutuata redditur, vel in ſe, vel in æquivalenti, dicitque tantùm obligationem reddendi æquivalens, qualitercumque id fiat. Permutatio autem eſt traditio rei unius rationis & ſpeciei, pro re alia.

Reſolutio 2.

Duplex cambium. C*Ambii variæ diviſiones aſſignantur*: Primò enim aliud eſt cambium *reale*: Aliud *ſiccum*, *Cambium reale.* Cambium *reale* eſt: cùm re ipsâ una pecunia cum alia commutatur, ut argentea cum aurea, vel abſens cum præſenti, &c. Cambium *Cambium ſiccum.* *ſiccum* dicitur: quo pecunia pro pecunia datur abſque ulla alteratione rei vel circumſtantiarum eſtque propriè mutuum: & ſi ex illa pecuniæ nuda traditione lucrum accipiatur, eſt uſura. Dicitur, *ſiccum*: quia caret titulo juſtitiæ ad lucrum pariendum, ſive quia non eſt

propriè

propriè dictum cambium, ſed nudum mutuum. Hujuſmodi cambia ſicca tanquam uſuraria, iniqua & deteſtabilia damnavit Pius Quartus conſtit. 1. apud Cherubinos. Secunda diviſio eſt cambij *Realis* in cambium *Minutum* & *Locale* ac *Mixtum*.

Cambij altera diviſio.

Cambium *Minutum* eſt : Permutatio numiſmatum diverſæ rationis & ſpeciei ad invicem : *Ex. g.* Permutatio aureorum cum argenteis vel cupreis, & econtrà. *Item*: Permutatio pecuniæ Belgicæ cum Francica, Italica, Germanica, &c. *Item* : Permutatio paraconum cum imperialibus, & minoris argenti cum meliori. Contingit enim unam pecuniam non recipi, aut approbari in uno loco, in altero probari : unam majoris valoris haberi in uno loco, in altero minoris : unam commodiùs transferri, quàm aliam.

Cambium *Locale* eſt : Quandò permutatur pecunia præſens cum alia, quæ eſt in loco diſtanti: ut cùm quis dat campſori Gandavi pecuniam, ut aliam recipere poſſit Romæ.

Cambium reale *Mixtum* eſt : Cùm & pecunia unius ſpeciei cum alia permutatur, & præſens recipitur vel datur, ut in diſtanti loco alia recipiatur vel detur.

Dubium 2.

An liceat campſori lucrum aliquod recipere ultrà pretium pecuniæ, quam campſario numerat, aut alibi numerandam ſuſcepit?

Senſus quæſtionis duplex.

SEnſus dubij duplex eſt : *Prior*, An campſor Gandenſis, qui Petro ab eo poſtulanti, ut Romæ ſibi vel procuratori ſuo numerari faciat centum aureos, poſſit aliquod lucrum accipere ratione pecuniæ Romæ numeratæ? *Poſterior* : An Petrus permutans pecuniam auream cum argentea Joannis, vel econtrà, poſſit ratione iſtius permutationis lucrum aliquod percipere?

Reſolutio 1.

Cambium locale licitum eſt.

CAmpſores juſtè aliquod lucrum recipiunt ultrà ſortem pro pecunia, quàm poſtulantibus in loco diſtanti numerari, aut eò tranſportari curant per cambium locale, ſive etiam mixtum, ſive id fiat per litteras, ſive quovis alio modo. Juſtitiæ hujus rei fundamenta ſunt ſequentia.

Iuſtitia cambij localis.

Primum eſt : Realis ſeu virtualis tranſlatio pecuniæ, per quam ſuâ induſtriâ, labore, vel opere campſor reddit pecuniam in loco diſtanti (*Ex. g.* Romæ) paratam & præſentem pro commoditate poſtulantis, cum aſſecuratione illam ibidem recipiendi: pretio enim juſtiſſimè æſtimatur, quòd abſque periculis itinerum, abſque alijs expenſis ac labore & incommoditate poſtulans inveniat ibi pecuniam ſibi paratam, ubi non niſi multo labore, induſtriâ, & cum periculis poſſet illam habere. Ad quod cenſetur opus & operam ſuam campſor elocare.

Secundum fundamentum eſt : Pecuniæ uſus in loco deſtinato, ut juxtà rationem regionis monetam publicam, ſive, ut vocant, publici curſus & uſus campaſarius inveniat, in quo attenditur cambium Reale minutum, de quo infra.

Tertium fundamentum conſtituitur : In ratione officij, ſi ſit campſor publicus. Tenetur enim in locis coacervare pecunias in maſſam ſufficientem, & juxtà rationem locorum diverſam, & monetæ uſualis : debet in illis vel actorem habere vel famulum : debet denique pro publica utilitate nec in maſſa pecuniæ deeſſe, nec in circumſtantibus perfectum cambium.

Quartum fundamentum eſt : Lucrum aliundè ceſſans, cùm privet ſe pecuniâ, qua poſſet alibi uti, & de facto uteretur : addo & damnum ex natura rei emergens: cùm interdùm aliqua pericula incurrat, & contingat ex Principum & Reipublicæ varijs decretis frequentiùs variari. Et multi alij tituli juſtitiæ in campſore ex officio aſſignari poſſunt. Nec tantùm in campſore ex officio, ſed etiam in privata perſona, quæ pecuniâ, quam alibi habet ſive ad mercaturam, ſive ad alium ſibi utilem uſum, ſe privat in gratiam alterius, & ut ejus utilitati & neceſſitati ſatisfaciat.

Reſolutio 2.

IN cambio etiam ſolius pecuniæ pro pecunia alterius rationis & ſpeciei, quod vocamus Minutum, eſt licitum recipere lucrum aliquod rationabile ultrà ſortem abſque periculo uſuræ. *Cambium minutum licitum eſt.*

Fundamenta juſtitiæ ſunt : *Primum* : Quia ſervitur magnæ commoditati utentium, ſive eorum, qui uſitatâ pecuniâ indigent pro ratione regionis & patriæ : ut ſi tua pecunia, quam modo habes in hac regione, ſit tibi inutilis, quia uſualis non eſt, utpotè ratione ſigni, figuræ, ponderis, vel etiam materiæ. Magnam enim tibi præſtat operam, qui monetam ibi non uſitatam ſuo periculo recipit, ut tibi utilem præſtet : ſibi autem non modicum laborem & periculum aſſumit, qui monetam in loco non uſitatam nec probatam recipit, ut ſuâ induſtriâ alibi vel in alium finem illâ utatur. Et hæc opera, ſive induſtria poteſt pecuniâ & lucro æſtimari, & velut elocari. *Iuſtitia cambij minuti.*

Secundum fundamentum eſt : Quia campſor ſe privat aut materiæ pretioſitate, ut ſi aurum pro argento vel cupro tradat : aut utilitate, ut ſi moneta argentea, quam campſor tradit, ſit magis probata & uſitata, quàm aurea, quam recipit à campſario : aut ſi campſoris pecunia ſit majoris valoris, utpotè, quia in pondere, figura vel æſtimatione pluris valet, quàm ea, quam recipit &c.

Tertium fundamentum eſt : Ex eo quòd campſor ex officio pro utilitate publica debeat coacervare, cuſtodire, aut paratam habere multam pecuniam diverſi generis, ut campſarijs ſatisfacere valeat. Hæc ſunt præcipua fundamenta, quæ ad juſtificandum cambium minutum concurrunt.

Dubium

Dubium 3.

Quæ injuſtitiæ in Cambijs interveniant?

Reſolutio.

Injuſtitia cambiorū.

V*Ariæ injuſtitiæ in cambijs intervenire ſolent:* *Prima injuſtitia:* Si campſor lucrum exceſſivum requirat & recipiat.

Dicitur verò lucrum exceſſivum, quod vel publicam conſtitutionem, vel communem æſtimationem, vel prudens probati viri judicium excedit.

Dixi (*publicam conſtitutionem*) interdùm enim lege publicâ & communi ſolent lucra campſorum taxari, in quo caſu ſive ſit publicus campſor, ſive ſit privatus, tenetur ad legis præſcriptum.

Dixi (*vel communem æſtimationem*) ubi enim taxatio legis publicæ deficit, communi mercatorum æſtimationi ſtandum eſt: ſolent enim mercatores cambium augere, vel minuere juxta regulas damni emergentis, lucri ceſſantis, diſtantiæ locorum, onera, pericula, labores, expenſas, copiam, vel inopiam campſorum, vel campſariorum, abundantiam, vel penuriam pecuniarum. Ex his enim circumſtantijs juſtitia campſoriæ negotiationis ad regulam publicæ utilitatis & commoditatis libranda eſt. Tantùm ſemper moneo; *Nè mentiatur iniquitas ſibi.*

Dixi (*vel prudent probati viri judicium*) caſus enim occurrere poſſunt, in quibus nec ſtatutum publicum, nec communis mercatorum æſtimatio juſtitiam lucri in cambio determinare poſſunt. In quibus, attentis circumſtantijs immediatè ſuprà relatis, judicium boni viri poterit lucrum juſtum & licitum determinare.

Secunda injuſtitia eſt: Si in lucro minuto fraus in monetarum ratione, ſpecie, pondere, & uſuali valore ex parte campſoris, vel etiam campſarij interveniat. Solent enim ſe invicem non rarò decipere, dùm adulterinas monetas ſibi invicem ingerunt, ſive in permutatione pecuniarum diverſæ rationis & ſpeciei, ſive ubi locale cambium ſolvitur.

Tertia injuſtitia eſt: Quandò monopolio communi campſores conveniunt, ut pretium pecuniarum augeatur: undè campſarijs magnum provenit detrimentum.

Quarta injuſtitia eſt: Cùm cambium eſt ſiccum, id eſt, cùm campſor dat alteri pecuniam, ut eam ratione tantùm prolongatæ ſolutionis, ſive refuſionis cùm lucro ultrà ſortem ſibi reddat. Et hæc eſt uſura vera, etſi palliata, ut declarat *Urbanus III. c. Conſuluit nos, Tit. de uſuris. Et c. In civitate, ibidem.* Nullus eſt enim hic juſtitiæ titulus, cùm prolongatio ſolutionis, ſive refuſionis nil addat ſuper mutuum, ut ſtatim dicemus agentes de uſura.

F

SECTIO QUARTA.

De Vſura.

Dubium I.

Quid & quotuplex ſit Vſura?

Duplex acceptio nominis uſuræ.

A*Dvertendum* eſt *primò*, Dupliciter nomen uſuræ in hac materia uſurpari. Primò, pro lucro uſurario, ſive quod ultrà ſortem datur, vel accipitur. Secundò, pro contractu ipſo, undè hoc lucrum emergit.

Advertendum ſecundò, Uſuram eſſe quandam ſpeciem mutui, ſive mutuationis: *Mutuatio* autem dicitur: *Contractus, quo res aliqua certo pondere, menſurâ vel numero conſtans in alterius poteſtatem traditur, cum pacto & obligatione, ut ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur.* Undè differt in hoc à commodato vel depoſito, quòd Depoſitum ad conſervationem, Commodatum ad uſum aliquem duntaxat concedatur, ut eadem res poſteà reſtituatur. His ſic prænotatis, ſit:

Reſolutio I.

Definitiones uſuræ.

U*Sura primo modo: Eſt lucrum ultrà ſortem immediatè ex mutuatione proveniens.*

Uſura ſecundo modo: *Eſt ipſe contractus mutui, ſive mutuatis cum pacto explicito vel implicito recipiendi aliquid ſuprà ſortem ex vi ſolius mutui, ſive mutuationis.*

Dicitur (*Contractus mutui ſive mutuatis*) ut diſtinguatur contrà venditionem, locationem, cenſum, emphyteuſim, & alios contractus.

Dicitur (*cum pacto explicito vel implicito*) ut includatur etiam uſura mentalis, de qua ſtatim.

Dicitur (*recipiendi aliquid ſuprà ſortem*) in hoc enim diſtinguitur uſura à vero & legitimo mutuo.

Dicitur (*ex vi ſolius mutui ſive mutuationis*) Poteſt enim aliquid recipi abſque uſura, quandò in compenſam veri damni emergentis, vel lucri veri ceſſantis recipitur, vel in pœnam, caſu quo mutuum ad tempus condictum non reſtituatur, ſi ità ex cauſa à partibus in mutuatione ſit conventum; vel in gratitudinem, ex mera & vera liberalitate donantis abſque obligatione & conventione.

Reſolutio 2.

Vſura duplex.

U*Sura eſt duplex: alia conventionalis & explicita: alia mentalis & implicita.*

Conventionalis & explicita dicitur: Quandò explicitè de lucro ultrà ſortem partes paciſcuntur.

Mentalis & implicita dicitur: Quandò partes non paciſcuntur quidem ad invicem de lucro aliquo; qui tamen mutuat, intendit ultrà ſortem aliquid recipere, & modis aliquibus latenter inducere mutuatarium ut ei ultrà ſortem aliquid tribuat. Vide *De uſura mentali C. Conſuluit nos*, quod eſt 20. *Tit. de uſuris.*

Dubi-

Digitized by Google

Dubium 2.

In quibus rebus poſſit Vſura committi?

Reſolutio.

Fructus rerum in duobus conſiſtit.

IN *omnibus rebus uſura committi poteſt, quarum fructus & utilitas conſiſtit in quadam conſumptione, vel quaſi conſumptione.* Pro cujus Reſolutionis clara demonſtratione *Advertendum* eſt: Fructum & utilitatem uſûs aliquarum rerum dupliciter contingere poſſe.

Primò, In ipſius rei permanentia & ſtabili dominio ac poſſeſſione, utpotè, quia res permanente earum poſſeſſione fructificant, & poſſeſſori eas retinenti utilitatem & fructum adferunt. Tales ſunt agri, fundi, arbores, veſtes, libri, animalia, &c.

Secundò, Fructus & utilitas uſûs aliquarum rerum conſiſtit in ipſa conſumptione, vel quaſi conſumptione earum. In conſumptione quidem *Ex. gr.* Grani, panis, vini, olei, quarum utilitas conſiſtit in eo, quòd conſumantur in hominis alimentis & neceſſitatibus hujus vitæ. In quaſi conſumptione autem utilitas, & uſus pecuniæ reputatur, quatenùs formata pecunia eſt, ſeu quatenùs eſt inſtrumentum venditionis & emptionis, ac formaliter Nummus, denarius, moneta vocatur: in hoc enim utilis eſt pecunia, quòd diſtrahatur, diſtribuatur, & variè expendatur ad mercaturas, contractus, emptiones, venditiones, ſumptus, &c. Quamdiu enim conſiderata ſub ratione denarij, manet in arca, & non expenditur, pro illo tempore nil fructificat; ſed inutilis Domino & otioſa manet. Dico (*conſiderata ſub ratione denarij*) ſi enim conſideretur ut eſt aurum argentum, vel cuprum, ſuas utilitates naturales habet.

Dico igitur: In his omnibus rebus poſteriùs relatis, quarum uſus & utilitas ſive fructus in conſumptione, vel quaſi conſumptione conſiſtit, uſuram committi poſſe, ſive ſint pecunia, ſive non. *Explico*: Dat villicus aliquis alteri in hieme unum modium tritici, ut unum modium cum medio recipiat in Auguſto, vel poſt meſſem. Dat vinitor unum vas vini in æſtate, ut unum cum dimidio recipiat poſt vindemiam, uſura eſt, niſi fortè certum ſit eo tempore, quo dat, illa plùs multò valere, quàm tempore, quo accipiens eſt redditurus: tunc enim damni veri & certi compenſatio poſtulari poſſet, aut de pretio conveniri, prout res valet, quandò mutuatur. *Vide c. in civit. tit. de uſuris.* In alijs rebus, quarum uſus & fructus in permanentia conſiſtit, elocationes, cenſus, emphyteuſes conſtitui poſſunt, ut poſteà dicetur.

Dubium 3.

Quale peccatum ſit Vſura?

Reſolutio.

Vſura peccatum mortale.

VSura ex genere ſuo, niſi levitas materiæ excuſet, eſt peccatum mortale contra omnes leges tam Divinam naturalem & poſitivam, quam humanam. Undè uſurarij ab Eccleſia excommunicati ſunt, & ut tales à Sacramentorum participatione & conſortio ſacrorum myſteriorum ſeparantur, ac ſepulturâ Eccleſiaſticâ privantur. Vide *Tit. de uſuris lib. 5. Decretalium c. quia in omnibus, & cap. ſuper eo.* Et *c. Præterea Parochianis,* &c. Porrò Scripturæ uſuram prohibentes ſunt clariſſimæ. Ezechiæ 18. *Ad uſuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet?* Non vivet. Et cap. 22. reprehendit graviter populum: *Vſuram* (ait) *& ſuperabundantiam accepiſti.* Exodi 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Deut 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno; fratri autem tuo abſque uſura, id, quo indiget, commodabis.* Et *Pſalm* 14. dicitur, quòd habitabit in tabernaculo Domini, & requieſcet in monte ſancto ejus: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Econtrario indicando: Eum, qui dedit ad uſuram, ibi non habitaturum, ſed reprobandum. Denique Luc. 6. dicit CHRISTUS: *Benefacite, & mutuam date, nihil inde ſperantes.* Quibus verbis etiam omnem mentalem uſuram reſcindit, nè ſcilicet ex vi mutui aliquid ultrà ſortem intenderent.

Ezech. 18. verſ. 13.
Et cap. 22. verſ. 12.
Exod. 22. verſ 25.
Deut 23. verſ 19. verſ. 20.
Pſalm. 14. verſ. 5.
Luc. 6. v. 35.

Dices: Permiſit Deus Judæis, ut Gentilibus & alienis à Gente ſua ad uſuram darent. Ità enim ſuprà Deuter. 23. *Non fœnerabis* (inquit) *fratri tuo, &c. ſed alieno.* Et cap. 15. *Fœnerabis Gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum:* Ergò uſura non eſt ex genere ſuo mala, ſed ſi quid mali in illa reperiatur, erit ex prohibitione, ſive quia eſt prohibita. *Reſp. Neg. Conſeq.* Ad Scripturas allegatas variè reſpondent Doctores ſancti. Et ad primam quidem dicunt Deum permiſiſſe Judæis uſuram ab alienigenis accipere in foro tantùm externo, ità ut noluerit dantes alienigenis ad uſuram pœnâ externâ plecti, ſeu puniri, quamvis in foro interiori conſcientiæ peccarent mortaliter Et ità exponit *S. Thomas 2. 2. Q. 78. a. 1. ad 2.* Et *Q. 13. de malo art. 4. ad 1.* & alij communiter.

Deut. 23. v. 19 20. Et cap. 15. verſ. 6.
S. Thom. 2. 2. Q. 78. a. 1. ad 2.

S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 15. aliter explicat: per *Alienum* enim non ſimpliciter alienigenam ſive Gentilem, qui ex Judæis non ſit; ſed gentes hoſtiles intelligit, ut Amalecitas, Amorthæos, Chananæos, quorum bona cum jure belli & proſcriptionis à Deo factæ pertinerent ad Iſraelitas, ſicut permiſſum erat illo jure eos expilare & occidere, ſic & uſuras ab eis tanquàm ab hoſtibus & injuſtis poſſeſſoribus exigere. *Ibi* (inquit) *uſuram exige, cui*

S. Ambr. l. 6. de Tob. c. 15.

meritò

meritò nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, &c. *ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere,* &c. *Ergò ubi jus belli ibi etiam jus uſura,* &c. Undè abutuntur hoc loco Judæi, dùm putant ſe poſſe quibuſcunque extrà ſuam nationem ad uſuram dare. Altera Scriptura ex cap. 15. nullatenùs favet uſuris: *Fænerare* enim ſimpliciter apud Hebræos ſignificat *Mutuare.* Undè illud, *Fænerabis gentibus multis,* indicat abundantiam omnium bonorum, & fertilitatem magnam futuram in Iſraël, ità ut Iſraëlitæ poſſent gentibus multis mutuum dare, ipſi autem ipſorum auxilio vel bonis non indigerent. Ut habet *S. Thomas* 2. 2. loco citato.

Dubium 4.

In quo conſiſtat Uſurarum Injuſtitia?

R*Atio* dubitandi eſt: Quia ſi mihi licet in contractum ſocietatis, cambium, & in reditum pecuniam meam dare, & fructum provenientem ex pecunia in ſocietatem, cambiom, vel reditum data recipere, cur non licet ex pecunia mutuata, cùm is, cui pecuniam in mutuum trado, ex illa fructificare poſſit?

Reſolutio.

Injuſtitia in uſura. P*Lures injuſtitiæ in uſura ex natura rei reperiuntur. Prima,* Cùm pecunia ex ſe & ex natura ſua, quatenùs eſt pecunia, non fructificet, ex illa injuſtè lucrum requiris & fructum: in uſurarium enim quadrat illud improperium ejus, qui manum in ſudario ligaverat Luc. 19. *Tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminâſti.* (Luc. 19. verſ. 21.) Cùm enim uſurarius pecuniæ ſuæ dominium transferat per contractum mutui in alterius dominium æqualitate juſtâ: ſi quid pecunia uſu alterius fructificet, fructificat Domino, non uſurario; ſi detrimentum patiatur, Domino pecuniæ detrimentum cedit, non uſurario. Inique igitur lucrum quærit uſurarius ex pecunia, quæ ampliùs ſua non eſt, & tollere vult, quod non ponit, & metere quod non ſeminavit: quod ſequenti numero declaratur in omni re, in quam uſura cadit.

Secunda igitur *injuſtitia* eſt: Quòd, cùm uſura tantùm cadat in res, quarum fructus & utilitas conſiſtit in earum conſumptione, vel quaſi conſumptione, ut explicavimus ſuprà *Dubio* 2. Qui talem rem tradit in alterius dominium, cenſetur ipſius uſum & conſumptionem, ſive quaſi conſumptionem in illius dominium tradere: ergò totus uſus & rei conſumptio, ſive quaſi conſumptio in dominium tranſit illius, qui rem illam contractu mutuationis accipit: injuſtè igitur lucrum requirit uſurarius ex eo, quòd illius ampliùs non eſt, nec ullatenùs ad eum ſpectat: imò ex eo, ex quo, qui illud accepit, nullum lucrum, aut fructum percipit, ſed illud, prout eſt, conſumit. *Explico:* Tabernarius vendit amphoram vini hoſpiti juſto pretio: ſi ultrà pretium juſtum vini aliquod lucrum petit: pro quo petit? non pro vino, quia, ut ſupponitur, juſtum pretium pro vino datum eſt: Ergò pro conſumptione: Atqui conſumptio non eſt pretio æſtimabilis, vel diſtincta ab ipſo vino, quod emptum eſt: emitur enim vinum ut bibatur, vel diſtrahatur, eſtque conſumptio intrinſecus finis emptionis. Cui igitur correſpondet lucrum illud, quod ab uſurario exigitur? *Reſpondebit* fortè uſurarius: ità vinum meum vendes vel conſumas, vel lucrum indè accipias. Verùm, quid habes juris in illius vini diſpoſitione, poſtquam illud vinum vendidiſti, & tranſivit in meum dominium? Deindè: Quid ſi effundam? quid ſi pro mea voluntate tanquam meum donem & diſtribuam? Nonquid de meo poſſum, quod volo facere? Sic argumentari poſſum de blado, de oleo, de omni re, cujus finis & utilitas tota conſiſtit in conſumptione, vel quaſi conſumptione. Undè & in pecunia res non minùs eſt manifeſta. Accipio à Joanne centum ducatos, quos illi cum aſſecuratione ſive per pignus, ſive per obligationem aliam reddere debeo tempore condicto: nunquid accepta pecunia jam in dominium & uſus meos tranſit? quid igi- juris habet Joannes, qui mutuavit, in illam pecuniam? nunqoid ſi pereat, vel diſſipetur, perit mihi, & non illi? Ergo ſimiliter, ſi ex illa fructifico, & lucrum facio, mihi fructifico & lucror, non illi, & ſi qoid exigit ultrà ſortem, injuſtè exigit, & alienum rapit, eſtque fur & latro.

Tertia injuſtitia eſt: Quòd ſibi uſurarius lucrum certum poſtulat de incerto, & gravamine intolerabili ac injuſto opprimit eum, in cujus dominiom res mutuata tranſit. Undè ideò vocatur *Uſura* teſte ſancto Ambroſio *lib. de Tobia cap.* 13. Quòd ſicut veſtes uſu teruntur, ità & patrimonia uſuris pereant. (Amb. l. de Tob. c. 13.) Ab Hebræis autem *Uſura* vocatur *Morſus*? ubi enim vulgata verſio habet: *Non fænerabis fratri tuo,* Hebræa legunt: *Non morſu mordebis fratrem tuum.* (Deut. 23. verſ. 19.) Qui enim uſuram accipit, velut morſu partem ſubſtantiæ mutuarij emordet & eximit. Et ſanctus Chryſoſtomos, ſeu Author imperfecti operis in Matthæum homilia 12. comparat uſuram morſui aſpidis: (S. Chryſ. homil. 12. in Matth. in fine.) Quia ſicut is, qui ab aſpide morſus eſt, ſuavi quodam ſopore, veneno latenter ſe per omnia diffundente, moritur: ſic qui pecuniam ad uſuram accipit, videtur quidem primò beneficium ex mutuo ſentire; ſed uſurâ per omnes ejus facultates diffuſâ, tandem egeſtate & debitis opprimitur. Hinc & à Chaldæis *Uſura* vocatur *Chabulia,* id eſt perditio, quia omnes opes perdit & devorat. Et ſanctus Ambroſius *lib. de Tobia cap.* 14. (S. Amb. l. de Tobia c. 14.) uſuram vocat homicidium, quia ſublatâ ſubſtantiâ hominem velut enecat. Et multa præclara vide apud eundem toto illo libro *à c.* 5. *uſque ad* 15. Eſt igitur uſura peccatum contrà juſti-

juſtitiam naturalem, quia lucrum ex alieno, imò ex eo ſæpè quod non eſt, injuſtè exigit, & ad rapinam ſpectat, quia id publico auſu facit.

Reſponſio ad rationes dubitandi.

AD rationes dubitandi in principio poſitas, *Reſpondeo*, negando in allegatis contractibus ſocietatis, cambij, vel reditûs, paritatem & ſimilitudinem.

Differentia inter uſuram, contractũ ſocietatis, cambium. *Primò* enim pecunia data ad contractum ſocietatis non tranſit in dominium alterius, ſed remanet Domini, ſeu dantis, & ſi fructificat, Domino fructificat, ſi perit, Domino perit: tribuit enim ipſe pecuniam in maſſam communem, & velut alienæ induſtriæ ſupponit, & fructus percipit, non quia pecunia ſua per ſe fructificat, ſed quia alienâ induſtriâ in ſua pecunia laborans fructificavit. Undè quia in ſuo alius laboravit, partem fructûs juſtè percipit, quia nec labor, nec induſtria alterius ſola abſque re mea fructificare poterat.

Secundò, Pecunia data in cambium juſtè fructificare cenſetur campſori ob damnum emergens, lucrum ceſſans, aſſecurationem à periculis, & ob expenſas ad cambia requiſitas, ac utilitatem publicam, ut ſuperiùs adnotatum eſt.

Tertiò, Pecunia in reditum annuum data, etſi in ſe non fructificet; fructificat tamen in re, ſuper quam reditus fundatus eſt, ut poſteà dicetur.

Corollarium & Reductio

Caſuum ad uſuram pertinentium.

Caſus pertinens ad uſuram. EX dictis *Colligitur primò*, Quidquid ex mutuo præcisè ultrà ſortem exigitur, & velut ex debito expectatur, ſive fiat ex pacto, ſive ex voluntate & affectu implicito & interno, uſurarium eſſe, & in materia gravi peccatum mortale.

Dixi (*ex mutuo præcisè*) ſub ratione autem mutui comprehendo beneficium amicitiæ, commodum, imò & lucrum, quod mutuatarius ex re mutuata percipit. Undè ſi mutuans, propter beneficium vel officium charitatis aut amicitiæ, commodum vel lucrum, quod mutuatarius ex re mutuata percipit, vel percepturus eſt, aliquid ultrà ſortem recipiat, aut ex debito recipere intendat, uſuram committit.

Nota. Dixi (*ex debito*) Si enim ex amicitia gratitudinem aliquam recipiat, ex libertima voluntate à mutuatario oblatam, non debet reputari uſura. Quinimò mutuans gratiam aliquam poſtulare poteſt, quæ ex ſe, & per ſe non eſt lucrum, nec propriè lucrum adjunctum habet, ut remiſſionem injuriæ, reconciliationem procurandam cum aliquo, commendationes aliquas gratuitas etiam ad aliquod officium obtinendum, quæ amici præſtare ſolent amicis ex benevolentia, & mera gratitudine, abſque tamen obligatione.

Nota. Dixi (*per ſe, & ex ſe lucrum non eſt*) Si enim lucrum ex ſe, vel per ſe includat, niſi mera liberalitas & gratitudo maculam uſuræ detergat, uſura præſumitur: ut dotibi mutuum, intendens quòd ratione hujus meæ amicitiæ beneficium Eccleſiaſticum meo filio dabis, aut quod deinceps ad alium mercatorẽ non declinabis, ut merces emas; aut quòd vacante tali officio illud, cùm ſit in tua poteſtate, mihi conferes. Hic præſumitur uſura, vel etiam in beneficio Eccleſiaſtico ſimonia, ſi nimirùm in pactum, vel quaſi pactum debiti & juſtitiæ illa deducantur: ſi verò tantùm in gratitudinem amicitiæ & benevolentiæ, quia nimirùm remanet in libera voluntate & poteſtate mutuatarij id facere, vel non facere, eodem modo quo poteſt alteri idoneo gratitudine & affectu ſe obligare ex motivo alterius officij vel obſequij, ſic poteſt ſe obligare ſolâ gratitudinis & affectûs obligatione, ex motivo & intuitu mutui grati ſibi facti: ità tamen ut omne debitum juſtitiæ excludatur. Obligatio enim gratitudinis meræ non dicit onus, nec vinculum, ſed liberalem voluntatis inclinationem. Undè ſit:

Regula generalis.

OMne onus ex debito juſtitiæ, *vel coactione quacunque à mutuante mutuatario impoſitum ultrà ſortem, ſive præciſam exigentiam ſortis correſpondentis mutui, uſuram inducit.* Regula ex ſupradictis clara eſt.

Proſecutio Corollarij.

Onera extrinſeca quæ mutuatario imponi poſſunt abſque uſura. COlligitur primò, Multa onera poſſe à mutuante mutuatario imponi ab extrinſeco extrà præciſam exigentiam mutui, quæ ab uſuræ peccato excludunt. Hæc autem ad quinque membra reducuntur.

Primum eſt: Ratione damni emergentis. Ut ſi damnum aliquod ex mutuo proveniat mutuanti. Illud enim in ſortem deduci debet, ut mutuans indemnis ſervetur. *Ex. g.* Mutuo tibi ad inſtantiam tuam, & quia urges, centum florenos hodie: interim incurro certum damnum viginti florenorum, quos ego creditori dare debeo, quia illam pecuniam paratam ad diem condictum non habeo: illi viginti floreni poſſunt deduci in ſortem, & poteſt abſque uſura mutuans petere ſibi reddi centum viginti.

Nota. Damnum emergens. Porrò hic *Notandum* eſt: Damnum debere eſſe verum & certum, non fictum, aut tantùm probabile, ut certò computetur & deducatur in ſortem: undè ubi eſt tantùm probabile, vel contingens, non poteſt niſi ſub conditione deduci & computari, nimirùm, ſi accidat, vel eveniat. *Explico*: Mutuans probabiliter timet, nè, ſi pecuniam, vel aliquam rem mutuet, eveniat ſibi aliquod damnum: non poteſt paciſci de certa refuſione damni,

quod

probabile eſt & incertum; ſed tantùm ſub condirione, nimirùm, mutuo tibi centum aureos, quia verò timeo probabilitet, nè damnum mihi ex hoc mutuo proveniat, eâ conditione tibi mutuo, ut ſi damnum verè patiar, illud refundas: ubi verò damnum certum eſt, certò de futuro damno paciſci poteſt, idque abſque periculo uſuræ: non teneor enim cum meo gravi damno mutuare.

Lucrum cessans. *Secundum membrum* eſt: Ratione lucri ceſſantis: lucrum enim ceſſans ratione mutuatæ pecuniæ, deductis expenſis, labore, periculis, quæ in ipſo lucro intervenirent, in ſortem computari poteſt. Debet autem, ut antè dixi de damno, lucrum ceſſans eſſe verum, & non fictum, & certò prævideri: ſi enim tantùm probabiliter timeatur: duntaxat ſub conditione computari poterit, ut de damno exemplificatum eſt. Undè uſuram committunt: qui fictum lucrum, vel planè contingens in certam ſortem deducunt; ut qui nec actu mercantur, nec pecuniâ ſuâ durante mutuo, ſunt mercaturi, vel illâ uſuri ad lucrum aut fructum: vel qui rem in mutuum datam apud ſe retenturi erant abſque illius uſu vel fructu. Heu quot conſcientiæ ſub duobus iſtis prætexibus merè fictitijs ſeu ſutis illaqueant in ſuarum animarum perditionem!

Periculū. *Tertium membrum* eſt: Ratione periculi ſortis & moleſtiarum in illa recuperanda. Quod ut benè intelligatur, *Advertendum* eſt, dupliciter mutuum à mutuante dari. *Primò*, Accepto ſufficienti pignore aut fidejuſſore. *Secundò*, Abſque pignore vel fidejuſſore, ſed tantùm in fidelitate & fide, ut dicitur, viri probi. Si primo modo; non licet aliquid ultrà ſortem exigere ratione periculi. *Ratio* eſt: Quia cùm ſufficiens pignus aut fidejuſſorem mutuans habeat, nullum ſubeſt probabile periculum ſortis amittendæ, &c. Si autem ſecundo modo mutuet, & reverà ſubſit probabile periculum perdendi ſortem mutui: ſi non cogatur mutuare: aut non mutuet: aut ſibi imputet periculum illud, quod voluntariè & liberè ſubit. Si autem cogatur, tunc poteſt periculum deducere in ſortem, ſub conditione tamen caſu quo ex periculo illo damnum ſubeat. Illud enim periculum ad damni emergentis qualitatem re-

Nota. duci debet: non enim, ut colligitur ex c. *Naviganti, de uſuris*, pro ratione periculi præcisè licet mutuanti paciſci de exigendo lucro ſuprà ſortem (quidquid aliqui dicant) ſed tantùm pro damno, quod ex iſto periculo emergeret. Et eodem modo argumentandum eſt de lucro ultrà ſortem exigendo ratione moleſtiarum, difficultatum vel expenſarum in recuperanda ſorte, quibus ſe mutuans exponit: lucrum enim quod exigi poteſt, non menſuratur periculo (ſi aliàs ſors recuperari poteſt) ſed damno emergenti ex moleſtijs, difficultatibus & expenſis, quæ in recuperatione ſortis tolerari debent. Undè juxta omnia illa in ſortem poſſunt deduci. ut, operæ, vacationes, ac itinera extraordinaria, quæ cum varijs expenſis ad recuperationem adhiberi debent: illa enim per ſe ad mutuum non pertinent, & pretio æſtimabilia ſunt, ideoque ſub pactum adjectitium cadere poſſunt, nimirùm caſu quo eveniant.

Quartum membrum aliqui addunt: Ratione carentiæ pecuniæ: utporè, quod liceat mutuanti aliquid exigere ultrà ſortem ob carentiam pecuniæ ad tempus certum, *Ex. g.* unius anni, antè quod privat ſe facultate ſuam pecuniam repetendi, etiam quacunque neceſſitate occurrente. Verùm & iſtud membrum debet reduci ad *damnum emergens*, vel ad *lucrum ceſſans*: Ex ſola enim carentia pecuniæ, vel privatione repetitionis illius intrà aliquod tempus, non poteſt abſque uſura aliquid ultrà ſortem exigi: ſed tantùm ob lucrum verè ceſſans, aut damnum verè emergens. Et idcircò hoc quartum, ſicut & tertium membrum debet reduci ad duo prima damni emergentis, vel lucri ceſſantis. *Ratio* verò dictorum eſt, quia in mutuo neceſſariò includitur carentia illius pecuniæ, quæ mutuò datur, tempore quo mutuum durat, ſive uſque ad terminum mutui. *Carentia pecuniæ.*

Quintum membrum eſt: Si in pœnam aliquid ultrà ſortem conſtituatur, caſu quo mutuatarius pecuniam non refundat intrà terminum condictum. In hoc enim caſu licet mutuanti paciſci de aliquo lucro recipiẽdo ultrà ſortem. *Ratio* eſt: Quia debitor, qui eſt in mora ſolvendi, cenſetur retinere alienum invito Domino, qui debitore conſentiente terminum poſuit ſolutionis: & id quidem eſt contrà juſtitiam. Actus autem contrà juſtitiam pœnâ dignus eſt, cui pœnæ juſtæ etiam debitor ſe liberâ voluntate ſubjecit. *Pœna.*

Advertendum tamen eſt: Ut illa pœna ſit juſta, aliquot conditiones requiri. *Prima*, Ut non fiat in fraudem & animo uſurario, utpotè ſi mutuans ſciat, quòd mutuatarius ad terminum illum non refundet, vel potiùs quærat ut non refundat, ut lucro ultrà ſortem gaudere poſſit. *Secunda*, Ut debitor ſit verè in culpa, quòd mutuum non refundat: pœna enim impoſita ſupponit aliquam culpam. *Tertia*, Ut pœna illa non excedat rationem culpæ, ſive dilatæ ſolutionis, ſed proportionata ſit incommodo, quod mutuans intendit ſe incurrere ex dilatione ſolutionis. Undè ſi partem ſortis ſolverit, etiam pars pœnæ extingui debet. Proportionem in ratione culpæ ſervandam inſinuat *c. Significante 7. de pignoribus*: ubi in pignoribus prohibetur contractus ſequens: Si certo tempore non ſolvat, quòd pignus datum ſit illius, qui pignus acceperat: hoc enim exceſſivum, injuſtum & uſurarium eſſet. *Conditiones pœnæ apponendæ in mutuo.*

Ex quo etiam *Infero*: Si pignus, quod datur mutuanti in aſſecurationem mutui, ſit de rebus per ſe fructificantibus, mutuantem debere fructum, quem percipit ex pignore, deducere mutuatario in ſolutionem ſortis ſive mutui, niſi hic ex mera liberalitate & gratitudine illos ei condonet. *Explico*: Joannes mutuavit centum aureos Petro, cui Petrus in pignus dedit equum donec mutuum ſolvat. Si equus laborando fructi- Nota.

fructificet Joanni mutuanti, quamdiu eſt apud illum, fructus excedentes alimenta vel curam equi Joannes tenetur deducere ex centum aureis ſibi à Petro ratione mutui perſolvendis. Vide *cap. 1. & 2. de uſuris, lib. 5. & C. cenqueſtus eſt*, ibidem.

SECTIO V.

De depoſito & commodato.

Dubium I.

Quid ſit depoſitum, & quæ iniuſtitiæ in ratione depoſiti committantur?

Reſolutio 1.

D*Epoſitum eſt res, quæ alicujus fidelitati cuſtodienda traditur, & in fidelitatem à depoſitario acceptatur, ut integra reſtituatur.*

Dupliciter aliquid acceptur in fidelitatem. Dixi (*quæ alicujus fidelitati cuſtodienda traditur*) ut diſtinguatur à mutuo & commodato in quibus res in dominium vel uſum ex natura mutui commodati datur.

Dixi (*Et in fidelitatem à depoſitario acceptatur*) quod duobus modis contingit; nimirùm: aut verbis & quâdam promiſſione vel acceptatione explicita: aut ex officio & implicitâ acceptatione: Quomodo licet is, qui in navi mercatoria vel oneraria ordinaria aliquid deponit, non loquatur, eo tamen ipſo quo nauta deponi videt, illud in ſuam fidelitatem acceptare cenſetur: ſic etiam in hoſpitiis publicis contingit. Dixi (*ut integra reſtituatur*) ad hoc enim cuſtoditur.

Porrò ordinariè res mobiles in depoſitum traduntur: quamvis & immobiles per judicem ſoleant litibus durantibus etiam in ſequeſtrum poni, per modum depoſiti.

Iniuſtitia in depoſito.

Reſolutio 2.

I*Njuſtitiæ ſequentes in depoſito committi poſſunt, quæ in materia gravi ſunt peccata mortalia.*

Prima, Si utaris depoſito contra voluntatem Domini. Undè & pro fructu per cepto ex depoſito, vel ex damnificatione rei depoſitæ teneris ad reſtitutionem.

Dixi (*contra voluntatem Domini*) ſi enim depoſitarius de voluntate Domini rationabiliter præſumat, aut putet non diſpliciturum: aut etiam depoſitum, ut triticum, vinum, oleum corrumpatur, niſi conſumatur: In his caſibus depoſitarius poteſt illis uti: debet tamen pretium domino tedere proportionaliter ratione uſûs, & ſi res ipſæ uſu factæ ſint deteriores, debet damnum juſto pretio compenſate.

Secunda injuſtitia: Si ex culpa depoſitarii res deterior facta eſt, aut periit.

Dico (*ex culpa depoſitarii*) quæ culpa ſi res in ſolum commodū deponentis ſimpliciter eſt depoſita, debet eſſe gravis, ut ſit peccatū mortale. Si autem res ſit depoſita dato pretio juſto, & mercede cuſtodiæ ac operæ, ſive etiam conceſſo aliquo rei illius uſu in favorem depoſitarii, & ex culpa etiam levi ipſius depoſitarii pereat, etſi ratione levitatis culpæ ipſe peccatum mortale non commiſerit, tenetur tamen in materia ſufficienti ſub peccato mortali ad reſtitutionem rei quæ periit, vel damni illati, niſi deponens condonet, ut indicatur *c. Bona fides de depoſito. Ratio* eſt: quia ipſe paciſcendo de pretio aut cuſtodia ſibi commoda ſe obligavit ex juſtitia & fidelitate ad rem integram cuſtodiendam, & reſtituendam: unde ſi tradidi molitori triticum meum ut molat, quia ſtipendium accipit, tenetur, etiamſi ex levi culpa triticum meum pereat, aut damnum patiatur, illud reſtituere, aut damnum reſarcire. Sic de auro dato aurifabro ad opus & de ſimilibus concludendum eſt. *Advertendum* tamen, quòd ſi nullâ culpâ depoſitarii periit, & ſi apud ſuum dominum iiſdem circumſtantiis res æquè periiſſet, depoſitarium ad nil teneri: ut ſi igne, aquarum inundantiâ, hoſtium irruptione & invaſione res pereat.

Tertia injuſtitia: Si depoſitum tempore quo illud repetit deponens, culpâ depoſitarii non reddatur: ſi enim ex retentione diuturna depoſiti, deponens damnum patiatur, ſi diuturnioris retentionis gravis ſit culpa ex qua damnum grave oriatur, depoſitarius mortaliter peccat, & ad reſarciendum damnum tenetur. *Ratio eſt*: quia, ut ſupponitur, dedit cauſam damno.

Quæritur hîc ab aliquibus: An ſi depoſitum apud Abbatem vel Religioſum de conſenſu Abbatis, culpâ Abbatis vel Religioſi pereat, monaſterium illud reſtituere teneatur? *Reſp.* Monaſterium non teneri: neque enim delictum Abbatis vel Religioſi particularis monaſterium afficit, nec fides de depoſito ſervando eſt data à monaſterio, vel obligatio ab eo ſuſcepta. Quod valde notandum eſt, ob varios eventus, qui oriuntur ex hujuſmodi depoſitionibus inter manus Superiorum, vel Religioſorum particularium, quæ non facilè permittendæ ſunt. Quinimò non mediocris abuſus eſt quorumdam ſæcularium, qui in monaſteria tempore belli & periculorum ſua velut in aſylum invehunt, & putant in cuſtodiam & depoſitum monaſterii ſe illa dare: non eſt enim verum depoſitum, niſi conventus acceptaverit fide explicitè datâ de re depoſita cuſtodienda (quod non facilè faciet, nec conſulerem) ſi autem velut in aſylum & immunem locum ſua invehant, & interim à furibus & invadentibus aliquid patiantur, id ſibi imputent, non monaſterio: nil enim Religioſis curæ circa illa, quippe cùm viderimus prætextu talium monaſteria ſpoliari, quæ aliàs immunia permanſiſſent. Nota. Nota.

Quæ de depoſito dicta ſunt, illa pignori propor-

proportionaliter applicari poſſunt, ità ut non ſit neceſsè de pignoribus agere.

Dubium 2.

Quid Commodatum, & quæ injuſtitiæ in illo committantur?

Reſolutio 1.

Definitio Commodati.

C*Ommodatum dicitur res, cujus uſus alteri gratuitò conceditur, ut eadem numero reſtituatur.* Sic concedo commodato veſtem, domum, librum, &c. Diſtinguitur à *Mutuo*, quia non transfert dominium rei in alterum, ſed tantùm uſum, & idem numero in Commodatò reſtitui debet, in Mutuo tantum æquivalens. Vide quæ ſuprà de mutuo diximus.

Dixi (*gratuitò*) ut diſtinguatur ab Elocatione, in qua ex uſu elocati lucrum percipitur.

Reſolutio 2.

Injuſtitiæ in commodato.

I*Njuſtitiæ in commodato interdùm contingit. Primò*, Si tempore debito commodanti non reſtituatur, ità ut damnum ex mora reddendi commodanti eveniat. Ut ſi commodavi tibi domum ad tempus certum, & ſis in mora illam reſtituendi: ità ut illam vendere vel elocare, vel etiam inhabitare tempore conſtituto nequeam cum gravi meo damno. In hoc caſu commodatarius tenetur damnum reſarcire & compenſare.

Secundò, Si re ad determinatum uſum commodatâ ad alium uſum commodatarius utatur in damnum commodantis: ut commodavi tibi equum ad iter; tu autem uteris ad arandum vel portanda onera: undè equus fit deterior. *Item:* Commodavi tibi domum ad ſimplicem habitationem: tu autem uteris ad artes & mercimonia, quæ gravia damna domui & ædificijs inferunt, abſque meo conſenſu. Et ſimilia multa occurrunt.

Tertia injuſtitia committitur: Si culpâ commodatarij res pereat, aut damnificetur, extrà rationem usûs, ad quem commodata fuit. Teneor enim ex juſtitia & fidelitate Depoſiti ità re mihi commodatâ uti, ut tanquàm depoſitarius illam commodanti cuſtodiam nè pereat, vel detrimentum extrà uſuram ejus mihi commiſſam, patiatur. In hoc enim commodatum cum depoſito convenit, quòd res commodata in curam commodatarij, in cujus utilitatem commodatur, tranſeat: ſuperaddit autem, quòd re illâ commodatarius ad uſum deſignatum utatur, & non aliter. Vide *c. Cùm gratia de Commodato.* Gravitas autem peccati æſtimari debet ex gravitate damni aut incommodi, quod evenit commodanti ex commodatarij negligentia vel abuſu.

SECTIO SEXTA.

De Elocatione & Emphyteuſi.

Dubium 1.

Quid ſit Elocatio, & quæ injuſtitia in illa occurrant?

Reſolutio 1.

Definitio Elocationis.

L*Ocatio ſive Elocatio eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua ad aliquem uſum vel fructum pretio conceditur.*

Dixi (*perſona*) Poteſt enim aliquis ſeipſum & operam ſuam, filios & ſervos ac ancillas, eorumque operas in uſum, utilitatem, aut fructum paciſcendo de pretio alteri deputare. Quomodò paterfamilias *Exijt primò manè conducere operarios in vineam ſuam*: qui enim conducti fuerunt, reciprocè ſuam operam patrifamilias elocaverunt. *Matth. 20. verſ. 1.*

Dixi (*vel res aliqua*) ſub qua comprehenduntur res tam mobiles, quàm immobiles: ſic enim equi, animalia, inſtrumenta artis, domus, &c. ad uſum elocantur: ſic & agri, paſcua, horti ad fructum, &c.

Dixi (*pretio*) ut excludatur commodatum, quod, ut dixi, gratuitum eſt. Undè qui veſtem alicui pretio commodat, non commodare, ſed elocare cenſendus eſt: pretium autem eſt pecunia, vel aliquid pecuniâ æſtimabile: ut granum, veſtis, &c.

Reſolutio 2.

Injuſtitiæ elocationum.

I*Njuſtitiæ in elocationibus concurrentes ſunt, Primò*, Si locans rei locatæ juſtum pretium excedat notabiliter: peccat enim mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. Injuſtum autem pretium cenſetur, quod communi æſtimatione in regionibus illis juxtà rerum conditionem ac temporis & loci circumſtantias, tale reputatur. *Advertendum* tamen eſt in ſtipendijs operariorum, famulorum, artificum ſæpiùs ex utraque parte injuſtitias committi: dùm vel ipſi Domini operas pauperum conducentes illos frequenter opprimunt, pretium juſtum diminuendo, operas & labores ultrà debitum exigendo, &c. Et ipſi artifices, & alij tantùm pro ſuæ artis vel occupationis operibus pretium exigunt, ut ſæpè omnes juſtitiæ limites excedant. De quibus certa doctrina dari non poteſt.

Secundò, Injuſtitia committitur: Si res, quam conductor ſive locatarius ad ſuum uſum vel fructum locato accipit, ſuâ culpâ perit, aut deterior fiat, ultrà ſuum ordinarium, qui locatarijs ex vi paſſivæ locationis debetur: ut ſi domus totaliter pereat, vel notabiliter deſtruatur culpâ illorum.

Tertiò, Qui operam ſuam pretio addixit, *Ex. g.* ad tranſvehendas merces in aliquem locum, ad agrum colendum, &c. ſi ejus culpâ merces pereant, ſi *v. g.* vinum vel oleum effundatur, tenetur ad reſtitutionem. *Item*: Si agrum non coluit ordinario operariorum labore & operâ adhibitâ, tenetur ad damnum compenſandum.

Dixi (*ſi ejus culpâ*) ſi enim *v. g.* vinum effluat ex eo quòd vaſa putrefacta fuerunt, vel ex accidenti externo, quod etiam proprio Domino accidiſſet, res pereat, perit Domino: non autem ei, qui ſuam operam & laborem elocavit.

Quartò, Si is, qui domum vel rem aliquam, aut etiam famulos alteri locato tradit, non ſtet conditionibus locationis, ex quarum defectu locatario damnum emergit, peccat juxtà rationem defectûs, & tenetur ad damnorum compenſationem, vel pretij diminutionem proportionatam. Hæc conſtant ex natura juſtitiæ & æquitatis.

Petes: An qui domum conduxit, & illam inhabitare non poteſt abſque ſua culpa, teneatur locanti ſolvere pretium? *Reſpondeo primò*, Si contractu facto, conductor jam locatione ſive uſu domûs aliquo tempore gaviſus eſt, & caſus ſit planè improviſus, in rigore juris ſive contractûs teneri. *Ratio* eſt: Quia caſus improviſi ei accidunt, qui re jam utitur, & in actuali uſu rei ex contractu poſitus eſt, hic enim uſufructuarius eſt, & juris uſum habet; domo tamen exiſtente planè inhabitabili, à contractu liberè recedere poteſt: quia fundamentum contractûs planè ruit, non minùs, quàm ſi jam domus perijſſet.

Dixi (in rigore juris ſive contractûs) ex congruentia enim rationis & circumſtantiarum ſolent de bono & æquo damna repartiri.

Reſpondeo ſecundò, Si caſus prævifus fuit, aut prævideri debuit, quamdiu re non utitur, non teneri ad penſionem, ſive pretium conductionis: in Dominum enim, ſuppoſito quòd præviderit, aut prævidere debuerit, damnum illud cadit, non in eum, qui ab eo conduxit. *Ratio* eſt: Quia (ut ſupponitur) jam in cauſis ſuis caſus ille erat, & ad Dominum, qui domum elocabat, pertinebat indemnem ſervare eum, qui ab eo locato domum accipiebat.

Reſpondeo tertiò, Si impedimentum evenit antequam quis ad actualem uſum locatæ domûs pervenit, iterùm damnum cadere in Dominum elocantem, nec locatarium teneri ad pretium ſive locationis penſionem. *Ratio* eſt: Quia ad contractum non ſufficit pactum de re futura, ut ad pretium me obliget, niſi ſequatur rei vel uſûs integra traditio: hic autem, ut ſupponitur, impedimentum uſum domûs & inchoationem ejus prævenit. Undè cenſetur impedire traditionem actualem, quæ eſt finis principalis & primarius contractus elocationis.

Quid de *Petes ſecundò*, Si ſuperveniat ſterilitas agro, *ſterilitate ſuperveniente.* quem elocavi ad culturam; an tenebor Domino, qui mihi elocavit, ad integram ſolutionem pretij, quo elocatus eſt. *Reſpondeo*: Si in contractu nîl ſit reſervatum aut reſtrictum, ex vi contractûs teneri. *Ratio* eſt: Quia, ut ſupponitur, jam uſufructuarius eſt, & jus uſûs habet contrà proprium rei dominum: ſterilitas autem non in rem præcisè cadit, ſed in rei fructum, ſive in uſumfructum, qui illo tempore locatarij eſt.

Dixi (*ex vi contractûs*) ex lege enim charitatis & congruentiæ naturalis non cenſetur obligari: quia cùm locatio reſpiciat uſum fructum in eo, qui locato agrum accepit: ſterilitate vel vaſtatione univerſali adveniente jam videtur ceſſare totus finis elocationis, & conſequenter omnis fructus, qui eveniret ſive elocanti ſive locatario, itàut Dominus non poſſit legitimè ob illam circumſtantiam aliquid prætendere. Et ità communiter Doctores ex *l. de conducto 16. lib. 19. ff. locati & conducti*. Et correſpondet C. *Propter ſterilitatem de locato & conducto*, ubi, ſterilitate contingente colonis Eccleſiæ, indicitur pro rata penſionis remiſſio facienda, niſi cum ubertate præcedentis vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari. Quæ indicant charitatis & rationis congruentiam, non neceſſitatem.

Dubium 2.

Quid ſit Emphyteuſis, & quæ injuſtitiæ in illa concurrant?

Reſolutio 1.

Emphyteuſis eſt conceſſio rei immobilis cum tranſlatione dominij utilis, retento dominio directo, ſub obligatione ſolvendæ penſionis annuæ Domino proprietario. *Definitio Emphyteuſis.*

Dixi (*rei immobilis*) res enim mobiles non dantur in emphyteuſim, ſed in elocationem. Dixi (*cum tranſlatione dominij utilis*) ut diſtinguatur contrà locationem, in qua non dominium, ſed uſus ſolus transfertur. In emphyteuſi autem dominium quoad omnem utilitatem & diſpoſitionem utilem transfertur in alterum, qui ab hoc dominio *Emphyteuta* dicitur, etſi res in ſe maneat Domino proprietario. Dixi (*ſub obligatione ſolvendæ penſionis annuæ*) ut diſtinguatur à Feudo, quòd tantùm ex ſe requirit fidelitatem & obſequium Domino principali reddendum, & ſi quædam interdùm recognitio præſtetur, illa non in penſionem, ſed in ſignum debitæ fidelitatis & obſequij præſtatur.

Reſolutio 2.

Injuſtitiæ in emphyteuſi occurrentes ſunt, *Primò* Si penſio annua poſtulata à Domino directo notabiliter excedat juſtum pretium, & utilitatem rei in emphyteuſim datæ, Dominus peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem: *Injuſtitiæ in emphyteuſi.*

tutionem: quinimò quod in emphyteuſim datur, ſolet dari minori pretio quàm fructus rei immobilis valeant.

Secundò, Injuſtitia ex parte emphyteutæ committitur: ſi enim Domino tempore à jure ſtatuto non ſolvat, peccat mortaliter, & privatur emphyteuſi niſi Dominus condonet, aut aliàs diſſimulet.

Tertiò, Emphyteuta tenetur conſervare rem in emphyteuſim datam, ita ut ſi ſuâ gravi culpâ pereat, teneatur ad reſtitutionem, pro rata damni ex ſua culpa provenieotis.

SECTIO VII.

De cenſibus & reditibus.

Dubium I.

Quid ſit cenſus, & quæ injuſtitiæ in illo contingant?

Reſolutio I.

Definitio Cenſus. CEnſus eſt jus percipiendi annuam penſionem ex re aliena utili, vel ex perſona alterius.

Dixi (*jus percipiendi annuam penſionem*) ipſa enim penſio non eſt cenſus, ſed potiùs ejus effectus. Penſio verò illa annua conſiſtit in pecunia, aut in re aliqua mobili, ut in tritico, avena, capooibus. Undè à modo penſioois cenſus dividitur à nonnullis in *fructuarium*, cùm penſio *Diviſiones Cenſus.* conſtat ex rebus quæ pecunia non ſunt, & *pecuniarium*, cùm penſio in pecunia conſiſtit. *Item:* in cenſum *certum* & *incertum*: *Certus* eſt, cùm certa pecunia vel quantitas fructuum in penſionem eſt conſtituta: *Incertus*, cùm nulla eſt penſionis ſumma determinata, utpotè, ſi ſolvenda ſit tertia vel quarta pars fructuum agri, quæ juxta diverſas annorum fertilitates vel ſterilitates minuitur vel augetur. A tempore autem quo penſio indicta eſt, dividitur in Reditum *temporalem* & *perpetuum*: ita ut *temporalis* dicatur, quando penſio ad determinatum tantùm tempus debetur. *Perpetuus* verò: quando ad ſemper: Et hic iterùm in *redimibilem* & *irredimibilem* ſecatur. Redimibilis dicitur, qui etſi ex natura ſua ſit perpetuus, poteſt tamen redimi: Irredimibilis verò dicitur, qui cum perpetuitate adjunctam conditionem habet ut nunquam redimi poſſit.

Dixi (*ex re aliena*) nemo enim ſibi conſtituit cenſum in re propria, reſpectu enim rei propriæ dominium habet, & non tantùm jus percipiendi aliquam penſionem ex ea.

Dixi (*ex re utili*) ſi enim res ſit inutilis, jus percipiendi fructus fundare non poteſt: Eſt enim in terminis contradictio. Res porrò utiles cenſentur non tantùm quæ immobiles ſunt, ſed etiam mobiles, ut animalia quæ fructificant. Ex. gr. oves, vaccæ, &c.

Dixi (*vel ex perſona alterius*) poteſt enim quis ſe obligare ad cenſum annuum ſuper labore, opere & induſtria propria.

Reſolutio 2.

INjuſtitia in cenſibus reperitur. *Primò*, Si penſio excedat fructum, qui ex re ſperatur, vel juſtè *Injuſtitiæ cenſuum.* ſperari poteſt.

Secundò, Si res, ſuper qua cenſus eſt fundatus, nec in ſe nec in aliquo conjuncto ſit fructifera.

Tertiò, Si re in totum, vel in partem pereunte, tota penſio exigatur.

Quartò, Si in cootractu emptionis vel conſtitutionis cenſus gravamina injuſta apponantur, ut de illo redimendo, &c. quorum gravaminum compenſatio emptionis & conſtitutionis vel in fructu illius non appareat.

Quintò, Si cenſus ſive penſio minùs ematur, quàm valet modò, vel brevi ſperatur valitura. Quo caſu ſæpè opprimuntur pauperes, dum cenſus ſuos ob anguſtias & temporum penuriam coguntur divitibus nihilò vendere vel alienare. Vide S. Ambroſium l. de Nabuthe Ieſraëlita c. 1.

Porrò. Quia juſtitia cenſuum & redituum tam in eorum conſtitutione, quàm in eorum emptione, venditione, redemptione ex legibus pendet, & leges tum civiles, tum Eccleſiaſticæ pro regionum varietate diverſificantur, ſive quoad ipſatum conditionem, ſive quoad promulgationem & acceptationem, ſuperfluum duxi illas hic abſque utilitate proponere: Quæ autem diximus legi naturæ conformia ſunt & ubique ſervanda.

Dubium 2.

An pecunia in cenſum ſive reditum dari poſſit?

RAtio dubitandi eſt: quia pecunia ex ſe non eſt res fructifera.

Reſolutio.

TRibus modis licitè poteſt dari pecunia in cenſum. *Tribus modis pecunia in cenſum dari poteſt.* Primò, emendo cenſum jam conſtitutum valore legali. Secundò, conſtituendo novum cenſum ſuper re fructifera aliena, virtute pecuniæ datæ ut cenſus conſtituatur, Tertiò, dando perſonæ certam pecuniæ ſummam ſub onere quòd ex ſua induſtria penſionem annuam ſolvet. Hi tres modi in ſuperioribus continentur. Sic enim mediante pecuniâ cenſus realis vel perſonalis conſtituitur virtute pecuniæ: ita ut fundamentum cenſus vel reditûs, non ſit pecunia, ſed ipſa res vel perſona, ſive ejus labor & induſtria: pecunia autem ſe habeat per modum inſtrumentalis cauſæ, per quam jus illud penſionem percipiendi emitur aut conſtituitur. Undè ratio dubitandi nil concludit: Non enim conſtituitur reditus ſuper pecunia, ſed per pecuniam: Fundamentum autem reditûs eſt res aut perſona non in ſe, ſed quatenùs per laborem & induſtriam fructificat. Quod ulti-

mum ſic declaro: Artifex aliquis non habet
Nota. ex quo officinam ſuam inſtruat ad artem exercendam, do illi ſummam pecuniæ cum onere ut mihi ſolvat reditum annuum provenientem ex arte & induſtria ſua: pecunia eſt inſtrumentum emptionis & conſtitutionis illius juris & reditûs: Fundamentum autem eſt perſona ſuâ induſtria operans. Major difficultas eſt in pecunia, quæ datur mercatori ad mercaturæ lucrum ſalvo capitali. Sed de hac ſtatim.

SECTIO VIII.

De contractu ſocietatis.

Dubium I.

Quæ ſit ſocietas ex contractu, & quæ illius fundamenta ut ſit juſta?

Reſolutio I.

Definitio ſocietatis. *Societas eſt conventio plurium ad aliquid pretio æſtimabile in commune conferendum, in ordine ad exercendum negotiationem, & lucrum ex negotiatione proveniens proportionaliter inter ſocios diſtribuendum.*

Dixi (*conventio plurium*) ad minùs enim ad illam duo requiruntur, ut etiam nomen ſocietatis indicat. Dicitur autem *conventio*: quia eſt contractus quidam conventionalis, mercatorum fide firmatus, quocumque modo fiat.

Dixi (*ad aliquid pretio æſtimabile in commune conferendum*) talia ſunt pecunia, lignum, granum, animalia, induſtria, labor, denique omnia, quæ pretio æſtimari poſſunt: In contractu enim ſocietatis alius confert pecuniam vel rem negotiationi opportunam: alius ſuam induſtriam & laborem: alius rem & laborem, quibus conficitur una communis maſſa vel cumulus rerum negotiationi ſubſervientium: Quæ quidem maſſa ſive cumulus ita communis eſt, ut abſque conſenſu omnium qui in ſocietatem convenerunt, diſtrahi vel alienari non poſſit.

Dixi (*in ordine ad negotiationem*) hîc enim de iſta ſingulari ſocietate agitur, quæ mercaturam pro fine habet.

Dixi (*Et lucrum ex negotiatione proveniens inter ſocios diſtribuendum*) hic enim eſt finis ultimatus ſocietatis, ut de lucro omnes proportionaliter participant.

Proportio autem illa debet attendi ex rationabili æſtimatione rei vel quaſi rei, quæ à
Nota. quolibet in commune confertur: Si enim quæ conferuntur in commune ſunt inæqualia in æſtimatione & ordine in lucrum, inæqualiter diſtributio lucri facienda eſt, uni plùs tribuendo, alteri minùs, juxta ejus quod contulit, prudentem æſtimationem: undè & pecunia, & quæ liberæ res, nec non induſtria ac labor, & expenſæ quæ contribuuntur expendenda ſunt, qualiter & quantùm ad lucrum concurrant, ut inter ſocios juſtitia diſtributiva ſervetur.

Reſolutio 2.

Quinque ad licitam ſocietatem requiſita. *Quinque requiruntur ad licitam ſocietatem fundandam.* *Primum* eſt, ut negotiatio, ad quam refertur, ſit honeſta. *Secundum*, ut inter ſocios communia ſint lucra, expenſæ & damna, ſervatâ proportione, de qua ſuprà. *Tertium*, ut quilibet aliquid conferat, quod reſpectu negotiationis fructificet. Undè etſi pecunia ex ſe non ſit fructifera; expoſita tamen ad negotiationem, mediantibus perſonis, verè fructificat & fructifera dici debet. *Quartum*, ut ſors ſive capitale maneat periculo conferentis, proportione etiam factâ ad communia damna, niſi aliter conventum fuerit, de quo infrà. *Quintum*, ut fides & pacta inter ſocios ſerventur. Hæc enim ſunt, quæ ſocietatem ſtabiliunt & conſervant. Societates itaque, in quibus hæc quinque ſervantur in ratione ſocietatis juſtiſſimæ ſunt, ſi negotiatio inter limites juſtitiæ remaneat, prout ſupponitur ex primo fundamento.

Dubium 2.

An quis in ſocietatem negotiatorum convenire poſſit datâ pecuniâ, capitali, & lucro illius ſalvo?

Senſus dubii eſt: An Titio liceat in ſocietatem convenire pacto facto: quòd dabit in communes uſus negotiationis centum millia florenorum cum aſſecuratione quòd, peractâ negotiatione, capitale illud ſibi ſalvum manebit, & quòd lucrum certum percipiet, utpotè 4.5.6. pro centum? Negant plurimi hoc fundamento: quia hic contractus eſt purè mutuum, & conſequenter lucrum certum, quod ultra ſortem accipitur, eſt uſurarium: Mutuo enim tibi iſtam pecuniam cum aſſecuratione illius, & ex vi hujus mutui exigo à te 4.5. vel 6. in centum, quæ eſt uſura perfecta. *Sententia negativa.*

Reſolutio.

Sententia Authoris affirmativa. *Reſpondeo nihilominus: licere Titio in ſocietatem abſque injuſtitia convenire, collatâ ad mercaturam & negotiationem ſummâ pecuniæ, cum pacto certi lucri, & aſſecurationis ipſius ſummæ capitalis, modò debitæ circumſtantiæ ſerventur.* Ratio eſt: quia pecunia, quatenùs mercaturæ vel negotiationi exponitur, verè induſtriâ mercatoris fit fructifera, quandoquidem negotiatio ex ſe & naturâ ſuâ ſit fructuoſa, nec niſi mediante pecuniâ, vel re pretio æſtimabili fructificet. Cùm igitur negotiatio de ſe ſit honeſta, & cedat in publicam

tam utilitatem, licet ijs omnibus ad illam concurrere, in ſocietatem communem, quibus licet mercari, non tantùm per ſe, ſed etiam per rem ſuam.

Objectio.

Dices: Negotiatio per ſe eſt periculoſa; imò ratione periculorum, damnorum, laborum, expenſarum, ejus lucrum menſuratur, ut ſit juſta: Atqui qui confert ſummam pecuniæ ad negotiationem cum aſſecuratione lucri & capitalis, nulli periculo, nullis expenſis, nulli labori, nullis damnis exponitur (ut ſuppoſitum eſt) Ergò caret omni menſurâ & regulâ juſtitiæ in lucro percipiendo. *Reſp. Neg. Conſeq.* Ad Majorem & Minorem dico: Non ſola pericula, damna, expenſas, &c. eſſe menſuram juſtitiæ in lucro, quod ſocietati ex negotiatione provenit: ſed ſicut abundantia pecuniæ & rei pretio æſtimabilis eſt cauſa majoris lucri, & negotiationis fœcundioris in ſocietate (ubi enim ſunt plurimæ pecuniæ, minoris merces emuntur, & plures acquiruntur) ſic qui maſſam adauget propriâ pecuniâ, etſi in damnis & expenſis non participet, juſtè aliquam partem lucri exigere poteſt, quæ iſti abundantiæ correſpondet: eſt enim pretio æſtimabile, quòd maſſa capitalis ità augeatur, ut merces & lucrum ex iſto augmento notabiliter creſcant. Undè dixi (*licere, modò debita circumſtantia ſerventur*) Circumſtantiæ autem ſunt, Primò, Ut iſta pecunia verè ad negotiationem detur, cujus dominium penes conferentem maneat. Secundò, Ut qui confert, ſimpliciter ex negotiatione lucrum ſperet, quatenùs in illa negotiatione ſua pecunia lucroſa eſt. Tertiò, Ut lucrum non excedat æſtimationem prudentem fructûs, quem iſta pecunia ratione ſolius abundantiæ vel incrementi negotiationi gignit, vel gignere ſolet.

Circumſtantia, quæ ſalvo capitali negotiationem reddunt licitam.

Nota.

Undè non poteſt, qui cum tali aſſecuratione lucri & capitalis in ſocietatem ingreditur, participare tantum de lucro, quantum illi, qui in expenſis, damnis & periculis conveniunt; ſed ut juſtè conveniat, ſufficit ut tantillum participet, quantum in augmento maſſæ pecunia fructificat. Quapropter ſi alij 10. 12. 14. in centum lucrentur ratione damnorum & periculorum, non multum eſt ſi is accipiat 3. 4. 5. quibus æſtimatur ſua pecunia abſque periculo damni fructificare.

Addo nec deeſſe gravia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate ad negotiationem danti, etiam ſalvo illo lucro & capitali. Cùm ſæpè contingat ſocietatem diſſipari, ſocios depauperari, cedere foro, impotes fieri ad reſtituendum, &c. Et ex alia parte privat ſe Titius ſuâ pecuniâ, quàm in certioribus contractibus & negotiationibus, ut emptionibus agrorum & cenſuum, poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia æſtimabilia ſunt.

Nota.

Ad rationem igitur dubitandi *Reſpondeo*: Negando hunc contractum, quem Titius init cum ſocijs, etiam ſalvo lucro & capitali, eſſe mutuum: eſt enim formalis concurſus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, ſed collatam, dominio ipſius penes conferentem remanente: & virtualis negotiatio, quam ſuâ pecuniâ mediante alienâ induſtriâ intendit, & intentio ejus non fertur in lucrum propter mutuum aliquod, ſed propter veram fructificationem, quam ſuâ pecunia mediante in negotiatione facit. Et, ut dixi, pericula aliqua frequenter contingentia non deſunt.

Appendix.

De Montibus Pietatis.

Montes pietatis.

HIc agendum fuiſſet de montibus pietatis: ſed quia tam multa à tam multis de illis hactenùs tractata ſunt, lubens ſuperſedeo, quia plura nonniſi controverſias dormientes abſque fructu ſuſcitarent. Manet quidem hæc mea ſententia menti: quòd niſi æquâ lance juſtitiæ ad limam decreti Leonis X. in Concilio Lateranenſi, quod incipit: *Inter multiplices*: Datum anno 1515. 4 Nonas Maij, omnia reducentur, quidquid de illis ſanctè inſtitutum eſt, in profanas uſuras ebullire, ſancta autem regula juſtitiæ montium pietatis à Leone X. ſacro approbante Concilio, hæc eſt; ut ratione mutui nihil petatur aut ſperetur, &c. Et tantùm *aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad eorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultrà ſortem abſque lucro eorundem montium recipiatur.* Hæc Pontifex. Et ad hanc regulam ſe examinent, qui montes illos adminiſtrant.

Decretum Leonis X. in Concil. Later. pro Montibus pietatis.

Quæ fundamentalis juſtitia Montium pietatis.

Unum addo, quod oblivionis ſepulchro ab Auctoribus opinionum diverſitate rem vento committentibus conditum eſt: orbem debere primam inſtitutionem montium pietatis *B. & venerabili ſervo Dei F. Bernardino de Feltro, Ordinis S. Franciſci Regularis Obſervantiæ, viro doctrinâ & miraculis, ac ſpiritu Prophetiæ primario*: qui pertæſus uſurarum, quibus Judæi ſpecialiter opprimebant Chriſtianos, Paduæ primum totius orbis Monte pietatis ſuâ prudentiâ inſtruxit, erexit, direxit, ut habet *Marcus Ulyſſipsnenſis in Chronicis FF. Minorum p. 3. l. 7. c. 23.* de quo Rodolphius Toſſinianenſis Epiſcopus *l. 1. hiſtor. Seraph.* his verbis: *Padua inſtituit ſacrum Montem pietatis anno 1491. vel potiùs Mare pietatis, quaſi mammam pauperum* CHRISTI, *cum aſſenſu D. Petri Barozzi Epiſcopi Paduæ, pro cujus erectione paſſus eſt multa incommoda.* Quem montem Paduanum ex Bernardo Scarderio *l. 2. hiſt Patavij claſſe 5.* fuiſſe primum in orbe refert *Laurentius Beyerlink* in ſuo theatro vitæ humanæ *V. Montes pietatis*, & per illum montem ſublatas duodecim menſas uſurariorum Judæorum, quæ quintam partem ſortis accipiebant, aſſerit ex eodem.

Nota originem veram Montium pietatis deberi Ordini S. Franciſci.

Toſſinianenſis l. 1. hiſtor. Seraph.

TITU-

TITVLVS VI.

De Reſtitutione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit reſtitutio, & qualiter obliget?

CONCLUSIO I.

Definitio Reſtitutionis.

R*Eſtitutio, eſt actus juſtitiæ, quo redditur vel compenſatur quod injuſtè ablatum vel acceptum eſt ab alio, vel in re aliena damnificatum.*

Dixi (*injuſtè ablatum*) ſub quo furtum, & omnes poſitivæ ſpecies furti continentur.

Dixi (*vel acceptum*) ut omnis fraus, dolus, injuſta acceptio in contractibus mercaturæ, locationis, mutui, &c. comprehendatur. Sub injuſtè etiam ablato vel accepto, intelligitur omne illud quod injuſtè retinetur.

Dixi (*vel in re aliena damnificatum eſt*) ut comprehendantur omnia damna, quæ rebus temporalibus proximi inferuntur conſumptione, impedimento, contrapoſitione, &c. etſi, qui damnum infert, nihil indè ſibi accipiat, vel proficiat.

CONCLUSIO II.

Regula reſtitutionis.

I*N omni re injuſtè ablata vel accepta, in omnique damno illato, auferens, accipiens vel damnum inferens tenetur ſub peccato ad reſtitutionem: ſub peccato quidem veniali, ſi res ſit levis: ſub peccato autem mortali, ſi res ſit gravis.* Concluſio patet ex terminis: Juſtitiæ enim non poteſt ſatisfieri, niſi alienum reſtituatur, aut compenſetur. Tamdiu enim quis alteri cenſetur obligatus, quamdiu aut alienum detinet, aut illatæ injuriæ & injuſtitiæ non ſatisfacit. Undè S. Auguſt. Epiſt. 54. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed, ut dixi, cùm reſtitui poteſt.* Hæc S. Aug.

S. Auguſt. epiſt. 54. ad Maced. circa fin.

Ex quo argumentor: Non remittitur peccatum, niſi vera agatur pœnitentia; ſed ſi res reſtitui poteſt & non reſtituitur, non agitur vera pœnitentia, ſed fingitur, ergo non remittitur peccatum, niſi res, ſi reſtitui poſſit, reſtituatur.

Nota.

Dixi (*ſub peccato veniali, ſi res ſit levis*) averſor enim quorumdam dicta qui aſſerunt hominem non teneri ad reſtitutionem ob furta venialia. Quòd quàm falſum ſit, ex eo manifeſtum eſt, quòd omnis injuſtitia, quamdiu permanet in anima, animam inficiat aliquo peccato: ſed quantumvis rem parvam, quæ alterius eſt, ſcienter & deliberatè detineo, injuſtè detineo: ergo tamdiu injuſtitia in anima remanet, quæ ſolâ reſtitutione, ſi fieri poteſt, tolli poterit. Nam juxta S. Auguſt. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur:* Quod etiam in re parva & veniali contingit, cùm nec veniale peccatum abſque vera pœnitentia remitti poſſit. Quinimò minima furta multiplicata (ut aliàs diximus) etſi in ratione ablationis vel injuſtæ acceptionis peccatum mortale conſtituere non poſſunt, cùm tamen maſſa vel cumulus rei acceptæ ad illam quantitatem pervenerit, ut reputetur res gravis: ratione detentionis rei alienæ in materia gravi, jam conſtituitur homo reus peccati mortalis, ſi non reſtituat cùm reſtituere poſſit. Ut autem hæc omnia clareſcant, procedo ad quæſtiones ſequentes.

S. Auguſt. ſuprà.

Nota.

QUÆSTIO II.

Quis teneatur reſtituere?

CONCLUSIO UNICA.

Regula generalis perſonarũ obligatarũ ad reſtitutionem.

O*Mnis ille tenetur reſtituere, qui rem alienam abſtulit, accepit, vel ſcienter detinet, aut qui rebus proximi damnum intulit:* Item: *Qui furto, vel damno illato, aut dictæ detentioni cooperatur, aut cooperatus eſt.* Hæc concluſio omnes obligatos per modum regulæ generalis comprehendit, quam particulariter declaro.

Dixi igitur (*Qui rem alienam abſtulit, accepit, vel rebus proximi damnum intulit*) ad indicandos primarios fures, raptores, fraudatores vel damnificatores. Hi enim primariò ad reſtitutionem tenentur.

Dixi (*aut illam ſcienter detinet*) ut comprehendatur is, qui à fure rem emit, aut apud quem fur depoſuit, ſi ſciat eſſe alienam. *Item*: Omnis qui rem alienam accommodatam, locatam, impignoratam, aut depoſitam injuſtè ultra tempus vel quovis modo invito Domino detinet.

Dixi (*Item: Qui furto vel damno illato aut detentioni cooperatur, aut cooperatus eſt*) ut includantur omnes, qui juſſione, conſilio, conſenſu, ſilentio cùm tenerentur impedire, recurſu vel ſuſtinentiâ ſive receptatione furum, in actione furti cooperantur, ſive etiam qui obſervatione, vigiliâ, inductione, ſigno, participatione, & aliis quibusvis modis furto vel damno cooperantur: Hi enim omnes in ſolidum ad reſtitutionem tenentur, ſi principales fures, vel aliquis illorum non reſtituat.

Quid res aliena?

Petes primò, quæ cenſeatur res aliena? *Reſp.* Rem illam dici alienam, quæ dominum habet, vel habere putatur.

Ex quo econtrà *dico primò*, illa, quæ numquam habuerunt dominum, ut ſunt gemmæ in mari inventæ, aves vagæ, feræ, &c. non eſſe reſtituenda. *Ratio eſt*: quia reverà nullius adhuc fuerunt. Dico autem (*vaga*) ob feras, quæ in certis locis & ſylvis certi domini quaſi factæ ſunt, aliquâ æſtimatione morali & politicâ.

Theſauri abſconditi cujus.

Secundò, Quæ dominum habuerunt, modò autem non habent: ut ſunt theſauri abſconditi, quorum nulla eſt memoria, illa etiam reſtituenda non ſunt ſaltem in integrum: ſi enim in

loco

locò communi reperiantur, abſolutè nullius cenſentur: ſi in fundo domini certi pars domino, pars altera inventori cedit.

De rebus quarum domini ignorantur.

Petes ſecundò, Quid ſi res putetur habere dominum, aut ſi de facto habeat facta debita diligentiâ & inquiſitione dominus ignoretur? *Reſp.* Similia pauperibus eſſe diſtribuenda: quod ſi is, qui invenit, eſt pauper, juxta rationem paupertatis aut totum aut partem ſibi retinere poteſt.

Hîc multa exemplificanda eſſent ad diſtinctam magis explicationem, ſed hoc ad tertium Tomum de peccatis cujuslibet ſtatûs referemus. Interim quilibet ex particulis appoſitis quorumlibet caſuum ſummatiam reſolutionem deducere poteſt.

QUÆSTIO III.

Quid, quomodo, quando, quo ordine eſt reſtituendum?

CONCLUSIO I.

Quid reſtituendũ.

R*Es ipſa ablata vel accepta, ſi extet, reſtituenda eſt: Si non extet, aut non poſſit commodè reſtitui, æquivalens reſtituendum eſt: Et generaliter omne damnum in æquivalenti eſt compenſandum.* Concluſio ex natura reſtitutionis & juſtitiæ eſt clara.

Nota.

Dixi verò (*ſi res non extet, &c. æquivalens reſtituendum eſt*) Illa porrò æquivalentia ſive æqualitas in re certa certò definiri poteſt: In re verò incerti pretii, judicio viri experti & prudentis eſt determinanda.

CONCLUSIO II.

Quomodo res reſtituenda.

R*Es ablata, ſi fieri poteſt, tota ſimul eſt reſtituenda, ſin minùs, per partes: Per quemcumque autem aut quomodocumque id fiat, indifferens eſt, modò benè reſtituatur.* Et hæc concluſio ex ſeipſâ eſt manifeſta.

CONCLUSIO III.

Quando reſtituendum.

Q*Vi non reſtituit, quando poteſt, eamdiu, ſi materia eſt gravis, in peccato mortali exiſtit, quamdiu eſt in mora culpabili non reſtituendi.* Hæc concluſio aliquot dubiolis declarari debet.

Petes itaque *primò*, quando cenſeatur quis eſſe in mora reſtituendi, ita ut peccet? *Reſp.* Moram illam moraliter & commodè intelligendam eſſe: nimirùm: cùm ſine aliqua gravi incommoditate, & exiſtente opportunitate ſciens, & advertens in longum tempus reſtitutionem differt. Undè in continuo peccato ſunt,

Nota.

qui abſque ulla vera causâ differunt in tempus longum. *Ex. gr.* uſque ad morbum ſupervenientem, aut in finem vitæ, aut in hæredes transferunt reſtitutiones faciendas. Et ſi interim ſuâ culpâ fiant impotes reſtitutionis, mortaliter peccarunt ob reſtitutionis dilationem, etſi durante impoſſibilitate à reſtitutione actuali excuſentur.

Cauſa differendi reſtitutionem.

Petes ſecundò, quæ ſint cauſæ juſtæ reſtitutionem differendi? *Reſp.* Duas eſſe cauſas potiſſimùm. Prima, propria neceſſitas, quam, ſi reſtituat modò, incurret: ita ut reſtituendo vel in gravem inopiam incidet, aut de ſtatu decenti notabiliter decidet cum aliqua infamia. Secunda, damnum grave in rebus animæ, corporis vel fortunæ, quod reſtituendo modò incurrere deberet.

CONCLUSIO IV.

Quo ordine reſtituendum.

O*Rdo certus reſtitutionis in foro interno vix jure naturali conſtitui poteſt, etſi jura civilia aliquid pro foro externo juxta rationem regionum ſtatuerint.*

Dico tamen *primò*, Commodata, depoſita, pignora, mutuo accepta, primò reſtitui debent. Hæc enim præter rationem juſtitiæ, fidelitatem hominis ſibi obligatam retinent.

Secundò, Certa debita debent præferri incertis & dubiis.

Tertiò, Conſiderandam credo in omnibus neceſſitatem illius, cui facienda eſt reſtitutio, in illo enim urget frequenter ultra rationem juſtitiæ, ordo, imò & debitum charitatis.

QUÆSTIO IV.

Quæ à reſtitutione excuſent?

CONCLUSIO I.

Obligatio reſtitutionis perpetua.

N*Vnquam homo in vita ſua ab habituali & radicali obligatione reſtituendi, ſive compenſandi damnum proximo illatum, excuſatur ante reſtitutionem vel compenſationem, niſi ſolâ condonatione illius, à quo res ablata vel accepta eſt, aut cui damnum juſt illatum, vel ipſius hæredum ſive eorum, ad quos jus in rem devolutum eſt.* Ratio eſt: quia reſtitutio & compenſatio ſunt actus juſtitiæ. Undè ſi toto decurſu vitæ poſſibilitas illi ſuperveniat ut reſtituere commodè & opportunè poſſit, obligatio reſurgit.

Dixi (*niſi ſolâ condonatione, &c.*) condonatio autem illa debet eſſe libera, abſque fraude vel dolo.

CONCLUSIO II.

Caſus excuſantes à reſtitutione.

Q*Vinque caſus ſunt, in quibus aliquis à reſtitutione excuſatur.*

Primus, Ignorantia juris vel *facti*, circa rem; ut cùm ignoro, an ſit aliena, vel an reſtituere tenear.

Secundus, Neceſſitas: ſi ſine periculo vitæ, vel graviſſimo damno ſui quis reſtituere nõ poteſt.

Tertius, Impotentia: quò refertur ceſſio bonorum, tamquam ſignum omnimodæ impotentiæ & inopiæ: Si tamen ſit vera, & fraudibus ac dolis non ſit immixta.

Quartus, eſt *compenſatio ſecreta* priùs facta: utpotè: ſi ad hunc effectum, officium, obſequium, operam æquivalentem abſque mercede impenderim, aut alio modo ſatisfecerim ei cui obligabar, etiamſi ignoret,

Quintus,

Quintus, Si *jure* legitimè *præſcripſerim*, aut *uſucaperim*, ſuper quo ultimo pono ſequentem Appendicem.

Appendix.

De præſcriptione & uſucapione.

ADvertendum eſt: Ad tollendam confuſionem litium & cauſarum, quæ in repetitionibus rerum ſucceſſu temporis inter homines oriri poſſent, dum aliquis bonâ fide diu poſſidet rem aliquam, quam credidit eſſe ſuam, aut ignoravit eſſe alienam, leges politicas & civiles poſuiſſe certos terminos, quibus tranſactis res jure à prioribus dominis vel eorum hæredibus repeti non poſſent, ſed in dominium poſſeſſoris alieni tranſirent per præſcriptionem, ut dicunt, vel uſucapionem, pro quorum terminorum claritate pono duas propoſitiones.

Cauſa inſtituta præſcriptionis.

Propoſitio 1.

Definitio præſcriptionis.

PRæſcriptio: *Eſt acquiſitio dominii rerum immobilium, per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei, ſub titulo juſto probabili, tempore à lege definito.* Ex qua diffinitione ſequentes conditiones ad legitimam præſcriptionem colliguntur.

Conditiones legitimæ præſcriptionis.

Prima, ut *ſit res immobilis*: Ad res immobiles pertinent officia, beneficia, jura, & juriſdictiones perpetuæ, quæ rebus immobilibus æquiparantur.

Secunda, ut *res poſſideatur actu*: abſque enim poſſeſſione actuali non currit præſcriptio. Ex *Regula juris in 6.* ſine poſſeſſione non currit præſcriptio.

Tertia, ut *bonâ fide & conſcientiâ res poſſideatur.* Undè poſſeſſor malæ vel dubiæ fidei non præſcribit. *De Regulis juris in 6.*

Quarta, ut ſit *Titulus juſtus probabilis.* Titulus autem probabilis dicitur, qui probabiliter adjudicat rem poſſeſſori ſuo.

Quinta, ut *poſſeſſio cum titulo juſto & bonâ fide non interrumpatur*, ſed continuet toto tempore à lege ad præſcriptionem præſcripto. Et quidem bona immobilia Laicorum præſcribuntur, lege C. *Sanctorum de præſcriptionibus*, quod triginta annos ſimpliciter requirit, cum titulo inter præſentes decem, inter abſentes viginti, ſine titulo triginta: Eccleſiaſticorum quadraginta: Eccleſiæ Romanæ centum. Et alia tempora legibus variis in rebus diverſis præfiguntur.

Propoſitio 2.

Quid. uſucapio.

USucapio *non diſtinguitur à præſcriptione, niſi quòd verſetur circa res mobiles. Tempus verò uſucapionis, aſſignatur trium annorum: modò, ſicut in præſcriptione, ſit poſſeſſio actualis, cum juſto titulo probabili & fide bona interrupta.* Hæc quidem quoad ſeptimum præceptum.

SCHEMA

Super 7. præcepto Decalogi

Non furtum facies. Exodi 20.

Non furtum facies. Exod. 20.

Hoc præcepto prohibetur omnis injuſtitia in bonis proximorum, nimirùm In { Uſurpatione / Detentione / Damnificatione } injuſta per { Furtum ſimplex / Plagiarum / Peculatum / Sacrilegium / Rapinam. } pro quibus obligatur reus ad reſtitutionem.

Porrò ſicut res diverſis Titulus ſunt noſtræ nimirùm { Hæreditate / Donatione vel legato } Ita ut in omnibus illis variæ injuſtitiæ committantur. De quibus omnibus latè toto Tract. 8.

{ Legitimâ acquiſitione } { Labore & induſtriâ, / Mercaturâ & negotiatione, / *Sub quibus omnibus continentur omnes contractus;* / Præſcriptione & uſucapione.

TRAC-

TRACTATUS NONUS
DE
OCTAVO PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Exod. 20. verſ. 15.

TITVLVS PRIMVS
DE
SVBSTANTIA HVIVS PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.

Quid prohibeatur aut præcipiatur hoc præcepto, Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium? *Exod. 20. v. 15.*

ADvertendum eſt primò, hoc præceptum, etſi formaliter ſit negativum, includere tamen etiam affirmativum, ſicut & de aliis præceptis notavimus: quod affirmativum eſt: *In teſtimonio dicet ſemper veritatem.*

Advertendum ſecundò, Dupliciter hoc præcepto aliquid prohiberi vel præcipi. Primò, *formaliter,* & ex vi verborum. Secundò, *virtualiter* & ſecundariò, quatenus ex ſubſtantia verborum nonnulla deducuntur, quæ ratione finis vel cauſæ prohibitionis, eadem omninò ſunt, aut ſaltem eodem nituntur fundamento. Quæ duo in ſequentibus explicabuntur.

CONCLUSIO I.

Duo formalia præcepti.

DUo formaliter in ſubſtantia hujus præcepti continentur Unum negativum, nimirùm: *cùm in judicio quis teſtis adhibetur non mentiri mendacio pernicioſo, ſive, quod proximo inferat aliquod nocumentum injuſtum* (hoc enim eſt propriè loqui contra proximum falſum teſtimonium) alterum verò eſt affirmativum, videlicet: *Cùm quis teſtis in judicio vocatur, ut dicat veritatem, ſeu, ſi teſtimonium ferre debeat, verum teſtimonium ferat.*

CONCLUSIO II.

Triplex peccatum falſi teſtis in judicio.

TRipliciter peccat teſtis in judicio contra hoc præceptum formale. Primò, ſi falſum teſtetur. Secundò, ſi veritatem taceat. Tertiò, ſi veritatem diſſimulet, aut aliquâ arte vel amphibologiâ eludat in proximi injuſtum nocumentum.* Ratio eſt: quia in ratione finis principalis æquiparantur falſum dicere, verum tacere, & veritatem diſſimulare, ſi ex falſitate vel ſilentio aut diſſimulatione mea nocumentum proximo inferatur.

CONCLUSIO III.

SEcundariò prohibetur hoc præcepto omne mendacium, & vitium linguæ, quo proximo in vita, corpore, fama, bonis ſpiritualibus & temporalibus nocumentum infertur; vel inferri poteſt.* Ratio fundamentalis eſt: quia non prohibetur hoc præcepto falſum teſtimonium, niſi quia eſt locutio contra veritatem, quæ proximo infert aliquod injuſtum nocumentum: Ergo omnis locutio contra veritatem per quam injuſtum nocumentum proximo cauſatur, ſimilitudine rationis prohibetur.

Omne mendacium & vitium linguæ hoc præcepto prohibetur.

Ex quo *infero*: Quòd ſicut nomine furti tamquam notiori analogato omnis injuſtitia proximi bonis velut manu illatâ prohibetur: Ita nomine falſi teſtimonii omnis injuria, quæ linguâ infertur, ex conſequenti prohibita cenſetur & omne nocumentum & injuſtitiæ genus, quod verbo proximo inferri poteſt, interdicitur. Et ita intellexit S. Greg. *l. 3. moral. c. 8.*

S. Greg. l. 3. moral. c. 8.

Porrò ſub *verbo* intelligo etiam *Scripturam,* quæ eſt verbi quoddam ſupplementum. Non enim minùs, imò ampliùs & pernicioſiùs proximo nocetur teſtimonio vel quovis verbo ſcripto, quàm voce prolato: Eò maximè quòd littera ſcripta maneat, & omnibus in infamiam proximi obvia fiat.

Sub verbo etiam Scriptura vel alia ſigna comprehenduntur.

CONCLUSIO IV.

PRæcipua capita vitiorum linguæ hoc præcepto prohibita ſunt, falſum teſtimonium, mendacium, diffamatio, detractio, calumnia, contumelia, convitium, irriſio, de quibus omnibus hoc Tractatu.* Dico *præcipua.* Multa enim alia dinumerari poſſent, ſed ad has ferè ſpecies reducuntur. De vitiis multiplicibus linguæ infinitum quidpiam proloquitur Jacobus epiſt. c. 3. *Lingua* (ait) *ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Infrà: *Omnis enim natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentum & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana; Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.*

Capita præcipua vitiorum linguæ.

Iacob. 3. v. 6. 7. Verſ. 8.

TITVLVS II.

De falſo teſtimonio.

QUÆSTIO I.

An omnis falſitas in judicio ſit peccatum mortale?

CONCLUSIO UNICA.

Qua falſitas in judicio ſit peccatum mortale.

OMnis falſitas in judicio, quâ judicij veritas pervertitur, aut proximo nocetur, à quocumque ſcienter & deliberatè committatur, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; niſi levitas materiæ excuſet.

Dixi (*Quâ judicij veritas pervertitur*) quia enim in judicio eſt ſedes veritatis, & ab omnibus in judicio veritas requiritur: Qui ſcienter & deliberatè falſitate judicium inficit & pervertit, etſi nullum aliud damnum ſequeretur, gravi injuriâ ipſam veritatem à Deo in judice velut depoſitam afficit. Dominus enim conſtituit judices tamquam depoſitarios veritatis & æquitatis.

Dixi (*aut proximo nocetur*) hoc enim eſt alterum fundamentum peccati & malitiæ, ſi per falſitatem proximo nocumentum injuſtè inferatur.

Dixi (*ſcienter & deliberatè*) quod ut benè intelligatur, notandum eſt: ſcientiam veritatis in teſte vel alio quovis ad judicium concurrente duplicem requiri. Prima, ut ſciat ſe contra mentem non loqui. Secunda, ut ſciat conceptui & verbis ſuis veritatem ſubeſſe. *Ex. gr.* Cùm teſtor Petrum furatum fuiſſe centum aureos: non ſufficit, quòd ita credam, aut opiner, vel in mente judicem: ſed debeo etiam certus eſſe rem ita ſe habere, & furtum à Petro commiſſum eſſe: undè non excuſatur à falſitate, qui quod credit eſſe teſtatur, niſi etiam de certitudine rei ſecurus ſit. Aliàs enim de rei veritate teſtari non poteſt. Hinc non debet teſtis in judicio teſtari de eo, quod tantùm putat, aut credit eſſe, ſed de eo de quo ei conſtat ita eſſe. Qui ergo ſcienter & deliberatè teſtatur aliquid eſſe, ex eo quòd ſolùm ſic eſſe credat, ſi à parte rei non ſit, falſitatem in judicio committit. Aliud eſt, ſi tantùm dicat ſe credere aut opinari rem ita ſe habere.

CONCLUSIO II.

Teſtis falſus tenetur ad reſtitutionem.

QVi falſitatem in judicio commiſit, ex qua proximo injuſtum aliquod nocumentum evenit, tenetur ad reſtitutionem & compenſationem debitam. Et ſi nocumentum ex ſua falſitate necdum evenit, tenetur, ſi poteſt, etiam cum pari periculo, quale eſt nocumentum illud, ſuam falſitatem revocare, vel de falſitate ſua eos, ad quos rei ſpectat, informare.

Concluſio clara eſt. Qui enim nocumentum intulit vel nocumento cauſam dedit, ſatisfactionis vel compenſationis eſt debitor, cùm injuſtitiæ illius ſit cauſa efficax.

Nota.

Dixi (*ex qua proximo injuſtum aliquod damnum evenit*) ſi enim reus jam per alios falſos teſtes numero ſufficientes convictus fuit, ita ut teſtimonium falſum à ſubſequente datum nil conferat ad ejus condemnationem, etſi ille teſtis ſubſequens mortaliter peccaverit, non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia illius teſtimonium ad damnum ſecutum, ut ſupponitur, nil contulit.

Dixi (*ſi nocumentum necdum evenit, tenetur revocare, &c.*) Etſi enim non tenear exponere vitam meam pro alterius vita ſimpliciter in pari cauſa innocentiæ: ſi tamen meâ culpâ injuſtè alterius vita vel bona periclitentur, teneor, ſi peccatum novum & obligationem damni reſarciendi evitare volo, pari periculo me exponere, ſi aliter illum liberare non poſſum.

Corollarium.

Reductionis caſuum falſi teſtimonii.

Peccata ad falſum teſtimonium reducta.

EX his conſtat: non ſolùm falſos teſtes, ſed etiam eos, qui illos ad id quomodolibet induxerunt, eſſe reos peccati, & obligationis ex falſo teſtimonio reſultantis. *Item*: Accuſatores, Advocatos, Tabelliones, Notarios, Procuratores, ſatellites, ipſoſque judices, qui verbo vel ſcripto aut ſigno ad falſitatem aliquam in judicio cooperantur, contra hoc præceptum impingere.

QUÆSTIO II.

An teſtis teneatur ſemper in Iudicio teſtari, & veritatem aperire?

CONCLUSIO I.

Qui tenetur teſtari tenetur dicere veritatem.

QVi obligatur teſtimonium ferre, tenetur in veritate teſtari, nec poteſt veritatem abſque peccato retinere, aut aliâ viâ eludere. Ratio ſumitur ex neceſſaria conſequentia: Qui enim ad unum tenetur, tenetur & ad aliud quod eſſentialiter illi conjunctum eſt; Teſtimonio autem ut teſtimonium legitimum ſit, eſſentialiter veritas eſt conjuncta.

CONCLUSIO II.

Qui non obligatur teſtari, poteſt veritatem tacere.

QVi non obligatur ad teſtimonium ferendum: poteſt veritatem tacere, ſive quovis modo licito eam diſſimulare, aut etiam judicium declinare. Ratio ſimiliter ex neceſſaria conſequentia concludit. Si enim ad unum non teneor, nec teneor ad id quod neceſſariò illud concomitatur. Cùm igitur veritas teſtimonium ut ejus modus & finis eſſentialis concomitetur, ſi ad teſtimonium ferendum non teneat, nec teneor ad veritatem manifeſtandam.

Nota.

Dixi (*Poteſt veritatem tacere, &c.*) Non enim poteſt mentiri aut falſum dicere, quia eo ipſo quo quis vult loqui, ex natura rei tenetur

verum

verum dicere. Ut verò hæ concluſiones meliùs intelligantur, pono duo Dubia ſequentia.

Dubium 1.

In quibus caſibus tenetur quis teſtimonium ferre?

Duplex obligatio teſtandi.

DUplex hic præmittenda eſt obligatio: Alia enim eſt *obligatio ex juſtitia*: Alia eſt *obligatio ex charitate* tantùm, quamvis utraque interdùm in eadem perſona concurrat. *Reſpondeo* itaque *primò*, eum ex juſtitia teneri juridicè teſtari, qui legitimè à judice citatus & vocatus eſt, ut in caſibus ſequentibus, Primò, ſi reus jam laborat infamiâ, & contra eum delictum jam ſemiplenè probatum eſt. Secundò, ſi via accuſationis teſtis de ſcientia criminis notatus eſt, & judex mandat ut teſtetur. Tertiò, ſi à judice adjuratus juravit ſe veritatem dicturum, & teſtaturum. Quartò, ſi Reſpublica & bonum commune periclitetur, nec poſſit niſi per ejus teſtimonium juridicum averti. In his autem omnibus caſibus poteſt etiam judex cogere ad juramentum, & teſtis tenetur obedire.

Caſus in quibus quis tenetur ex juſtitia teſtari.

Quis obligetur teſtari ex charitate.

Reſp. ſecundò, Ex charitate tenetur quis teſtimonium ferre: quando proximi fama, vita, bonum privatum periclitatur, & malum poteſt impediri. Vide quæ diximus de præcepto charitatis proximi Tract. 2. *Advertendum* porrò eſt: eum qui tenetur ex juſtitia teſtari, ſi ex ejus taciturnitate, diſſimulatione vel amphibologiâ damnum proximo eveniat, teneri ad reſtitutionem: Qui verò ſolùm tenetur reſtificari ex charitate, etſi mortaliter peccet non teſtando, ad reſtitutionem tamen non tenetur.

Nota.

Dubium 2.

In quibus caſibus excuſetur quis à teſtimonio ferendo?

Caſus in quibus excuſatur quis à teſtando.

REſpondeo. In pluribus caſibus excuſari. *Primò*, ſi id, de quo teſtandum eſt, ex ſola ſacramentali confeſſione novit.

Secundò, Si ſub naturali ſecreto obligante notitiam rei accepit, utpotè: ſi ad honeſtum conſilium pro ſalutis remedio expoſtulandum id ei patefactum fuit. Secretum enim naturale in ſimilibus primariò obligat, ob univerſalem obligationem humanæ communicationis & ſocietatis publicum ac neceſſarium bonum.

Nota benè de ſecreto.

Dixi (*ſi ſub ſecreto naturali obligante*) non enim omnia, quæ nobis ſub ſecreto communicantur, ſub ſecreto ſunt ſervanda. Si enim non communicetur ad legitimum & honeſtum finem, illi ſecreto derogatur per aliud præceptum, quo non teneor ſecreto in damnum grave publicum, vel tertii etiam privati: ut ſi quis proditionem civitatis, quam vult facere, mihi indicet, ſi conſilio meo & medio privato à prava ſua voluntate non appareat receſſurus, teneor indicare, vel alio modo malum avertere: quia bonum commune debet præferri privato, & illegitimè ſub ſecreto naturali accipio, quod divino humanoque jure tacere non poſſum, niſi, ut dixi, aliter impedire poſſim. Et eodem modo de damno tertii avertendo concludendum eſt.

Tertiò, ſi auctor criminis nullâ laborat infamiâ, nec ex ipſius crimine aliquod malum ulli imminet, teſtis tacere poteſt.

Quartò, ſi meum teſtimonium nil ad finem, ad quem poſtulatur, conferre poſſit.

Quintò, ſi teſtimonium requiritur contra reum de re, quam conſtat mihi non eſſe malam, ut petitur teſtimonium: An non viderim Joannem Lupanar intrantem: ſi ſciam ipſum lupanar quidem intraſſe, ſed ob finem bonum & abſque ſcandalo, tacere poſſum, & diſſimulare. Quia de illicito vel ſcandaloſo ingreſſu cenſetur judex inquirere.

Sextò, ſi plenè rei veritatem non ſcio, ſed tantùm ex auditu perſonarum, quæ non ſunt omni fide dignæ: In hoc caſu habeor tamquam neſciens, & tacere vel diſſimulare poſſum.

Septimò, Quando mihi vel meis grave damnum vel periculum ex teſtimonio imminet, non teneor teſtari: niſi ex officio ad avertendum malum etiam cum meo periculo tenerer.

TITVLVS III.

De Mendacio.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit mendacium?

CONCLUSIO I.

M*Endacium*: *Eſt falſa ſignificatio enuntiationis prolata contra mentem proferentis intentione fallendi*: ſicut & *mentiri*: *Eſt contra mentem loqui, cum intentione fallendi*. Sumuntur ex S. Auguſt. *l. de mendacio cap. 4.*

Dixi (*fâlſa ſignificatio enuntiationis*) in voce enim ſimplici per ſe quatenùs ſimplex eſt, ſicut non datur falſitas, ſic nec datur mendacium, ſignificatio autem falſa dicitur non ſimpliciter in ſe, ſed quatenùs falſitatem in alterius mente generat, etſi enuntiatio in ſe materialiter aut etiam formaliter ſit interdùm vera; undè S. Auguſt. ſuprà c. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat.* S. Auguſt. ſup. c. 3.

Dixi (*prolata cum intentione fallendi*) ſi enim profero falſam enuntiationem putans eſſe veram, aut cum circumſtantiis indicantibus falſitatem, non cenſeor velle fallere, & conſequenter non eſt mendacium; ut, qui fabulam tamquam fabulam narrat, vel, ſi ut hiſtoriam; novit tamen audientes non credituros, non mentitur, ſicut nec qui hyperbolicis vel figuratis

utitur vocibus. Undè Jacob non mentiebatur, cùm dicebat ſe eſſe Eſau primogenitum: conditio enim Eſau primogeniti in illum tranſlata erat, cùm jam illi Eſau etiam dato juramento ſua primogenita vendidiſſet ob pulmentum ruffum & lentis edulium. Vide *Gen. c. 25.* quod & ipſe Eſau fatetur *cap.* 27. poſtquam Jacob præripuerat ei benedictionem.

Geneſ. 25. & 27.

CONCLUSIO II.

Mendaciū triplex.

T*Riplex eſt Mendacium:* nimirùm: *pernicioſum, officioſum & jocoſum.*

Pernicioſum dicitur: Quod ex ſe nocet illi, cui dicitur, aut alteri, de quo dicitur, vel ad quem mendacium refertur.

Officioſum dicitur: Quod nemini nocet, ſed in favorem vel utilitatem mentientis, aut alterius profertur: undè dicitur à nomine *Officium*: quaſi is, qui mentitur, ſibi vel alteri aliquod officium per ſuum mendacium præſtare velit.

Jocoſum eſt: Quod fit ad recreationem abſque nociva deceptione illius, cui, vel de quo dicitur.

QUÆSTIO II.

Quale peccatum ſit Mendacium?

CONCLUSIO I.

P*Ernicioſum mendacium ex genere ſuo eſt mortale peccatum, niſi levitas materiæ excuſet.* Ratio eſt, quia in primis per ſe & ex natura ſua eſt malum: falſitatem enim includit, & veritati, quæ locutioni ex inſtitutione naturæ rationalis ineſſe debet, opponitur: deindè nocumentum infert, quod utique, ſi grave ſit, peccato mortali materiam ſubminiſtrat. Et de hoc mendacio intelliguntur Scripturæ: Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium:* Sap. 1. *Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Apoc. 21. *Omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Et cap. 22. excluditur à ſancta civitate cœleſti: *qui amat & facit mendacium.*

Pſal. 5. 7. Sap. 1. verſ. 11. Apoc. 21. verſ. 8. Et 22. verſ. 15.

CONCLUSIO II.

Mendaciū officioſum & jocoſū peccata ſunt venialia.

M*endacium officioſum & jocoſum naturâ ſuâ ſunt peccata venialia.* Ratio eſt: Quia etſi veritati debitæ ineſſe contrarientur, & conſequenter ſint peccata, ut ex vi tamen nominis indicatur, nemini nocent, ſive nullum inferunt detrimentum, ideoque æternâ pœnâ non videntur digna, nec ſub mortali prohiberi.

Advertendum verò eſt: Jocos quoſdam, qui videntur eſſe mendacia, ut plurimùm mendacia non debere reputari: quia, ut benè notat S. Auguſtinus in Pſal. 5. *Qui joco mentitur, non fallit.* Imò addo, propriè fallere non intendit, ſed ſuum, aut alterius intellectum exercere. Undè idem S. l. de Mendacio ad Conſentium cap. 2. *Exceptis igitur jocis* (inquit) *qui nunquam ſunt putata mendacia, habent enim evidentiſſimam ex pronuntiatione atque ipſo jocantis affectu ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enuntiantis.*

Nota. Aug. in Pſalm. 4.

Et l. de Mendac. c. 2.

Advertendum ſecundò, Ex vario fine varias mendaciorum conditiones afferri. Et quidem *S. Auguſt. l. de mendacio c.* 14. octo mendaciorum genera ponit. *Primum*, Quod fit in materia Religionis & doctrinæ ſalutaris, ut ſunt hæreſes & doctrinæ perverſæ in materia morum, quorum auctores & ſeminatores dicit Apoſtolus ad Roman. 1. *Commutâſſe veritatem Dei in mendacium. Secundum*, Quod nulli prodeſt, & alicui nocet. *Tertium*, Quod ita prodeſt uni, ut alteri obſit. Et hæc tria propriè ad mendacium pernicioſum ſpectant. Et primum quidem pernicioſiſſimum eſt ob gravitatem nocumenti in re neceſſaria ad ſalutem. Secundum minùs quidem grave primo gravius tamen tertio. Tertium minùs grave duobus prioribus. Etſi tamen ſemper habenda ſit ratio, nocumenti in qualitate, & quantitate rei, in qua nocumentum infertur; imò & ratio perſonæ, cui nocetur. Quæ quidem ex dictis in alijs præceptis expendenda ſunt. *Quartum* mendacij genus à S. Auguſtino allatum eſt: Quod ſolâ mentiendi, fallendique libidine fit: quod quidem ſi cum nocumento ſit conjunctum, ad pernicioſum mendacium pertinebit: ſi verò nullum ſequatur nocumentum, ad officioſum, aut ad jocoſum mendacium reducitur. *Quintum*, Quòd fit ſolâ placendi cupiditate in eloquij elegantia. *Sextum*, Quod nulli obeſt & alicui prodeſt in re aliqua exteriori. *Septimum*, Quod & nulli obeſt, & alicui prodeſt ad vitam corporalem extrà judicium. *Octavum*, Quod & nulli obeſt, & ad hoc prodeſt, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur. Quæ quinque ultima ad officioſum mendacium ſpectant, & ad utilitatem aliquam referuntur, vel ad animi recreationem, ut in quinto, vel in bonis externis, ut in ſexto, vel ad evitandum damnum vitæ extra judicium, vel juridicam actionem, quam impedire non licet, ut in ſeptimo, vel ad caſtitatem tuendam, ut in octavo. Quartum etiam pro poſteriori ſui parte ad officioſum mendacium reduci poteſt.

Octo genera mendaciorum.

Et cap. 14.

Rom. 1. verſ. 25.

QUÆSTIO III.

An aliquo caſu licitum ſit mentiri?

N*On* modica ſuper hac Quæſtione controverſia interdum fuit, etiam inter Patres ob varia quæ in Scriptura leguntur a perſonis juſtis & ſanctis facta, quæ prima facie mendacia videbantur: ut de Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph. obſtetricibus Ægypti, Rahab, David, Elizeo; imò & de CHRISTO Salvatore noſtro in Evangelio: qui uſi ſunt verbis nonnullis, quæ in mente audientis videbantur quandam generare deceptionem; imò & ex intentione deceptionem actu cauſabant.

Gen 20. 22. 26 27. 42. 44. Exod. 1. Joſ. 2. 1. Reg. 20. & 21. 4 Reg 6. Marc. 13. Joan. 7.

CON

CONCLUSIO UNICA.

Mendacium nullo casu licitum.

Non licet in ullo caſu abſque peccato ſaltem veniali mentiri. Hanc concluſionem docet S. Aug. lib. duobus: Altero quod *de mendacio* inſcripſit: Altero *contra mendacium.* Et quidem concluſio conformis eſt S. Scripturæ Eccleſiaſtici 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Ad quam Scripturam reſpiciens Innocentius III. ſcribens Panormitano Archiepiſcopo, ut habetur *Tit. de uſuris c. ſuper eo,* dixit Scripturam ſacram prohibere pro alterius vita mentiri. Undè iterùm Eccli 7. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Levit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum.* Ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem,* &c. Et Pſalmiſta Pſalm. 118. orat. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque.* Et Joann. 8. Diabolus vocatur *pater mendacij,* & qui mentiuntur dicuntur *filij diaboli:* ſicut & dicitur omne mendacium à Diabolo eſſe, Matth. 5. *Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt: Non, Non, quod autem his abundantiùs eſt, à malo* (id eſt à Diabolo) *eſt.*

Eccli. 4. v. 24. — Eccli. 7. v. 14. — Levit. 19. v. 11. — Epheſ. 4. v. 25. — Pſ. 118. v. 43. — Joann. 8. v. 44. — Matth. 5. v. 37.

Ratio verò fundamentalis eſt: quia, ut diximus, mendacium ex genere ſuo eſt malum, & veritati, quæ locutioni ineſſe debet, ex natura ſua opponitur. Ad allegata facta Patrum. *Reſp.* illa licitis amphibologiis, figuris & permiſſivæ deceptioni, quæ etiam juſta eſſe poteſt & licita, involuta eſſe. Undè S. Auguſt. l. contra mendacium c. 15. *Quando* (inquit) *nobis de Scripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla; aut mendacia non ſunt, ſed putantur eſſe dum non intelliguntur; aut ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt.* Qualiter autem non ſint mendacia, præclarè explicat c. 10. ejuſdem libri. Vide totam reſolutionem apertè à fundamentis deductam hoc *Tomo Tract. 3. tit. 2. q. 4. 5. de amphibologia concl.* 1. 2. 3. & 4.

Auguſt. l. contra mendacium cap. 15. — Et c. 10.

TITVLVS IV.

De detractione & diffamatione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit detractio & diffamatio, & qualiter ab invicem diſtinguantur?

CONCLUSIO I.

Definitio Detractionis.

Detractio eſt alienæ famæ injuſta ablatio, ſive imminutio per verba occulta.

Dixi (*aliena fama*) quæ, nimirùm, ſupponitur eſſe. Si enim is, de quo loquimur, jam famam perdidit ſaltem apud audientes, non cenſetur detractio.

Dixi (*injuſta ablatio,* &c.) ſi enim id juſtè fiat, detractio non eſt.

Dixi (*per verba occulta*) ut diſtinguatur à *diffamatione, contumelia* vel *convitio* ſive exprobratione publicâ alicujus criminis.

CONCLUSIO II.

Definitio diffamationis.

Diffamatio, prout in malam partem accipitur, eſt famæ alienæ vel propriæ injuſta & publica ablatio ſive diſſipatio.

Nota.

Ex quibus conſtat qualiter *detractio* à *diffamatione* differat: etſi enim utraque ſit famæ alienæ ablatio vel diſſipatio ſive imminutio: *detractio* tamen ex ſua natura eſt ſecreta, *diffamatio* autem publica. Nec ullus ſuæ famæ propriè detrahit: poteſt autem quis ſeipſum diffamare, & famam bonam, quam apud aliquos poſſidet, præſcindere & diſſipare.

QUÆSTIO II.

Quibus modis detractio aut diffamatio contingat?

CONCLUSIO UNICA.

Modi quatuor directi detractionis.

Quatuor ferè modis directis ſolet fieri detractio vel diffamatio. Primò, crimen falſum proximo imponendo. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, crimen verum ſed occultum publicando, nullo ordine juris ſervato. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum. Indirecti modi ſunt: *Primus,* diſſimulando, ſi ex diſſimulatione vel taciturnitate noſtrâ fama aliena injuſtè imminuatur vel periclitetur. Qui modus concernit perſonas illas, quæ tenentur & poſſunt veritati teſtimonium reddere, aut detrahentem impedire; ſive etiam in judicio in favorem diffamati, vel ejus cujus fama periclitatur, reſpondere. *Secundus* modus conſiſtit in quorundam frigida laudatione, vel permixtione vitiorum alienorum in ſua narratione ſeu laudatione, ex quibus ſæpè plùs decreſcit honor laudati, & apud audientes minuitur, quàm ſi de eo malè loquerentur. *Tertius,* dum quis negat aut minuit alterius laudabile factum. Hi porrò omnes modi duobus verſibus ſequentibus indicantur. Directi quidem iſto: *Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.* Indirecti autem: *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſè.*

Modi indirecti.

QUÆSTIO III.

Quale ſit peccatum detractio?

CONCLUSIO I.

Detractio eſt mortale peccatum.

Detractio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, & eo gravius, quo majoris boni eſt deſtructiva, nimirùm famæ, quæ homini eſt vitâ charior, ſumitur ex Scriptura ad Rom. 1. ubi *ſuſurrones & detractores Deo odibiles* dicuntur. Et Proverb. 24. *Abominatio* (inquit) *hominum detractor.* Pſ. 100. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Prov. 4. *Remove à te os pravum & detrahentia labia ſint procul à te.* Et Eccleſ. 10. Detrahentes comparantur ſerpenti mordenti: *Si mordeat* (inquit) *ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit.* Graviter porrò in detrahentes Deus invehitur Pſ. 49. *Sedens* (inquit) *ad-*

Rom. 1. v. 29. 30. — Prov. 24. v. 9. — Pſ. 100. v. 5. — Prov. 4. v. 24. — Eccle. 10. v. 11. — Pſ. 49. v. 20.

mum ſic declaro: Artifex aliquis non habet ex quo officinam ſuam inſtruat ad artem exercendam, do illi ſummam pecuniæ cum onere ut mihi ſolvat reditum annuum provenientem ex arte & induſtria ſua: pecunia eſt inſtrumentum emptionis & conſtitutionis illius juris & reditûs: Fundamentum autem eſt perſona ſuâ induſtriâ operans. Major difficultas eſt in pecunia, quæ datur mercatori ad mercaturæ lucrum ſalvo capitali. Sed de hac ſtatim.

Nota.

SECTIO VIII.

De contractu ſocietatis.

Dubium I.

Quæ ſit ſocietas ex contractu, & quæ illius fundamenta ut ſit juſta?

Reſolutio I.

Definitio ſocietatis.

Societas eſt conventio plurium ad aliquid pretio æſtimabile in commune conferendum, in ordine ad exercendum negotiationem, & lucrum ex negotiatione proveniens proportionaliter inter ſocios diſtribuendum.

Dixi (*conventio plurium*) ad minùs enim ad illam duo requiruntur, ut etiam nomen ſocietatis indicat. Dicitur autem *conventio*: quia eſt contractus quidam conventionalis, mercatorum fide firmatus, quocumque modo fiat.

Dixi (*ad aliquid pretio æſtimabile in commune conferendum*) talia ſunt pecunia, lignum, granum, animalia, induſtria, labor, denique omnia, quæ pretio æſtimari poſſunt: In contractu enim ſocietatis alius confert pecuniam vel rem negotiationi opportunam: alius ſuam induſtriam & laborem: alius rem & laborem, quibus conficitur una communis maſſa vel cumulus rerum negotiationi ſubſervientium: Quæ quidem maſſa ſive cumulus ita communis eſt, ut abſque conſenſu omnium qui in ſocietatem convenerunt, diſtrahi vel alienari non poſſit.

Dixi (*in ordine ad negotiationem*) hic enim de iſta ſingulari ſocietate agitur, quæ mercaturam pro fine habet.

Dixi (*Et lucrum ex negotiatione proveniens inter ſocios diſtribuendum*) hic enim eſt finis ultimatus ſocietatis, ut de lucro omnes proportionaliter participant.

Nota.

Proportio autem illa debet attendi ex rationabili æſtimatione rei vel quaſi rei, quæ à quolibet in commune confertur: Si enim quæ conferuntur in commune ſunt inæqualia in æſtimatione & ordine in luctum, inæqualiter diſtributio lucri facienda eſt, uni plùs tribuendo, alteri minùs, juxta ejus quod contulit, prudentem æſtimationem: unde & pecunia, & quælibet res, nec non induſtria ac labor, & expenſæ quæ contribuuntur expendenda ſunt, qualiter & quantùm ad lucrum concurrant, ut inter ſocios juſtitia diſtributiva ſervetur.

Reſolutio 2.

Quinque ad licitam ſocietatem requiſita.

Quinque requiruntur ad licitam ſocietatem fundandam. *Primum* eſt, ut negotiatio, ad quam refertur, ſit honeſta. *Secundum*, ut inter ſocios communia ſint lucra, expenſæ & damna, ſervatâ proportione, de qua ſuprà. *Tertium*, ut quilibet aliquid conferat, quod reſpectu negotiationis fructificet. Undè etſi pecunia ex ſe non ſit fructifera; expoſita tamen ad negotiationem, mediantibus perſonis, verè fructificat & fructifera dici debet. *Quartum*, ut ſors ſive capitale maneat periculo conferentis, proportione etiam factâ ad communia damna, niſi aliter conventum fuerit, de quo infrà. *Quintum*, ut fides & pacta inter ſocios ſerventur. Hæc enim ſunt, quæ ſocietatem ſtabiliunt & conſervant. Societates itaque, in quibus hæc quinque ſervantur in ratione ſocietatis juſtiſſimæ ſunt, ſi negotiatio inter limites juſtitiæ remaneat, prout ſupponitur ex primo fundamento.

Dubium 2.

An quis in ſocietatem negotiatorum convenire poſſit datâ pecuniâ, capitali, & lucro illius ſalvo?

Senſus dubii eſt: An Titio liceat in ſocietatem convenire pacto facto: quòd dabit in communes uſus negotiationis centum millia florenorum cum aſſecuratione quòd, peractâ negotiatione, capitale illud ſibi ſalvum manebit, & quòd lucrum certum percipiet, utpotè 4. 5. 6. pro centum? Negant plurimi hoc fundamento: quia hic contractus eſt purè mutuum, & conſequenter lucrum certum, quod ultra ſortem accipitur, eſt uſurarium: Mutuo enim tibi iſtam pecuniam cum aſſecuratione illius, & ex vi hujus mutui exigo à te 4. 5. vel 6. in centum, quæ eſt uſura perfecta.

Sententia negativa.

Reſolutio.

Sententia Authoris affirmativa.

Reſpondeo nihilominus: licere Titio in ſocietatem abſque injuſtitia convenire, collatâ ad mercaturam & negotiationem ſummâ pecuniæ, cum pacto certi lucri, & aſſecurationis ipſius ſummæ capitalis, modò debitæ circumſtantiæ ſerventur. Ratio eſt: quia pecunia, quatenùs mercaturæ vel negotiationi exponitur, verè induſtriâ mercatoris ſit fructifera, quandoquidem negotiatio ex ſe & naturâ ſuâ ſit fructuoſa, nec niſi mediante pecuniâ, vel re pretio æſtimabili fructificet. Cùm igitur negotiatio de ſe ſit honeſta, & cedat in publicam

tam utilitatem, licet ijs omnibus ad illam concurrere, in ſocietatem communem, quibus licet mercari, non tantùm per ſe, ſed etiam per rem ſuam.

Objectio.

Dices: Negotiatio per ſe eſt periculoſa; imò ratione periculorum, damnorum, laborum, expenſarum, ejus lucrum menſuratur, ut ſit juſta: Atqui qui confert ſummam pecuniæ ad negotiationem cum aſſecuratione lucri & capitalis, nulli periculo, nullis expenſis, nulli labori, nullis damnis exponitur (ut ſuppoſitum eſt) Ergò caret omni menſurâ & regulâ juſtitiæ in lucro percipiendo. *Reſp. Neg. Conſeq.* Ad Majorem & Minorem dico: Non ſola pericula, damna, expenſas, &c. eſſe menſuram juſtitiæ in lucro, quod ſocietati ex negotiatione provenit: ſed ſicut abundantia pecuniæ & rei pretio æſtimabilis eſt cauſa majoris lucri, & negotiationis fœcundioris in ſocietate (ubi enim ſunt plurimæ pecuniæ, minoris merces emuntur, & plures acquiruntur) ſic qui maſſam adauget propriâ pecuniâ, etſi in damnis & expenſis non participet, juſtè aliquam partem lucri exigere poteſt, quæ iſti abundantiæ correſpondet: eſt enim pretio æſtimabile, quòd maſſa capitalis ità augeatur, ut merces & lucrum ex iſto augmento notabiliter creſcant. Undè dixi (*licere, modò debitæ circumſtantiæ ſerventur*) Circumſtantiæ autem ſunt, Primò, Ut iſta pecunia verè ad negotiationem detur, cujus dominium penes conferentem maneat. Secundò, Ut qui confert, ſimpliciter ex negotiatione lucrum ſperet, quatenùs in illa negotiatione ſua pecunia lucroſa eſt. Tertiò, Ut lucrum non excedat æſtimationem prudentem fructûs, quem iſta pecunia ratione ſolius abundantiæ vel incrementi negotiationi gignit, vel gignere ſolet. Undè non poteſt, qui cum tali aſſecuratione lucri & capitalis in ſocietatem ingreditur, participare tantum de lucro, quantum illi, qui in expenſis, damnis & periculis conveniunt; ſed ut juſtè conveniat, ſufficit ut tantillum participet, quantum in augmento maſſæ pecunia fructificat. Quapropter ſi alij 10. 12. 14. in centum lucrentur ratione damnorum & periculorum, non multum eſt ſi is accipiat 3. 4. 5. quibus æſtimatur ſua pecunia abſque periculo damni fructificare.

Circumſtantia, quæ ſalvo capitali negotiationem reddunt licitam.

Nota.

Addo nec deeſſe gravia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate ad negotiationem danti, etiam ſalvo illo lucro & capitali. Cùm ſæpè contingat ſocietatem diſſipari, ſocios depauperari, cedere foro, impotes fieri ad reſtituendum, &c. Et ex alia parte privat ſe Titius ſuâ pecuniâ, quàm in certioribus contractibus & negotiationibus, ut emptionibus agrorum & cenſuum, poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia æſtimabilia ſunt.

Nota.

Ad rationem igitur dubitandi *Reſpondeo*: Negando hunc contractum, quem Titius init cum ſocijs, etiam ſalvo lucro & capitali, eſſe mutuum: eſt enim formalis concurſus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, ſed collatam, dominio ipſius penes conferentem remanente: & virtualis negotiatio, quam ſuâ pecuniâ mediante alienâ induſtriâ intendit, & intentio ejus non fertur in lucrum propter mutuum aliquod, ſed propter veram fructificationem, quam ſuâ pecuniâ mediante in negotiatione facit. Et, ut dixi, pericula aliqua frequenter contingentia non deſunt.

Appendix.

De Montibus Pietatis.

Montes pietatis.

Hic agendum fuiſſet de montibus pietatis: ſed quia tam multa à tam multis de illis hactenùs tractata ſunt, lubens ſuperſedeo, quia plura nonniſi controverſias dormientes abſque fructu ſuſcitarent. Manet quidem hæc mea ſententia menti: quòd niſi æquâ lance juſtitiæ ad limam decreti Leonis X. in Concilio Lateranenſi, quod incipit: *Inter multiplices*: Datum anno 1515. 4 Nonas Maij, omnia reducantur, quidquid de illis ſanctè inſtitutum eſt, in profanas uſuras ebullire, ſancta autem regula juſtitiæ montium pietatis à Leone X. ſacro approbante Concilio, hæc eſt; ut ratione mutui nihil petatur aut ſperetur, &c. Et tantùm *aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad eorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultrà ſortem abſque lucro eorundem montium recipiatur.* Hæc Pontifex. Et ad hanc regulam ſe examinent, qui montes illos adminiſtrant. Unum addo, quod oblivionis ſepulchro ab Auctoribus opinionum diverſitate rem vento committentibus conditum eſt: orbem debere primam inſtitutionem montium pietatis *B. & venerabili ſervo Dei F. Bernardino de Feltro, Ordinis S. Franciſci Regularis Obſervantiæ, viro doctrinâ & miraculis, ac ſpiritu Prophetiæ primario*: qui pertæſus uſurarum, quibus Judæi ſpecialiter opprimebant Chriſtianos, Paduæ primum totius orbis Monte pietatis ſuâ prudentiâ inſtruxit, erexit, direxit, ut habet *Marcus Ulyſſiponenſis in Chronicis FF. Minorum p. 3. l. 7. c. 23.* de quo Rodolphius Toſſinianenſis Epiſcopus *l. 1. hiſtor. Seraph.* his verbis: *Paduæ inſtituit ſacrum Montem pietatis anno 1491. vel potiùs Matrem pietatis, quaſi mammam pauperum* CHRISTI, *cum aſſenſu D. Petri Barozzi Epiſcopi Paduæ, pro cujus erectione paſſus eſt multa incommoda.* Quem montem Paduanum ex Bernardo Scarderio *l. 2. hiſt Patavij claſſe 5.* fuiſſe primum in orbe refert *Laurentius Beyerlink* in ſuo theatro vitæ humanæ *V. Montes pietatis*, & per illum montem ſublatas duodecim menſas uſurariorum Judæorum, quæ quintam partem ſortis accipiebant, aſſerit ex eodem.

Decretum Leonis X. in Concil. Later. pro Montibus pietatis.

Quæ fundamentalis juſtitia Montium pietatis.

Nota originem veram Montium pietatis deberi Ordini S. Franciſci.

Toſſinianenſis l. 1. hiſtor. Seraph.

TITVLVS VI.

De Reſtitutione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit reſtitutio, & qualiter obliget?

CONCLUSIO I.

Definitio Reſtitutionis.

R*Eſtitutio, eſt actus juſtitiæ, quo redditur vel compenſatur quod injuſtè ablatum vel acceptum eſt ab alio, vel in re aliena damnificatum.*

Dixi (*injuſtè ablatum*) ſub quo furtum, & omnes poſitivæ ſpecies furti continentur.

Dixi (*vel acceptum*) ut omnis fraus, dolus, injuſta acceptio in contractibus mercaturæ, locationis, mutui, &c. comprehendatur. Sub injuſtè etiam ablato vel accepto, intelligitur omne illud quod injuſtè retinetur.

Dixi (*vel in re aliena damnificatum eſt*) ut comprehendantur omnia damna, quæ rebus temporalibus proximi inferuntur conſumptione, impedimento, contrapoſitione, &c. etſi, qui damnum infert, nihil indè ſibi accipiat, vel proficiat.

CONCLUSIO II.

Regula reſtitutionis.

I*N omni re injuſtè ablata vel accepta, in omnique damno illato, auferens, accipiens vel damnum inferens tenetur ſub peccato ad reſtitutionem: ſub peccato quidem veniali, ſi res ſit levis: ſub peccato autem mortali, ſi res ſit gravis.* Concluſio patet ex terminis: Juſtitiæ enim non poteſt ſatisfieri, niſi alienum reſtituatur, aut compenſetur. Tamdiu enim quis alteri cenſetur obligatus, quamdiu aut alienum detinet, aut illatæ injuriæ & injuſtitiæ non ſatisfacit. Undè S. Auguſt. Epiſt. 54. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed, ut dixi, cùm reſtitui poteſt.* Hæc S. Aug.

S. Auguſt. epiſt. 54. ad Maced. circa fin.

Ex quo argumentor: Non remittitur peccatum, niſi vera agatur pœnitentia; ſed ſi res reſtitui poteſt & non reſtituitur, non agitur vera pœnitentia, ſed fingitur, ergo non remittitur peccatum, niſi res, ſi reſtitui poſſit, reſtituatur.

Nota.

Dixi (*ſub peccato veniali, ſi res ſit levis*) averſor enim quorumdam dicta qui aſſerunt hominem non teneri ad reſtitutionem ob furta venialia. Quòd quàm falſum ſit, ex eo manifeſtum eſt, quòd omnis injuſtitia, quamdiu permanet in anima, animam inficiat aliquo peccato: ſed quantumvis rem parvam, quæ alterius eſt, ſcienter & deliberatè detineo, injuſtè detineo: ergo tamdiu injuſtitia in anima remanet, quæ ſolâ reſtitutione, ſi fieri poteſt, tolli poterit. Nam juxta S. Auguſt. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur:* Quod etiam in re parva & veniali contingit, cùm nec veniale peccatum abſque vera pœnitentia remitti poſſit. Quinimò minima furta multiplicata (ut aliàs diximus) etſi in ratione ablationis vel injuſtæ acceptionis peccatum mortale conſtituere non poſſunt, cùm tamen maſſa vel cumulus rei acceptæ ad illam quantitatem pervenerit, ut reputetur res gravis: ratione detentionis rei alienæ in materia gravi, jam conſtituitur homo reus peccati mortalis, ſi non reſtituat cùm reſtituere poſſit. Ut autem hæc omnia clareſcant, procedo ad quæſtiones ſequentes.

S. Auguſt. ſuprà.

Nota.

QUÆSTIO II.

Quis teneatur reſtituere?

CONCLUSIO UNICA.

Regula generalis perſonarũ obligatarũ ad reſtitutionem.

O*Mnis ille tenetur reſtituere, qui rem alienam abſtulit, accepit, vel ſcienter detinet, aut qui rebus proximi damnum intulit:* Item: *Qui furto, vel damno illato, aut dictæ detentioni cooperatur, aut cooperatus eſt.* Hæc concluſio omnes obligatos per modum regulæ generalis comprehendit, quam particulariter declaro.

Dixi igitur (*Qui rem alienam abſtulit, accepit, vel rebus proximi damnum intulit*) ad indicandos primarios fures, raptores, fraudatores vel damnificatores. Hi enim primariò ad reſtitutionem tenentur.

Dixi (*aut illam ſcienter detinet*) ut comprehendatur is, qui à fure rem emit, aut apud quem fur depoſuit, ſi ſciat eſſe alienam. *Item*: Omnis qui rem alienam accommodatam, locatam, impignoratam, aut depoſitam injuſtè ultra tempus vel quovis modo invito Domino detinet.

Dixi (*Item: Qui furto vel damno illato aut detentioni cooperatur, aut cooperatus eſt*) ut includantur omnes, qui juſſione, conſilio, conſenſu, ſilentio cùm tenerentur impedire, recurſu vel ſuſtinentiâ ſive receptatione furum, in actione furti cooperantur, ſive etiam qui obſervatione, vigiliâ, inductione, ſigno, participatione, & aliis quibusvis modis furto vel damno cooperantur: Hi enim omnes in ſolidum ad reſtitutionem tenentur, ſi principales fures, vel aliquis illorum non reſtituat.

Petes primò, quæ cenſeatur res aliena? *Reſp.* Rem illam dici alienam, quæ dominum habet, vel habere putatur.

Quid res aliena?

Ex quo econtrà *dico primò*, illa, quæ numquam habuerunt dominum, ut ſunt gemmæ in mari inventæ, aves vagæ, feræ, &c. non eſſe reſtituenda. *Ratio eſt*: quia reverà nullius adhuc fuerunt. Dico autem (*vagæ*) ob feras, quæ in certis locis & ſylvis certi domini quaſi factæ ſunt, aliquâ æſtimatione morali & politicâ.

Secundò, Quæ dominum habuerunt, modò autem non habent: ut ſunt theſauri abſconditi, quorum nulla eſt memoria, illa etiam reſtituenda non ſunt ſaltem in integrum: ſi enim in

Theſauri abſconditi cujus.

loco

loco communi reperiantur, abſolutè nullius cenſentur: ſi in fundo domini certi pars domino, pars altera inventori cedit.

De rebus quarum domini ignorantur.

Petes ſecundò, Quid ſi res putetur habere dominum, aut ſi de facto habeat facta debita diligentiâ & inquiſitione dominus ignoretur? *Reſp.* Similia pauperibus eſſe diſtribuenda: quod ſi is, qui invenit, eſt pauper, juxta rationem paupertatis aut totum aut partem ſibi retinere poteſt.

Hic multa exemplificanda eſſent ad diſtinctam magis explicationem, ſed hoc ad tertium Tomum de peccatis cujuslibet ſtatûs referemus. Interim quilibet ex particulis appoſitis quorumlibet caſuum ſummariam reſolutionem deducere poteſt.

QUÆSTIO III.

Quid, quomodo, quando, quo ordine eſt reſtituendum?

CONCLUSIO I.

Quid reſtituendũ.

Res ipſa ablata vel accepta, ſi extet, reſtituenda eſt: Si non extet, aut non poſſit commodè reſtitui, æquivalens reſtituendum eſt: Et generaliter omne damnum in æquivalenti eſt compenſandum. Concluſio ex natura reſtitutionis & juſtitiæ eſt clara.

Nota.

Dixi verò (*ſi res non extet, &c. æquivalens reſtituendum eſt*) Illa porrò æquivalentia ſive æqualitas in re certa certò definiri poteſt: In re verò incerti pretii, judicio viri experti & prudentis eſt determinanda.

CONCLUSIO II.

Quomodo res reſtituenda.

Res ablata, ſi fieri poteſt, tota ſimul eſt reſtituenda, ſin minùs, per partes: Per quemcumque autem aut quomodocumque id fiat, indifferens eſt, modò benè reſtituatur. Et hæc concluſio ex ſeipſâ eſt manifeſta.

CONCLUSIO III.

Quando reſtituendum.

Qui non reſtituit, quando poteſt, tamdiu, ſi materia eſt gravis, in peccato mortali exiſtit, quamdiu eſt in mora culpabili non reſtituendi. Hæc concluſio aliquot dubiolis declarari debet.

Petes itaque *primò*, quando cenſeatur quis eſſe in mora reſtituendi, ita ut peccet? *Reſp.* Moram illam moraliter & commodè intelligendam eſſe: nimirùm: cùm ſine aliqua gravi incommoditate, & exiſtente opportunitate ſciens, & advertens in longum tempus reſtitutionem differt. Undè in continuo peccato ſunt, qui abſque ulla vera causâ differunt in tempus longum. *Ex. gr.* uſque ad morbum ſupervenientem, aut in finem vitæ, aut in hæredes transferunt reſtitutiones faciendas. Et ſi interim ſuâ culpâ fiant impotes reſtitutionis, mortaliter peccarunt ob reſtitutionis dilationem, etſi durante impoſſibilitate à reſtitutione actuali excuſentur.

Nota.

Cauſa differendi reſtitutionem.

Petes ſecundò, quæ ſint cauſæ juſtæ reſtitutionem differendi? *Reſp.* Duas eſſe cauſas potiſſimùm. Prima, propria neceſſitas, quam, ſi reſtituat modò, incurret: ita ut reſtituendo vel in gravem inopiam incidet, aut de ſtatu decenti notabiliter decidet cum aliqua infamia. Secunda, damnum grave in rebus animæ, corporis vel fortunæ, quod reſtituendo modò incurrere deberet.

CONCLUSIO IV.

Quo ordine reſtituendum.

Ordo certus reſtitutionis in foro interno vix jure naturali conſtitui poteſt, etſi jura civilia aliquid pro foro externo juxta rationem regionum ſtatuerint.

Dico tamen *primò*, Commodata, depoſita, pignora, mutuo accepta, primò reſtitui debent. Hæc enim præter rationem juſtitiæ, fidelitatem hominis ſibi obligatam retinent.

Secundò, Certa debita debent præferri incertis & dubiis.

Tertiò, Conſiderandam credo in omnibus neceſſitatem illius, cui facienda eſt reſtitutio, in illo enim urget frequenter ultra rationem juſtitiæ, ordo, imò & debitum charitatis.

QUÆSTIO IV.

Quæ à reſtitutione excuſent?

CONCLUSIO I.

Obligatio reſtitutionis perpetua.

Nunquam homo in vita ſua ab habituali & radicali obligatione reſtituend., ſive compenſandi damnum proximo illatum, excuſatur ante reſtitutionem vel compenſationem, niſi ſolâ condonatione illius, à quo res ablata vel accepta eſt, aut cui damnum fuit illatum, vel ipſius hæredum ſive eorum, ad quos jus in rem devolutum eſt. Ratio eſt: quia reſtitutio & compenſatio ſunt actus juſtitiæ. Undè ſi toto decurſu vitæ poſſibilitas illi ſuperveniat ut reſtituere commodè & opportunè poſſit, obligatio reſurgit.

Dixi (*niſi ſolâ condonatione, &c.*) condonatio autem illa debet eſſe libera, abſque fraude vel dolo.

CONCLUSIO II.

Caſus excuſantes à reſtitutione.

Quinque caſus ſunt, in quibus aliquis à reſtitutione excuſatur.

Primus, Ignorantia juris vel *facti*, circa rem; ut cùm ignoro, an ſit aliena, vel an reſtituere tenear.

Secundus, Neceſſitas: ſi ſine periculo vitæ, vel graviſſimo damno ſui quis reſtituere nõ poteſt.

Tertius, Impotentia: quò refertur ceſſio bonorum, tamquam ſignum omnimodæ impotentiæ & inopiæ: Si tamen ſit vera, & fraudibus ac dolis non ſit immixta.

Quartus, eſt *compenſatio ſecreta* priùs facta: utpotè: ſi ad hunc effectum, officium, obſequium, operam æquivalentem abſque mercede impenderim, aut alio modo ſatisfecerim ei cui obligabar, etiamſi ignoret.

Quintus,

Quintus, Si *jure* legitimè *præſcripſerim*, aut *uſucaperim*, ſuper quo ultimo pono ſequentem Appendicem.

Appendix.

De præſcriptione & uſucapione.

Cauſa inſtituta præſcriptionis.

ADvertendum eſt: Ad tollendam confuſionem litium & cauſarum, quæ in repetitionibus rerum ſucceſſu temporis inter homines oriri poſſent, dum aliquis bonâ fide diu poſſidet rem aliquam, quam credidit eſſe ſuam, aut ignoravit eſſe alienam, leges politicas & civiles poſuiſſe certos terminos, quibus tranſactis res jure à prioribus dominis vel eorum hæredibus repeti non poſſent, ſed in dominium poſſeſſoris alieni tranſirent per præſcriptionem, ut dicunt, vel uſucapionem, pro quorum terminorum claritate pono duas propoſitiones.

Propoſitio 1.

Definitio præſcriptionis.

PRæſcriptio: *Eſt acquiſitio dominii rerum immobilium, per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei, ſub titulo juſto probabili, tempore à lege diffinito.* Ex qua diffinitione ſequentes conditiones ad legitimam præſcriptionem colliguntur.

Conditiones legitimæ præſcriptionis.

Prima, ut ſit res immobilis: Ad res immobiles pertinent officia, beneficia, jura, & juriſdictiones perpetuæ, quæ rebus immobilibus æquiparantur.

Secunda, ut res poſſideatur actu: abſque enim poſſeſſione actuali non currit præſcriptio. Ex *Regula juris in 6.* ſine poſſeſſione non currit præſcriptio.

Tertia, ut bonâ fide & conſcientiâ res poſſideatur. Undè poſſeſſor malæ vel dubiæ fidei non præſcribit. *De Regulis juris in 6.*

Quarta, ut ſit Titulus juſtus probabilis. Titulus autem probabilis dicitur, qui probabiliter adjudicat rem poſſeſſori ſuo.

Quinta, ut poſſeſſio cum titulo juſto & bonâ fide non interrumpatur, ſed continuet toto tempore à lege ad præſcriptionem præſcripto. Et quidem bona immobilia Laicorum præſcribuntur, lege *C. Sanctorum de præſcriptionibus*, quod triginta annos ſimpliciter requirit, cum titulo inter præſentes decem, inter abſentes viginti, ſine titulo triginta: Eccleſiaſticorum quadraginta: Eccleſiæ Romanæ centum. Et alia tempora legibus variis in rebus diverſis præfiguntur.

Propoſitio 2.

Quid. uſucapio.

USucapio non diſtinguitur à præſcriptione, *niſi quòd verſetur circa res mobiles. Tempus verò uſucapionis, aſſignatur trium annorum: modò ſicut in præſcriptione, ſit poſſeſſio actualis, cum juſto titulo probabili & fide bona interrupta.* Hæc quidem quoad ſeptimum præceptum.

S C H E M A

Super 7. præcepto Decalogi

Non furtum facies. Exodi 20.

Non furtum facies. Exod. 20.

Hoc præcepto prohibetur omnis injuſtitia in bonis proximorum, nimirùm In { Uſurpatione / Detentione / Damnificatione } injuſta per { Furtum ſimplex / Plagiatum / Peculatum / Sacrilegium / Rapinam. } pro quibus obligatur reus ad reſtitutionem.

Porrò ſicut res diverſis Titulis ſunt noſtræ nimirùm { Hæreditate / Donatione vel legato } Ita ut in omnibus illis variæ injuſtitiæ committantur. De quibus omnibus latè totus Tract. 8.

Legitimâ acquiſitione { Labore & induſtriâ, / Mercaturâ & negotiatione. *Sub quibus omnibus continentur omnes contractus;* / Præſcriptione & uſucapione. }

TRAC-

TRACTATUS NONUS
DE
OCTAVO PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Exod. 20. verſ. 15.

TITVLVS PRIMVS
DE
SVBSTANTIA HVIVS PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.

Quid prohibeatur aut præcipiatur hoc præcepto, Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium? *Exod. 20. v. 15.*

A*Dvertendum* eſt *primò*, hoc præceptum, etſi formaliter ſit negativum, includere tamen etiam affirmativum, ſicut & de aliis præceptis notavimus: quod affirmativum eſt: *In teſtimonio dices ſemper veritatem.*

Advertendum ſecundò, Dupliciter hoc præcepto aliquid prohiberi vel præcipi. Primò, *formaliter*, & ex vi verborum. Secundò, *virtualiter* & ſecundariò, quatenus ex ſubſtantia verborum nonnulla deducuntur, quæ ratione finis vel cauſæ prohibitionis, eadem omninò ſunt, aut ſaltem eodem nituntur fundamento. Quæ duo in ſequentibus explicabuntur.

CONCLUSIO I.

Duo formalia præcepti.

D*Uo formaliter in ſubſtantia hujus præcepti continentur* Unum negativum, nimirùm: *cùm in judicio quis teſtis adhibetur non mentiri mendacio pernicioſo, ſive, quod proximo inferat aliquod nocumentum injuſtum* (hoc enim eſt propriè loqui contra proximum falſum teſtimonium) alterum verò eſt affirmativum, videlicet: *Cùm quis teſtis in judicio vocatur, ut dicat veritatem, ſeu, ſi teſtimonium ferre debeat, verum teſtimonium ferat.*

CONCLUSIO II.

Triplex peccatum falſi teſtis in judicio.

T*Ripliciter peccat teſtis in judicio contra hoc præceptum formale. Primò, ſi falſum teſtetur. Secundò, ſi veritatem taceat. Tertiò, ſi veritatem diſſimulet, aut aliquâ arte vel amphibologiâ eludat in proximi injuſtum nocumentum.* Ratio eſt: quia in ratione finis principalis æquiparantur falſum dicere, verum tacere, & veritatem diſſimulare, ſi ex falſitate vel ſilentio aut diſſimulatione mea nocumentum proximo inferatur.

CONCLUSIO III.

Omne mendacium & vitium linguæ hoc præcepto prohibetur.

S*Ecundariò prohibetur hoc præcepto omne mendacium, & vitium linguæ, quo proximo in vita, corpore, fama, bonis ſpiritualibus & temporalibus nocumentum infertur; vel inferri poteſt.* Ratio fundamentalis eſt: quia non prohibetur hoc præcepto falſum teſtimonium, niſi quia eſt locutio contra veritatem, quæ proximo infert aliquod injuſtum nocumentum: Ergo omnis locutio contra veritatem per quam injuſtum nocumentum proximo cauſatur, ſimilitudine rationis prohibetur.

Ex quo *infero*: Quòd ſicut nomine furti tamquam notiori analogato omnis injuſtitia proximi bonis velut manu illatâ prohibetur: Ita nomine falſi teſtimonii omnis injuria, quæ linguâ infertur, ex conſequenti prohibita cenſetur & omne nocumentum & injuſtitiæ genus, quod verbo proximo inferri poteſt, interdicitur. Et ita intellexit S. Greg. *l. 3. moral. c. 8.* S. Greg. l. 3 moral c. 8.

Porrò ſub *verbo* intelligo etiam *Scripturam*, quæ eſt verbi quoddam ſupplementum. Non enim minùs, imò ampliùs & perniciosiùs proximo nocetur teſtimonio vel quovis verbo ſcripto, quàm voce prolato: Eò maximè quòd littera ſcripta maneat, & omnibus in infamiam proximi obvia fiat.

Sub verbo etiam Scriptura vel alia ſigna comprehenduntur.

CONCLUSIO IV.

Capita præcipua vitiorum linguæ.

P*Ræcipua capita vitiorum linguæ hoc præcepto prohibita ſunt, falſum teſtimonium, mendacium, diffamatio, detractio, calumnia, contumelia, convitium, irriſio, de quibus omnibus hoc Tractatu.* Dico *præcipua*. Multa enim alia dinumerari poſſent, ſed ad has ferè ſpecies reducuntur. De vitiis multiplicibus linguæ infinitum quidpiam proloquitur Jacobus epiſt. c. 3. *Lingua* (ait) *ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Infrà: *Omnis enim natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentum & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana; Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Iacob. 3. v. 6. 7. Verſ. 8.

TITVLVS II.

De falſo teſtimonio.

QUÆSTIO I.

An omnis falſitas in judicio ſit peccatum mortale?

CONCLUSIO UNICA.

Qua falſitas in judicio ſit peccatum mortale.

OMnis falſitas in judicio, quâ judicij veritas pervertitur, aut proximo nocetur, à quocunque ſcienter & deliberatè committatur, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; niſi levitas materiæ excuſet.

Dixi (*Quâ judicij veritas pervertitur*) quia enim in judicio eſt ſedes veritatis, & ab omnibus in judicio veritas requiritur: Qui ſcienter & deliberatè falſitate judicium inficit & pervertit, etſi nullum aliud damnum ſequeretur, gravi injuriâ ipſam veritatem à Deo in judice velut depoſitam afficit. Dominus enim conſtituit judices tamquam depoſitarios veritatis & æquitatis.

Dixi (*aut proximo nocetur*) hoc enim eſt alterum fundamentum peccati & malitiæ, ſi per falſitatem proximo nocumentum injuſtè inferatur.

Dixi (*ſcienter & deliberatè*) quod ut benè intelligatur, notandum eſt: ſcientiam veritatis in teſte vel alio quovis ad judicium concurrente duplicem requiri. Prima, ut ſciat ſe contra mentem non loqui. Secunda, ut ſciat conceptui & verbis ſuis veritatem ſubeſſe. *Ex. gr.* Cùm teſtor Petrum furatum fuiſſe centum aureos: non ſufficit, quòd ita credam, aut opiner, vel in mente judicem: ſed debeo etiam certus eſſe rem ita ſe habere, & furtum à Petro commiſſum eſſe: undè non excuſatur à falſitate, qui quod credit eſſe teſtatur, niſi etiam de certitudine rei ſecurus ſit. Aliàs enim de rei veritate teſtari non poteſt. Hinc non debet teſtis in judicio teſtari de eo, quod tantùm putat, aut credit eſſe, ſed de eo de quo ei conſtat ita eſſe. Qui ergo ſcienter & deliberatè teſtatur aliquid eſſe, ex eo quòd ſolùm ſic eſſe credat, ſi à parte rei non ſit, falſitatem in judicio committit. Aliud eſt, ſi tantùm dicat ſe credere aut opinari rem ita ſe habere.

CONCLUSIO II.

Teſtis falſus tenetur ad reſtitutionem.

QVi falſitatem in judicio commiſit, ex quâ proximo injuſtum aliquod nocumentum evenit, tenetur ad reſtitutionem & compenſationem debitam: Et ſi nocumentum ex ſua falſitate necdum evenit, tenetur, ſi poteſt, etiam cum pari periculo, quale eſt nocumentum illud, ſuam falſitatem revocare, vel de falſitate ſua eos, ad quos res ſpectat, informare. Concluſio clara eſt. Qui enim nocumentum intulit vel nocumento cauſam dedit, ſatisfactionis vel compenſationis eſt debitor, cùm injuſtitiæ illius ſit cauſa efficax.

Dixi: (*ex qua proximo injuſtum aliquod damnum evenit*) ſi enim reus jam per alios falſos teſtes numero ſufficientes convictus fuit, ita ut teſtimonium falſum à ſubſequente datum nil conferat ad ejus condemnationem, etſi ille teſtis ſubſequens mortaliter peccaverit, non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia illius teſtimonium ad damnum ſecutum, ut ſupponitur, nil contulit. Nota.

Dixi (*ſi nocumentum necdum evenit, tenetur revocare,* &c.) Etſi enim non tenear exponere vitam meam pro alterius vita ſimpliciter in pari cauſa innocentiæ: ſi tamen meâ culpâ injuſtè alterius vita vel bona periclitentur, teneor, ſi peccatum novum & obligationem damni reſarciendi evitare volo, pari periculo me exponere, ſi aliter illum liberare non poſſum.

Corollarium.

Reductionis caſuum falſi teſtimonii.

Peccata ad falſum teſtimonium reducta.

EX his conſtat: non ſolùm falſos teſtes, ſed etiam eos, qui illos ad id quomodolibet induxerunt, eſſe reos peccati, & obligationis ex falſo teſtimonio reſultantis. *Item.* Accuſatores, Advocatos, Tabelliones, Notarios, Procuratores, ſatellites, ipſoſque judices, qui verbo vel ſcripto aut ſigno ad falſitatem aliquam in judicio cooperantur, contra hoc præceptum impingere.

QUÆSTIO II.

An teſtis teneatur ſemper in judicio teſtari, & veritatem aperire?

CONCLUSIO I.

Qui tenetur teſtari tenetur dicere veritatem.

QVi obligatur teſtimonium ferre, tenetur in veritate teſtari, nec poteſt veritatem abſque peccato retinere, aut aliâ viâ eludere. Ratio ſumitur ex neceſſaria conſequentia: Qui enim ad unum tenetur, tenetur & ad aliud quod eſſentialiter illi conjunctum eſt; Teſtimonio autem ut teſtimonium legitimum ſit, eſſentialiter veritas eſt conjuncta.

CONCLUSIO II.

Qui non obligatur teſtari, poteſt veritatem tacere.

QVi non obligatur ad teſtimonium ferendum: poteſt veritatem tacere, ſive quovis modo licito eam diſſimulare, aut etiam judicium declinare. Ratio ſimiliter ex neceſſaria conſequentia concludit. Si enim ad unum non teneor, nec teneor ad id quod neceſſariò illud concomitatur. Cùm igitur veritas teſtimonium ut ejus modus & finis eſſentialis concomitetur, ſi ad teſtimonium ferendum non tenear, nec teneor ad veritatem manifeſtandam.

Dixi (*Poteſt veritatem tacere,* &c.) Non enim poteſt mentiri aut falſum dicere, quia eo ipſo quo quis vult loqui, ex natura rei tenetur Nota.

verum

verum dicere. Ut verò hæ concluſiones meliùs intelligantur, pono duo Dubia ſequentia.

Dubium 1.

In quibus caſibus tenetur quis teſtimonium ferre?

Duplex obligatio teſtandi. Duplex hîc præmittenda eſt obligatio: Alia enim eſt *obligatio ex juſtitia*: Alia eſt *obligatio ex charitate* tantùm, quamvis utraque interdùm in eadem perſona concurrat. *Reſpondeo* itaque *primò*, eum ex juſtitia teneri juridicè teſtari, qui legitimè à judice citatus & vocatus eſt, ut in caſibus ſequentibus, Primò, ſi *Caſus in quibus quis tenetur ex juſtitia teſtari.* reus jam laborat infamiâ, & contra eum delictum jam ſemiplenè probatum eſt. Secundò, ſi via accuſationis teſtis de ſcientia criminis notatus eſt, & judex mandat ut teſtetur. Tertiò, ſi à judice adjuratus jurat ſe veritatem dicturum, & teſtaturum. Quartò, ſi Reſpublica & bonum commune periclitetur, nec poſſit niſi per ejus teſtimonium juridicum averti. In his autem omnibus caſibus poteſt etiam judex cogere ad juramentum, & teſtis tenetur obedire.

Quis obligetur teſtari ex charitate. *Reſp. ſecundò*, Ex charitate tenetur quis teſtimonium ferre: quando proximi fama, vita, bonum privatum periclitatur, & malum poteſt impediri. Vide quæ diximus de præcepto charitatis proximi Tract. 2. *Advertendum* porrò *Nota.* eſt: eum qui tenetur ex juſtitia teſtari, ſi ex ejus taciturnitate, diſſimulatione vel amphibologiâ damnum proximo eveniat, teneri ad reſtitutionem: Qui verò ſolùm tenetur teſtificari ex charitate, etſi mortaliter peccet non teſtando, ad reſtitutionem tamen non tenetur.

Dubium 2.

In quibus caſibus excuſetur quis à teſtimonio ferendo?

Caſus in quibus excuſatur quis à teſtando. Reſpondeo. In pluribus caſibus excuſari. *Primò*, ſi id, de quo teſtandum eſt, ex ſola ſacramentali confeſſione novit.

Secundò, Si ſub naturali ſecreto obligante notitiam rei accepit, utpotè: ſi ad honeſtum conſilium pro ſalutis remedio expoſtulandum id ei patefactum fuit. Secretum enim naturale in ſimilibus primariò obligat, ob univerſalem obligationem humanæ communicationis & ſocietatis publicum ac neceſſarium bonum.

Nota benè de ſecreto. Dixi (*ſi ſub ſecreto naturali obligante*) non enim omnia, quæ nobis ſub ſecreto communicantur, ſub ſecreto ſunt ſervanda. Si enim non communicetur ad legitimum & honeſtum finem, illi ſecreto derogatur per aliud præceptum, quo non teneor ſecreto in damnum grave publicum, vel tertii etiam privati: ut ſi quis proditionem civitatis, quam vult facere, mihi indicet, ſi conſilio meo & medio privato à prava ſua voluntate non appareat receſſurus, teneor indicare, vel alio modo malum avertere: quia bonum commune debet præferri privato, & illegitimè ſub ſecreto naturali accipio, quod divino humanoque jure tacere non poſſum, niſi, ut dixi, aliter impedire poſſim. Et eodem modo de damno tertii avertendo concludendum eſt.

Tertiò, ſi auctor criminis nullâ laborat infamiâ, nec ex ipſius crimine aliquod malum ulli imminet, teſtis tacere poteſt.

Quartò, ſi meum teſtimonium nil ad finem, ad quem poſtulatur, conferre poſſit.

Quintò, ſi teſtimonium requiritur contra reum de re, quam conſtat mihi non eſſe malam, ut petitur teſtimonium: An non viderim Joannem Lupanar intrantem: ſi ſciam ipſum lupanar quidem intraſſe, ſed ob finem bonum & abſque ſcandalo, tacere poſſum, & diſſimulare. Quia de illicito vel ſcandaloſo ingreſſu cenſetur judex inquirere.

Sextò, ſi plenè rei veritatem non ſcio, ſed tantùm ex auditu perſonarum, quæ non ſunt omni fide dignæ: In hoc caſu habeor tamquam neſciens, & tacere vel diſſimulare poſſum.

Septimò, Quando mihi vel meis grave damnum vel periculum ex teſtimonio imminet, non teneor teſtari: niſi ex officio ad avertendum malum etiam cum meo periculo tenerer.

TITULUS III.

De Mendacio.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit mendacium?

CONCLUSIO I.

Mendacium: *Eſt falſa ſignificatio enuntiationis prolata contra mentem proferentis intentione fallendi*: ſicut & mentiri: *Eſt contra mentem loqui, cum intentione fallendi.* Sumuntur ex S.Auguſt. *l.de mendacio cap.4.*

Dixi (*falſa ſignificatio enuntiationis*) in voce enim ſimplici per ſe quatenùs ſimplex eſt, ſicut non datur falſitas, ſic nec datur mendacium, ſignificatio autem falſa dicitur non ſimpliciter in ſe, ſed quatenùs falſitatem in alterius mente generat, etſi enuntiatio in ſe materialiter aut etiam formaliter ſit interdùm vera; undè S.Auguſt. ſuprà c.3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat.* *S.Auguſt. ſup.c.3.*

Dixi (*prolata cum intentione fallendi*) ſi enim profero falſam enuntiationem putans eſſe veram, aut cum circumſtantiis indicantibus falſitatem, non cenſeor velle fallere, & conſequenter non eſt mendacium; ut, qui fabulam tamquam fabulam narrat, vel, ſi ut hiſtoriam; novit tamen audientes non credituros, non mentitur, ſicut nec qui hyperbolicis vel figuratis utitur

CONCLUSIO UNICA.

Mendaciū nullo caſu licitum.

N*On licet in ullo caſu abſque peccato ſaltem venialt mentiri.* Hanc concluſionem docet S. Aug. lib. duobus: Altero quod *de mendacio* inſcripſit. Altero *contra mendacium.* Et quidem concluſio conformis eſt S. Scripturæ Eccleſiaſtici 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Ad quam Scripturam reſpiciens Innocentius III. ſcribens Panormitano Archiepiſcopo, ut habetur Tit. *de uſuris c. ſuper eo,* dixit Scripturam ſacram prohibere pro alterius vita mentiri. Undè iterùm Eccli 7. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Levit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum ſuum.* Ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem,* &c. Et Pſalmiſta Pſalm. 118. orat. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque.* Et Joan. 8. Diabolus vocatur *pater mendacij,* & qui mentiuntur dicuntur *filij diaboli:* ſicut & dicitur omne mendacium à Diabolo eſſe, Matth. 5. *Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt: Non, Non, quod autem his abundantiùs eſt, à malo* (id eſt à Diabolo) *eſt.*

Eccli. 4. v. 24.
Eccli. 7. v. 14.
Levit. 19. v. 11
Epheſ. 4. v. 25.
Pſ. 118. v. 43.
Joan. 8. v. 44.
Matth. 5. v. 37.

Ratio vero fundamentalis eſt: quia, ut diximus, mendacium ex genere ſuo eſt malum, & veritati, quæ locutioni ineſſe debet, ex natura ſua opponitur. Ad allegata facta Patrum. *Reſp.* illa licitis amphibologiis, figuris & permiſſivæ deceptioni, quæ etiam juſta eſſe poteſt & licita, involuta eſſe. Undè S. Auguſt. l. contra mendacium c. 15. *Quando* (inquit) *nobis de Scripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla; aut mendacia non ſunt, ſed putantur eſſe dum non intelliguntur; aut ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt.* Qualiter autem non ſint mendacia, præclarè explicat c. 10. ejusdem libri. Vide totam reſolutionem apertè à fundamentis deductam hoc *Tomo Tract. 3. tit. 2. q. 4. 5. de amphibologia concl. 1. 2. 3. & 4.*

Auguſt. l. contra mendaciū cap. 15.
Et c. 10.

TITVLVS IV.

De detractione & diffamatione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit detractio & diffamatio, & qualiter ab invicem diſtinguantur?

CONCLUSIO I.

Definitio Detractionis.

D*Etractio eſt alienæ famæ injuſta ablatio, ſive imminutio per verba occulta.*

Dixi (*alienæ famæ*) quæ, nimirùm, ſupponitur eſſe. Si enim is, de quo loquimur, jam famam perdidit ſaltem apud audientes, non cenſetur detractio.

Dixi (*injuſta ablatio,* &c.) ſi enim id juſtè fiat, detractio non eſt.

Dixi (*per verba occulta*) ut diſtinguatur à *diffamatione, contumelia* vel *convitio* ſive exprobratione publicâ alicujus criminis.

CONCLUSIO II.

D*Iffamatio, prout in malam partem accipitur, eſt famæ alienæ vel propriæ injuſta & publica ablatio ſive diſſipatio.*

Definitio diffamationis.

Ex quibus conſtat qualiter *detractio à diffamatione* differat: etſi enim utraque ſit famæ alienæ ablatio vel diſſipatio ſive imminutio: *detractio* tamen ex ſua natura eſt ſecreta, *diffamatio* autem publica. Nec ullus ſuæ famæ propriè detrahit: poteſt autem quis ſeipſum diffamare, & famam bonam, quam apud aliquos poſſidet, præſcindere & diſſipare.

Nota.

QUÆSTIO II.

Quibus modis detractio aut diffamatio contingat?

CONCLUSIO UNICA.

Q*Vatuor ferè modis directis ſolet fieri detractio vel diffamatio.* Primò, crimen falſum proximo imponendo. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, crimen verum ſed occultum publicando, nullo ordine juris ſervato. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum. Indirecti modi ſunt: *Primus,* diſſimulando, ſi ex diſſimulatione vel taciturnitate noſtrâ fama aliena injuſte immmuatur vel periclitetur. Qui modus concernit perſonas illas, quæ tenentur & poſſunt veritati teſtimonium reddere, aut detrahentem impedire; ſive etiam in judicio in favorem diffamati, vel ejus cujus fama periclitatur, reſpondere. *Secundus* modus conſiſtit in quorundam frigida laudatione, vel permixtione vitiorum alienorum in ſua narratione ſeu laudatione, ex quibus ſæpè plùs decreſcit honor laudati, & apud audientes minuitur, quàm ſi de eo malè loquerentur. *Tertius,* dum quis negat aut minuit alterius laudabile factum. Hi porrò omnes modi duobus verſibus ſequentibus indicantur. Directi quidem iſto: *Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.* Indirecti autem; *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſè.*

Modi quatuor directi detractionis.
Modi indirecti.

QUÆSTIO III.

Quale ſit peccatum detractio?

CONCLUSIO I.

D*Etractio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, & eo gravius, quo majoris boni eſt deſtructiva, nimirùm famæ, quæ homini eſt vitâ charior,* ſumitur ex Scriptura ad Rom. 1. ubi *ſuſurrones & detractores Deo odibiles* dicuntur. Et Proverb. 24 *Abominatio* (inquit) *hominum detractor.* Pſ. 100. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Prov. 4. *Remove à te os pravum & detrahentia labia ſint procul à te.* Et Eccleſ. 10. Detrahentes comparantur ſerpenti mordenti: *Si mordeat* (inquit) *ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit.* Graviter porrò in detrahentes Deus invehitur Pſ. 49. *Sedens* (inquit) *adverſus*

Detractio eſt mortale peccatum
Rom. 1. v. 29. 30.
Prov. 24. v. 9.
Pſ. 100. v. 5.
Prov. 4. v. 24.
Eccl. 10. v. 11.
Pſ. 49. v. 20

verſùs fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Verſ. 21. Et poſtea: *Arguam te* (inquit) *& ſtatuam contrà faciem tuam.*

CONCLUSIO II.

Detractio reſtitutioni obnoxia. Auguſt. epiſt. 54. ad Maced.

D*Etractor aut infamator injuſtus tenetur ad reſtitutionem famæ.* Ratio clara eſt: Quia, ut benè S. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Hocque commune eſt omnibus peccatis, quæ injuſtitiam & injuriam contrà proximum continent, ut ratione injuriæ & injuſtitiæ teneantur, qui peccant, ad reſtitutionem & compenſam eorum, quæ injuſtè ſuſtulerunt, vel in quibus proximus damnum perpeſſus eſt.

QUÆSTIO IV.

An loqui de criminibus & defectibus proximi, qui honori & famæ ejus opponuntur, ſemper ſit peccatum?

Septem modi quibus homo de peccatis proximi loquitur.

A*Dvertendum* ſeptem modis hominem ſolere loqui de peccatis proximi, quæ illius famæ opponuntur. Primò, ad inſtructionem audientium, ut avertantur à malis. Secundò, ad cautelam: nè qui audiunt, decipiantur peccantium hypocriſi, aut malis moribus & ſocietate. Tertiò, ad utilitatem abſentium, ut defectus illi eis denuntientur, nè à malis pervertantur, vel ab eis aliquod damnum patiantur. Quartò, ex compaſſione amicabili, ut & ſeipſum, & audientes excitet ad orandum pro eis, vel collaborandum ut à peccatis emendentur. Quintò, ex ſola loquacitate, curioſitate vel levitate, ſive prava conſuetudine loquendi de proximorum defectibus. Sextò, ex odio, invidia, rancore & pravo affectu. Septimò, ex quadam queruloſitate & afflictione, quia ab illis quis ſe læſum ſentit. His relatis, Quæſtionem hoc tempore multùm neceſſariam ſequentibus regulis ad majorem claritatem reſolvo.

Regula 1.

Quando licitum de peccatis proximi loqui.

L*Icet, & interdùm meritorium eſt, proximi peccata referre; ſive ad inſtructionem, ut audientes à malis avertantur: ſive ad cautelam, ne hypocriſi, pravis moribus & periculosâ ſocietate malorum decipiantur; ſive ad mali propulſationem in abſentibus, nè per malos eis aliquod damnum inferatur, modò pravus aliquis finis aut error in intentione non admiſceatur.* Ratio hujus regulæ eſt: Quia ſalus & bonum proximi innocentis præferendum eſt ordine charitatis famæ nocentis: injuſtè enim in damnum tertij famam illam poſſidere cenſetur, etiam quoad ſpeciem & apparentiam, qui veræ famæ fundamentum non habet, quod eſt virtus & probitas.

Et quidem licere defectus proximi aperire ad inſtructionem audientium, ut à malis avertantur, vel ad cautelam, nè pravis eorum moribus inficiantur, imò & ad evitandum malum abſentium licere audita abſentibus referre, patet exemplo CHRISTI monentis: *Attendite* (ait) *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Et Matth. 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et aliàs ſæpiùs declarat illos *Duces eſſe cæcorum, hypocritas*, &c. Et Paulus 1. ad Timoth. 1. aperit vitia Hymenæi & Alexandri, quos dicit ſe tradidiſſe Satanæ. Et Joann. epiſt. 3. ad Caium aperit improbitatem Diotrephes, ut avertatur ab illo. Et exempla alia in Scriptura obvia ſunt. Luc. 12. verſ. 1. Matth. 5. verſ. 20. Matth. 23.

Dixi (*modò pravus aliquis finis aut error in intentione non admiſceatur*) Contingit enim ſub prætextu alios monendi inſignes detractiones etiam pravo affectu miſceri: utpotè: Primò, quia, quæ putamus & interpretamur mala, in proximo verè non ſunt mala. Secundò, etſi mala ſint, non ſunt tamen de genere malorum, quæ proximo nocere poſſunt. Tertiò, quia ſæpè ex hujuſmodi publicatione majus oritur malum, quàm bonum, quod prætendimus. *Ex. g.* ſcandalum, ruina animæ ejus de quo loquimur, cui plùs ſecretò eum admonendo profeciſſemus.

Regula 2.

De loquutionibus ex compaſſione.

L*Icet ex compaſſione amicabili, modò ſit vera & charitativa compaſſio, defectus alicujus pandere abſque culpa, eo fine ut oretur pro eo, vel ut audientes collaborent ad ejus correptionem.* Ratio eſt: Quia eſt opus charitatis compati peccatoribus, & ſatagere illos orationibus & medijs congruis ad meliora reducere; hoc autem fieri nequit, niſi eorum defectus interdùm aperiantur. Dixi ſemper (*modò ſit vera & charitativa compaſſio*) frequentiſſimè enim res aliter ſe habet. Vide præclaram deſcriptionem illorum, qui ſub titulo compaſſionis fratribus detrahunt, apud S. Bernardum homil. 24. in Cant. ubi plures modos detrahendi referens, inter alios hunc ſingulariter exprimit: *Alij* (inquit) *quodam ſimulata verecundia, fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas alta præmitti ſuſpiria, ſicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæſto, demiſſis ſupercilijs & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me nunquàm innotuiſſet: at quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum, dolens dico, reverà ita eſt. Et addit grande damnum*, &c. Plura & utiliſſima vide iſto ſermone de detractione. S. Bernar. homil. 24. in Cant.

Regula 3.

Quando liceat pro conſilio defectus proximi aperire.

L*Icet aliquandò conſilij captandi gratiâ, & ut quis de ſua afflictione, quam ab alio patitur,*

tur conſolationem & levamen accipiat, defectus proximi amico aperire; modò iterùm non mentiatur iniquitas ſibi, & ſine pravo, aut cum multo mendacio, ſuſpicionibus & judicio temerario id non fiat. Ratio eſt: quia cum tanto meo damno & gravamine non teneor defectus proximi celare & ſuſtinere. Gravamen enim magnum mihi eſſet, ſi conſilium capere non poſſem, aut meam afflictionem abſque ulla querimonia intùs concoquere deberem. Et hoc modo arbitror multos à detractione excuſari, dum aut conſilii petendi gratiâ defectus proximorum aperiunt, aut ad latentis afflictionis levamen quas ſibi putant factas injurias exprimunt. Et quidem vix aliquis prudens attendit in hujusmodi ad dicta tamquam infamatoria, ſed potiùs ad ſolatium mulierculæ ſuas miſerias & infirmitates cum aliorum defectibus plangentis. Tamen & in his cavendum eſt, ne malitia quodcumque detractionis virus effutiat, maximè apud credulos & imprudentes, qui non ſolùm pravam de proximo opinionem concipiunt, ſed etiam in alios tranſmittunt.

Nota.

Regula 4.

De loquentibus ex garrulitate, &c.

QUi ex garrulitate, levitate animi, & prava loquacitatu nimia conſuetudine gravia peccata proximorum effutiunt, ratione ſaltem periculi infamandi proximum, ſi ſe exponunt, ob iſtam conſuetudinem mortaliter ut plurimùm peccant. Ratio eſt: quia ad peccatum mortale in detractione ſufficit proximam cauſam dediſſe infamiæ proximi, etſi non eſſet ſubſecuta infamia: qui ſic autem communiter peccata proximi effutit, ut plurimum infamiæ dat cauſam.

Dico (*ut plurimùm*) quia ſi ab audientibus habeatur pro detractore vel homine linguoſo & vano, tunc reverà cauſam non dat, quia hoc ipſo quòd à tali homine defectus alieni narrantur, nulla fides adhibetur. Et de hoc numero reputantur mulierculæ & vanæ linguoſitatis perſonæ, quæ reputationem garrulitatis uſu obtinent.

Nota.

Regula 5.

Detractor ex odio, &c.

QUi ex odio, pravo affectu, rancore, inimicitia gravem defectum proximi aperit, mortaliter peccat. Ratio eſt: quia, quantum eſt ex ſe, proximi famam auferre aut imminuere proponit, etſi per accidens interdùm nec auferat nec imminuat, quia ei non creditur, aut quia contrarium ſcitur.

QUÆSTIO V.

Quando & qualiter ſit facienda reſtitutio famæ per detractionem ablatæ?

CONCLUSIO I.

Quatuor requiſita ad obligationem reſtitutionis famæ.

QUatuor ferè requiruntur, ut quis famam reſtituere teneatur. Primum: ut conſtet aut credatur omninò fama ablata aut imminuta. Si enim non conſtet, aut putetur non ablata eſſe vel imminuta, fruſtrà & cum periculo iteratæ detractionis quis reparare tentaret id quod priùs aut impreſſum non fuit, aut oblivione deperiit.

Secundum: ut cenſeatur adhuc infamia durare: ſi enim veriſimiliter putetur oblivioni tradita, peſſimè faceret, qui illam denuò ſuſcitaret, dum reparare intendit. Unde malè faciunt Confeſſarii, qui reparationes famæ imponunt multo tempore poſt detractionem; non priùs attendentes: An vere infamia duret. Et ego debui ſæpiùs pœnitentes avertere à ſimilibus inutilibus, aut etiam perniciosis reparationibus & à ſcrupulis, quos in hujusmodi reparatione Confeſſarii illis impreſſerant, eos liberare.

Nota bene.

Tertium: ut credam probabiliter me aliquid profuturum. Fit enim plerumque, ut dum dicta noſtra excuſare aut revocare apud alios volumus, illos, qui ea audierunt, magis confirmemus, & ipſi ad rem inveſtigandam & confirmandam eâ occaſione magis incitentur.

Quartum: ut majus malum ex noſtra reparatione non cauſetur; *Verbi gr.* ut odia majora non accendantur, proceſſus, lites, ſcandala, &c. non excitentur, dum pars contra partem agit; ita, ut ex illis interdùm homicidia accidant Ex eo enim quòd aliquis fortè audita retulit, infamatus in detractorem gravius exacerbari & exurgere poteſt, ob malum quod ſuâ relatione obortum fuiſſe apprehendit.

CONCLUSIO II.

Modus famam reſtituendi.

MOdus reſtituendi famam judicio prudentis viri vel Confeſſarii eſt relinquendus. Si enim detractor vera impoſuit, non poteſt dicere ſe mentitum: ſi falſa, etſi poſſit dicere ſe mentitum, ſæpè non expedit. Videndum igitur, ſi laude, officio contrario, beneficio, promotione, vel aliquâ congruâ compenſatione fama reſtitui poſſit. Unicum moneo: quòd quamvis univerſum genus humanum hoc peſſimo vitio linguæ ſit pleniſſimum, pauciſſimos eſſe, qui ut debet fieri, illud æſtiment, pauciores, qui debitè de illo conterantur, vix ullos, qui famam reſtituant.

Nota.

QUÆSTIO VI.

Quid de audiente detractorem?

CONCLUSIO I.

Audiens detractorem qualiter peccet mortaliter.

QUicumque detractorem audit, ita ut detractioni aliquo modo cooperetur, ſive adulando, ſive excitando, ſive confirmando, aut ex placido auditu occaſionem præbendo, in re gravi, peccat mortaliter Ratio eſt: quia peccato mortali ad minùs ſuâ iſtâ cooperatione cenſetur conſentire Undè S. Bernardus l. 2. de conſideratione c. 13. ſub finem: *Porrò detrahere* (ait) *aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.*

S. Bern. l. 2. de conſid. ſub finem.

CONCLUSIO II.

Qualiter ſe debet gerere qui audit detractorem.

QUi detractorem audit, non tenetur eum reprehendere, aut contradicere, vel poſitivè pro fama alterius defendenda contra eum agere. ſed ſufficit, ut quovis modo nolentem ſe exhibeat, aut oſtendat dicta illius ſibi non placere, niſi tamen ſit Superior, aut perſona gravis, quæ ſuâ reprehenſione aut contradictione poſſit detrahentem reprimere. Ratio prioris partis eſt: Quia, ut experientiâ conſtat, ſi reprehendimus, contradicimus, aut proximum, de quo detrahitur, volumus defendere, detractor magis excitatur ad plures defectus accumulandos, augendos, imò uſque ad contumelias, convicia & calumnias, ſive contrà eum, cui detrahitur, ſive contrà defendentem.

Dixi (*niſi ſit ſuperior, aut perſona gravis*, &c.) Qui enim eſt Superior, ex officio ad id tenetur: perſona autem gravis cùm ſciat ſe poſſe impedire detrahentem, ex charitate impedire obligata eſt.

Dixi (*ſed ſufficit ut quovis modo*, &c.) Modi autem ſunt Taciturnitas, facies triſtior: juxtà illud Prov. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Interdùm etiam hilaris quædam digreſſio per modum contemnentis non parùm prodeſt. Vidi quendam ſenem laicum in Ordine & reformatione noſtra, qui ridiculo quodam, ſed vero tamen & efficaci dicto, omnem detractionem ſuffocabat. cùm enim detrahentem in ſocietate audiret, inferre jucundè ſolebat: *Certum eſt quòd ad nos perfectos, & ab omni defectu immunes ſpectet de imperfectionibus cæterorum loqui*: quo ridiculo velut applauſu alijs riſum, alijs verecundiâ incutiebat; ità ut diſſiparetur omnis detractio. Nè longior fiam, mala detractionis, & modos detractiones illas vitandi, vide elegantiſſimè deductos à S. Joanne Chryſoſtomo hom. 3. ad populum Antiochenum.

Prov. 25. verſ. 23.

Chryſoſt. hom. 3. ad populum Antioch.

Appendix 1.

De Suſurratione, Calumnia, Convicio, Contumelia.

HÆc omnia ſimul ponuntur, quia cum diffamatione & detractione conveniunt. Ad detractionem enim pertinet *Suſurratio*: quæ in hoc tantùm differt à detractione, quòd ordinetur ad ſolvendam aliquorum amicitiam, ſive ad diſcordias ſeminandas. Eſt enim Suſurratio: *Oblocutio prava de proximo ad diſcordiam inter aliquos ſeminandam.*

Suſurratio eſt peccatū mortale.

Eſt porrò ſuſurratio ex natura ſua peccatum mortale. Undè ad Roman. 1. ſuſurrones & detractores Deo odibiles dicuntur. Et Levit. 19. Judæo indicitur: *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* Et Eccli. 21. *Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur.* Et c. 28. *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes* Et Prov. 6. ponitur ultrà ſex, quæ odit Deus, ſeptimum quod deteſtatur anima ejus: is nimirùm, qui *ſeminat inter fratres diſcordias.* Et eò quidem gravius peccatum eſt, quò charitati proximi opponitur, & multorum malorum eſt cauſa.

Levit. 19. verſ 16. Eccli. 21. 31. & 28. verſ. 15. Prov. 6. verſ. 19.

Calumnia peccatum mortale.

Calumnia ſimiliter: quæ dicit falſam criminis impoſitionem, ſive clam, ſive palam fiat, ad detractionem vel diffamationem pertinet, quæ etiam eſt peccatum mortale, & quidem eò perniciofius, quò falſitatem majorem contrà proximi honorem & famam importat. Undè & Levit. 19. ſtrictè prohibetur: *Non facies calumniam proximo tuo.*

Levit. 19. verſ 13.

Convitium & contumelia peccata mortalia.

Convitium & Contumelia ſunt filiæ iræ: in quantum tamen inhonorationem, ſeu honoris & famæ derogationem important, ad diffamationis peccatum pertinent, & ſunt peccata mortalia ex genere ſuo, reſtitutioni pro qualitate diffamationis obnoxia Ad Rom. 1. inter peccata graviſſima Gentilium, quibus in reprobum ſenſum dati ſunt, ponitur, quòd *contumelioſi* eſſent. Prov. 10. *Qui profert contumeliam inſipiens eſt.*

Prov. 10. verſ. 18.

Deriſio quandò mortale peccatum.

Deriſio, quæ importat contemptum ejus, qui irridetur, ſimiliter filia detractionis vel diffamationis eſt, & ex qualitate & ratione contemptûs & aſpernationis, quam irriſor ſive in ſe, ſive in alijs, coram quibus proximum irridet, irrogat, frequenter peccatum mortale eſt, & detractionis ſive diffamationis pœnis ſubjacet. Undè Iob 12. *Qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego invocabit Deum, & exaudiet eum, deridetur enim juſti ſimplicitas.* Et Prov. 3. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor*, &c. *ipſe deludet illuſores.*

Iob 12. verſ. 4. Prov. 3. v. 32. 34.

Appendix 2.

De Libellis famoſis.

COntrà hoc præceptum etiam militat libellorum famoſorum compoſitio, editio, aut evulgatio: eſt enim peſtilentiſſimum diffamandi genus. Undè in illos, qui componunt edunt, evulgant, aut detinent, graviſſimæ pœnæ inflictæ ſunt, & quidem pœna mortis lege civili, ut habetur *L. unicâ c. de famoſis libellis.* Lege autem Eccleſiaſticâ illis perpetuæ infamiæ pœnam irrogat *Greg.* 13. in *Conſt.* 4. quæ incipit: *Ea quæ.* Confirmans & alias pœnas, quas aliquandò impoſuerat ejus prædeceſſor *Pius V. Conſt.* 147. apud Cherubinos, quæ incipit: *Romani Pontificis.*

Appendix 3.

De Adulatione.

PEſſimus peccator eſt adulator. Teſte enim S. Auguſtino in Pſal. 69. *Plùs perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* In tribus caſibus adulatio in materia gravi eſt peccatum mortale. Primò, quandò lingua blanda adulator malum dicit bonum, & bonum malum, judicium pervertens, & frequentiſſimè errores ſpargens, aut fovens. Secundò, quandò fit intentione alicui nocendi. Tertiò, quandò quis ei, cui adulatur, fit cauſa ruinæ.

S. Aug. in Pſal. 69. Adulatio in 3. caſibus peccatum mortale.

SCHEMA

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium Exod. 20.

SCHEMA

Super præcepto 8. Decalogi.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Exod. 20. verſ. 15.

Hoc præcepto prohibentur tria
- Falſum teſtimonium in judicio, quod fit
  - Falſum affirmando
  - verum tacendo,
  - veritatem diſſimulando.
- Omne mendacium
  - perniciosum
  - officioſum
  - jocoſum.
- Omnis injuria in proximi fama, quæ fit per
  - Detractionem,
  - Diffamationem,
  - Suſurrationem,
  - Calumniam,
  - Convitium,
  - Contumeliam,
  - Libellum famoſum.

Generalis Regula.

Quicumque injuſtè nocuit proximo per ſupradicta in vita, bonis temporalibus, famâ & honore, tenetur ad reſtitutionem.

De his omnibus ſingulariter & ad fundamenta omnia toto hoc Tract. 9.

TRACTATUS DECIMUS
DE
NONO PRÆCEPTO:
Non concupiſces uxorem proximi tui. Deuteron. 5.

TITULUS UNICUS
DE
SUBSTANTIA HUIUS PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.

Quid hoc præcepto prohibeatur?

4. *Acceptiones nominis concupiſcentiæ*

PRo reſolutione *advertendum* eſt, nomen *concupiſcentia* ſicut & verbum *concupiſcere* variè ſumi in Scriptura, nos ad quatuor modos reducemus.

Primò, itaque *concupiſcentia* ſumitur pro naturali appetitu ſive ſenſibili, ſive rationali, ſive pro ipſa facultate concupiſcibili nobis innata: Quæ etiam in Chriſto fuit, & ad veritatem naturæ humanæ pertinet. Et hæc non eſt vitium aut peccatum, ſed naturalis animæ potentia, quæ ad bonum vel malum inclinari ſuapte naturâ poteſt. Unde fit mentio *concupiſcentiæ diſciplinæ*, & *concupiſcentiæ ſapientiæ Sap. 6.* Et monentur novi fideles, *ſicut modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcere* 1. Petr. 2. (Sap. 6. v. 18. 21. 1. Petr. 2. v. 2.)

Quare concupiſcentia vocetur peccatum.

Secundò, *Concupiſcentia* ſumitur pro vitio naturæ ex peccato originali contracto, quod nihil aliud eſt, quàm prava naturæ inclinatio in omne malum, ſive principium omnis pravi motûs, vocaturque ſæpe in Scriptura *peccatum*, tum quia in peccatum inclinat, tum quia omnis peccati principium eſt, tum denique, quia ex peccato originali provenit, & cum illo propagatur. Vocatur etiam *fomes peccati*, *lex carnis*, *lex membrorum*. Lege *cap. 7. ad Romanos*, ubi ferè hæc omnia referuntur, & ab Apoſtolo explicantur.

Tertiò, *Concupiſcentia* ſumitur in actu ſecundo pro omnibus motibus, qui ex prava iſta inclinatione & perverſitate naturæ oriuntur. Unde eſt illud ad Rom. 7. *Occaſione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Et c. 6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Et ad Galat. 5. cùm dixiſſet Apoſtolus: *Caro enim concupiſcit, adverſus ſpiritum*: ut hanc concupiſcentiam doceret eſſe omnium peccatorum non tantùm carnalium ſed etiam ſpiritualium cauſam, ſubdit: *Manifeſta ſunt autem opera carnis*: Inter quæ non ſola carnalia comprehendit, ut *fornicationes*, *immunditias*, *impudicitias*, &c. quæ appetitum ſenſitivum ſequuntur, ſed etiam ſpiritualia, ut *veneficia*, *inimicitias*, *contentiones*, *ſectas*, *invidias*. adjungit, à concupiſcentia illa in actu ſecundo provenientes. (Rom. 7. verſ. 8. Et cap. 6. v. 12. Galat. 5. v. 17. &c. Verſ. 19. Verſ. 20.)

Quartò, *Concupiſcentia* dicit affectum ſive actus inordinatos appetitus ſenſitivi vel rationalis in objectum pravum: In quo ſenſu

D. Joan.

1. Joan. 2. verſ. 16. D. Ioan. 1. Epiſt. c. 2. *Concupiſcentiam* diſtinxit in *Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ* (quæ non eſt aliud, quàm *Concupiſcentia* inordinata honorum & celſitudinis alicujus) à triplici objecto, nimirùm carnalitatum ſeu voluptatum carnis, divitiarum, honorum, &c. Et hoc modo *Concupiſcentia & concupiſcere* hîc ſingulariter accipitur. His prænotatis, ſit:

CONCLUSIO UNICA.

Duo prohibentur nono præcepto.

D*Vo hoc præcepto prohibentur: unum primariò, alterum ſecundariò & conſecutivè.*

Primariò itaque prohibetur omnis affectus carnalis inordinatus ergà uxorem proximi, & conſequenter omnis affectus carnalis inordinatus mulieris ad maritum non ſuum.

Secundariò prohibetur omnis affectus carnalis inordinatus in quacunque ſpecie peccati carnalis, ſive ſit ſimplicis fornicationis, ſive inceſtûs, ſive ſacrilegij, ſive contrà naturam, ſive alterius cujuſcunque inordinatæ carnalitatis. *Ratio* utriuſque eſt, quia quemadmodùm in ſexto præcepto ſub nomine *Mœchia* & *Adulterij* fornicatio ſimplex & quodlibet peccatum carnis in qualibet ſpecie prohibitum eſt, ità ſimiliter ſub nomine concupiſcentiæ uxoris alienæ omnis concupiſcentia carnalis in qualibet ſpecie prohibita cenſetur.

Cur ſingulare præceptum datur de non concupiſcendo.

Petes: Cur opus fuit hoc præceptum addere, cùm ſatis concupiſcentia prohibita intelligeretur ex prohibitione omnis carnalis concubitûs, aut peccati carnis? *Reſp.* Id ſingulariter neceſſarium fuiſſe ob duas cauſas. *Primò*, Quia concupiſcentia illa peccatum communiſſimũ eſt, & ex ipſis internis naturæ principijs oritur, qua mas in fœminam fertur, undè ſingularem curam Spiritus Sanctus habuit, ut prohiberetur. *Secundò*: Quia amor proprius cæcitatem hanc mentis in tam conjuncto naturæ peccato facilè induxiſſet, ut ſibi perſuaderent homines concupiſcentias illas peccata non eſſe, cùm & quidam perfidè negaverint ſimplicem fornicationem peccatum eſſe, & in alias cæcitates mens humana inciderit. Undè Apoſtolus ob nimiam naturæ per pravam concupiſcentiam infectionem fatetur ſe non agnoviſſe concupiſcentiam ſub ratione peccati, niſi per declarationem legis. Ad Rom. 7. *Peccatum* (inquit)
Rom. 7. verſ. 7. 8. *non cognovi niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces: occaſione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, id eſt, per mandatum agnovi omnem concupiſcentiam pravam peccatum eſſe. Quinimò ipſe CHRISTUS nè hoc ipſum lateret, cùm Matth. 5. dixiſſet, præceptum datum fuiſſe Antiquis: *Non mœchaberis*, ſtatim ad omnem ignorantiam vel tergiverſationem tollendam de concupiſcentiæ peccato, addidit: *Ego autem dico vobis: quia*
Matth. 5. verſ. 28. *omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

QUÆSTIO II.

Qualiter contingat contrà hoc præceptum peccari?

CONCLUSIO UNICA.

Peccata contrà nonum præceptum.

T*Ot modis peccatur peccato concupiſcentiæ carnalis, quot modis peccatum carnis committi poteſt.*

Primò itaque peccat, qui deliberatè concupiſcit concubitum carnalem, & ſi cum conjuge aliena, *Adulterij* malitiam incurrit: ſi cum virgine involontaria, *Stupri*: ſi cum ſoluta, *ſimplicis fornicationis*: ſi cum conſanguinea aut affine, *Inceſtus*: ſi maſculi cum maſculo, *Sodomiæ*, &c.

Secundò, Qui etſi in concubitum non feratur aliquo deſiderio, fertur tamen deliberatè in delectationem ex concubitu illicito ſpecificè provenientem. Et hæc concupiſcentia etiam eſt peccatum mortale, & ex ratione concubitûs aut peccati carnis cogitati, ex quo talis delectatio deſiderata deducitur, peccatum illud ſuam ſpeciem ſortitur, ut ſuprà.

Tertiò, Concupiſcere deliberatè tactus, oſcula, amplexus, &c. pro ratione peccatorum, quæ his actibus extrinſecùs committerentur, & pro ratione ſpecifica objectorum & perſonarum eſt peccatum illius gravitatis & ſpeciei, cujus eſſet actus externus.

Quartò, Ex concupiſcentia deliberata captare vel optare occaſiones, quibus uxor aliena inducatur ad peccatum, velut concupiſcentiam mutuam concipiat, ſimiliter eſt peccatum mortale ejuſdem ſpeciei, cujus eſt actus. Quod & in alijs ſpeciebus peccati carnis eodem modo judicandum eſt.

Quintò, Delectatio ſola moroſa in voluntate ex ipſa delectatione cogitationis, ſive ex ipſa re cogitata capta, ſine ulla determinatione ad aliquam perſonam, eſt peccatum mortale. *Ratio* eſt: quia cùm concupiſcentia ipſa illicitæ delectationis carnis ſit illicita, conſequenter & concupiſcentia concupiſcentiæ. Eſt enim de peccato reduplicative gaudere, ſive de peccato peccati, ſive quod aliud peccatum gignit.

Sextò Peccant qui picturas & ſpecies mulierum alienarum apud ſe retinent, ut in eorum pulchritudine illicitè delectentur, aut in concupiſcentia illarum ſibi complaceant, ſive etiam ut concubitus illicitos, quos cum eis habuerunt, ſibi in memoriam revocent. Denique, qui occaſionem proximam ſuis concupiſcentijs mortalibus conquirunt, aut eam non fugiunt. Vide cætera in explicatione 6. Præcepti.

QUÆSTIO III.

An licitum ſit deſiderare, ſeu concupiſcere uxorem alienam ſub conditione futuri Matrimonij, ſi maritus moreretur, vel in tempus, quo mortuus fuerit?

R*Atio* dubitandi eſt: Quia ille non concupiſcit illam quaſi alienam, ſeu ut modò eſt proximi, ſed prout licitè fieri poteſt ſua.

Pro

Pro reſolutione *advertendum* eſt: Tale deſiderium dupliciter conſiderari poſſe. Primò, ut eſt ſimplex deſiderium nuptiarum vel connubii poſt mortem mariti, cùm nimirùm ipſa libera fuerit. Secundò, prout illud deſiderium ſive concupiſcentia eſt cum delectatione præſenti cogitati concubitus carnalis, etiam ſub conditione futuri cum illa. Hoc prænotato ſit

Nota.

CONCLUSIO I.

Qualiter liceat aliquando deſiderare uxorem alienam.

Licite poteſt quis deſiderio ſimplici deſiderare uxorem, quæ modò alterius eſt, in tempus futurum, ut ſit ſua uxor, ubi libera fuerit per mortem mariti. Ratio eſt: quia objectum illud nil malitiæ adjunctum habet: ſicut enim licet mihi ſolotam deſiderare, ſic licet mihi maritatam, pro tempore quo ſoluta erit.

Dixi (*in tempus futurum*) non enim licet deſiderare pro hoc inſtanti, vel pro tempore, quo adhuc juncta eſt, ſicut non licet marito mortem optare, ut illius uxoris connubio poſſit quis frui.

CONCLUSIO II.

Qualiter non liceat uxorem alienam deſiderare.

Non licet deſiderare uxorem alienam cum actuali conſenſu & delectatione in concubitum, vel recogitatione libidinoſa concubitûs, ſub conditione, ſi licitus eſſet, vel ſi libera eſſet, aut pro tempore quo libera à marito fuerit. Ratio eſt: quia illa conditio non poteſt juſtificare actum præſentem delectationis carnalis, ſicut enim actus ille hîc & nunc illicitus eſt, ita delectatio ex illo actu cogitato eſt omninò illicita. Vide quæ clarè & latè diximus *Tom. 1. tract. 3. tit. 2. quæſt. 6. concl. 4 reg. 2. per totam*, ubi etiam reſolvimus de delectationibus conjugatorum, vel etiam viduarum ex copula præterita vel futura, nec eſt opus hîc quidquam repetere.

Appendix.

De criminibus concupiſcentiam uxorum alienarum conſequentibus.

Tanta eſt hujus concupiſcentiæ perniciosa conſequentia, ut meritò inter præcipua peccata computetur.

Hinc enim *primò*, concupiſcentia illa interdùm ita inardeſcit, ut omnis humanitas oblivioni tradatur, dum nefandus procus uxoris alienæ cum illa conſpirat in mortem mariti, ut poſteà matrimonio aut potiùs concubinatu illi jungatur. Secutâ enim morte ex dicta conſpiratione utrimque facta de occiſione alterutrius impedimentum matrimonium dirimens in horrorem tanti criminis impoſuit mater Eccleſia, ut habetur *cap. Si quis vivente 31. q. 1.* & *c. Laudabilem de converſione infidelium*. Nec minùs abominandum, quod etiam impedimento criminis matrimonium derimente mulctavit Eccleſia, ſi adulterio præeunte adulter uxorem interficiat, ut adulteram ducat; vel econtrà adultera virum ut adultero jungatur, etſi alter non conſentiat in homicidium. *Item*: ſi vivente adhuc uxore ſcienter cum adultera, quam polluit, per verba de præſenti matrimonium contrahat, &c Vide *cap. Si quis vivente, cap ſignificaſti de eo qui duxit, cap. Haberet, cap. Finale 31. q. 1.*

Quo etiam impedimento dirimente infame illud fœdus percuſſit Eccleſia: quo adulter adulteræ, præeunte ſimiliter adulterio, promittit vivente adhuc conjuge ſe eam ducturum. *C. Significaſti, & C. Si quis vivente: De eo qui duxit, &c. & C. Relatum quæſt. 1. ex concil. Triburienſi.*

Secundò, Ex iſta maledicta concupiſcentia alienæ uxoris vel mariti profluunt diſcordiæ, contentiones, odia, zelotypiæ, prolium neglectus, & impiæ dilapidationes bonorum, ac alia nefandiſſima.

Tertiò, Procationes, obſequia, officia ad hunc finem, ſive ut viventibus maritis uxoribus perfruantur, ſive ut à maritorum affectibus illas abſtrahant, ſive ob nefanda ſecutura poſtmodùm conjugia poſt maritorum mortem, ad quam anhelant. Quæ omnia univerſim in maritis contingunt contra uxores, & in uxoribus contra maritos.

SCHEMA

Super præcepto 9. Decalogi

Non concupiſces uxorem proximi tui. Deut. 5. verſ. 20.

Non concupiſces uxorem proximi tui. Deut. 5.

Prohibetur hoc præcepto omnis carnalis concupiſcentia
- Uxoris alienæ.
- Cujuſcumque fœminæ non ſuæ

Ita ut concupiſcentia ſequatur ſpeciem objecti ſui, nimirùm
- Adulterii
- Simplicis fornicationis
- Stupri
- Inceſtus
- Raptus
- Sacrilegii
- Mollitiei
- Sodomiæ
- Beſtialitatis.

Super quibus & cauſis ac periculis agitur hoc Tract. 10. per totum.

TRACTA-

TRACTATUS UNDECIMUS
DE
DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. Exod. 20. Deut. 5.

TITULUS UNICUS
DE
SUBSTANTIA HUJUS PRÆCEPTI.

QUÆSTIO I.

An hoc præceptum à præcedenti diſtinguatur?

Diverſitas lecti onis hujus præcepti.

RAtio dubitandi eſt: Quia non ubique eodem modo refertur: nam *Exodi* 20. concupiſcentia uxoris alienæ intermiſcetur concupiſcentiæ rerum ad familiam pertinentium: ſic enim legitur per modum unius: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* Et ad Rom. 13. Apoſtolus ſub eodem verbo utrumque complectitur: *Nam* (inquit) *non adulterabis: non occides, non furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum*, &c. Nec deſunt Patres, qui illa conjunxerunt.

Exod. 20. v. 16. 17. — Rom 13. verſ. 9.

CONCLUSIO UNICA.

Præceptū 10. diſtinguitur à 9. — Aug tom. 4 q 71. in Exod. — Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

NOn domum, non agrum, non ancillam, &c. in *clauſula Decalogi faciunt diſtinctum præceptum ab illo: Non concupiſces uxorem proximi tui.* Eſt S. Aug. Tom. 4. Qu 71. in Exodum, quem ſecuti ſunt communiter Doctores Catholici, ut oſtendimus *hoc Tom. 2 Tract. 2. in prologo.* Et favet Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. ubi docet peccata, *etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſùs duo ultima Decalogi præcepta commiſſa*, quæ utique in actum externum non exeunt, eſſe confitenda. Quibus verbis agnoſcit duo eſſe interiora præcepta, quæ concupiſcentiam prohibent. Quod & *eâdem ſeſſ can.* 7. repetit.

Ad rationem dubitandi initio propoſitam, *Reſp.* Et quidem ad locum Exodi: Non in eodem ſenſu prohiberi ibidem deſiderium uxoris, ſicut in Deuteronomio c. 5. ſed prohiberi ſub ratione rei domeſticæ utilis poſſidenti; undè non eſt poſitum verbum; *Non concupiſces*, ſed verbum *Nec deſiderabis.* Econtrà Deuteronomij 5. præceptum planiori ſenſu poſitum, non deſiderium ſolum prohibet, ſed ſpecialiter *Concupiſcentiam*, quod nomen indicat carnalem affectum. Dupliciter enim uxor aliena appeti poteſt. *Primò*, Simplici affectu utili, ad domûs regimen, vel familiæ utilitatem, quomodò ſervus & ancilla appetuntur, & hoc modo appetitus ille hoc præcepto ultimo prohibetur. *Secundò*, Appetitur uxor affectu & concupiſcentiâ carnali ad concubitum & actus carnales. Et hoc modo præcepto penultimo prohibetur idemque affectus *Deut* 5. ſub verbo *Non concupiſces* interdicitur, tanquàm termino magis uſitato ad deſignandam concupiſcentiam carnalem. Et ita *ſeptuaginta Interpretes* retulerunt. Et in *Hebræo* Deut. 5. diſtinctio illa inſinuatur, ubi ſic legitur: *Non concupiſces uxorem proximi tui: Et, Non deſiderabis domum proximi.* Locus S. Pauli parùm ad rem facit. Utrumque enim præceptum uno verbo generali complexus eſt brevitatis & compendij gratiâ, cùm ex profeſſo Decalogum non recitaret.

Duſtinctio non in anima appetit poteſt.

QUÆSTIO II.

Quid per ultimum Præceptum prohibetur?

CONCLUSIO UNICA.

Prohibita, ultimo præcepto.

PEr ultimum præceptum prohibetur, nè quis proximi bona & poſſeſſiones, vel quidquid in rebus ejus eſt, deliberatè deſideret, ut injuſtè illa vel obtinere poſſit, vel ut proximus illis careat.

Undè duo hic prohibentur: *Primum*: Voluntas injuſta bona proximi ſubacquirendi, vel quomodolibet poſſidendi. *Secundum*: Omnis nolleitas injuſta, ex qua vel de bonis proximi triſtamur, vel, ſi fieri poſſet, vellemus eum illa non habere, quod poſtremum eſt invidiæ vel odij effectus. Porrò: Quia deſiderium bonorum proximi, vel etiam invidia proſperitatis ejus eſt comune malum, ideò peccatum illud internum ſpeciali præcepto prohiberi debuit.

QUÆSTIO III.

Qualiter contrà hoc præceptum peccari contingat?

Peccata contrà ultimum præceptū.

TOt modis mortaliter *contrà hoc præceptum peccari contingit, quot modis contrà præceptum de non furando exteriùs peccari ſolet.* Ratio eſt: Quia omne deſiderium injuſtum alienorum bonorum menſuratur re ipsâ, vel modo, quo furto caperentur, detinerentur, vel quovis modo noſtra fierent. Undè materia, quæ in furto peccato mortali obnoxia eſſet, eadem

in

in deſiderio & concupiſcentia deliberatæ voluntatis eſt materia peccati mortalis. Et conſequenter ſi rapinâ, ſacrilegio, furto ſimplici, &c. res aliena rapienda vel retinenda deſideratur, malitiam ſpecificam modorum illorum concupiſcentia noſtra induit, & ſub eadem ſpecie confitenda eſt.

CONCLUSIO II.

Deſideriū damni proximi qualiter peccatum.

D*Eſiderium deliberatum damnificationis injuſtæ poſitivæ, vel privativæ in rebus proximi, tot ſimiliter modis peccatum inducit, quot modis deſiderans ſibi proponit, & deſideriis conſentit in damnificationem.* Explico: ſi ex odio aut invidia opto proximo devaſtationem agrorum ejus, mortem famulorum vel filiorum, juſtæ cauſæ amiſſionem, adverſam in mercatura fortunam, eâdem ſpecie injuſtitiæ quâ illud fieri appeto, eo modo mihi in peccatum reputatur: Et non tantùm in deſiderii injuſtitia conſiſtit peccatum, ſed etiam in cauſa, utpotè in invidia, odio, malevolentiâ, quæ omnia ſunt peccata per ſe primò. Modi autem injuſtorum deſideriorum ſimiliter ſub diverſas ſpecies peccatorum cadunt, utpotè, ſi mors, ſi ruina, ſi infamia, ſi falſum teſtimonium adverſus proximum aut alia ſimilia ipſa deſideria terminent aut modificent, quæ omnia ſpecialiter expendenda ſunt, quia in diverſa præcepta impingunt, & diverſas malitias complectuntur. Vide quæ de invidia à nobis dicta ſunt *Tract. 6. tit. 2. quæſt. 1. per totam.* Et hæc de præceptis Decalogi. Ea, quæ deeſſe videntur, reſervantes in tertium Tomum de peccatis quorumlibet ſtatuum in particulari, ut diſtinctiùs proponantur. Nota.

Non domum, non agrū, non ancillam. Exod. 20.

SCHEMA

Super præcepto 10. Decalogi.

Non domum, non agrum, non ancillam, non ſervum, &c.

Exod. 20. & Deuteron. 5.

Hoc præcepto prohibentur tria:
- Injuſta voluntas aliena bona uſurpandi.
- Injuſta voluntas damnum proximo inferendi.
- Invidia de proſperitate proximi.

Tria illa partim explicantur, partim recapitulantur hoc Tractatu undecimo.

TRACTATUS DUODECIM. ET ULTIMUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

TITVLVS PRIMVS

DE PRÆCEPTORVM ECCLESIÆ NVMERO, & obligatione.

QUÆSTIO I.

Quot ſint Eccleſiæ præcepta?

ETſi ſint plurima Eccleſiæ præcepta juxta diverſos hominum ſtatus, officia, vocationes, munia, quæ paſſim in Conciliis generalibus, Canonibus, Synodis provincialibus & diœceſanis continentur, & juxta occurrentias diverſas ſingulis diebus à S. Sede fiunt (de quorum tripartita ratione egimus *hoc Tomo tract. 1. tit. 3. quæſt. 2. in Appendice de politia Eccleſiaſtica & ſeculari §. 2.*) Pauca tamen omnibus Chriſtianis Eccleſiæ filiis propoſita ſunt: eaque generalia & quæ univerſos obligant, ne vel multitudine terrerentur, vel idiotæ & ſimplices, qui ea memoriâ retinere aut capere non poſſunt, confunderentur.

Tomus II.

CONCLUSIO UNICA.

Quinque generalia Eccleſiæ præcepta.

QUinque generalia præcepta Eccleſiæ referuntur.

Primum: *Statutos dies feſtos ab Eccleſia indictos, celebrare.*

Secundum: *Miſſam diebus Dominicis, & feſtis reverenter audire.*

Tertium: *Indicta ab Eccleſia certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abſtinentiam obſervare.*

Quartum: *Peccata Sacerdoti proprio, aut alteri approbato, ſingulis annis confiteri.*

Quintum: *Sacroſanctam Euchariſtiam, ad minùs ſemel in anno, idq; circa feſtum Paſcha ſumere.*

Digitized by Google

Nonnulli ſextum præceptum addunt de decimis ſolvendis; ſed quia non omnes poſſident agros vel res decimatas, inter univerſalia præcepta hoc ultimum non reputatur. Cætera autem omnibus hominibus communiter conveniunt, omneſque communiter obligant.

QUÆSTIO II.

Quæ præcepta Eccleſiæ in foro conſcientiæ obligent, & qualiter?

CONCLUSIO UNICA.

Quinque præcepta Eccleſiæ obligant ad peccatũ mortale.

E*Tſi non omnia præcepta Eccleſiæ ſemper ad culpam obligent: illa tamen quinque obligant ad peccatum mortale.* Priorem concluſionis partem docuimus *Tract.* 1. *hujus Tomi tit.* 8. *quæſt.* 2. *concluſ.* 2. ubi oſtendimus multa Eccleſiæ præcepta ſolùm obligare ad pœnam. Poſteriorem autem etiam indicavimus, & ſuis fundamentis ſtabilivimus *eodem loco concl.* 3. *in demonſtratione generali & corollario*, nec non *quæſt.* 3. *regulâ* 1. vide & lege *Lector*, quia omnia fundamenta ibi continentur. *Ratio* verò principalis hujus concluſionis ſumenda eſt. *Primò*, ex intentione matris Eccleſiæ, quæ hæc quinque præcepta ſemper interpretata eſt obligare ad mortale. *Secundò*, ex materia horum præceptorum, quæ eſt divini juris in ſuis fundamentis, ita, ut præceptum Eccleſiæ ſit divini mandati univerſalis determinativum & declarativum. Indictio enim *feſtorum* aut *auditionis Miſſæ* eſt determinativa *cultûs divini*: *jejunij* autem impoſitio eſt determinativa pœnitentiæ à Chriſto Jeſu prædicatæ. *Confeſſionis* tempus determinat obligationem juris divini, quâ peccator ſua peccata Sacerdoti confiteri debet: *Sacra Communionis* ſimiliter tempus indictum determinat præceptum generale Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis*. (Ioan. 6. v. 54.) Vide deductionem noſtram ubi ſuprà.

TITVLVS II.

De primo & ſecundo Eccleſiæ præcepto.

Statutos dies feſtos ab Eccleſia indictos celebrare.

DE iſto præcepto cùm eadem ſit ratio feſti cum Dominica in ratione ceſſationis ab operibus ſervilibus, & auditione Miſſæ, ac aliis cæremoniis, à nobis latiſſimè tractatum eſt *toto* 4. *Tract.* ubi & excuſationes omnes, quibus homines ab obligationibus in illis impoſitis, vel à peccato liberantur, examinatæ ſunt, & ibidem Appendicem de feſtis poſuimus, ac regulas generales ad finem. Quæ autem feſta ſub præceptum cadant, attendendus eſt cujuſcumque Metropolis aut Diœceſis uſus. Emanavit quidem his diebus Bulla SS. D N. Urbani VIII. Feſtorum determinativa, de qua nil mihi dicendum arbitror, donec fuerit promulgata.

TITVLVS III.

De tertio præcepto Eccleſiæ.

Indicta certis diebus ieiunia, & à quibuſdam cibis abſtinentiam obſervare.

QUÆSTIO I.

Quid ſit ieiunium Eccleſiaſticum?

Significatio generalis nominis jejunii.

A*Dvertendum primò*, Jejunium, ſi vim nominis ſpectemus, nihil aliud ſignificare, quàm abſtinentiam ab omni cibo & potu: Hi enim propriè jejuni dicuntur, qui non comederunt, aut ſtato tempore non comedunt. Tale fuit jejunium Ninivitarum Jonæ 3. *Homines* (Ionæ 3. v. 7.) (ait Rex) *& jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquã, nec paſcantur, & aquã non bibant.*

Triplex jejunium.

Advertendum ſecundò, Triplex jejunium aſſignari poſſe. Aliud eſt enim *jejunium naturæ*: aliud *jejunium virtutis*: aliud *jejunium Eccleſiæ*. *Jejunium naturæ*: eſt abſtinentia à cibo & potu integro die naturali, quocumque fine vel cauſâ fiat. *Ieiunium virtutis*: eſt actus temperantiæ, quo per ſubtractionem cibi & potûs, delectationes guſtûs & ſenſuum quis refrænare contendit. *Ieiunium* verò *Eccleſiaſticum* eſt: quod Eccleſiaſticâ auctoritate ſub certis ritibus eſt inſtitutum; de quo ſtatim.

Advertendum tertiò, Non ſemper in jejuniis eoſdem abſtinentiæ modos & tempora obſervata. Qualia enim fuerint jejunia apud Hebræos, in Scriptura legimus, ita ut totis diebus ne quidem guſtatio alicujus eduli vel potûs permitteretur. Undè fuit illud indiſcretum jejunium à Saüle demandatum 1. *Reg.* 14. ita, ut nullus de populo auſus fuerit guſtare vel modicum mellis, quod in ſaltu defluebat, & Jonathas, quamvis præcepti ignarus, cùm extremitate virgæ aliquid ex neceſſitate deguſtaſſet, in periculum mortis à patre adductus eſt.

S. Irenæus epiſt. ad Victorem Papam.

Porrò in Eccleſia Dei non ſemper idem modus jejunii ſervatus eſt: In principio enim naſcentis Eccleſiæ variæ circa tempus & refectiones quæſtiones notæ ſunt, de quibus S. Irenæus epiſt. ad Victorem Papam, his verbis: *Non modò* (ait) *de die, verùm etiam de jejunij ſpecie controverſia & quæſtio eſt: quidam namque exiſtimant unum ipſos oportere diem jejunare, quidam duos, alij etiam plures: Nonnulli autem quadraginta horis diurnis & nocturnis diem metiuntur: Atqui varietas hæc obſervationum non ætate noſtra exorta eſt, ſed longè anteà apud Majores noſtros extitit, qui ita, ut decuit, acuratè conſervatam per ſimplicem ſinceritatem conſuetudinem ad poſteros tranſmiſere*, &c. Et Tertul. l. de jejunio adverſus Pſychicos qui Catholici orthodoxi erant, volens ſuam hæreſim Montaniſtarum juſtificare, meminit jejuniorum quæ tunc apud Montaniſtas in uſu erant. *Arguunt* (inquit) *nos quòd jejunia cuſtodiamus, quòd ſtationes plerumque in veſperã producamus, quòd etiam Xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni iurulentia, & vividioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus vel potemus, lavacri quoque abſtinentiam congruentem arido victui.* Hæc ibi;

Tertull. l. de jejunio adverſus Phychicos circa init.

ibi. In his enim Catholici illos arguiſſe veriſimile eſt, quia vel ſuo jejunio ſuperſtitiones immiſcebant, vel ab uſu S. Eccleſiæ decreto approbato recedebant. *Vide Baron. ad annũ* CHRISTI 57 *n.* 194. & 195. Quinimò non fuiſſe certa indicta jejunia in principio Eccleſiæ teſtatur *Euſebius l. 5. Eccl. hiſt. c. 24. & Nicephorus l. 4. c. 36.* eò quòd fideles tanta devotione flagrarent, ut penè continuis jejunijs vacarent, ut teſtis eſt Theophylus Alexandrinus Paſchalis *Epiſt.* 1. Imò modos jejuniorum fuiſſe aliquo tempore relictos devotioni fidelium teſtatur decretum Concilij Erphesfurtenſis apud Burchardum l. 13. decretorum c. 27. quo Concilium debuit idipſum prohibere ob varias ſuperſtitiones immixtas. Undè ſic in eo definitum eſt: *Statuimus ut nemo niſi conſentiente proprio Epiſcopo, aut ejus miſſo, jejunium ſub obtentu Religionis ſibi imponat, unum diem præ alijs excipiendo. Hoc enim interdicimus, & factum diſplicet, & in futurum fieri prohibemus, quia plus cauſa ariolandi eſſe dignoſcitur, quàm ſupplementum Catholicæ legis.* His ſic prænotatis, cùm forma jejunij ſit ex Eccleſiæ inſtituto, quæritur: Quid eſt Jejunium, ut modò in Eccleſia ſancta Romana indictum eſt? Vide omnia ſupradicta longè lateque deducta apud *Baronium ad annum* CHRISTI 57.

Concil. Erpheſfur.

CONCLUSIO UNICA.

Iejunium (ut in Eccleſia Romana modò indicitur) eſt religioſa obſervantia abſtinentia à cibo, & qualitate certa ciborum deſignato tempore, ad Deum colendum, & ad mortificationem carnis propter Deum ab Eccleſia ordinata.

Religioſa obſervantia in jejunio.

Dixi (*obſervantia religioſa*) *Primò*, Ut diſtinguatur contrà jejunium naturæ, quo is, qui non habet quod comedat, abſtinet, vel quo ex aliqua cauſa naturali quis cibum aut potum refugit.

Secundò, ut diſtinguatur à ſolo jejunio virtutis temperantiæ, quo quis ſui compendij gratiâ; vel ut gulam ſuam vincat, à cibis abſtinet: hoc enim Philoſophicum eſt & morale, omni hominũ generi & ſtatui pro libitu conveniens.

Tertiò, Ut indicetur vera natura & verum genus jejunij Eccleſiaſtici, quod ad obſervantias ſacras pertinet, & à virtute Religionis ordinatur in cultum Dei: nullum enim eſt jejunium in Eccleſia Dei inſtitutum, quod ſingulari cultui Dei dedicatum non eſt. Undè Leo Magnus ſer. 4. de Quadrageſima: Quadrageſimam inſtitutam dicit: *Ut excellens ſuper omnia Paſſionis Dominicæ Sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus.* Infrà: *Debebatur quidem tantis myſterijs ità inceſſabilis devotio, & continuata reverentia: ut tales permaneremus in conſpectu Dei, quales nos in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri.* Iterùm: *Ingreſſuri igitur, dilectiſſimi, dies myſticos, & purificandis animis atque corporibus ſacratiùs inſtitutos, præceptis Apoſtoli obedire curemus,* &c. Et ſer. 2. de Iejunio decimi menſis, id eſt, de quatuor temporibus Decembris, computatione Hebræorum (apud Hebræos enim incipiebat annus à Martio) oſtendit illa quatuor tempora inſtituta fuiſſe ad Dei cultum, in gratiarum actionem pro fructibus terræ illo anno perceptis. *Quod temporis* (ait) *ratio, & devotionis noſtra admonet conſuetudo, paſtorali vobis (dilectiſſimi) ſollicitudine prædicamus, decimi menſis celebrandum eſſe jejunium, quo pro conſummata perceptione omnium fructuum digniſſimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.* Nota *continentiæ libamen.*

S. Leo ſerm. 4. de Quadrag.

Idem ſer. 2 de jejunio decimi menſis in init.

Ruſsùs de quatuor temporibus Septembris in ſerm. 9. de Iejunio ſeptimi menſis: *Quod enim dudùm* (ait) *& traditio decrevit, & conſuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit,* &c. *Iejunium, quod vobis ſeptimi menſis recurſus indicit; fide alacri per caſtigationem animi & corporis celebremus.* Infrà: *Ideò enim ipſa continentiæ obſervantia quatuor eſt aſſignata temporibus, ut in idipſum totius anni redeunte decurſu, cognoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere.* (Nota *continentiæ obſervantia.* Undè Eccleſia ſemper cum jejunio junctas preces habuit, & conventus ſolemnes populi) Infrà: *Quartâ igitur & ſextâ Feriâ jejunemus; Sabbatho verò apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adjuvandos, ut miſericordi Deo jejunio noſtro & devotione placeamus.* Quæ omnia probant, quod in ultima particula diximus, jejunium fuiſſe ab Eccleſia inſtitutum, ſive obſervantiam abſtinentiæ ordinatam ad Deum colendum, & ad mortificationem carnis propter Deum. Sanè in omnibus Eccleſiæ jejunijs & abſtinentijs, ſive Quadrageſimæ, ſive quatuor temporum, ſive vigiliarum & profeſtorum, ſive rogationum, ſemper preces & ritus ſacri adjuncti ſunt, ut oſtendatur jejunium illud non ſimpliciter eſſe actum virtutis temperantiæ; ſed magis virtutis Religionis & obſervantiæ. Lege ſacras antiquitates apud Baronium ſuprà: neque enim omnes illas referre mei eſt inſtituti. Definitionis explicationem proſequor.

Idem ſer. 9 de jejunio 7 mẽſis in init.

Dixi (*abſtinentia à cibo*) hoc enim jejunio Eccleſiæ eſſentiale eſt; ità ut qui à cibo non abſtinet, etſi à vitijs & alijs abſtinens metaphoricè & ſpiritualiter jejunare dicatur, propriè dictum tamen jejunium non ſervat, licet actus ejus ſit ſummæ virtutis & meriti.

Abſtinentia à cibo.

Non dixi (*à potu*) quia potûs abſtinentia ſimpliciter ab Eccleſia non eſt indicta: contrà tamen illos, qui potu ſe nutriunt, aut in potu laſciviunt in diebus jejuniorum, hoc dixerim: ſi non frangunt (ut vulgò dicitur) *jejunium, illud ſubmergunt*; parùm eſt autem, qua ratione jejunium pereat. Audeo etiam dicere: etſi pia Mater Eccleſia refrigerium naturæ per ſimplicem potum admittat: nunquàm tamen admittere extrà refectionem in die jejunij potum, qui cibi ratione ſuſcipit, ut potum lactis; vel qui in ſupplementum alimenti per ſe ſumitur: minùs admittit ebrietates, compotationes diuturnas, quia illæ ſi præcepto non exprimũtur: in termino jejunij ex natura ſua & ex naturæ viſceribus comprehenduntur: qui enim exceſſivè potu ſe ingurgitat, aut cõpotationibus vacat, quomodò cenſetur abſtinere? Si non cenſetur abſtinere, quomodò cenſetur jejunare? Iejunium enim

Quid de abſtinentia à potu.

Nota:

ſpecies abſtinentiæ eſt : ſi ergò compotitatio abſtinentiam, quæ jejunij genus eſt, deſtruit, quomodò jejunium cum compotatione deſtructo genere ſuo ſtare poteſt? Undè credo eos mortaliter contrà ipſam jejunij naturam peccare, qui in diebus jejuniorum extrà principalem refectionem multo potu, extrà omnem rationem refrigerij naturæ, ſe reficiunt, multò magis eos, qui ſe ingurgitant. Aliquot hauſtus, etſi ex natura ſua reficientes & nutrientes, humanæ fragilitati indulgeo: compotitationes extrà refectionem primariam natura jejunij condemnat.

De qualitate ciborum.

Dixi (*& qualitate certa ciborum*) Eccleſiæ enim mandato carnes prohibentur, & in Quadrageſima quidquid ex carne prodit: ut ova, caſeus, butyrum, lac, ut refertur apud *Grattanum Diſtinct.* 4. *c.* denique Sacerdotes, quamvis conſuetudine & piâ redemptione Belgium jam obtinuerit, ut caſeo, butyro, lacte communiter utatur in Quadrageſima, aliquot diebus exceptis.

De hora refectionis, ...

Dixi (*deſignato tempore*) Triplex autem tempus in obſervantia jejunij deſignatur, nimirùm: *Dies*, in quo jejunare oportet. *Hora*, in qua ſumenda eſt refectio; & *Tempus*, quo jejunium incipit & finitur. Sub *Die* comprehenduntur omnes dies jejuniorum ſub præcepto impoſiti. Sub *Hora refectionis* intelligitur, quòd refectio unica ſumatur tempore opportuno; nimirùm: non ante tempus meridianum, quod ab undecima hora incipit, unâ ſcilicet horâ antè plenam meridiem. Poſt meridiem autem quacunque horâ refectionem ſumere potes, etiamſi velis eam transferre in veſperam. Sub *Tempore*, quo jejunium incipit & finitur, intelligitur: quod à media nocte diem jejunij præcedente jejunare incipias, & ad mediam noctem diem illum ſequentem producas, poſt quem immediatè omnem jejunij ritum ſolvere potes.

De tempore jejunij.

Dixi (*ad Deum colendum, & ad mortificationem carnis*) hic eſt jejunij Eccleſiaſtici finis, prout in prima particula de *obſervantia religioſa abſtinentia* explicavimus latiſſimè. Qui aliter, aut alio fine jejunat, aut actum naturalem exercet, aut moralem virtutis, aut ſimilitudinarium: Eccleſiaſticum autem jejunium non celebrat, quamvis foris non condemnetur, quia Eccleſia judicat de ijs, quæ foris patent, & aliàs abſtinentiæ externæ & materiali præcepti ſatisfacit.

QUÆSTIO II.

Qualiter contrà præceptum Jejunij peccari contingat?

Quinque requiſita ad jejunium.

EX præcedenti quæſtione quinque ad rationem jejunij pertinere notata ſunt. *Primum, Abſtinentia à cibo. Secundum, Refectio unica* in die naturali à media nocte ad mediam noctem. *Tertium*, Ut illa *refectio antè* tempus meridianum, videlicet *horam undecimam* non ſumatur. *Quartum*, Ut in omnibus jejuniorum diebus à *carnibus*, ovis autẽ & lacticinijs tempore Quadrageſimæ abſtineatur. *Quintum*, Ut pro fine *ad colendum Deum*, &c. jejunium fiat. Super his inquiritur, qualiter contrà has obligationes jejunium concomitantes peccetur?

CONCLUSIO I.

Comedere carnes in jejunijs peccatum mortale.

COmedere carnes in diebus jejuniorum, & in Quadrageſima comedere ova (abſque diſpenſatione vel cauſa excuſante) eſt peccatum mortale. Eſt communis Eccleſiæ totius ſenſus, ità ut probatione aliâ non indigeat. Quod & dicendum eſt de diebus abſtinentiæ ſimplicis, in quibus jejunium perfectum unius ſolius refectionis non indicitur, ut in Ferijs 6. Sabbathis per annum, diebus Rogationum in Belgio (in Italia enim nõ abſtinent: in Hiſpania feriâ 2. & 4. duntaxat.)

Dixi (*abſque diſpenſatione, vel cauſa excuſante*) quæ autem ſit illa, infrà dicetur.

CONCLUSIO II.

Comedere lacticinia qualiter licet.

COmedere lacticinia in Quadrageſima in Belgis, peccatum non eſt, quia conſuetudo & pia redemptis, quâ aliqui quinque Pater & Ave Maria indies legunt, alij eleemoſynam in cauſam ab Epiſcopis indictam donant, contrà præceptum præſcripſit.

Nota.

Petes: Quid ſi in diebus reſervatis ut die Cinerum, Feriâ 6. quatuor temporum Quadrageſimæ, Feriâ 6. Paraſceve, aut, ut in quibuſdam Diœceſibus, hebdomadâ ſanctâ lacticinia comedantur? *Reſp.* Peccari tantùm venialiter. Ratio eſt: quia non videtur eſſe gravis materia, & aliàs iſti dies videntur reſervati magis pro communi Eccleſiæ uſu, in memoriam omnibus pijs primævæ obligationis. Et quidem in Belgio tranſgreſſio non æſtimatur tanti momenti, etſi tamen abſque ullâ ratione iſtis uti, cauſaret ſcandalum, & ratione ſcandali peccatum mortale eſſe poſſet.

CONCLUSIO III.

Prævenire horam notabiliter abſque cauſa peccatum mortale.

ABſque cauſa legitima prævenire notabiliter tempus meridianum totâ refectione principali, eſt peccatum mortale. Ratio eſt: Quia hæc eſt una principalis conditio jejunij Eccleſiaſtici, quam qui tranſgreditur, jejunium in notabili ſui conſtitutione tranſgredi cenſetur. Et hic iterùm eſt ſenſus communis Eccleſiæ, à quo recedere temerarium eſſet. Indicatur hæc Concluſio à *Gratiano de Conſ. d.* 1. *c. Solent plures*: ubi tempore primitivæ Eccleſiæ tempus veſpertinum ad comeſtionem ità determinatum ex Concilio Cabilonenſi refert; ut qui horâ nonâ comederent, nullatenùs jejunare crederentur. Cùm igitur meridiana refectio in locum veſpertinæ ſucceſſerit, cenſetur ſimiliter ad rationem & conſtitutionem jejunij pertinere.

Dixi (*abſque cauſa legitima prævenire*) pia enim mater Eccleſia, ſicut à toto jejunio cauſâ ſubſiſtente excuſat, ſic & in aliquibus ejus conditionibus excuſare cenſetur.

Cauſæ excuſantes præventionem refectionis meridianæ.

Cauſæ autẽ legitimæ ſunt: Iter inchoandum: impedimentum vel negotium urgens, quod refectionem meridianam impedit: Infirmitas, quæ non permittit abſq; incommodo gravi tantum temporis expectare, aut jejunum eſſe. Poteſt etiam alia cauſa excuſationi locũ dare: ut ſi perſona gravis, vel amicus, cui ex urbanitate condeſcendere debemus, & quem expedit in refectione aſſociare, debeat vel ratione itineris, vel aliâ causâ horâ prævenire. In his omnibus nullum peccatũ eſt, ſi tempus meridianũ præveniatur, modò unâ refectione iſtâ die cõtenti ſimus.

Nota. Dixi (*notabiliter*) aliquantulum enim, ut quartali horæ vel mediâ horâ, etiam abſque cauſa prævenire, ob levitatem materiæ opinor non fore niſi veniale peccatum.

Dixi (*totâ refectione principali*) permittitur enim Lectoribus & miniſtris menſæ, famulis & aliis qui debent famulari tempore refectionis aliorum, in meridie modicum ſumere tamquam præambulum futuræ refectionis, quia horam deſignatam præterire debent, & tempore horæ refectionis impediuntur, idque ad aliquam confortationem, & ratione incommoditatis quam expectando incurrunt.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum ſit de collatiuncula veſpertina?

Collatiuncula veſperi antiquitùs non ſumebatur.

CErtum eſt collatiunculam veſpertinam in Eccleſia Dei à principio non fuiſſe uſurpatam, ſed contra puritatem jejunii ex natura ſua militare. Undè in Eccleſia antiquitùs refectio communiter tantùm veſperi ſumebatur poſt occaſum Solis, in cujus ſignum in Quadrageſima veſperæ ante prandium decantantur.

Deindè ſucceſſu temporis ſumpta eſt poſt Nonam, id eſt, poſt tertiam pomeridianam: tandem ob humanam fragilitatem ad meridiē deducta eſt. Porrò cùm veſperi vel poſt nonam ſumebatur, nulla vel modica ſumptio cibi vel potûs veſperi indulgebatur: Et tantùm poſtquam refectio reducta eſt ad tempus meridianum, cœperunt veſpertinæ collatiunculæ: quāvis adhuc modò inter multos prior devotio & obſervantia vigeat, ut veſperi nihil ſumant.

CONCLUSIO UNICA.

Collatio veſpertina licita.

L*Icet ex indulgentia matris Eccleſia aliquid cibi veſperi in die jejuniorum ſumere, non tantùm ut dicunt*, ne potus noceat, *ſed etiam ad natura confortationem*. Id docet communis uſus etiam inter probos ſciente & permittente Eccleſiâ: undè cùm conditiones omnes in jejunio ſint ex ipſius Eccleſiæ ordinatione & inſtituto, cenſetur Eccleſia contrariam obligationem tollere, ut iſtum uſum permittere tamquam licitum.

Dixi (*ex indulgentia matris Eccleſia*) eſt enim quædam diſpenſatio in modo & rigore præcepti, & in jejunii perfecta ratione.

Dico (*aliquid cibi & potûs*) ſic enim ſe habet, ut dixi, communis uſus in Eccleſia, ab illa toleratus & permiſſus.

Nota. Dixi (*etiam ad natura confortationem*) in hoc enim conſiſtit indulgentia ſive diſpenſatio piæ matris Eccleſiæ: ſi enim nil ſumeretur quod confortare poſſet, diſpenſatione & indulgentiâ opus non eſſet, cùm ſimpliciter liceat aquam vel potum ſumere ad ſimplex refrigerium ſitis. Sed hic dubia graviora inſurgunt, quæ multorum calamos, & cogitationes, imò & conſcientias hucuſque torſerunt.

Dubium I.

Quid cibi liceat ſumere in collatiuncula veſpertina?

DE piſcibus & aliis cibis, præter panem & fructus aliquos, ut ficus, uvas, poma, &c. plurimi negant: Germani aliquid de frigidis piſcibus admittunt: Alii ſorbitiunculas ſuadent. Quilibet in ſuo ſenſu abundat.

In collatione quantitas non qualitas cibi attendenda.

Reſp. Ego: In collatiuncula veſpertina de qualitate cibi non eſſe altercandū, ſed de quantitate dumtaxat. *Fundor*: quia collatiuncula illa tolerata vel permiſſa eſt ad aliquam confortationem naturæ, propter infirmitatem humanam. Quid igitur refert quo cibo confortatio illa fiat, modò non excedatur, & cibus abſtinētiæ jejunii ſit accommodus? vel quid ſingularis diſpenſationis ſive gratiæ intervenire poteſt, ut me fructibus & pane repleam; piſciculum autem, aut ſorbitiunculam alterius generis attingere non audeam. Igitur cenſeo qualitatem cibi, modò ex prohibitis in diebus jejuniorum non ſit, collatiunculam non vitiare, ſi in quantitate non excedatur.

Dubium 2.

Quæ quantitas in collatiuncula ſumi poſſit abſque Jejunij violatione?

HIc iterùm plurimi ad mathematicas menſuras recurrunt, dum tres, quatuor, quinque uncias panis cum fructibus & aliis permittunt, ita ut ad pondus ciborum velint jejunia ſua examinari: Alii alia comminiſcuntur, prout uniuſcujuſque fert opinio.

Collatio veſpertina quanta?

Reſp. Illam quantitatem ſumi poſſe, quæ moraliter ad aliquam tantùm confortationem ſervire exiſtimatur: nullatenùs tamen ad refectionem: Talis eſt, quæ levi jentaculo vel merendæ pomeridianæ comparatur. Dixi (*Quæ moraliter ad aliquam tantùm confortationem ſervire exiſtimatur*) Hic enim eſt finis permiſſæ collationis, ut naturâ confortetur. Dixi (*nullatenùs ad refectionem*) id eſt, quæ homini pro refectione reputari poſſit, etſi modica refectio eſſet. Undè addidi (*Talis eſt, quæ levi jentaculo vel merendæ pomeridianæ comparatur*) undè non aſſentior iis, qui dimidiæ cœnæ comparant, aut dimidio prandio: Jentaculum enim leve & merenda aliquid minus eſt, & tantùm confortationem aliquam naturæ dicit.

Porrò omnia illa moraliter juxta moralem æſtimationem ſunt expendenda, nec ad mathematicas menſuras confugiendum: Poteſt enim panis unius, imò duorum aſſium minùs ponderate pane dimidii aſſis, utpotè ſi ex pura ſimila benè piſtus ſit: Quis autem dicat quòd quatuor uncias talis panis leviſſimi, ſed ſummæ ſubſtantiæ, ſumere poſſim in una collatiuncula; cùm mihi ſufficerent pro integro prandio vel cœna. Quilibet igitur in ratione quantitatis cibi, ſit ingenuus arbiter & ſincerus judex ſui actûs, ad pondus *ſanctuarij*, hoc eſt, *timoris Dei*, & candidæ non ſcrupuloſæ conſcientiæ. Et ut regulam dem certiorem: cùm tibi mater Eccleſia collatiunculam illam indulgeat, propter imbecillitates & debilitates naturæ ad confortationem illius, ſume tantum, quantum ſentis tibi commodè neceſſarium, ut jejunans tuis functionibus ordinariis ſatisfacias, abſque gravi incommodo, ut privationis ſomni, operis & exercitij, cui vacare ſoles, vel etiam ſanitatis,

Regula collationis veſpertinæ.

Si parùm diminuas, auſteritatis erit & perfectionis, ſi tantisper excedas, infirmitati vel fragilitati deputabitur. Tantùm ne excedas notabiliter mores proborum, qui moderati & prudentes habentur.

Dubium 3.

An iter agens vel aliis præpediendus poſſit Collatiunculam manè ſumere, ut veſperi cœnare poſſit?

Iter agens poteſt manè umere collationē.

ET hoc Dubium aliquos torquet, & in diverſa ſenſa abeunt.

Reſp. Licere Ratio mihi clara eſt: quia ſi Eccleſia Mater cum comedente in meridie diſpenſet, ut collatiunculam veſperi ſumat ad conſortationem, ne deficiat, in hoc condeſcendens humanæ infirmitati: potior ſanè diſpenſationis ratio eſt in eo, qui ut in die iter agat, vel alia ſua exerceat, ad veſperam uſque ſuam cœnam transfert & manè collatiunculam ſumit, & in eo eſt majus periculum deficientiæ vel infirmitatis. Ubi igitur eadem ratio militàt, idem omninò ſecurâ conſcientiâ concludi exiſtimo. Et hæc praxis communi uſu timoratorum in dies confirmatur.

Dubium 4.

An liceat Ieiunium ſuum transferre de uno die in alium jejunio ſimili non impeditum?

Non licet auctoritate privatâ transferre jejunium.

RESP. Privatâ auctoritate non licere. *Ratio eſt:* quia Eccleſia publicâ auctoritate dies jejuniorum aſſignavit, quibus auctoritas privata derogare nequit.

Dico (*privatâ auctoritate*) Pontifex enim privilegium nonnullis Religioſis itinerantibus dedit, ut die itinerationis poſſent ſuum jejunium transferre in alium diem. Ita conceſſit noſtro Ordini FF. Minorum *Leo X.* ut habetur *in compendio privilegiorum V. Iejunium.* Quamvis id putem factum magis ad ſedandos ſcrupulos, quàm ex neceſſitate: Qui enim iter agit, vel ob itineris laborem & incommoda à jejunio excuſatur, vel labores ejus non ſunt ſufficientes ut excuſetur: ſi primum; non indiget translatione & onere illo replicato aliàs jejunandi: Si ſecundum dicatur; cenſetur jejunare poſſe. Et ſic in ſimilibus argumentandum eſt. Qui voluerit tamen iſto privilegio uti, poteſt: imò credo omnes Superiores poſſe in translatione jejunii ex cauſa diſpenſare in particulari, quia eſt actus quidam paſtoralis, & minor quidem quàm diſpenſatio vel commutatio abſoluta, quæ tamen Superioribus juriſdictione ſpirituali gaudentibus permittuntur.

Privilegiū Leonis X.

QUÆSTIO IV.

Quæ cauſæ à Ieiunio excuſent?

CONCLUSIO UNICA.

CAuſæ à jejunio excuſantes ad 4. capita reduci poſſunt, quæ ſunt: *Ætas, infirmitas, paupertas, labor.* Et quidem de his ad majorem claritatem ſingulos paragraphos ſubjicio.

§. 1. Ætas.

DUæ extremæ hominis ætates communi Eccleſiæ declaratione à jejunio excuſãt: *Pueritia* ſimul cum adoleſcentiæ parte uſq; ad annum 21. *Senectus* item à ſexageſimo anno ad finem ætatis. Poſtrema hæc ætas declarata eſt à Pio V. vivæ vocis oraculo an. 1570. Et in Bullis Cruciatæ de annis 1569. & de 1570. In quibus etſi prohiberet ne Regulares illarũ privilegio uterentur quoad ovorũ & lacticiniorum uſum in Quadrageſima, excepit tamen ſexagenarios, quos declaravit ad jejuniũ non teneri: Ita ſub aſſeveratione infallibili tamquam oculatus teſtis refert *Hieron. Llamas 3. p. methodi cap. 5. §. 20.* his verbis. *Gratias* (ait) *Deo, quod regula deinceps tenebitur certa à ſummo Eccleſiæ Paſtore decreta,* &c.

Ratio excuſationis primæ ætatis ad annum 21: eſt: quia illud eſt tempus accretionis humani corporis juxta Medicorum judicium, ideoque Eccleſia indulſit, ut adoleſcentes uſque ad illam ætatem jejunio non tenerentur ex præcepto Eccleſiæ, niſi aliundè obligarentur, vel voto ſe obſtrinxiſſent. Undè ſi Confeſſarii petulantiã carnis in adoleſcentibus poſt annos pubertatis advertant, poſſunt illis in Sacramento imponere jejunia ſub præcepto adimplenda, & ipſi tenentur ſuſcipere, & jejunare. *Item:* adoleſcens ante annũ 21. ætatis in Ordine S. Franciſci profeſſus tenetur ante illã ætatẽ à die profeſſionis ad jejunia Regulæ quæ ſunt plurima. Nota.

Ratio excuſationis extremæ ætatis ſenectutis à 60. anno, eſt: quia ſenectus ſeipsâ morbus eſt, & morborum ac infirmitatum congeries, & natura deficiens corroboranda eſt. Numeratur verò à 60. anno, quia juxta Pſalmiſtam Pſ. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis,* id eſt hominibus, *ſeptuaginta anni* pro termino ætatis communi poſiti ſunt: *Si autem in potentatibus octoginta anni & ampliùs eorum labor & dolor.* Cùm igitur à 60. anno incipiat ultimus denarius communis ætatis, totus ille pro deficientia & decremento virium ſumitur, in quo natura foveri debet, non reſtringi. Nota.

Pſ 89. v. 10.

Dices: Quidam poſt ſexageſimum annũ imò & poſt ſeptuageſimum vegetiores ſunt, quàm alii anno quinquageſimo: unde Navarrus de ſeipſo narrat, quòd octogenarius adhuc jejunaret, ergo illi ſaltem obligantur. *Reſp. neg. conſeq.* Eccleſia enim vel Pontifex in ſua declaratione communem hominis ætatem aſſumit, & communem deficientiam attendit Undè univerſaliter declaravit præcepto Eccleſiæ hominem poſt ſexageſimum annum non teneri ad jejunium, permittit tamen, ut pro ſua devotione & viribus quilibet jejunet.

Petes: An Regularis *Ex. gr.* Frater minor Sancti Franciſci ex voto ad jejunia Regulæ ſub peccato mortali obligatus, poſt ſexageſimum annum jejunare teneatur extra caſum manifeſtæ neceſſitatis? *Ratio* dubitãdi eſt: quia voto tenetur. *Item* à ſimili: quia adoleſcens

ante

antè 21. annum ætatis in Ordine Fratrum Minorum profeſſus, ut diximus, ad jejunia regulariter tenetur. De hoc caſu à Rmo. P. F. Andrea à Suto Ordinis noſtri Commiſſario generali in Belgio, Sereniſſ. Archiduciſſæ Eliſabethæ Hiſpaniarum Infantis Confeſſario, pientiſſimæ & ſanctæ memoriæ conſultus fui anno 1619. qui quamvis ſeptuagenarius, ſcrupulis tamen in ratione obligationis jejuniorum angebatur. *Reſpondi* itaque, ſicut & modò reſpondeo: Fratrem Minorem poſt ſexageſimum annum ætatis ad jejunia regularia non teneri. *Ratio* mea eſt: quia jejunia regularia ſequuntur naturam jejuniorum Eccleſiæ, & ſub iiſdem modis obligant, & ex iiſdem cauſis diſpenſantur. Undè jejunia in regula Fratrum Minorum non tam voto promittuntur, quàm ſub præcepto regulæ cadunt, etſi eorum obſervantiæ, qui vovet regulam, ſe aſtringat, eo modo nimirùm, quo præcipiuntur, & quo jejunia obligant. Cùm igitur Pontifex ob communem naturæ deficientiam declaraverit ſexagenarios ad jejunium non obligari, & ſit eadem ratio ſeu æ(t)utis in Religione ac in ſæculo, eademque ratio infirmitatis & deficientiæ naturæ, eadè eſt ratio excuſationis & diſpenſationis, ſi quæ intervenit.

Nota.

Frater Minor ſex. genarius non tenetur ad jejunia regularia.

Ad illud, quod de adoleſcente adfertur, qui ante annum 21. ætatis profeſſus, non obſtante declaratione Eccleſiæ obligatur ad jejunia regularia. *Reſpond. neg.* paritatem in utroque caſu: adoleſcens enim ille in ſæculo manens non excuſatur à jejunio ratione infirmitatis, aut debilitatis, ſed ex mera indulgentia ratione incrementi, ſeu naturæ creſcentis: undè ſupponitur eſſe ex ratione ætatis potens ad jejunandum ſaltem poſt annum ætatis 15, & 16. quo Religioni eſt aptus, & ut dixi, ſi vel voveat, vel obedientiæ ſe addicat, in Religione tenebitur ad jejunia regularia, quia illi indulgentiæ & privilegio voluntariè ceſſit. Aliud autem eſt de Fratre ſexagenario: ſupponitur enim ex communi defectu ætatis impotens & infirmus; undè cùm declaratio Pontificis hoc motivo facta omnes attingat, qui ad hanc ætatem deficientem pervenerunt, etiam illum comprehendit. Addo, in iſta declaratione alteram exeuſationis includi cauſam, quæ eſt ordinariæ infirmitatis, ratione cujus etiamſi quis ad illam ætatem necdùm perveniſſet, judicaretur ad jejunium non obligari. Itaque adoleſcens in Religione profeſſus gratiæ ſæculi pro prima ætate cenſetur renuntiaſſe: ſenex autem ſexagenarius econtrà ob Religionis auſteritates cenſetur cauſæ juſtæ declarationis magis quàm alius ſubeſſe, & quamvis aliquo modo valeret, & ad jejunandum potens videretur, tenetur tamen naturam fovere alimentis, nè tota ſimul deficiat, cùm jam ſit in ætatis ordinariæ occaſu & declivi, utpotè in ultima decade, qua indiget cibo ad naturæ deficientis fomentum & conſervationem, ad quam jure naturæ obligatur. Diſpenſatio itaque in puero meræ gratiæ eſt, in ſene eſt declaratio neceſſitatis ad naturæ fomentum, nè deficiat.

§. 2. *Infirmitas.*

Ob *Infirmitatem* excuſantur, qui morbo, debilitate, imbecillitate, aut ſanitatis aliquo juſto gravamine laborant: inter quos comprehenduntur prægnantes & nutrientes, quæ communiter exiſtimantur ſine detrimento ſanitatis vel prolis non poſſe jejunare. Iudicium verò morbi, infirmitatis, imbecillitatis, debilitatis judicio medicorum, imò & prudentiæ Confeſſarij, vel alterius probi relinquitur. Attendenda etiam eſt non tantùm infirmitas præſens, ſed etiam imminens, aut quæ timetur ventura. Non enim tantùm excuſor à jejunio ratione infirmitatis, quæ me modò affligit, & incapacem jejunij reddit, ſed etiam ſi jejunium ſolvendo aut comedendo, credo me poſſe aut debere infirmitatem imminentem evadere, aut prævenire. Neque enim expectandum eſt donec infirmitas occupet hominem.

§. 3. *Paupertas.*

Paupertate excuſantur, qui non habent victûs ſufficientiam, ſed per partem ità mendicare debent, vel etiam prout occurrit ſumere; ut plenam ſimul refectionem ſumere non poſſint, imò & vix per partes. Ex quo fit ut ſæpiùs cibum ſumere cogantur, imò nunquàm, aut vix unquàm plenam refectionem ſumant. Undè etiam ſe ingerit cauſa infirmitatis ſuprà allegata.

§. 4. *Labor.*

Laboris cauſâ excuſantur generaliter omnes operibus ſive corporalibus, ſive ſpiritualibus vacantes, quorum operum labor talis eſt, ut opus fieri, aut labor tolerari non poſſit, ſi quis jejunet, ità ut labor iſte jejunium abſque detrimento perſonæ, operis, rei domeſticæ, familiæ, vel alicujus tertij, in cujus gratiam laboratur, non compatiatur. Et ad hanc regulam operariorum labores ſunt expendendi, ut à jejunio excuſentur. Dixi (*operibus corporalibus ſive ſpiritualibus vacantes*) ſæpè enim labor ſpiritualis excedit corporalem. Etſi enim labor corporalis magis conſumat ſpiritus vitales; ſpiritualis tamen multò ampliùs conſumit ſpiritus animales, qui ad vitam magis neceſſarij ſunt. Undè, qui corporali labori vacant, vegetiores ſunt iis, qui ſtudijs, lectionibus, concionibus, & alijs ſpiritualibus exercitijs vehementiùs incumbunt. Nota.

Petes: Quid de iter agentibus? *Reſpondeo*, quidquid opinantes infinitis quæſtionibus rem totam confundant, hanc regulam ſufficere, nimirùm: *Quandocunque iter ità hominem alterat, ut abſque aliquo detrimento ſui, vel negotij rationabilis, pro quo vadit, jejunium ſervare commodè non poſſit, excuſare à jejunio.* Ex quo:

Quid de iter agentibus.

Regula iter agentium.

Infere primò: Nullam poſſe ad excuſationis legitimam rationem dari certam menſuram longi-

longitudinis itineris : quidam enim faciliùs decem leucas perficient abſque ſolutione jejunij, quàm alij quinque : quidam quinque, quàm alij tres. Undè ex longitudine itineris neceſſitas cibum ſumendi, vel non ſervandi jejunium deſumi non poteſt : ſive enim debilitas vel fatigatio ab intrà veniat : ſive ratione aëris, ut caloris nimij, pluviarum, tempeſtatum : ſive ratione itineris prærupti, montoſi, &c. quis minori etiam itinere fatigari poteſt, & à jejunio excuſari.

Nota. *Infero ſecundò*, Neque itineris excuſationem deſumi poſſe præcisè à modo itinerandi, quòd quis equo, curru, vel pedes iter perficiat. Interdum enim equus tantum fatigat, quàm currus, & econtrà; imò aliqui pedeſtres minori incommodo ambulant, quàm ſi curru vel equo agitarentur : quin & navibus vecti aliquando ità ex aquarum ſpiritu magis concoquente deficiunt, ut ipſis cibus magis neceſſarius ſit, quam ſi curru vel etiam pedites ambulâſſent.

Nota. Una ergò generalis menſura excuſationis à jejunio eſt fatigatio, deficientia naturæ in itinere, & opere quocunque; ità ut quis ſibi ipſi bonâ fide ſit ſincerus arbiter, & ſi ſibi non poſſit ſatisfacere, credat viro bono & prudenti, maximè Confeſſario, cujus eſt de hoc judicare. Illa verò deficientia non tantùm attendi debet ut hic & nunc, ſed etiam in ordine ad alterum diem, vel prolixum iter, quod diebus pluribus continuandum eſt. Et hæc de jejunio ſint dicta. De præceptis autem confeſſionis & communionis alibi à nobis latè tractatum eſt. De confeſſione quidem *Tom* 1. *Tract.* 4. *Tit.* 1. *Q.* 1. *&* 2. *&* *toto Tit.* 4. 5. 6. *&* 7. De communione autem *Tomo.* 2.

S C H E M A

Super Tractatu 12. de quinque Eccleſiæ præceptis.

Hoc Tractatu circa præcepta Eccleſiæ	Unicum traditur & examinatur, nimirùm	De Jejunio.
	Cætera, quia alibi in his duobus Tomis plenè tractata ſunt, ad ſua loca reducuntur.	

EPILOGVS AD LECTOREM BENEVOLVM.

EN (*Lector benevole*) navigationis noſtræ portus & fida ſtatio, ad quam huc uſque laborando remigavimus : en noſtri propoſiti promiſſique fructus qualiſcunque : *Tribunal viſibile animarum in hac vita mortali* Tomus primus fundavit, inſtruxitque : Codicem ſecundus ſcripſit : Si non ità accuratè, indulgendum homini non ſuo, ſed obedientiæ impulſu in varias curas & itinera diſtracto, quamvis ad unum portum Deum deſtinato. Si lima defuit, plus ſubſtantiæ, etſi cum aliqua rubigine, remanſit. Proteſtatus fueram in prologo Tomi primi : *Me in toto opere velle à citatione Auctorum abſtinere* : propoſitum tenui, nam præter Scripturam, Concilia, et Summorum Pontificum decreta ac Patres, paucos Auctores citavi. Incongruum ſine dubio videbitur multis ; cautum in principio dedi ; quia rationes fundamentales magis utiles ſunt, quàm opinantium dicta, vel minus frequenter fundata auctoritas. Fœliciùs enim rationes conſcientiam ſtabiliunt, ſi in S. Scriptura, Conciliis Orthodoxis & Patribus fundantur ; quid ſi minùs gratum? Dico : neceſſe eſſe hoc tempore multis, avelli à lacte, abſtrahi ab uberibus maternis; plurimi enim quaſi modò geniti infantes lacte opinionum ſibi faventium decepti, & ab uberibus antiquæ Evæ pendentes impegerunt in illud, ut :
Pſal. 130. verſ. 2. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ità retributio* ipſis facta ſit *in anima* ſua. *Quem* autem *docebit* Dominus *ſcientiam?*
& quem intelligere faciet auditum? Ablactatos utique *à lacte, avulſos ab uberibus*. Nam & per eundem Prophetam
Iſa 28 verſ. 9. mandat : *Super ubera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili.* Gaviſi ſunt namque innumeri in cornucopia opinionum, ut quemcunque fructum opinionis ſibi blandientis decerperent, tanquam in regione deſiderabili : non
Cap. 32. Verſ 12. attendentes, quòd : *Super humum populi* Dei *vepres aſcendunt, quantò magis ſuper domos gaudij* populi *exultantis*? Hæc
eſt cauſa, cur unicam ſemper proſecutus ſum firmo paſſu ſententiam, quam etſi notam Doctorum plurium fuiſſe, à quibus
Iſai 32. verſ. 13. & auditu, & diuturna lectione illam aliquando hauſi : nolui tamen certitudinem ſententiarum auctoritate docentium
prævalere, ſed eorum ſcientiâ & doctrinâ, quæ in illis ut *ſplendor firmamenti* eluxit, *ad juſtitiam erudiens multos*, fulcire. Improbum etiam laborem me effugiſſe illo compendio mihi gratulor. Oportuiſſet utique me ad fontes ipſos &
Dan. 12. verſ. 3. textum continuè recurrere, & cum malè citantibus indefeſsè pugnare, & inutili labore me conſumere. Dixero enim (ſalvâ multorum Auctorum reverentia) communiter vix ex decem aut viginti citationibus Auctorum duas vel tres per omnia fidas inveni : ità ut caſſo conatu plures ſæpè perdiderim horas, ut locum Auctoris à pluribus citatum reperirem. Addo : In favorabilem ſæpè partem Doctores à nonnullis evocari, qui contrarium è diametro curſum tenent, aut in obliquam partem trajiciunt. *Secunda pars* propoſiti mei erat : *Declinare omnem diſputationem*, hoc & facere ſtudui, nè cum ullo manus conſererem. *Tertiam partem* non neglexi, ut omnium, *ab humana eloquentia phalerato ſtylo calamum ſubducerem.* In hoc ipſo fortè nonnullis rudior & ſterilis nimis, aut inconditus apparebo. Credidi tamen me ſublimioribus illis ingenijs non loqui, ſed indigentibus ſimplici ac morali ſcientiâ & ſtylo. Et in materia ipſa conſcientiæ dirigendæ ſervi plus prodeſſe res, quam verba ; cumque in re conſcientiæ inſipientibus me plus debitorem agnoſcerem, illorum intellectui ſcriptum meum commodum volui, non argutum. *Unum deeſt* : Quòd caſus omnes capitare non potui, contentus eorum fontes denudare. Immenſitati exercitationis hoc indulge, & aliquid tempori da, debitum agnoſco, condonationem non peto, tantùm ſolutionis dilationem exigo, hac fide : *Tomum tertium* : *De peccato omnium ſtatuum ſuſcelitè hujus orbis ſpondeo, ſi faveat Deus.* Precibus, quiſquis hæc legis, ſi non diſplicent, iſtud ſiturum propoſitum adjuva. Reſtituet Tomus tertius, quidquid in his duobus defuerit, eritque tibi *Vir verſi hominis ſpeculum* ad maculas animæ fœliciùs abſtergendas. Interim hos duos Tomos accipe, & ſi quid erratum aut minùs explicatum eſt,
1. Tim 1. verſ. 17. patientiam habe, donec omnia reddam tibi. *Regi autem ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria*, &
Eccleſiæ Orthodoxæ Catholicæ Romanæ obedientia & reverentia, quam illi cum SS. P. N. *Franciſco* ſicut promiſi, ſic modo promitto & voveo, omnia & dicta & ſcripta mea ejus pleniſſimæ cenſuræ ſubjiciens, prout & meipſum. Ità me adjuvet Deus. *Amen.*

I N D E X

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in his duobus Tomis allegantur & explicantur.

Prior numerus paginam, poſterior columnam ſignificat.

Geneſis.

Cap.1.Verſ.27. AD imaginem Dei creavit illum. 241.1.
Cap.2.Verſ.23. Hoc nunc os ex oſſibus meis &c. 245 1
V.24.Quam ob rem relinquet homo Patrem &c.245.1.511.1
Cap.3.v.12 Mulier quam dediſti mihi ſociam &c. 513.2
V.19.In ſudore vultus tui &c. 10.1
Cap.4.v.1.Poſſedi hominem per Deum. 245.1.510 1
V 4.Et reſpexit Dominus ad Abel &c. 521.1
V.7 Nonne,ſi bene egeris,recipies &c. 156.1
V.13.Major eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. 331.1.
V 14 Et ero vagus & profugus in terra. 332.1
Cap.6,v.2.Videntes filii Dei filias hominum &c. 508.1
Cap.9 v.4.Carnem cum ſanguine non comedetis. 514.1
V.5.Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram &c. 514 1
V 6 Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. 514.1
Cap 17. v. 14. Maſculus cujus præputij caro circumciſa non fuerit,delebitur &c. 7.2
Cap.24.v 3 Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. 507.2.
Cap.26.v.35.Quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ. 507.2
Cap.27.v 26,Accede ad me,& da mihi oſculum fili mi. 549.1
V,46 Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. 507 2
Cap.28.v 6.Videns autem eſau,quod benedixiſſet &c. 507 2
V. 7. Quodque parentibus ſuis obediens Iacob eſſet in Syriam &c. 507.2
V. 8 Probans quoque quod non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus. 507.2
V.9.Ivit ad Iſmaelem,& duxit uxorem. 507.2.
Cap.31.v.28. Non eſt paſſus vt oſcularer filios meos, & filias. 549 1.
V.41.Immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus. 561 2.
V.42.Laborem manuum mearum reſpexit Deus &c 560.1
Cap.37.v 8.Hæc ergo cauſa ſomniorum & invidiæ & odii fomitem miniſtravit 520.2
V 11 Invidebant ei igitur fratres ſui. 520 1
Cap.38.v 9.Semen fundebat in terram,ne liberi fratris nomine naſcerentur. 548.1
V.10.Et idcirco percuſſit eum Dominus. 548.1

Exodus.

Cap.3.Verſ.6. EGo ſum Dominus Deus Patris tui. 500.1
V.16 Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi. 500.1
Cap.14.v 8 Induravitque Dominus cor Pharaonis. 168 1
Cap.20.v.2.Ego ſum Dominus Deus tuus. 284.1.
V.3.Non habebis Deos alienos coram me &c.161 2.284.1 287 1 446.1
V.4.Non facies tibi ſculptile &c. 259.1.287 1 446.1
V.5.Ego ſum Dominus Deus tuus,fortis &c. 287.1
V.5.Non adorabis ea,neque coles. 369.1
V 7 Non aſſumes nomen Dñi Dei tui in vanum 98 1.454.2
V.8.Memento ut diem Sabbati ſanctifices.201.1.251.1.270.2 286 1
V.12.Honora Patrem tuum, & Matrem tuam &c. 286.1
V.13.Non Occides,non Mœchaberis 96 1.261.2.
V.14.Non furtum facies. 201.1.260.2
V.16 Non concupiſces Domum proximi tui. 598.1
V.17.Nec deſiderabis uxorem ejus,non ſervum &c. 598.1
Cap.21.v 17.Qui maledixerit Patri ſuo,vel Matri,morte moriatur. 500 2.508 2
Cap.22 v.16.Si ſeduxerit quis Virginem necdum deſponſatam &c. 545.2
V.17 Si Pater virginis dare noluerit,reddet pecuniam &c. 543.2
V.25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi. 508.2
Cap.23.v.1.Non ſuſcipies vocem mendacii. 529.1
V.2.Nec in judicio plurimorũ acquieſces ſententiæ.519.1
V.4.Si occurreris bovi inimici tui &c. 359.1.360.1
V.5 Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere &c.359 1. 360.1
V.7.Inſontem & Juſtum non occides. 529.1
V.33.Non habitent in terra tua,ne fortè peccare te faciant in me &c. 298.2.
Cap.34.V.16 Ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos &c. 311.1

Leviticus.

Cap.6.v.7. QUi rogabit pro eo coram Domino,& dimittetur illi &c. 121.1
Cap.10.v.9.Præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. 292 2
V.10.Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum &c. 292 2
Cap.11.v.45.Sancti eritis quia ego ſanctus ſum. 39 1
Cap.18.v.23. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. 548.2
Cap.19 v. 11. Non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. 585.1
V.12.Non perjurabis in nomine meo,nec pollues nomen Dei tui. 454.2
V. 13. Non morabitur opus mercenarii tui apud te &c. 561.2
V.13 Non facies calumniam proximo tuo &c. 588.2
V.16 Non eris criminator,nec ſuſurro in populo. 588.1
V.20. Homo ſi dormierit cum muliere coitu ſeminis, quæ ſit ancilla &c. 251.1
V 21.Pro delicto autem ſuo offeret Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonii arietem. 251.2
Cap.20.v.15.Qui cum jumento & pecore coierit,morte moriatur &c. 548 2
V.16.Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet jumento: ſimul interficietur cum eo. 548.2
Cap.22 v.3.Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt &c. 39.1
Cap.24.v 16.Et qui blaſphemaverit nomen Domini &c341.2

Numeri.

Cap.5 v.6. VIr ſive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis &c. 120.2.517.2
V.7.Confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput. 120.2.517.2

Deuteronomium.

Cap.4.v.2. NOn addetis ad verbum quod loquor vobis, &c. 262.2
V.12 Locutuſque eſt Dominus ad vos de medio ignis,&c. 283 2.
V.13.Et oſtendit vobis pactum ſuum quod præcepit,ut faceretis,&c. 283 2
Cap.5.v.9.Non adorabis ea & non coles. 369 1
V.11.Non uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtrà.454 2
V.20.Ne loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium. 284.1
V.21 Non concupiſces uxorem proximi tui,&c.81.1 284.1
Cap.6.v 4 Audi Iſrael: Dominus Deus noſter,&c. 286.2.336.1
V.5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. 286.2.337.1.
V.13 Per nomen illius jurabis. 456.2
Cap.7.v.2 Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum. 298.2.
V 3 Neque ſociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis,&c. 259 1
V.4.Seducet filium tuum ne ſequatur me.&c. 299 1 311.1
Ca.11.v.19 Docete filios veſtros,ut illa meditentur,&c.509.2
Cap.12.v 32.Quod præcipio tibi,hoc tantum facito Domino, &c. 262.2
Cap.15.v.6.Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum. 568.2
Cap.17.v.6.In ore duorum,aut trium teſtium peribit, qui interficietur.528.2.

a V.14.

Digitized by Google

V. 12 Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio. 513.1
Cap.18.v.10.nec inveniatur in ta qui luſtret Filium ſuum, aus Filiam ſuam &c. 451 a
V.11 Nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, 451 2
V.12 Omnia enim hæc abominatur Dominus. 451 2
Cap.19.V 15.Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem. 528.2
Ca.20.v.10 Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. 531.1
Cap.21.v.18 Si genuerit homo Filium contumacem &c 505.2
V. 19. Apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, &c. 505 2
V. 20. Dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt &c. commeſſationibus vacat &c. 505. a. 352 2
V. 21 Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur. *505 2
Cap.22.v.3.Similiter facies de aſino, & de veſtimento &c. 360.1
V.10.Si verum eſt quod objicit, & non eſt in Puella inventa virginitas. 539.1
V.21 Ejicient eam extra fores domus patris ſui. &c. 539.1
V.28.Si invenerit vir puellam virginem &c. 543 a
V.29.Dabit qui dormivit cum ea patri Puellæ quinquaginta ſiclos argenti. 543.2
Cap. 23. v. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam &c. 568,2
V.20.Fratri autem tuo abſque vſura, id quod indiget commodabis. 568,2
V.21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. 476.2.
Cap. 24.v.14 Non negabis mercedem indigentis &c. 561.a
V. 15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris. 561 a.
Cap.27.v.16. Maledictus qui non honorat Patrem ſuum & Matrem. 500.2.
Cap.32.v.7. Interroga Patrem tuum, & annuntiabis tibi &c. 176 1 500.1 509.a.
V.27.Manus noſtra excelſa &c. 347.2.
V.39.percutiam & ego ſanabo. 1.2
Cap.33 v. 9.QUi dixerit Patri ſuo, & Matri ſuæ neſcio vos &c. 504.2

Joſue,

Cap.22.v.5. AC ſerviatis in omni corde, & in omni anima veſtra. 110.2
Cap.24.v.14 Servite ei perfecto corde atque veriſſimo. 110 a

Judicum,

Cap.16.v.30. MUltóque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat, 127.1

Ruth,

Cap.2.v.4. DOminus vobiſcum &c. 442.1

Primus Regum.

Cap.1.v.13 Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur. 371.2
Cap.2.v.29.Quare calce abjeciſti victimam meam, & munera mea quæ &c. 61 a.
Cap. 26. v. 9.Quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini &c. 515.2
Cap.27.v.6.Propter quam cauſam facta eſt Siceleg regum Juda &c. 533 2
V 8 Et agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis. 533.a
V.11.Virum & Mulierem non viviſicabat David &c. 533 2
V.12.Credidit ergo Achis Davidi dicens &c. 533,2

3. Regum,

Cap 11.v.2. CErtiſſimè enim avertent corda veſtra ut ſequamini Deos earum. 312.1
Cap.14 v.9.Me autem projeciſti &c. 341.2.343.1

4. Regum,

Cap5 v.18, SI adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco &c. 327.1
V.19 Qui dixit ei: vade in pace. 327.1

2. Paralipomenon.

Cap.33.v.6. TRanſireque facit filios ſuos per ignem in valle Benennon. 451.2

Tobiæ.

Cap.1.v.1. AB infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato. 505.2
Cap.4.v.3 Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ ejus &c. 502 1.
V.4.Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. 502.1
V.8 Quomodo potueris, ita eſto miſericors, 354.2
V 9 Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. 314.2
V.13.Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, &c. 539.1
V. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, 561 2
V.19.Conſilium ſemper à ſapiente perquire. 218.1
Ca.6.v.17 Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe, & à ſua mente excludant, &c. 337.2

Judith.

Cap.2,v.11, ET qui eſtis vos qui tentatis Dominum, &c. 331.2.
V.13.Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei? 331 c
V.21 Et nunc fratres quoniam vos eſtis Presbyteri in populo Dei, &c. 331.a

Job.

Cap.5.v.7. HOmo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum. 506.1.
Cap.9.v.12.Quis dicere poteſt, cur ita facis? 252 2
V.19 Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt: ſi æquitas judicii, &c. 252,2
V.20 Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, &c 252.2
V 28 Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. 217.2.252 2
V 30 Et fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, 217.a
V 31 Tamen ſordibus intinges me, &c. 217.a
Cap.10.v.2 Indica mihi cur me ita judices? 5.a
Cap.12.v 4 Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, &c. 588.2
Cap.13.v 15 Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. 371 a
Cap. 21. v 14. Qui dixerunt Deo, recede à nobis, &c ſcientiam, &c. 160 1.292.1
Cap.31.v.1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. 551.1
V.2.Quam enim partem haberet in me Deus deſuper. &c. 552.1.
V.7.Si ſecutum eſt oculos meos cor meum. 551.1
V 9.Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere. 540.1.551.1
V.10 Scortum alterius ſit uxor mea, &c. 440 1.551 1
V.11 Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima, 540 1
V.29 Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, &c. 349.a
Cap.40.v.12.Nervi teſticulorum ejus perplexi ſunt. 875.1
Cap 41.v.12.Halitus ejus prunas ardere facit. 549.a

Liber Pſalmorum,

Pſal.4.v.5. IRaſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, &c. 373 2 512.2
V.6.Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, &c. multi dicunt: quis oſtendit nobis bona? 248 1.329 1
V.7.Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, &c. 156.1.242.1
Pſal.5.v 5.Manè aſtabo tibi, & videbo. 382 1
V.7. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. 584.1
Pſal.6.v.7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. 104,2 581 1
Pſal.7.v 10 Scrutans corda & renes Deus 8.a
Pſal 9 v 11.Non dereliquiſti quærentes te Domine. 165.1
V 17 Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum, &c. 374 1.377.1
Pſal 11.v 7 Eloquia Domini, eloquia caſta argentū, &c. 214.1
Pſal.12.v.1.Uſquequo Domine obliviſceris me in finem? 377.1
Pſal.13. v. 2. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, &c. 244.1.292.1
V.3.Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. 292.1
V.5.Dominum non invocaverunt. 379 a
Pſal.14.v.5.Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. 568.2
Pſal.15. v.7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, &c. 242.1
V.9 Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea. 376.1
Pſal.16.v 2.De vultu tuo judicium meum prodeat, &c. 1.1
V 11.Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. 71.1
Pſal 18.v.8.Lex Domini immaculata convertens animas. &c. 214 1.
V 9.Præceptum Domini lucidum, Illuminans oculos 214.1
V.13 Delicta quis intelligit? 146.1 317.a
Pſal.21 v.7 Ego autem ſum vermis & non homo. 440 a
V.10.Spes mea ab uberibus matris meæ. 228 1
Pſal.25.v.1 In Domino ſperans non infirmabor. 352 2
Pſal 30. v.15 Ego autem in te ſperavi Domine: dixi, Deus meus es tu. 331 1
V.16 In manibus tuis ſortes meæ. 338.a
Pſal 31. v. 5. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam, &c.217.2.

V.8. Intellectum tibi dabo & inſtruam te in via hac, qua gradieris &c. 242.2
V.10. Sperantem autem in Domino miſericordia circumdabit. 332 1
Pſal.33. v.10. Timete Dominum omnes Sancti ejus. 330.1
Pſ 35. v.4. Noluit intelligere vt bene ageret. 72.1.160.1.292.1
V.7. Iuſtitiæ tua ſicut montes Dei &c. 257.1
Pſal.36. v 3. Spera in Domino & fac bonitatem &c. 329.1
V.5. Revela Domino viam tuam & ſpera in eo. 329.1
Pſal.37. V.3. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. 371.1
V.5. Quoniã iniquitates meæ ſupergreſſę ſunt caput meum. 371.1
V.6 putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ. 371 1
V.9. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. 377.2
Pſal.39 v.1. Exſpectans exſpectavi dominum, & intendit mihi. 377.2
V.7. Sacrificium & oblationem noluiſti. 440.1
V 9. In capite libri ſcriptum eſt de me. 440.1
Pſal.44 v.17. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii &c. 253.1
Pſal. 46. v. 10. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham &c. 253 1
Pſal.49. v.14 Redde altiſſimo vota tua. 861 11
V.20. Sedens adverſũ fratrem tuũ loquebaris. 367.1.586.1
V 21. Hæc feciſti & tacui. 586.2
Pſal.50. v.4 Amplius lava me ab iniquitate mea. 145.1.217 2
V.6. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. 124.2
V.19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum &c. 6.8.232.1
Pſal.53. v. 7. Averte mala inimicis meis. 350.1
Pſal.54 v.16 Veniat mors ſuper illos. 350.1
V.18. Veſpere & mane & meridie narrabo &c. 382.1
Pſal.55. v.9. Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. 377.2
Pſal.57. v.11. Lætabitur juſtus cum viderit vindictam &c. 523 2
Pſal.59 v.6. Dediſti metuentibus te ſignificationem. 156.2
Pſal 62. v.7 Si memor fui tui ſuper ſtratum meum. 382.5
V.12. Laudabuntur omnes qui jurant in eo. 456.2
Pſal 68. v.24 obſcurentur oculi eorum ne videant &c. 175.1
Pſal.73: v 4. Et gloriati ſunt qui oderunt te &c. 337.1
V.23. Ne obliviſcaris voces inimicorum &c. 339.1
Pſal 74. v.9. Hunc humiliat, & hunc exaltat. 1.1
Pſal.75. v.12. Vovete & reddite Domino Deo veſtro 478 2
Pſal.77. v.5. Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis. 510.1
V.6. Vt cognoſcat generatio altera. 510.1
V.34. Cum occideret eos quærebant eum & revertebantur. 107.1
Pſal 81. V.2. Vſquequò judicatis iniquitatem &c. 126.2
Pſal.82 v.3. Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt &c. 330 1
Pſal 88. v.113. Iniquos odio habui &c. 350.1.
Pſal.89. V 10. Si autem potentatis octoginta anni: & ampliùs eorum, labor & dolor. 598.2
Pſal.90 v 5. Non timebis à timore nocturno. 176.1
V 6 A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris &c. 176 1.549.2
Pſal.93. v. 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo &c. 441.2
Pſal.100 v 5. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. 581 2
Pſal.101. v. 6. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. 377.1
Pſal.105 v.37. Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis. 510 2
Pſal.111. v 10. Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet &c. 521 2
Pſal.118. v. 43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque 581 1
V.55. Memor fui nocte nominis tui Domine. 382.1
V.62. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. 382.1
V.63. Particeps ego ſum omnium timentium te &c. 304.2
V.75. Cognovi Domine quia æquitas judicia tua. 239 2. 250 2.261 1.
V.120. Confige timore tuo carnes meas. à judiciis &c. 101.1
V. 142. Juſtitia tua juſtitia in æternum, & lex tua veritas 252.2
V.148. Prævenerunt oculi mei ed te diluculo. 382.1
V.160. Principium verborum tuorum veritas in æternum &c. 232.2
V.164. Septies in die laudem dixi tibi. 382.1
V.172. Omnia mandata tua æquitas. 239.2
Pſal.125 v 6. Venientes autem venient cum exultatione. 439.2
Pſal.127. v.2. Labores manuum tuarum quia manducabis &c. 500.2.
Pſal.130. v.2. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſuã, ita &c. 600
Pſal.131. v.3. Si aſcendero in lectum ſtrati mei. 382.1
V 4 Si dedero ſomnum oculis meis &c. 382.1
V.5. Donec inveniam locum Domino 382.1
V 9 Sacerdotes tui induantur Juſtitiam. 439.2
V 16. Sacerdotes ejus induam ſalutari. 439.2
Pſ.138. v.21. Nonne qui oderunt te Domine, oderã. 319 1.350.1
V 22. Perfecto odio oderam illos. 350 1
Pſ.141. v.3. Effundo in conſpectu ejus orationem meam. 377 2
V.6. Dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. 328.2
Pſal.146. v.6. Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum. 41.2
V.11. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. 107.1

Proverbia

Cap.1. v.24. QVia vocavi & renuiſtis, extendi manum meam &c. 169.2
V.26. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. 169.1
Cap.3. v.5. Ne innitaris prudentiæ tuæ. 198.1.218.1
V.9. Honora Dominum de tua ſubſtantiã. 500.1.
V.32 Quia abominatio Domini eſt omnis illuſor. 588 2
V.34. Ipſe deludet illuſores. 588 2
Cap.4. v.24 Remove è te os pravum & detrahentia labia ſint procul è tè. 285.2
Cap.6. v 19. Proferentem mendacia &c. Et eum qui ſeminat inter Fratres diſcordias. 582 1
V 27. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo &c. 545.2
V. 28. Aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ ejus. 549.2.
V.30. Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit &c. 540.1
V.31. Deprehenſus quoque reddet ſeptulum. 540.1
V.32. Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam perdet animam ſuam 540 1
V.33. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi &c. 540.1.
Cap.7. v.13. Apprehenſumque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur. 549.1.
Cap 8. v.13. Timor Domini odit malum 108.1.310.1
V.15. Per me reges regnant, & regum conditores juſta decernunt. 246 2.255.1
V.16 Per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. 246 2.255.1
Cap.10 v.18. Qui profert contumeliam, inſipiens eſt. 588 2
Cap.11 v.26. Qui abſcondit frumenta maledicetur &c 564.2.
Cap.12 v 18. Quaſi gladio pungitur conſcientiæ. 156.1
Cap.13. v 24 Qui parcit virgæ odit filium ſuum. 510.1
Cap.14. v.12. Eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem &c. 198 2
Cap.15. v 15. Secura mens quaſi juge convivium. 155.2
Cap.18. v. 3. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. 175.2.
Cap.19. v.26 Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt &c. 500 2
Cap.20 v.10. Pondus & pondus, menſura & menſura &c. 564 2
V.20 Qui maledicit Patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. 500.2.508.2
Cap.21 v.25. Deſideria occidunt pigrum &c. 85.2
V.26. Tota die concupiſcit & deſiderat. 85.2
Cap.23. v.13. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam. 510 2
V.14. Tu virga percuties eum &c. 510 2
V.22. Audi patrẽ tuum, qui genuit te, & ne contemnas cum ſenuerit Mater tua. 501 1
Cap.24 v.9 Et abominatio hominum detractor. 585.2
V.16 Septies enim cadet juſtus. 101.2
Cap.25. v 23. Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem. 588 1
Cap.26. v.26 Qui operit odium fraudulenter &c. 549.2
Cap.28. v.1 Fugit impius, nemine perſequente. 108 2
V.14. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. 198.1 217.2
V.24. Qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & à Matre, & dicit hoc non eſſe peccatum particeps homicidæ eſt 502 2
Cap.30 v.17. Oculum qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit, &c. Effodiant eum corvi &c. 301.1 508.2

Eccleſiaſtes.

Cap.1. v.17. DEdique cor meum ut ſcirem prudentiam, &c. 160.1
V. 18. Eo quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio. 160.1.

Cap. 2 v. 14. Sapientis oculi in capite ejus: ſtultus in tenebris ambulat. 21 2
Cap. 5. v. 3 Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. 261. 2. 478 2 480. 1. 487. 2.
V. 4. Multoque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. 487 2
Cap. 7. V. 13 Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere &c. 169. 1. 170. 1
V. 17. Noli eſſe juſtus multum &c. 261. 1
V 23. Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis. 154. 1
V. 30 Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis &c. 240. 2
Cap 8. V. 14. Sunt impij qui ita ſecuri ſunt quaſi juſtorum facta habeant. 334 2
Cap. 9. *V.* 1. Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit &c. 311 2
Cap. 10. V. 11. Si mordeat ſerpens in ſilentio &c. 312. 1. 585. 2

Canticum canticorum.

Cap. 2. V. 4. ORdinavit in me charitatem. 207. 2

Liber Sapientiæ.

Cap. 1. V. 1. SEntite de Domino in bonitate &c. 214. 1.
V. 11. Os autem, quod mentitur, occidit animã. 584. 1
Cap. 2 v. 12. Circumveniamus ergo juſtum, quoniam &c & contrarius eſt operibus noſtris. 521 2
V. 14. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. 521. 2
V. 15. Gravis eſt nobis etiam ad videndum. 521. 2
V. 21 Excæcavit enim illos malitia eorum. 108. 2. 109 2
V. 22. Et neſcierunt Sacramenta *Dei*, neque mercedem ſperauerunt Iuſtitiæ &c. 292. 1. 329. 1.
V. 24. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum. 520. 2
Ca. 4 *V.* 20. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi. 156. 1
Cap 6 V. 2. Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Iudices finium terræ &c. 246. 2. 255. 1
V. 4. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis &c. 255. 1. 256. 1 275. 2
V. 5. Quoniam cum eſſetis Miniſtri regni illius non rectè judicaſtis &c. 246. 2. 256. 1 275. 2.
V. 6. Horrendè, & citò apparebit vobis quoniam judicium &c. 256. 1
V. 18 Initium enim illius, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. 589. 1
Cap. 7. V. 26. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum. 214. 1
Cap. 12. V. 1. O quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus. 156. 2
V. 2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis &c. 156. 2
V. 12. Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? 252. 2
Cap. 14. V. 9. Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus. 350. 1
V. 16. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniquâ conſuetudine &c. 175. 2
Cap. 17. *v.* 10. Cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, &c. 156. 1
V. 11. Nihil enim eſt timor, niſi proditio cogitationis auxiliorum. 156. 2

Eccleſiaſticus.

Cap. 1. *v.* 28. NAm qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. 329. 1
Cap. 2 *v.* 1. Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, &c. 329 2
V. 2. Deprime cor tuum, & ſuſtine: inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus, &c. 332. 2
V 3. Suſtine ſuſtentationes, conjungere Deo, &c. 332. 2
V. 4. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, &c. 333. 1
V. 6. Crede Deo, & recuperabit te, &c. & ſpera in illum. 333. 1.
V. 19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei. &c. 108. 1
Cap 3 *v.* 1 Filii Sapientiæ, Eccleſia juſtorum: & natio illorum, obedientia & dilectio. 504 2
V. 2. Judicium Patris audite filii, & ſic facite, ut ſalvi ſitis. 504. 2 505. 1.
V. 5. Et ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat Matrem ſuam. 500. 1
V. 7. Qui honorat Patrem ſuum, vita vivet longiore. 500. 1
V. 8. Qui timet Dominum honorat Parentes, & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt 500. 1
V. 9. in opere & ſermone, & c honora Patrem tuum. 500. 1
V. 10. Vt ſuperveniat tibi benedictio ab eo, &c. 509. 1
V. 14. Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes illum in vita illius. 500. 1. 501. 1 502. 1
V. 15. Et ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua. 500. 1 501. 1. 502 1
V 18. Quàm malæ famæ eſt qui derelinquit: & eſt maledictus à Deo qui exaſperat matrem. 502. 1
V. 27 Qui amat periculum, in illo peribit. 74 2. 117. 2. 184 1. 194. 2. 199 1. 487 1.
Ca. 4. *v.* 24 Pro anima tua ne confundaris dicere verum 585. 1
Cap 5. *v.* 8 Non tardes converti ad Dominum, &c. 338. 2
V. 9 Subito enim veniet ira illius, &c. 338. 2
Cap. 7. *v* 14. Noli velle mentiri omne mendacium. 585. 1
V. 25. Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. 505. 1 509. 2
V. 26 Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, &c. 507. 2
V. 27. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. 507. 2
V. 29. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. 500. 1
V. 30 Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue quomodo & illi tibi. 500. 1 500 2. 502. 1
Cap. 10. *v.* 14. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo. 347. 1.
V. 15. Quoniam ab eo qui fecit illum, receſſit cor ejus. 347. 1.
Cap. 11. *v.* 30 In filiis ſuis agnoſcitur vir 510. 1
Cap. 13. *v.* 20 Omnis caro ad ſimile ſibi conjungetur. 510. 1
Cap. 14. *v.* 11. Fili ſi habes, benefac tecum, &c. 338 2
V. 12 Memor eſto quoniam Mors non tardat, &c. 338. 2
V. 14. Non defrauderis à die bono &c. 158. 2
Ca. 16. *v.* 8. Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes. 579. 1
Cap. 17. *v.* 1. Deus creavit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum. 240. 2. 241. 1.
V. 2. Et iterum convertit illum in ipſam, & ſecundum ſe veſtivit illum virtute. 240 2. 242. 1
V. 5. Conſilium & linguam, &c Et cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos 240. 2. 242. 1
V. 6. Creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, &c. 240. 2. 242. 1
V. 7 Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, &c. 240. 2 242 1.
V. 8. Vt nomen ſanctificationis collaudetur, &c. 240. 2. 242 1.
V. 9. Reddidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos. 241. 1. 243. 1
V. 10. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, &c. 241. 1. 243. 1.
V. 11. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, &c. 241. 1.
V. 12. Et mandavit unicuique de proximo ſuo, &c. 360. 1. 361. 1.
V. 13. Viæ illorum coram ipſo ſunt ſemper, &c. 241. 1
V. 14. In unamquamque gentem præpoſuit rectorem. 241. 1.
V. 16 Et ſeq. Et omnia opera illorum velut Sol in conſpectu Dei. 241 1
V. 25 in partes vade Sæculi ſancti, &c. 121 2
V. 26. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere, &c. 121. 2
V. 27. Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, &c. 121 2.
Cap. 18. *v.* 10 Vidit præſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt, &c. 334 2
Cap. 19. *v.* 1. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. 64. 2
V. 13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat, non feci. 361. 2
V. 14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit. 361 2
V. 15. Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio. 361. 2
V. 17. Corripe proximum, antequam comminaris. 361. 2
Cap. 21. *v.* 7. Qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum. 108. 1.
V. 31. Suſurro coinquinabit animam ſuam, &c. 588. 1
Cap. 23. *v* 9. Jurationi non aſſueſcat os tuum. 454. 2
V. 10. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo. 454. 2.

V. 11. Om-

V. 11. Omnis jurans,& nominans, in toto à peccato non purgabitur. 555.1
V.32.Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum. 540.1
V.33.Primò enim in Lege Altiſſimi incredibilis fuit.540.1
V.34.Hæc in Eccleſiam adducetur,& in filios ejus reſpicietur. 540.8
V.35.Non tradent filii ejus radices,&rami ejus non dabunt fructum. 540.1
V. 36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus. 540.1. 540.1.
Cap.25.v.16.Timor Dei initium dilectionis ejus. 108.1
Cap 26.v 28 .Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ,&c. 562.2
Cap.27.v.33.Ira & furor,utraque execrabilia ſunt,& vir peccator continens erit illorum. 524.2
Cap.28.v.15 Suſurro & bilinguis maledictus. 588 1
Cap.29.v.15.Conclude eleemoſynam in corde pauperis.378.2
Cap.33.v 29.Multam enim malitiam docuit otioſitas 85.2
Cap.35.v.22 Et fortiſſimus non habebit in illis patientiam, ut contribuiet dorſum ipſorum. 334.2
V.24.Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos,& ſecundùm opera Adæ. 334.2
Cap.37.v. 32. Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam 552 1
V 33.In multis enim eſcis erit infirmitas,&c. 552.1
V.34.Propter crapulam multi obierunt,&c. 552.8
Cap.41.v.8 Filii abominationum fiunt filii peccatorum.510.1
V10.De Patre impio queruntur filii. 510.8
V.21.Erubeſcite a patre & matre de fornicatione. 510.1
V.22.A Principe & à Judice de delicto. 510.1
Cap.44.v.11 Cum ſemine eorum permanent bona. 512.1
V.12.Hæreditas ſancta nepotes eorum,&c. 512.1

Iſaias.

Cap.1.v.13 NE offeratis ultrà Sacrificium fruſtrà. 456.1.
V 16.Lavamini,mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum,&c 104.2.331.2
V.18.Et venite,& arguite me dicit Dominus:ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum,quaſi nix dealbabuntur. 331.2
V.26.Et reſtituam Judices tuos,ut fuerunt prius,&c.231.1
Cap 2.v.4 Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.. 5301
Cap.3.v 16 Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion &c. Et nutibus oculorum ibant. 551.1
Cap.5.v.4. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? 168.1
V.11. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, &c. 67.1.353.1
V.20.Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malum.171.2
V.22 Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum,&c. 553.1
V.23 Qui juſtificatis impium pro muneribus, &c. 226.2
Cap.6.v.10 Excæca cor populi hujus,&c. 168 2.170.1
Cap.23 v 8.Cujus negotiatores Principes, Inſtitutores ejus incly ti terræ. 162.2
Cap.26.v.17.18. A facie sua Domine concepimus, & quaſi parturivimus & peperimus Spiritum. 107.1.330.1
Cap.28.v.7.Hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt. 292.1
V.9. Quem docebit ſcientiam? Et quem intelligere faciet auditum? 600 Epil.
V.15.Dixiſtis enim percuſſimus fœdus cum morte; & cum inferno fecimus pactum. 334 2
V.17.Et ponam in pondere judicium,& juſtitiam in menſuram,&c. 334.2
Cap.29.v.10. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſopoiis,&c. 169.1
V. 11. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati. 169.1.
Cap.30.v.10.Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. 160.1
V.11.Auferte à me viam,&c. 160.1
Cap.32.v.12 Super ubera plangite, ſuper regione deſiderabili,&c. 600.Epil.
V.13. Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent; 600.Epil.
Cap.33.v 22.Dominus Legiſer noſter. 237.2
Cap.35.v.4 Dicite puſillanimis,conſortamini,& nolite timere. 218.1
Cap 36 v.6 Ecce confiditis ſuper baculum arundineum confractum iſtum. 335.1
Cap.38.v.15.Recogitabo tibi omnes annos meos, &c. 104.2
Cap.40 v.31.Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem,&c. 332.1
Cap.46 v 8 Redite prævaricatores ad cor. 288.2
Cap 53.v.4.Verè languores noſtros ipſe tulit. 440.2
Cap.56 v 10 Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi,&c. 292 2
V.11.Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam:omnes, &c. 292.2.
Cap.61.v.1.Ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam. 2.1
Cap.66.v.24 Vermis eorum non morietur,& ignis,&c. 156.1

Ieremias.

Cap.2.v.19. ARguet te malitia tua,& averſio tua, &c. 156. 1.158.1.
Cap.4.v.2.Et jurabis:vivit Dominus in veritate,& in judicio, & in juſtitia, 455.1.456 2
Cap.7.v.4 Nolite confidere in verbis mendacii.&c 334 2
Cap.17 v.5 Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum,&c. 334.1
Cap.18.v 12.Deſperavimus:poſt cogitationes enim noſtras ibimus,& unuſquiſque.&c. 312 1.
Cap.31.v 30.Sed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur.63.2

Threni.

Cap.1.v.7. VIderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus. 498 2
Cap.3.v 18. Et dixi:periit finis meus, & ſpes mea à Domino. 332.2.
V. 19. Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ,&c. 332 2.
V.20. Memoria memor ero,& tabeſcet in me anima mea. 312.2.
V. 28. Sedebit ſolitarius,& tacebit, quia levavit ſuper ſe. 380.1.
V.29.Ponis in pulvere os ſuum,ſi fortè ſit ſpes. 380.1
V.51.Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. 510.2
Cap.4 v.3.Sed & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos. 509.1

Ezechiel.

Cap.13.v.5. NOn aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum,&c. 380.2
V. 18. Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus; 41.2.201,2.
V. 19. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei,&c. 41.2 201.2
Cap.14.v.4.Qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, &c. 169 1.
V.9 Ego Dominus decepi prophetam illum,&c. 169.1
Cap.18.v.4.Anima,quæ peccaverit, ipſa morietur. 63.2
V 13.Ad uſuram dantem,& amplius accipientem, numquid vivet? 568.2
V.21.Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis,&c. 6.2
V.23 Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, &c. Et non ut convertatur à viis ſuis? 331.2
V.31.Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis.. 104 2
Cap.22.v.12 Uſuram & ſuperabundantiā accepiſti,&c. 568,2
Cap.38.v.22.Et judicabo eum peſte,& ſanguine,& imbre vehementi,&c. 1.2

Daniel.

Cap.3.v.31. VNiverſa quæ feciſti nobis,in vero judicio feciſti,&c. 257 2
Cap.4.v.31.Poteſtas ejus,poteſtas ſempiterna. 252.2
V.32.Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt,&c. 252.2
Cap.9.v.18 Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces,&c. 440.2
Cap.12.v.3 Qui autem docti fuerint,fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti,&c. 204.2.600 Epil.

Oſea.

Cap.4.v.6. QVia tu ſcientiam repuliſti,repellam te,&c.41.2 292.2.
Cap.6. v 1. In tribulatione ſua manè conſurgent ad me,&c. 109.1.
V.2.Quia ipſe cepit,& ſanabit nos percutiet & curabit nos. 109.1.

Ioel.

Cap.2.v.12. COnvertimini ad me in toto corde veſtro,&c. 110 2 170 2.
V.17.Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes,&c. 380.1.

Amos.

Cap.9.v.4 AVdite hoc qui conteritis pauperem. 564 2

V.5. Dicentes: quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces? 564.2
V. 6. Ut poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis: 564.1

Ionas.

Cap.3.v.7. HOmines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquam. 594.2

Michæas.

Cap.6.v.11. NUmquid juſtificabo ſtateram impiam, &c? 564.2.
V.12. In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate. 564.2

Zacharias.

Cap.12.v.10 ET effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ, &c 376.2.

Malachias.

Cap.1.v.7. ET dixiſtis: in quo polluimus te? In eo quod dicitis, &c. 419.1
V.11. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum, &c Et offertur nomini meo oblatio munda. 440.1
V.12. Et vos polluiſtis illud in eo quod dicitis; menſa Domini contaminata eſt 419.1
Cap.2.v.7. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus. 41.2. 67.2. 161.1. 202.1. 232.1.

Liber 1. Machabæorum.

Cap.2.v.19. ET ſi omnes gentes Regi Antiocho obediant, &c. 255.2
V.20. Ego, & filii mei, & fratres mei, &c. 255.2
V.21. Non eſt nobis utile relinquere Legem, & juſtitias Dei. 255.2.
V.41. Et cogitaverunt in die illa, dicentes omnis homo, &c. 263.1.
Cap.4.v.42 Et elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in Lege Dei. 232.1
V.43. Et mundaverunt Sancta, & tulerunt lapides contaminationis. &c. 231.1
V.46 Et repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto &c. 232.1

Liber 2. Machabæorum.

Cap.5.v.24. NOn enim ætati noſtræ dignum eſt (inquit) fingere, ut multi adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum &c. 313.1
V.25. Et ipſi propter meam ſimulationem, &c. 321.1
V.26 Nam etſi in præſenti tempore ſupplicüs hominum eripiar, &c. 321.1
V.27 Quam ob rem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo, &c. 323.1

Matthæus.

Cap.1.v.23. EMmanuel: quòd eſt interpretatum nobiſcum Deus. 441.1
Cap.3.v.5. Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, &c. 121.1
V.6 Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua. 121.1
V.10 Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, Omnis ergo arbor, &c. 106.2
Cap.4.v.7. Non tentabis Dominum Deum tuum. 323.2
V.10. Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, &c. 286.2. 169.1
Cap.5.v.17 Non veni ſolvere, ſed adimplere. 262.2
V.18 Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, &c. 262.2.
V.20 Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam ſcribarum, &c. 244.2. 586.2
V.21. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides, &c. 259.1. 514.1.
V.22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, &c. Qui autem dixerit fatue, &c. 259.1. 500.1. 514.1. 514.2.
V.23. Si ergo offers munus tuum ad altare. 358.1
V.24. Relinque ibi munus tuum ante altare. &c. 358.1
V.25. Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo. 6.1. 156.1
V.26 Amen dico tibi, non exies inde, donec, &c. 6.1
V.27. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. 538.1.
V.28 Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem, &c. 538.1. 551.1. 590.2
V.32 Qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, &c. 518.2
V.33. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non perjurabis. reddes autem Domino juramenta tua. 451.1. 478.2
V.34. Ego autem dico vobis non jurare omnino, &c. 455.1. 456.1.
V.35. Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus. 455.1
V.36. Neque per caput tuum juraveris. 455.1
V.37. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non. 455.1. 456.2. 457.1. 585.1.
V.38. Audiſtis quia dictum eſt: oculum pro oculo, &c. 314.1
V.39. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo. 514.1
V.42 Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris. 354.2
V.44. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. 358.2
V.45. Ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt. 358.2
V.46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, &c. 358.2
V.47 Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum. 358.2
Cap.6.v.9. Sanctificetur nomen tuum, &c. 372.2
V.10. Adveniat regnum tuum. 374.1
V.11. Panem noſtrum ſuperſubſtantialẽ da nobis hodie. 372.1
V.12. Et dimitte nobis debita noſtra, &c. 372.2
V.13. Et ne nos inducas in tentationem. 373.1
V.14. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, &c 357.2. 372.2.
V.15 Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet, &c. 367.2
V.22 Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. 95.1
V.23 Si autem oculus tuus fuerit nequam, &c. 95.1
V.24 Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. 348.2
V.33 Quærite ergo primum Regnum Dei, &c. 342.1
Cap.7.v.7 Petite, & dabitur vobis. 371.1. 378.2
V.8 Omnis enim qui petit, accipit, &c. 371.1. 378.2
V.9. Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, &c. 371.1
V.12. Omnia ergò quæcumque vultis ut faciant vobis homines, &c. 207.2. 277.2. 347.1
Cap.8.v.10. Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. 530.2
V.11 Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient. 441.2
V.12 Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, &c 441.2.
V.22 Dimittite mortuos ſepelire mortuos ſuos. 504.1
Cap.10.v.5 In viam gentium ne abieritis, &c. 2.1. 441.2
V.23 Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. 327.2
V.28 Qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. 237.2. 276.1. 329.2.
V.32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, &c. 221.1
V.33 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum, &c. 321.1. 324.1
V.37. Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, &c. 342.1. 504.1. 506.2.
Cap.12.v.30. Qui non eſt mecum contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit. 325.2
Cap.15.v.5. Vos autem dicitis: quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit. 335.1. 502.2
V.6. Et non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam, &c. 355.1. 502.2
V.7. Bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens. 542.2.
V.8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. 244.2
V. 12. Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? 368.2
V. 13. At ille reſpondens ait: omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. 308.1
V.14 Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, &c. 19.2. 46.2. 368.1
V.19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c. 538.2
Cap.16.v.16. Tu es Chriſtus filius Dei vivi. 266.2
V. 17 Beatus es Simon Barjona: quia caro & ſanguis, &c. 266.2. 267.1. 291.1,
V.18 Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. 253.1. 266.2
V.19. Et tibi dabo claves regni cœlorum, &c. 1. 2. 220.2. 213.1. 266.2. 267.2. 484.1. & 2. 486.1.
V.24 Si quis vult poſt me venire, &c. 440.1
V.26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, &c. 495.1
Cap.18.v.7. Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen, &c. 366.2.

*V.*8 Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, &c.
117 2.
*V.*15 Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe
eum inter te & ipſum ſolum. 361.2 362.2
*V.*16. Si autem te non audierit, adhibe teſtes. 363.1
*V.*17 Quod ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ, ſi autem Eccle-
ſiam non audierit, &c. 5.2.254 1 266.2 304 1 306.2 363 1
*V.*18. Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. 1.2.3 1.
62.1.148.2 220 2.254 1.257 2.261.2.266 1.484.1. & 2.
V. 20. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine
meo, &c. 254.1
*Cap.*19 v.16. Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?
285.1.
*V.*17. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, &c. 285.1
*V.*19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, &c 256,2
*Cap.*20 v 1. Qui exiit primo mane cōducere operarios 573.2
*Cap.*21.v.9. Hoſanna filio David. 442.2
*V.*28 Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad pri-
mum, &c 266 1
*V.*29. Ille autem reſpondens ait: nolo, &c. 266.1
*V.*30 Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter, &c. 266.1
*V.*31 Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? &c. 266 1
*Cap.*22.v.15. Hoc eſt maximum & primum mandatum. 336.1
*V.*21. Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt
Dei, Deo. 530.2
*V.*37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c
110.1.204.2 337 1.
*V.*39. Secundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum
tuum, &c. 336 1 349.1
*V.*40 In his duobus mādatis univerſa Lex pēdet, &c. 207.2
*Cap.*23 v.3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate,
&c. 218 1
*V.*4. Alligant enim onera gravia, & importabilia, &c 353 2.
*V.*16 Væ vobis duces cæci. 586.2
*V.*20. Qui ergo jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus,
quæ ſuper illud ſunt. 457.1
*V.*21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in eo, &c.
457.1.
V 22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei. 457.1
*Cap.*25.v 6. Media autem nocte clamor factus eſt, &c. 338.2
*V*30. Et inutilem ſervum ejicite in tenebras, &c. 345.2
*V.*41. Diſcedite à me maledicti in ignē æternum. 353 1 355.1
V. 42. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.
353.1.355.1.
V 43 Hoſpes eram. & non collegiſtis me. 363.1
V 44 Quando te vidimus eſurientem, &c. 353.1
V 45 Quamdiu non feciſtis uni, &c. 353.2
*Ca.*26.v.28. Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamēti 419.1
V 36. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. 442.2
*V.*41. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, &c.
378 2.
*V.*52. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peri-
bunt. 510.1
*Cap.*27. v.5. Et abiens laqueo ſe ſuſpendit. 332.1
*Cap.*28.v.18 Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in ter-
ra. 2.1.252.2 262.2
V,19. Euntes ergò docete omnes gentes, &c. 2.1.295,1

Marcus.

*Cap.*3.v.5. ET circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſu-
per cæcitate cordis eorum, dicit homini, &c.
522.1.
V,5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere. 169.1
*V.*6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum. 169.1
*Cap.*8.v 38. Qui enim me confuſus fuerit & verba mea, &c.
Filius hominis, &c. 324 1
*Cap.*10.v. 20. Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute
mea. 345.2
*V.*21. Jeſus autem intuitus eum, &c. 345.2
V 22. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens, &c. 345 2
*V.*23. Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei
introibunt. 345 2
*Cap.*11.v.24 Propterea dico vobis, omnia quæcumque oran-
tes petitis. 420.1
*Cap.*12 v 30 Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et ex tota
virtute tua. 337.1
*Cap.*13.v.32 De die autem illa vel hora nemo ſcit, &c. 461.1
*Cap.*14 v 38 Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.
442.2.
*Cap.*16 v.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit,
&c. 287.2 294 2 295.1

Lucas.

*Cap.*1.v.10. ET omnis multitudo populi erat orans foris ho-
ra incenſi 385.1
Cap 3 v.11. Qui habet duas tunicas det non habenti. 354.1
*V.*14 Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: &
contenti eſtote ſtipendiis veſtris. 530.2
*Cap.*6.v.35. Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes,
&c. 568 2
*V.*37. Dimittite, & dimittemini. 374.2
*Cap.*7.v.45 Oſculum mihi non dediſti: hæc autem, ex quo in-
travit, &c. 149.1
*V.*47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mul-
tum. 6 2
*Cap.*8.v 7. Et aliud cecidit inter ſpinas, &c. 343 1
*V.*14 Et à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ,
euntes, ſuffocantur, &c. 343.1
*Cap.*9 v.26. Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius
hominis erubeſcet, &c. 321.1.322 1.324 1
*Cap.*10. v. 1. Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos,
& miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civita-
tem & locum, &c. 2 1.254.1 441.2
*V.*16 Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, &c. 218.1.
263.1.
*V.*27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &
ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &c. 337.1
*V.*37 Vade, & tu fac ſimiliter. 153.1
*Cap.*11, v.2. Sanctificetur nomen tuum. 372.1
*V.*10 Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit,
&c. 426.1
*Cap.*12.v.1 Attendite à fermento Phariſæorum, *&c.* 186.2
V. 5. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſta-
tem, *&c.* 106 2
*V.*6. Ita dico vobis, hunc timete. 529.2
*V.*8 Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram homini-
bus & Filius hominis confitebitur illum, *&c.* 321.1
V 35 Sint lumbi veſtri præcincti, *&c.* 338 2 439.2
V. 36. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum
ſuum, *&c.* 378 2
*Cap.*13.v.3 Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribi-
tis. 170.2 334.1
*Cap.*14.v.3. Si licet Sabbato curare? 202.2
*V.*5. Cujus veſtrum Aſinus aut Bos in puteum cadet, & non
continuò extrahet illum die Sabbati? 202 2
V 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & ma-
trem ſuam, *&c.* 342 1 504.1 506.2
*Cap.*16.v.9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, *&c*
378.2.
*V.*13. Nemo ſervus poteſt duobus Dominis ſervire. 342.1
*V.*14. Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, *&c.* 342.1
*V.*19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura &
Byſſo. *&c.* 355.1
*V.*20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, *&c.* 355.1
*V.*21. Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa di-
vitis, 355.1
*Cap.*18.v.1 Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere.
379.1.
*V.*13. Deus propitius eſto mihi peccatori. 374.2
*Cap.*19.v.21. Tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſe-
minaſti 369 1
Cap 22 v.19. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc
facite in meam commemorationem 413.1. 413 2 431 2.
439.1.
*V.*20. Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo.
439.1.
*V.*32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,
&c. 231 1

Ioannes.

*Cap.*1.v.9. ERat lux vera quæ illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum 165. 2.293.1.
440.1.
*V.*12. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, *&c.* 293 1
Cap. 3.v.5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,
non poteſt introire *&c.* 7.2
*V.*18. Qui autem non credit, jam judicatus eſt *&c.* 294 2
*V.*19. Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines
magis tenebras, quàm lucem, *&c.* 170.1
*Cap.*5.v.19 Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimili-
ter facit. 252.2
*V.*20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, *&c*
252.2.
*V.*21 Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic &
Filius, quos vult, vivificat 252.2. *V* 22.

*V.*22. Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio. 8.2.252.2
*V.*23. Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. 252.2
*Cap.*6. v 28 Quid faciemus ut operemur opera Dei? 293.1
*V.*29. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. 293.1.293.2
*V.*44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 293.1
*V.*54. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. 269 1.594 1
*V.*55 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, &c. 372.2
*V.*57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. 372.2
*V.*58 Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me 372.2. 444.1.
*Cap.*7. v. 1. Quia quærebant Judæi eum interficere. 442.1
*V.*8 Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum. 461.1
*Cap.*8. v. 21. Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. 300.2
*V.*44. Vos ex Patre Diabolo eſtis. 585.1
Cap. 9. v 41. Si cæci eſſetis non haberetis peccatum, &c. 300 2
*Cap.*10 v. 16. Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, &c. 253.2.
*Cap.*11. v 3. Ecce quem amas, infirmatur. 377 1
*V.*33 Jeſus ergo ut vidit eam plorantem, &c. 522.1
*V.*38. Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo. &c. 522.1.
*V.*41 Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. 378.2
V 42 Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. 378.2
*Cap.*12. v. 39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias. 169.1
*V.*40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, &c. 168 2 169.1.170.1
*V.*41 Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, &c. 168 2
*Cap.*13. v. 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &c. 252.2.
*V.*34 Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. 336 2
*Cap.*14 v 6. Ego ſum via, & veritas, & vita. 204. 2.237.2 458.1
*V.*23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, &c. 338.1
*V.*24. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat, &c. 338 1.
*Cap.*15. v 12. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, &c. 349.2
*V.*18 Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. 329.2
*V.*22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem, &c. 300.2
*V.*23. Qui me odit, & Patrem meum odit. 339.2
*V.*24. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. 300.2
*V.*25. Sed ut impleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt. 339.2.
*Cap.*16. v. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis, &c. 168.2
*V.*13. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c. 253 1.
*V.*23. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, &c. 168. 1. 426.1.
*Cap.*17. v. 2 Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, &c. 252 2
*V.*3. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. 293.2
*Cap.*20 v 21. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. 2.1.3. 15.1 26.1.39.1.62 1.
*V.*22. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. &c. 101.1, 121.1.122.1.148.2.220.1, & 2.221.1 225.1.226 1 228 2.
*Cap.*21. v 16 Paſce agnos meos. 251.2
*V.*17. Paſce oves meas. &c. 253 2.262 1 563.1

Acta Apoſtolorum.

*Cap.*2 v 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu. 105.2
*Cap.*3 v. 1. Aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. 382.1
*Cap.*4. v 12 Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, &c. 166.2
V. 19. Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deum, judicate. 322.1
*Cap.*5. v 29. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. 251.2.
*Cap.*8. v. 37. Si credis ex toto corde, licet. 293.2.505.2
*Cap.*10. v. 9. Aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam. 382.1
*V.*38. Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos, &c. 441.2
*Cap.*13. v. 46. Vobis oportet primùm loqui verbum Dei. 441.2
*Cap.*15. v 20. Ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulachrorum, &c. 168.2 271.2 298.2
*V.*28. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, &c. 253.2
V 29. Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, &c. 253 1.
*V.*41. Præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorũ, &c. 253.1
Cap. 16. v. 4 Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis. &c. 253.1
*V.*30 Domine, quid me oportet facere, ut ſalvus fiam? 292 1
*V.*31 At illi dixerunt: crede in Dominum Jeſum, & ſalvus eris, &c. 293.1.293.2
*Cap.*17. v 27 Quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inveniant, &c. 286.2
*V.*28. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus. 286.2
*Cap.*19. v. 18. Multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos. 122.1
*V.*19. Multi autem ex eis qui fuerant curioſè ſectati. 122.1
Cap. 20. v. 7 Una autem Sabbathi cùm convenſſemus ad frangendum panem, &c. 488.1
*V.*28 Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos. &c. 254 2
*V.*33. Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi. 560.1.
*V.*34. Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, &c. 560.1
V 35. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos. 560.1
Cap. 24 v. 14 Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri & Deo meo, &c. 312 1
V. 16 In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, &c. 155.2

Ad Romanos.

Cap. 1. v. 9 Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio, &c. 456.2
V. 18. Revelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent 158.1. 161.2. 168.2. 242.2 288.1.
V. 19 Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. 158. 1.161.2.242 2 288.1.
V. 20. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. 242 2 288.1
V. 21 Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, &c. Sed evanuerunt in cogitationibus, &c. 153.1.240 2.242.2.
V. 22. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. 153.1. 242.2.
V. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis &c. 169 2
V. 24. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, &c. 168 2
V. 25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, &c. & ſervierunt creaturæ potius, &c. 168.2 242.2. 244.1.584 2.
V 26. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. 548.2
V. 27. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem. 548.2
V. 28. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt. 505.2
V 29. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, &c. 505 2.520 2.539.1 585.2.
V. 30 Detractores, Deo odibiles, contumelioſos, &c. 505. 2.520 2 585 2.
V. 32. Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte. 158.1. 242 2.505.2.
Cap. 2. v. 8 Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati. &c. 175 2
V. 12. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. 158.2 242.2
V. 14. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, &c. 151 1 244.2
V. 15. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum. 6.1.153 1. 156.1.157.2.159.1.244 1.

V.16. In die cum judicabit Deus occulta &c. 159.1
Cap.5.v.2 Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. 326.2
V.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum &c. 335.2
Cap.6.v.12 Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis &c. 580 2
V.23 Stipendia enim peccati mors. 65 2
Cap 7.v 7. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem 590.1
V.8. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam 589. 2. 590.1
V.15 Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. 78 1
V.17. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. 78 1
V.18 Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. 217.2
V.19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. 344 2
V. 20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud &c. 344 2
V.22 Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. 78.1
V.23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. 78 1.344 2
Cap. 8.v 15 Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore &c. 330.1
V. 24 Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. 328 1 329.1
V.26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. 151 1.376.2
V.27. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus. 376.2
Cap.9.v.18 Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat. 168 2
V.27. Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient. 300.2.
Cap 10.v.4. Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti. 252 2.498 2
V. 8. Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo &c. 288.2.
V. 9. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum &c. 288.2 321.1
V.10. Corde creditur ad Juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 288 2.293 2.321.1
V.13 Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini &c 378.1
V. 14 Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? 378.1.
V.18 Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram &c. 165.1.167.2.292.1
V.20. Inventus ſum à non quærentibus me &c. 292.1
V.21 Ad Iſrael autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem &c. 291.1
Cap. 11 v 25. Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret. 300.2
V. 33. O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei &c. 257 1
V. 34 Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis &c. 153.1.257.1
Cap.12 v 3. Unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei 293.1
V. 19. Mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus. 523 1
V.20 Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, 359 1.
Cap.13. v 1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit &c. 246 1.255 1,274.2
V.2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit &c. 246.1 274 2 280.1
V.3. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. 274 2.528 1
V. 4. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum Si autem malum feceris time: non enim ſine cauſa gladium portat, &c. vindex in iram ei, qui malum agit. 246. 1. 274. 2. 276.1.303 1.528,1.530.2
V.5. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram &c. 255 2.274.2 275.1
V.9 Nam non adulterabis: non occides: &c. in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. 316. 2 492.1
V. 13. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis. 552.1.
V.14. Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum. 430.2
Cap.14. v.1. Infirmum autem in fide aſſumite &c. 363.1
V.2. Alius enim credit ſe manducare omnia. 153 1
V.5. Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem. 163.1
V. 6 Qui ſapit diem Domino ſapit. Et qui manducat &c. 338 1
V 7 nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. 335 1
V.8. Sive enim vivimus Domino vivimus, ſive morimur &c. 338 1
V.10 Omnes enim ſtabimus ante Tribunal Chriſti. 1.1
V.13 Non ergo amplius invicem judicemus, 367.1
V.14 Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum &c 172 2
V.16. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum &c. 322.1
V.20. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. 367.1
V.21. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum &c. 367.1
V. 22. Tu fidem habes? temetipſum habe coram Deo. 154.2
V 23. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt &c. 154 2 172 2.184.1
Cap.16 v 18 Hujuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt &c. & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. 206 2,4 7 2

1. Ad Corinthios.

Cap.2.v.5. VT fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, 293.1.
V.14. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. 318 2
Cap. 3. v. 11. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere. &c. 166.2
Cap. 4. v. 1. Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti &c. 253 1.262.2
V.2 Hic jam quæritur inter diſpenſatores &c. 253.1
V.5. Itaque nolite ante tempus judicare &c. 8 2
V 12 Laboramus operantes manibus noſtris. 560.2
V.14 Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. 300.1
V.15. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto &c. 300.1
Cap 5 v.4. In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis &c. 304 2
V. 5. Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis &c. 304.2 306
V. 11. Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus &c. 539.2
Cap.6 v. 1. Audet aliquis veſtrûm habens negotium adverſus alterum &c 254.1
V.5. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum? 254.1
V, 6. Sed Frater cum Fratre Iudicio contendit &c. 254.1
V 9.10 Nolite errare: neque fornicarij, neque Idolis ſervientes, neque adulteri &c. neque maſculorum concubitores, &c regnum Dei poſſidebunt. 67.1 548.1
V.11. Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis &c. 495.2
V.15 Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? 339 1
V.18. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo &c. 539 1
V. 19. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti &c.? 539.1
Cap.7. v. 2 Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat. 542.1
V.3. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. 518.1.540 1
V. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. 540.1
V. 5. Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu. 518 1
V. 6. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. 545 1
V. 9. Melius eſt enim nubere, quàm uri. 472.1
V.10. Præcipio non ego ſed Dominus; uxorem à viro non diſcedere. 254 1.299.1
V.11. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. 299.1
V.12. Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit &c 254 2.299.1

V.13 Quod

V.15 Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt &c. 299.1
V.28 Ego autem vobis parco. 542.1
V.39 Si dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantùm in Domino 289 1.367 1.
Cap.8.v.7. Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant &c. 172.2
V. 8 Neque enim ſi manducaverimus abundabimus &c. 175 1.
V.9. Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. 366.2
V.10. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam &c. 366.2.
V.11 Et peribit infirmus in tua ſcientia frater. 366.2
V. 13. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, &c. 367.1
Cap.9.v.7. Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? 426.1
V.13. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt. 426.1
V.14 Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant. 426.2
V.16 Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero &c. 292 2
Cap. 10.v.1. Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt. 166.2
V. 2 Et omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari 166.2
V. 11 Hæc autem omnia in figura contingebant illis &c. 243.1
Cap 11. v. 16. Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. 419.1
V. 23. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, 253.1
V. 24. Hoc facite in meam commemorationem. 413.1.413.2
V.28 Probet autem ſeipſum homo. 39.1.414.1.414 2
Cap.12.v.8. Alij per ſpiritum datur ſermo Sapientiæ: alij ſermo ſcientiæ &c. 318.2
V.29. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? &c. 121.2.318.2.
V.30. Numquid omnes interpretantur? 318.2
V.31. Æmulamini autem charismata meliora. 520.1
Cap.13 v 13. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas. 328.1
Cap.14 v.14. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea &c. 271.1.475.1.406 1
V.15. Quid ergo eſt? orabo ſpiritu, orabo & mente. 406.1
V.38 Si quis autem ignorat, ignorabitur. 292.1

2. *Ad Corinthios.*

Cap.1.v.12. NAm gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 155.2
V. 23. Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam. 456.2.
Cap.5.v.10 Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti &c. 1.1.257 2
V.19. Poſuit in nobis verbum reconciliationis. 228 1
V.20 Pro Chriſto ergo legatione fungimur. 228.1 262 2
Cap 6.v 3. Nemini dantes ullam offenſionem &c. 367 2
V.4. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia &c. 270.2
V 5. In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus &c. 280.2.
V.14. Nolite jugum ducere cum infidelibus, Quæ enim participatio Juſtitiæ cum iniquitate? 298.2 311.1.
V.15. Quæ autem conventio Chriſti ad belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 298.2.311.1
V.16. Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? 298 2
V.17 Propter quod exite de medio eorum, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis. 305.1
Cap.7. v.1. Has ergo habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento &c. perficientes ſanctificationem in timore Dei. 329.2
V.9 Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia &c. 105.1.
V.10. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; ſæculi autem triſtitia mortem operatur. 105.1.345.2
Cap.10 v 5. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 176.1
Cap.12.v.7. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ. 78.1
Cap.13.v.10. Secundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi &c. 203.1

Ad Galatas.

Cap.1.v.14. PRoficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos &c. 161.1
V.20. Quæ autem ſcribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior. 456 2
Cap.5 v 3 Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe &c. 172 1
V.17. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum. 189 2
V.19. Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio &c. 67.1.201 2 513.2.539 1 548 1 189 2
V 20. Æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, &c. 520 2.589 2
V.21. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, &c. 201.2 .20.2.523.2 539.1.548.1
Cap.6 v.7. Nolite errare, Deus non irridetur. 359.2
V.8 Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. 359 2

Ad Epheſios.

Cap 1.v.21. SUpra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem &c. 252.2
Cap.4.v.7. Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram &c. 251.1
V. 11. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos &c. 253 1.263.1
V.12 Ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij 253 1.263 1
V.17. Sicut Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui. 175 2
V. 18. Tenebris obſcuratum habentes intellectum &c. 175.2
V.19. Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. 352.1
V.25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem. 385 1
Cap. 5. v. 3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos. 67.2
V. 4. Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas. 67 1
V.5 Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus &c. non habet hæreditatem &c. 539.1.548.1
V 14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. 441.1
V.25. Viri diligite uxores veſtras. 511.1
V.28. Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. 511.1.511 2
V. 29. Nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit. 511.2
V 31. Et erunt duo in carne una. 511 2
Cap. 6. v. 1. Filij, obedite parentibus veſtris in Domino &c. 277 1.504.2
V. 4. Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. 309 2.510.1
V.5. Servi Obedite dominis carnalibus &c. 512.2
V.6 Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes. 512.2
V 9 Et vos Domini eadem facite illis. 512.2
V.12 Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem &c. 267.2
V.17. Galeam ſalutis aſſumite. 493.2

Ad Philippenſes.

Cap.2.v 5 HOc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu. 440.1
V. 6. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt &c. 440.2
V. 7. Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. 440.2
V. 12. Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. 198 2 329.2 551 2
Cap. 3 v. 19 Quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt 342.1 552.1.

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1. v. 18. ET ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. 252.2 439.2
V.19. Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare. 439.2
Cap.2.v 9. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis &c. 439 2

V.10

*V.*10.Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. 292.2. 439.2.
*Cap.*3 *v.* 5. Mortificare ergo membra veſtra&c. fornicationem,immunditiam&c. 519.1.548.1
V.6.Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. 539.1
*V.*17.Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere &c 338.1
V.19.Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe &c. 511.1
*V.*20.Filii obedite parentibus per omnia.277.1. 500.1. 504.2.505.2.
V,21.Patres,nolite ad indignationem provocare filios veſtros. 510.1
*V.*22 Servi obedite per omnia dominis carnalibus, 512.2

1. *Ad Theſſalonicenſes.*

*Cap.*4. *v.*2. SCitis enim quæ præcepta dederim vobis &c. 254.1.
V.4.Ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere &c. 541.2
*V.*6.Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio Fratrem &c. 563.2
*V.*7 Non enim vocavit nos Deus in immunditiam. 495.2
*V.*8.Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum &c. 254.1
*Cap.*5. *v* 8.Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. 489.2
*V.*17 Sine intermiſſione orate, 379.1
V,22.Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 567.1
*V.*26.Salutate Fratrés omnes in oſculo ſancto. 549.1

II. *Ad Theſſalonicenſes:*

Cap 2.*v* 10. EÓ quod charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent 169.1
*V.*11.Ideò mittet illis Deus operationem erroris,ut credant mendacio &c. 169.1
*Cap.*3.*v.*8 Neque gratis panem manducavimus ab aliquo 560.1.
*V.*14.Quod ſi quis non obedit verbo noſtro &c. 254.1

I. *Ad Timotheum.*

*Cap.*1.*v* 5.FInis autem præcepti eſt charitas de corde puro &c, 155.2,207.2 239.2
*V.*9.Sciens hoc quia lex Iuſto non eſt poſita &c. 265.1
*V.*13.Qui prius blaſphemus fui,& perſecutor &c. 161 2.
*V*15.Fidelis ſermo,& omni acceptione dignus. 228.1
*V.*17.Regi autem ſæculorum immortali &c. 600.Epil.
*V.*18. Hoc præceptum commendo tibi Fili Timothee, &c, 155.2.
*V.*19.Habens fidem,& bonam conſcientiam &c. 155.2
*V.*20.Ex quibus eſt,Hymenæus, & Alexander:quos tradidi Satanæ,ut diſcant non blaſphemare. 155 2,341.1
*Cap.*2.*v.*4.Qui omnes homines vult ſalvos fieri,& adagnitionem veritatis venire. 165.1
*V.*8.Volo ergo viros orare in omni loco. 379.2
V 9,Cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe. 418.2
V,10.Sed quod decet mulieres,promittentes pietatem per opera bona. 418.2
*Cap.*3.*v.*1 Si quis Epiſcopatum deſiderat,bonum opus deſiderat. 91.1
*V.*2.Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. 91.1
*V.*15.Columna & firmamentum veritatis. 213 1.400,1
Cap 4.*v.*1 Attendentes ſpiritibus erroris,& doctrinis dæmoniorum. 175.2.
*V.*16.Attende tibi,& doctrinæ:juſta in illis. 292.2
*Cap.*5.*v* 1.Seniorem ne increpaveris,ſed obſecra ut Patrem. 500.1.513 2
*V.*2.Anus ut Matres: Iuvenculas,ut Sorores,in omni caſtitate. 500.1
*V.*17.Qui benè præſunt *Presbyteri*, duplici honore digni habeantur. 500.1.513 1
*V.*18.Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti &c. 513.1
*V.*19.Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere &c. 254 1
*V.*20 Peccantes coram omnibus argue &c. 363 1
Cap 6.*v.*3.Si quis aliter docet & non acquieſcit ſanis ſermonibus &c. 520.2
*V.*4.Superbus eſt,nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones &c. 540.2
*V.*8.Habentes autem alimenta,& quibus tegamur, his contenti ſumus. 333 2
*V.*9.Nam qui volunt divites fieri,incidunt in tentationem,& in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia,& nociva, quæ mergunt homines in interitum &c. 82.1.565.1
*V.*10 Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. 563.1
*V.*12 Certa bonum certamen fidei,apprehende vitam æternam &c. 321.2
V. 14. Ut ſerves mandatum ſine macula irreprehenſibile &c. 321 2.338.2
V 17.Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere,neque ſperare in incerto divitiarum. 334 1
*V.*20.O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates. 321.2

II *Ad Timotheum.*

*Cap.*1.*v.*6. ADmoneo te,ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te &c. 39 2 232.1
*Cap.*2.*v.*16.Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem. 304.2
*V.*17.Et ſermo eorum ut cancer ſerpit. 307.1.311.1
*Cap.*3.*v.*1.In noviſſimis diebus &c. erunt homines ſeipſos amantes,cupidi elati &c, 505.2.
V 4.Voluptatum amatores &c. 343.1
*Ca.*4.*v.*3.Sed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus &c. 202 2.260 1
*V.*7 Bonum certamen certavi,cur ſum conſummavi, fidem ſervavi. 321.2

Ad Titum.

*Cap.*1.*v.*2.IN ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur,Deus. 378.2
*V.*9.Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana &c. 161 1
*V,*11.Qui univerſas domus ſubvertunt,docentes &c. 206.2
Cap 2.*v.*5.Ut non blaſphemetur Verbum Dei. 322.2
*V.*9 Servos dominis ſuis ſubditos eſſe. 512.2
V 10.Non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes. 512.2
Cap 3 v.1.Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe. 255.1
*V.*3.Eramus enim aliquando & nos incipientes &c. ſervientes deſideriis &c. 343.1.
*V.*10. Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita. 304.1
V 11.Sciens quia ſubverſus eſt &c. 304 1

Ad Hebræos.

*Cap.*3.*v.*1.COnſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum &c. 321.2
*Cap.*4.*v.* 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ. 371.2
*Cap.*5.*v.*1. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus &c. 380.2
*Cap.*7.*v.*12,Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut legis translatio fiat. 248.1
Cap. 10 *v.*1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum &c. 248 1
V 7.Tunc dixi ecce venio. 440 1
*Cap.*11.*v.*1.Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. 293 1.318.1
V.6.Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt,&c. 287 2. 294 2.329.1.370.2.
*Cap.*13.*v.*4 Honorabile connubium in omnibus,& thorus immaculatos. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus. 511 2 539.1.540 1,542.1
V.9 Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor. 214.1
V.17.Obedite præpoſitis veſtris,& ſubjacete eis,&c.254 1. 290.2.513.1.

Epiſtola Beati Iacobi.

*Cap.*1.*v.*5.SI quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo,&c. 370.2
V.6.Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. 371 1
V.15 Peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. 63.2
*Cap.*2.*v.*13.Superexaltat autem miſericordia judicium. 331.2
V.15.Si autem frater & ſoror nudi ſunt,&c. 350.2
V.16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace,&c. 350.2.
V.19.Tu credis quoniam unus eſt Deus,&c. 293 1
V,20.Fides ſine operibus mortua eſt. 334.1
*Cap.*3.*v.*6.Et lingua ignis eſt,univerſitas iniquitatis. 581.2
V. 7. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, &c. 581.2.

V. 8. Linguam autem nullus hominum domare poteſt. 581. 2
Cap. 4. v. 11. Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed judex &c. 262. 1
V. 12. Unus eſt legiſlator, & judex &c. 262. 2.
Cap. 5. v. 4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras. 561. 2.
V. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite jurare. 455. 1 456. 2
V. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum. 121. 2
V. 15. Et oratio fidei ſalvabit infirmum. 378. 2
V. 16 Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra &c. 12 1. 121 1. 378 2

I. Sancti Petri.

Cap. 1. v. 3. BEnedictus Deus & Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos &c. 228. 1. 328. 1
V. 4. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, &c. 228. 1. 328. 1
V. 5. In ſalutem paratam revelari in tempore noviſſimo 228. 1. 328. 1. & 2
Cap. 2. v. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite. 519 1
V. 13 Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. 246 2. 255. 2 277. 1
V. 14. Sive ducibus, tamquam ab eo miſſis &c. 246 2. 255. 2 276 1. 277. 1
V. 15. Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes &c. 255. 2. 277. 1
V. 16. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem &c. 255. 2
V. 17. Deum timete: Regem honorificate. 255. 2 277. 1. 329. 1
V. 18. Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis &c. 255. 2. 277. 1. 512. 2
V. 19. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei Conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias &c. 255. 1. 277. 1
V. 20. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? 277. 1
Cap. 3. v. 3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura. 418. 1
V. 7. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam &c. 511. 1. & 2.
V. 15. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. 161. 1
Cap. 4. v. 3 Hiſ qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis &c. 552. 1. 558. 1
V. 9. Hoſpitales invicem ſine murmuratione. 122. 1
V. 10. Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes 121. 2

II. Sancti Petri

Cap. 1. v. 16 ET habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benè facitis attendentes &c. 150. 2 525. 2,
Cap. 2. v. 1. Dominum negant. ſuperducentes ſibi celerem perditionem. 304 1
V. 2. Per quos via veritatis blaſphemabitur 322. 2
V. 13. Voluptatem exiſtimantes diei delicias &c. 341. 1
V. 14. Oculos habentes plenos adulterii &c. 510 2
V. 19. A quo enim quis ſuperatus eſt hujus & ſervus eſt. 343 1
V. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini Noſtri &c. 304. 1
V. 21. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem &c. 304. 1.
Cap. 3. v. 16 In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant.

I. Sancti Ioannis.

Cap. 1. v. 5. QUoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. 214. 1
V. 9. Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt &c. 121. 1
Cap. 2. v. 9. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt &c. 349. 2
V. 11. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat &c. 349 2
V. 16. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt &c. 30[illegible] 590. 1
Cap. 3. v. 11. Hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum. 581. 2
V. 12. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat: & occidit fratrem ſuum. 311. 1
V. 14. Qui non diligit, manet in morte. 336. 1
V. 15. Omnis qui odit Fratrem ſuum, Homicida eſt. 349. 2. 510. 1.
V. 17. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere &c. 350 1 358 1 35[illegible]
V. 18. Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua. &c. 350 1
V. 19. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus. 350. 1
Cap. 4. v. 7. Omnis qui diligit ex Deo natus eſt &c. 336. 1
V. 20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & Fratrem ſuum oderit mendax eſt. 349 2

II. S. Ioannis.

V. 10. SI quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum &c. 304 1. 359. 1
V. 11. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. 304. 1. 308. 1. 359. 1

Epiſtola S. Iudæ.

V. 10. HI autem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter &c. 206. 2. 316. 2
V. 11. Væ illis, quia in via Cain abierunt, &c. 171. 2
V. 12 Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes. 552. 1
V. 16. Secundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum, &c. 406. 2.

Apocalypſis.

Cap. 1. v. 10. FUi in ſpiritu in Dominica die, & audivi, &c. 488. 1.
V. 13. Et præcinctum ad mammillas zona aurea. 439. 1
V. 18. Et habeo claves mortis, & inferni. 2. 1. 252. 2
Cap. 3 v. 7. Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit. 2. . 252. 1
V. 15 Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. 345. 2.
V. 16 Sed quia tepidus es, &c. incipiam te evomere ex ore meo. 345 2
V. 20. Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, &c. 265. 1
Cap. 4. v. 4. Circumamicti veſtimentis albis, &c. 430. 1
Cap. 5. v. 10. Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, &c. 2. 2. 2
V. 13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, &c. 252 2
Cap. 6 v. 9. Vidi ſubtus altare animas interfectorum. 440. 2
Cap. 7. v. 14 Et dealbaverunt eas in ſanguine agni. 439. 1
Cap. 12. v. 10. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, &c. 252. 2
Cap. 13. v. 8. In libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. 441. 1
V. 16. Et facit omnes puſillos, & magnos, &c. habere characterem. &c. 562 2
V. 17. Et ne quis poſſet emere, aut vendere, niſi qui habet characterem. 562. 2
Cap. 21. v. 8. Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure. 139. 1. 584. 1
Cap. 22. v. 15. Et omnis qui amat & facit mendacium. 584 2

INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
Quæ his duobus primis Tomis tractantur.

Prior numerus paginam, poſterior columnam, litera (a) *principium,* (b) *medium,* (c) *finem columnæ indicant.*

Abbas.

ABBATIS culpâ pereunte depoſito, an Monaſterium reſtituere teneatur? 572.2.c. Vide *ſuperior.*

Aborſus.

Aborſus triplex procuratio 515.2.c.516.1.a. Aborſum procurare, quàm grave peccatum ſit. 516.1.b. Contra eum procurantes, graviſſimæ pœnæ decretæ. 515.2.c. Graviſſima conſtitutio Sixti V. 516.1.b.

Aborſum procurâtes pater aut mater, parricidæ ſunt. 515.2.c.

Abraham.

Abraham obligabatur immolare filium jubente Deo. 250.1.b.

Abſolutio.

Abſolutio quid, & quotuplex 220.1.c. *& ſeqq.* Abſolutionis materia quæ 220.1.c. 221.1.a. Abſolutio debet dari & exprimi verbo oris. 221.1.c. quibus verbis debeat exprimi. 2. a. Explicatio illorum verborum. 2. b. Exploduntur aliqui ſcioli omittentes in abſolutione hæc verba *à peccatis tuis*, &c. 2. c. Illa omittere quale ſit peccatum. 222.1. a. b. Quæ ſint illa precet quæ ad arbitrium Confeſſarii ſine peccato poſſunt omitti. 222.1. b. c.

An in abſolutione poſſit quis licitè uti verbis æquipollentibus. 222.1. c. In cujus verbis debet exprimi perſona judicis. 222.2. a. Quis ſit ſenſus adæquatus verborum abſolutionis. 222.2. b. Quæ operentur illa verba 2. c. Qui verificentur in eo, cujus peccata ſunt remiſſa per contritionem, aut aliam prævia in abſolutionem, &c. 223. 1. a. b.

Abſolutio non poteſt dirigi ad abſentem. 223. 2. a. Qui confeſſus eſt abſens, quomodo præſens poſſit abſolvi 2. b. An non poſſit dari pœnitenti dum à confeſſionali receſſit, quando Confeſſarius oblitus fuit eam dare? 2. c. 224.1. a.

Abſolutio in eadem confeſſione ordinariè non poteſt repeti. 224.1. b. c. Quando repetenda ibidem. 2. a. b. Regulariter non poteſt dari ſub conditione, ne quidem mentali. 224. 2. c. Poteſt interdum per accidens ſub ea dari ob naturalem perplexitatē. 225.1 *b. & ſeqq.* Qualis conditio tunc adhibenda. 2. b.

Abſolutio non poteſt pendere à futuro eventu. 20. 2. c.

An impendenda ſubitò obmuteſcenti. 127. 2. *b. & ſeqq.* 209. 2. b. 210. 1. a. 2. b.

Abſolutio non poteſt cadere ſuper peccata, niſi prout à confitente manifeſtantur. 220. 1. a.

Regulariter ſtatim eſt danda. 225. 2. a. Danda interdum ſuper dimidiatam confeſſionem. 226. 1. a. Quid de ſententia interlocutoria? *ibid.* b.

Abſolutio valet, eſto nulla pœnitentia imponatur. 149. 2. b.

Quando neganda pœnitenti. 226. 2. b. Ob externam notitiam non poteſt negari. 2. c. Ob quas indiſpoſitiones poſſit. 227.1. a. b. Vide *Reſervatio Reſervatus Caſus.*

Abſtinentia.

Abſtinentia ab immolatis ſimulachrorum, &c. cur prohibita tempore Apoſtolorum 255. 2. b. 268. 2. b. 298. 2. a. c. Abſtinentia à quibuſdam cibis, &c. In die jejunii. vide *Ieiunium.*

Accuſatio.

Accuſatio in confeſſione quid? 5. 2. c. Qui differat à confeſſione. 1. a.

Acedia.

Acedia quid, & cujus vitii ſignum 343. 2. a. Ex genere ſuo eſt peccatum mort. *ibid.* Ejus varia conſideratio 343. 2. *b & ſeqq.* In ea quid potiſſimum attendendum. 343. 2. a. Quæ oritur ex prava corporis complexione, &c. eſt virtutis & meriti ſeges & incentivum. 2. b. Spirituales & ſolitarii hac oppreſſi non debent turbari. 2. c. 343. 2. c. Actione magis excutienda, quàm contemplatione. 344. 2. c. Acedia quæ peccaminoſa & qualiter. 345. 1. a *& ſeqq.* Quando non conſtituat ſpeciale peccatum, *ibid.*

Acediæ mortalis ſigna. 345. 1. c. Explicatur variis modis & ſimilitudinibus, &c. in Scriptura. 2. a. b. Ob eam multi pereunt eſto gravioribus peccatis externis non graventur. 346. 1. a.

Acquiſitio.

Acquiſitionis rerum varii tituli. 555. 1. b.

Actio.

Actiones externæ ſimplices undè habeant diſtinctionem, & unitatem. 99. 1. a. Undenam illæ, quæ ex natura ſua plures actus conjunctos habent. *ibid.* b. c. 2. a.

Actor.

Actoris officium quod. 4. 2. b. Ejus nomine, quis in hoc Tribunali intelligatur. 6. 1. c.

Actus.

Actus eliciti, imperati, conſentientes, permittentes, &c. qui. 61. 1. c. 2. a. 72. 1. c. *& ſeqq.*

Actus idem voluntatis internus quamdiu cenſeatur durare. 97. 1. c. *& ſeqq.* An cenſeatur interrumpi per ſomnum, aut occupationem externam? 97. 1. c.

Actus externi unitas, & diſtinctio numericà unde? 98. 1. a. *& ſeqq.*

In actu quolibet duo reperiuntur, officium & finis 243. 2. b.

In actu quolibet bono diverſæ ſunt bonitates. 256. 1. c.

Actus per ſe, & ex natura ſua mali, qui. 89. 2. b.

Graviora peccata ſunt, quàm qui ex ſolo præcepto, &c. ſunt mali. 89. 1. c. 2. a. Horum actuum diſtinctio. 2. b. Eorum gravitas undè expendenda. 2. c. Actus mali, quia prohibiti, gravitas, undè 90. 1. a.

Actus mali per ſe nulla intentione poſſunt reddi boni. 90. 1. c. Quid, ſi ſint tantùm mali ex prohibitione. *ibid.* 2. c.

Adoratio.

Adoratio quid. 287. 1. b.

Advertentia.

Advertentia in ordine ad peccatum alia plena, alia ſemiplena. 68. 2. b.

Adulatio.

Adulatio quibus caſibus ſit peccatum mort. 188. 2. c.

Adulterium.

Adulterium intelligitur nomine mœchiæ 538. 1. a.

Adulterium quid, & quale peccatum. 539. 2. c. Ejus gravitas. 538. 2. a. 539. 2. c. *& ſeqq.* Ex eo quæ peccata oriantur 540. 1. b. Ex adulterio fœminæ quæ? 1. c. 2. a. Ex adulterio viri quæ? 2. b. Quæ peccata ex eo provenientia ſint in confeſſione exprimenda. 540. 2. c. 541. 1. a.

Adulteri & adulteræ obligationes, prole ſubſecuta 541. 1. a. b. Quid ſi proli illegitimæ providere non poſſint *ib.* 1. c. *& ſeqq.*

Advocatus.

Advocatus ſuſcipiens mala fide litem, non excuſatur à peccato per poſteriorem ſubtilitatem ingenii. 197. 2. a.

Advocatorum peccata. 561. 1. b. c.

Æſtimativa.

Æſtimativa qui imitetur in tentatis & affligitur, judicium rationis. 71. 2. b. *& ſeqq.*

Affinis.

Affinium obligationes ad invicem. 510. 2. c.

Affinitatis gradus qui, & quo jure prohibiti. 645. 1. b.

Agnus Dei.

Agnum Dei qui geſtare liceat ad tuendam ſanitatem. 450. 1. a.

Alba.

Albæ induitio quid ſignificet 439. 2. b.

Aliena res.

Aliena res, quæ dicenda. 554. 2. b. 578. 2. c.

Res aliena cujus dominus ignoratur, cui danda. 579. 1. a.

Aliena res dupliciter appeti poteſt. 592. 1. c. 2. a. Eam deſiderare quando, & quale peccatum 593. 1. a. Ut dicatur noſtra, duo requiruntur 555. 1. a.

Alimentum.

Alimentum quis adminiſtrare teneatur ſub mort. laboranti gravi vel extrema neceſſitate. 351. 2. b.

Almainus.

Almaini opinio dicentis, *ſolum Deum poſſe obligare ad culpam*, qui excutiatur. 269. 2. c. 270. 1. a.

Digitized by Google

Altare.

Altare aliud fixum, aliud mobile. 435. 2, *a*. Debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecretum *ibid*. Quantæ capacitatis debeat eſſe. *ibid*. 2. *b*. Ad ejus conſecrationem an requirantur reliquiæ Sanctorum. 2. *b*. *& ſeqq*.

Altare qui violetur. 436. 1. *b*. *& ſeqq*. Ut in eo celebretur quis ornatus requiratur. 2. *b*.

Amictus.

Amictus induitio quid ſignificet. 439. 2. *a*.

Amor.

Amor inordinatus ſui & ſui corporis. quàm periculoſus. 342 2. *b* Poteſt opponi variis virtutibus & præceptis. c. *c*. Per illum qui peccetur contra ſpeciale præceptum amoris Dei. 343. 1. *a*. *& ſeqq*.

Amoris proprii affectus in quo conſiſtat. 344. c. *a*.

Amore inordinato parentum, filiorum, uxorum, &c. qui peccetur. 34c. 2. *c*. *& ſeqq*. Vide *Charitas*. *Creatura*.

Amphibologia.

Amphibologia duplex 460. 1 *c*. Duplex ejus finis, & ratio utendi. 2. *c*. Ejus uſus quando licitus & quando illicitus in ſimplici aſſertione. 461. 1, *a*. *& ſeqq*.

An omnis includat mendacium cum deceptione. 2. *c*. 46c. 1. *a*. Quæ advetſetur juſtitiæ, fidelitati, & charitati 1. *b*.

Amphibologia in juramento libero non licet uti. 462. 2. *a*. Nec Judice legitimè & juridicè interrogente. 2. *b*. Secùs, ſi illegitimè. 2. *c*.

Amphibologia an interdum licita innocenti in confeſſione criminis, ob vim torturæ 529 1. *c*.

Amplexus.

Amplexus ex ſe indifferentes ſunt. 548. 2. *c*. Qui liciti, & qui illiciti. 549. 1. *b*. *c*. Vide *Oſcula*.

Anabaptiſta.

Anabaptiſtarum cœna ſumpta illiterati repleti fuerunt ſcientia ſcripturarum, & undè. 448. 2. *c*. Converſi ad veram fidem eam amittunt. *ibid*

Angelus.

Angelorum illuminatio qui fiat, 377. 1. *a*.

Anima.

Ex tota anima quid ſit Deum diligere, & quid per animam intelligatur. 338. 1, *c*.

Annus.

Annus diſcretionis quis. 10c. 1. *a*.

Annus qui computandus ad ſatisfaciendum præcepto annuæ confeſſionis, 1. *b*.

Antiochus.

Antiochus qui apprehenderit flagella Dei. 109. 1, *a*. *c*. *a*.

S. *Apollonia.*

Injiciens ſe ipſam in rogum ardentè, qui excuſetur. a 50. 2, *c*.

Apoſtata.

Apoſtata à fide quis. 302. 2. *b*. 320. 1, *b*. Varia apoſtaſia à fide, & quas pœnas incurrat. *ibid*. 2. *b*.

Apoſtolus.

Apoſtolorum miſſio qui fuerit primò reſtricta, & deinde extenſa. c. 1. *b*.

Apoſtolorum tempore celebrata fuere plura concilia, & cur? 164 2. *a*.

Approbatio.

Approbatio quid. 46. 2 *c*. Quotuplex. 481. *c*. Ejus duplex effectus, 51. 2. *b*. Triplices perſonæ approbandæ. 48. 1. *b*.

Approbatio qui diſtinguatur à collatione juriſdictionis? 47. 1. *a*.

Approbatio à quo fieri debeat. 47. 2. *a*. Quibus modis fieri poſſit. *ibid*. 2. *b*.

Approbatio Epiſcoporum qui requiratur ad juriſdictionem Fratrum mendicantium ad Sæcularium confeſſiones audiendas. 47. 1. *b*. An eam Epiſcopi poſſint arctare, vel alterare. 47. 2 *c*. An idoneo reperto eam denegare. 47. 1 *c*. 48. 2. *c*.

Ad eam dandam an teneantur ſemper Epiſcopi præmittere examen? 48. 1. *a*.

Approbatio Epiſcopi eſt neceſſaria ad excipiendas Sæcularium confeſſiones, non obſtante quacumque idoneitate. 48 1. *a*.

Parochum idoneum repertum tenetur Epiſcopus approbare in actu ſecundo. 48 1. *a*. Secus ſi non ſit Parochus. 2. *a*. Nec refert quòd ad examen ſit admiſſus. *ibid*. 2. *b*. Quid per tale examen acquiſierit. c *c*.

An Parochi poſſint denuò ab Epiſcopis examinari? 49 1. *a*

An Graduati in Theologia, & Lectores debeant aut poſſint ab Epiſcopis examinari? 49. 1. *c*. *& ſeqq*.

Semel abſolutè approbatus non poteſt iterum ſine juſta cauſa ad examen revocari. 49 2. *c*. Juſta cauſa quæ. 50. 1. *b*. Integra communitas non poteſt revocari ad examen ob aliquorum defectus. 50. 1. *c*.

Approbatio cujus Epiſcopi requiratur. 50 2. *a* *& ſeqq*.

An approbatus à proprio Epiſcopo, ſit approbatus pro univerſali Eccleſia? 51. 2. *a* *& ſeqq*.

An Parochus poſſit quemcumque ab uno tantùm Epiſcopo approbatum, delegare ad audiendas confeſſiones ſuorum 52. 1. *c*. *& ſeqq*.

Regulares Privilegiati approbati ab uno Epiſcopo, an accipiant juriſdictionem pro univerſa Eccleſia? Duplex ſententia quoad hoc 53. 1. *c*. *& ſeqq* Opinionum concordia 56. 2. *a*.

Approbatio librorum duplex. 260, 1. *a*. *b*.

Approbatio librorum non indicat omnes opiniones in iis contentas eſſe approbatas 206. 1. *c*.

Ariſtocratia.

Ariſtocraticum regimen, quod? 252. 1. *a*. In hoc qui leges dicent. 252. 1. *b*.

Ars notoria.

Ars notoria quæ dicatur. 447 2. *c*.

Aſpectus.

Aſpectus impudicus quis. 550. 2. *c*. Ex tribus capitibus fit peccatum mortale. 551. *a* *& ſeqq*.

Aſſaſinatus.

Aſſaſinatus ab homicidio ſimplici, qui differat? 511. 2. *b*. Eo criminoſi, non gaudent immunitate Eccleſiaſtica. *ibid*.

Attentio.

Attentio quid, & quotuplex. 406 1. *b* *& ſeqq*.

Quæ attentio requiratur ad ſatisfactionem obligationis horarum canonicarum, &c 406. 2. *b*. *& ſeqq*. 407. 1. *b*.

Attritio.

Attritio quid. 106. 1 *a*. *& ſeqq*. Ejus motiva. *ibid*. 2, *a* *& ſeq*.

Requiritur ad eam ſpes veniæ, 107. 1. *c*. Et propoſitum non peccandi de cætero *ibid*. 2. *c*.

Attritio vera ſufficit cum Sacramento ad delenda peccata. 107. 2. *b*.

Attritionis veræ conditiones & qualitates, 107. 2. *c* 108. 1, *a*. *& ſeqq*.

Attritionis ſupernaturalis ſigna. 108. 2. *a*. *& ſeqq*. Qui reſpiciat Deum offenſum 109. 1 *b*. Triplex ejus objectum. *ibid*.

Attritionis naturalis ſignum. 109. 2. *b*.

Inter attritionem & contritionem vera diſtinctio. 109. 2. *c*.

Undè Contritione facilior? 110. 1. *a* Cur dicatur imperfecta Contritio. 110. 1 *b*.

Attritionis dignitas. 110 2. *a*. *b*. Vide *Contritio*.

Avaritia.

Avaritia cur in Scriptura vocetur *idolorum ſervitus*. 342. 1. *b*, *c*. Quàm periculoſa ſit. 2. *b*.

Avaritia qui opponatur charitati 348 2. *b*. Qui juſtitiæ & liberalitati 2. *c*. 349 1 *a*.

Avaritia quando ſit peccatum mortale. 348 2. *c*.

Auctoritas.

Auctoritas Doctoris an, & qualiter fundet opinionem probabilem. 205. 1. *c* *& ſeqq* Vide *Theologus*.

S. *Auguſtinus*.

S. Auguſtinus non improbat leges, & Eccleſiæ præcepta cognita & manifeſta: ut calumniantur hæretici. 569 1. *c*. *& ſeqq*.

Pelagium & Cœleſtinum hæreticos excommunicavit. 305. 1. *a*.

Avus.

Avorum obligatio ad filios & nepotes. 512 1. *a*.

Baptiſmus.

Baptiſmo qui, & quæ peccata remittantur. 62. 1. *c*. *& ſeqq*. Quæ, dum ſub conditione in adulto repetitur. 62. 2. *c*.

Baptiſmum adminiſtrans ſolemniter in mortali tantùm unicum peccatum committit. 99. 2 *c*. 2, *a*. Pluribus ſimul illum ſic adminiſtrans, quoties peccet. 100. 1. *b*.

Non baptizatus non eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ. 100 1. *c*. Quod ei remedium ad delenda peccata. *ibid*. Peccata per baptiſmum remiſſa, an utiliter exprimantur in Confeſſione. 2. *c*.

Baptiſmus conferendus puero in periculo mortis exiſtenti. Etſi dubitetur an indè moriturus. 180 1. *c*. 2. *a*.

Baptiſmus conferendus Cathecumeno ſubitò obmuteſcenti. 129. 1. *a*. *& ſeqq*.

Baptiſmus poteſt conferri in lixivio deficiente aqua 199. 2. *c*. *& ſeqq*. In ejus collatione non licet uti formà tantùm probabili. 179 2. *a*. 204 1. *c*.

Baptiſmi Forma qui verificetur in juſtificato per contritionem. *c*. *c*. 223 1. *b*.

Baptizans quam intentionem debeat habere. 205 2 *b*.

In Baptiſmi ſuſceptione cui juramento ſe quilibet obliget. 322. 1. *a*.

Poteſt

Poteſt conferri in Eccleſia polluta.435 1.c

Infidelium proles in invitis parentibus poſſint à Chriſtiano Principe curari baptizari.506.a a.

Baptiſmo Flaminis qui remittantur peccata 7 2.a.

Ejus efficacia.62.2.c.

Beatitudo.

Beatitudo quid ſit objectum Spei 328 2 *b.c.* Et Deſperationis 331 1 *a.b.* Item Præſumptionis.333 2.*b.*

Beatitudinem ponentes in divitiis,&c. qui peccent 341.a.c b.

Bellum.

Bellum à Patriarchis & juſtis Regibus licitè geſtum.530,1.a. Chriſtianis Principibus illicitum an ſit? Opiniones hæreticorum circà hoc 530 1 *a.b.*

Bellum defenſivum eſt licitum.530.1.*b.* Illud qui poſſint gerere.531.1.

Bellum offenſivum quando, & quibus conditionibus licitum 530. 1.c. *& ſeqq.*

Ad bellum juſtum quatuor conditiones requiſitæ. 531. a.c. *& ſeqq.*

In bello qui cenſeantur innocentes.535,1 *c. & ſeqq.*

Bellum offenſivum indicere quibus non liceat.531 a.c.

Peccata contra juſtitiam belli offenſivi.532.2.a.

Beneficiatus.

Beneficiati duplices 394.1.*a.* Ex eis qui teneantur ad Chorum,& Horas Canonicas,& ſub quo peccato 383.2 *b.*384.1.à 394 1.*b.c.*

Quid,ſi fructus beneficii ad potiorem partem ſuſtentationis non ſufficiant?387.2.*b.* Ad quantum debeat illa potior pars æſtimari.*ibid.*

Beneficium.

Beneficium confertur ob officium.384 1.c. Hoc qui intelligendum 386 2 *b*

Beneficii fundatio,& Fundatoris voluntas qui attendenda. 384.1.c

Beneficium,ejuſque fructus ſunt res ſpirituales 384 2.a.

In omni beneficio,quæ conditiones intelligantur. 387.1.a.

B. Bernardinus de Feltro.

Fuit primus Inſtitutor Montium pietatis. 577.2.c.

S. Bernardus.

Diſcipulum ſuum ſcrupulis fractum curat.174.1.*b.*

Beſtialitas.

Beſtialitas quid,& quale peccatum 548,1.a.2,*b.*

Biblia.

Bibliorum lectio lingua vernacula, qui & cur prohibita 317.2.c. *& ſeqq.* Eam qui poſſit concedere *ibid.*

In Bibliis quam multa difficilia intellectu.318.1.*b.*

In eorum verſione lingua vulgari quam periculosè, etiam nonnulli Catholici tranſlatores errarirint.*ibid.*

Bibliorum lectio,an in Belgio Laicis ſub tanto rigore prohibita.319.1.*a.b* Vide, *Sacra Scriptura.*

Blaſphemia.

Blaſphemia quale peccatum 63 2.c.339.a.r.340.1.c.

Qui opponatur præcepto charitatis.339 a.c.340,1.a.

Frequenter juncta eſt hæreſi & infidelitati.340 1.c.

Blaſphemiarum radix 340.1.a.

Blaſphemiarum tres modi 340,1.*b.*

In blaſphemiis contra Deum vix datur parvitas materiæ, &c. Chriſtianum à morte excuſans,340 2.*b.c.*

Contra blaſphemos graviſſimæ pœnitentiæ publicæ indictæ.271 1.a.

Puer quinquennis blaſphemus à dæmonibus in infernum abreptus ex S.Gregorio 340.2.c.

Ad blaſphemiæ vel ſolam ſuſpicionem Judæi veſtimenta ſcindebant.340.2.c.

Blaſphemiæ gravitas ex S.Paulo, ac legibus Eccleſiaſticis & civilibus 341,1.a. *& ſeqq.*

Bonitas.

Bonitas alia intrinſeca,alia extrinſeca.18.1.c.

Bonitates variæ in actu bono 256 2 c.

Bonum.

Bonum verum quod 317.1.c Boni duplex conſideratio.2 a

Bonum ſub ſpecie mali apprehenſum, qui interdum obliget ad ſui fugam.173.1 a.

Bonum commune,qui præferendum bono particulari, 365. 1. *b* Pertida fidelitate taceantur peccata vergentia in ejus perniciem *ibid*

Reſpectu boni communis quis ordo charitatis ſervandus. 368 2.a.*b.* Quis reſpectu boni privati *ibid.*a.c.

Bona fortunæ jure naturæ communia.554 1.a. Eorum diviſio facta jure gentium. 1.*b.*

Calceamentum.

Sine calceamentis an non liceat celebrare.438,1.*b.*

Calix.

Calix qualis requiratur ad celebrandum 436,1.c.

Qualiter,& à quo debeat eſſe benedictus 437.1.a.

Qui profanetur 437.1.c.

Ejus tactus,quibus & qualiter prohibitus.*ibid.*2.a.

Calumnia.

Calumnia quid,& quale peccatum 383.2.a.

Cambium.

Cambium quid,& quotuplex 565.2.*b. & ſeqq.*

Cambia qua licita & juſta,& eorum juſtitiæ fundamentà. 566 1.*b. & ſeqq.*

In cambiis quæ injuſtitiæ committantur 567.1 *a. & ſeq.*

Differentia inter cambium licitum,& uſuram.570.1.a.

Canon.

Canones multi pœnitentiales abrogati; nec amplius in uſu 272.1.a.

Canon Miſſæ inter ejus partes integrantes eſt magis præcipua.433.2.a.

Ejus auctoritas,& obligatio.2 *b.*

Canonicatus, Canonicus.

In Canonicatuum fundatione duplex contractus.387.2.*b.*

Quæ obligatio ex illis contractibus.*ibid.*

Obligatio illa non eſt pure pœnalis 387.2.*b.*

Canonici qualiter, quo jure, & ſub qua pœna obligentur ad chorum.387 1.c.2.a.

Quanto tempore poſſint abeſſe *ibid.*2.a.

Canonici qua aſſiſtentia ſatisfaciant obligationi chori,389. 1.*b. & ſeqq.*

Materialiter tantùm aſſiſtentes non poſſunt recipere fructus,nec diſtributiones.389. 2 *b.* Et minùs qui fabulantur,libros legens,&c.*ibid.* Tales qui peccent.*ibid.*2.a.

Canonici per lectionem privatam horarum in choro, non ſatisfaciunt ſuæ obligationi 390.1.a. Debet eſſe publica, eſtò ſubmiſſiori voce fiat.*ibid.*1 *b.*391.1.a. Non tenentur ad muſicam,&c 390 2.c.

Tria jura in eorum obligatione ad horas canonicas concurrunt.391.1 *b. & ſeqq.* An contra illam obligationem poſſint præſcribere conſuetudine,&c.391 1.c. *& ſeqq.*

Cantus.

Cantus Eccleſiæ antiquitas.390.1.c.2.a. Ad quid inſtitutus 2.*b.*

Cantum ſuavem quando,& cur ſuſceperit Eccleſia Mediolanenſis 390 2.*b.*

Cantus moderni in Eccleſia moderari deberent; & cur. 391.1 *b.* Ejus nimia melodia periculoſa.*ibid.*

Ad cantum qui obligentur aliqui ſtipendiarii.394.2.*b.*

Capellanus.

Capellanorum juriſdictio qui dicatur reſtricta.23 2.*b.* An poſſint ab aliis Parochis delegari ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum.51.a.c. Delegati à Paſtore,quibus caſibus poſſent ſubdelegare.18 a.*b.*

Qui obligentur ad horas in choro perſolvendas.394.1.c. *& ſeqq.*

Capellani an teneantur Miſſas celebrare, dùm fundatio vel in totum,vel in partem periit 429. 1. *b.* Eorum obligatio alia perſonalis,alia non perſonalis,& diverſitas inter eas.*ibid.*2.*a.b*

Capitulum.

Capitula dupliciter dicuntur jurare.470.2 *b.c.*

Cardinalis.

Cardinales,quo jure eligant ſibi confeſſarium 19,1.c.

Cardinalium Senatus ſpectat ad Monarchicum regimen. 252.1.*b.* Leges ab eo conditæ non obligant,niſi à Papa approbatæ *ibid.*

Ad Cardinalium familiam admiſſi, cui ordinariò ſubjaceant.17.2.a.

Caro.

In carnis motibus levitas materiæ,qui attendenda.550.1.a.

Carnes comedens feria ſexta coram hæreticis,&c.qui cenſeatur interdum peccare. 322. 2.*b* 324.2.*b.*

Carthuſianus.

Carthuſianorum votum de non comedendo carnes; an obliget etiam in periculo mortis.482.2 *b.*

Caſtitas.

Caſtitatis votum quod reſervatum Papæ.484.2. *b.* In eo qui diſpenſet Papa.273.2 *b.*

Caſtitatis vota,quæ non reſervata Papæ 484.2.*b.c.*

In ejus voto reſervato Papæ, quibus caſibus poſſint Epiſcopi diſpenſare.485.1.a. *& ſeqq.*

Caſtitatis voto ſolemni qui cenſeantur adſtricti.546 2 *b.c.*

Caſti-

Catechiſmus.

Catechiſmi neceſſitas & utilitas.289.2.c.290.1 *a*.Catechiſtæ non debent ab idiotis requirere ſingulares conceptus in ſubtilioribus Myſteriis fidei 298.1 *c*.2.*a*.

Catholicus.

Catholico inter hæreticos quæ officia liceat obire.321.1.*b*. *& ſeqq.*

Catholico an liceat interdùm fidem ſuam occultare, vel diſſimulare, & quibus modis.326.1.*b*.*& ſeqq.*

Qui peccet accipiens teſtimonia à Magiſtratu hæretico in injuriam ſuæ Religionis 326 2 *c*.

Catholico an liceat ſe occultare ſub habitu Miniſtri hæretici 327 1.*b*.

An ei liceat fugere,ne cogatur fidem confiteri 327.2.*b*.*c*.

Serviens Domino hæretico quando non poſſit fidem ſuam diſſimulare.312.2.*b*.

Caupo.

Caupo die prohibito pluribus apponens carnes, quoties peccet.99 2.*b*.

Cauſa.

Cauſæ cognitio in hoc Tribunali quid?6.1.*b*.

Celebrans.

Celebrans ut validè celebret quas conditiones debeat habere.413.2 *b*. Peccata defectu illarum conditionū.2.*c* 414 1.*a*.

Ut legitimè celebret,quæ diſpoſitiones requirantur. 414. 1.*b & ſeq.*

Examen primæ diſpoſitionis *ut ſit ſine peccato mort.* 414.2. *c.& ſeq.*

Celebrans in mort. Undè mortaliter peccet.414 2.*b*.An debeat eſſe certus de ſtatu gratiæ.2.*c*. Annotatio pro tentatis & ſcrupuloſis 415.1.*a*. Quid ſi dubitet an ſit in ſtatu gratiæ.1.*b*. Quando cenſeatur copia Confeſſarii deeſſe ad hoc,ut non teneatur confiteri.1.*c*.2.*a*.

Quid demandetur confeſſio post celebrationem *quàmprimùm ſienda* 2.*b*.

Examen ſecundæ diſpoſitionis,*ut celebrans non ſit impeditus cenſura,vel pœna Eccleſiaſtica*.415 2.*b*.

Examen tertiæ diſpoſitionis, *ut abſit omnis immunditia*, &c.*Corporalis*.415.2.*c*.*& ſeq.*

Celebrantem an impediat pollutio nocturna vel diurna. 416.1 *a*.*& ſeq.*

An alia immunditia corporalis eum impediat.417 2 *c*.Quid de vomitu? 418 1. *a*. Quid de ſumptione tabaci in ore? 1.*b*. Quid ſi ad manum non habeatur aqua? *ibid.*

Quæ indecentia corporis impediat 418.1 *c*.*& ſeq.*

Super quo fundentur illæ tam graves prohibitiones immunditiæ.aut indecentiæ corporalis 419.1 *b*

Examen quartæ diſpoſitionis,*ut Sacerdos ſit jejunus*.419. 1. *c*.*& ſeq.*

Quale jejunium requiratur.419.1.*c*.*& ſeq.*Non ſolvitur degluriendo aliquot guttas aquæ,dum os abluitur 2 *b*. Nec deglutiendo globum plumbeum ad ſedandam colicam,&c.*ibid.* Quid de pulvere auri,& papyro.*ibid.*

Quibus caſibus liceat non jejuno celebrare. 419. 2.*c*. *& ſeq.*An pro neceſſitate viatici 420.1.*a*. Exceſſus opinionis aliquorum circa hoc. *ibid.* Non requiritur cibi digeſtio vel ut quis dormierit. 420 2.*c*.

Examen quintæ diſpoſitionis,*ut nulla ignorantia,vel impotentia laboret*,&c.421 1.*a*.*& ſeq.*

Celebrans quæ teneatur ſcire,antequam ad Miſſam accedat 421.1.*a*.Ignorans aliquam partem eſſentialem Miſſæ peccat mort.*&* eam omittens committit Sacrilegium.421.1.*c* Omittens notabilem partem integrantem peccat mort. 1, *c*.2.*a*. Ignorans vel omittens aliquam accidentalem cæremoniam peccat ven.ſecluſo ſcandalo.*ibid*.2.*a*.

Ob impotentiam quis cenſeatur non poſſe celebrare abſque peccato mort.421 2. *b*.*c*. Cùm baculo intrare altare,vel velato capite altari aſſiſtere,qui prohibitum 2.*c*.422. 1.*a*.

Celebrans Miſſam an poſſit ante lectum matutinum. 422.1 *b*. Ejus lectio qui præcipiatur initio Rubricarum Miſſalis.1.*c*.2 *a*

Ante celebrationem an ſub peccato legenda præparatio. 422 2.*b*

Celebrans quam intentionem debeat habere ad ritè celebrandum.422. 1.*c* *& ſeq.*An Hoſtiæ in vaſculo copertæ conſecrentur,ſi non appareant.423.2.*b*. Quid de Sacerdote cæco Hoſtias non vidente. 2.*c*. Qui peccet ex ſua negligentia vas illud non diſcooperiens 424.1 *b*.

Quæ intentio ad applicationem fructus miſſæ ſufficiat, & quæ ex parte celebrantis requiratur 414.2.*c*.*& ſeq.*

Celebrare,qua hora quis poſſit.439.1.*a*. Vide *Miſſa. Miſſæ Sacrificium.*

Cenſus.

Cenſus quid,& quotuplex 575.1.*b*. Quæ injuſtitiæ in eis reperiantur 2.*a*.Eorum juſtitia pendet ex legibus 2 *b*.

In Cenſum an pecunia dari poſſit 575.2 *b*.*c*.

Cenſura.

Cenſura,an ſit materia abſolutionis Sacramenti.210.2.*c*.

Cerebrum.

Cerebri vacuitate,qui cauſentur tentationes.85.1 *c*.

Remedium contra eas.87.2 *b*. Similes tentationes unde valeant cognoſci.88.1 *a*.

Certitudo.

Certitudo practica ſtat cum incertitudine ſpeculativa.198. 1.*b*.*& ſeq.*Certitudo practica quæ reſpiciat.2.*b*.

Certus.

Qui intelligendum certa ut certa ſunt confitenda.193. 2 *b*.

Ceſſatio.

Ceſſatio Legis qui differat ab ejus diſpenſatione.261.1.*a*.

Charitas.

Charitas eſt finis omnis Legis.207.2.*a*.

Charitas quid,335.2.*a* *& ſeq* Ejus objectum qui ſit Deus, & proximus 2.*b*.*c*.

Charitatis præceptum duplex 336.1.*b*.*& ſeq.* Cur non detur tertium præceptum de dilectione ſui 2 *c*.

In præceptis affirmativis charitatis quæ negativa includantur 337.1.*a*.

In Charitatis præceptis tria attendenda.207.2 *b*.

Subſtantia præcepti Charitatis Dei in quo conſiſtat.337.1.*b* *& ſeq.*

Charitas ſeu dilectio Dei quibus modis poſſit totum cor poſſidere.337.1.*b*.Ad quem modum illius obligemur. 1. *c*. *& ſeqq.*

Quadruplex dilectio Dei ſuper omnia.338 2.*b*.

Quibus temporibus teneatur quis actum dilectionis Dei elicere ſub peccato mort.338.1.*c*.*& ſeq.*

Charitatis Dei præcepto affirmativo quæ peccata opponantur.339.1.*a* *& ſeq.*

Charitatis præcepto an teneatur quis avertere malum à quolibet tertio.363.2.*c*.Inter eos charitatis ordo quis ſervandus 364.1.*a*.

Charitas velata pernicioſa, quæ quædam peccata cooperiuntur.365.1.*b*.

Charitas Dei & ſui præferenda charitati proximi. 367. 2.*b*.

Charitatis ordo.207 2.*b*.

Charitatis ordo reſpectu boni communis & privati.368. 2. *a*.*& ſeqq*

Ad charitatis ordinem an quis teneatur in iis quæ libertati & voluntati ſuæ relicta ſunt 368.2.*c*.

Charitati qui debeat conformari opinio,ut ſit verè probabilis.207.2.*c*.208.2.*a*

Chiromantia.

Chiromantia quale peccatum 448 2.*a*.

Chorus.

In Choro triplex aſſiſtentia ſive præſentia 389.1 *b*. Ex aliis qui ſatisfaciant obligati *ibid*.1. *b c*. Vide *Canonicus. Cantus. Hora Canonica.*

Chriſtianus.

Chriſtianorum ſervitus eſt quædam libertas. 255.2.*b*. Vide *Catholicus.*

Chriſtus.

Chriſtus,qua homo,qualiter miſſus à Patre.1.1.*c*.A Chriſto per poteſtatem excellentiæ quæ leges proceſſerint 252 1.*a*. Chriſti poteſtas in condendis legibus fuit illimitata.252 2 *b*.

Chriſtus eſt primum fundamentum Eccleſiæ.266 2.*b*. Totius vitæ Chriſti compendium eſt Sacrificium Miſſæ 439.1.*c*.

Cibus.

Ex ciborum abundantia qui cauſentur tentationes. 85 1.*c*. Remedium contra eas 88 1.*b*.Vide *Jejunium.*

Cingulum.

Cinguli præcinctio quid ſignificet 439.2.*b*.

Circumciſio.

Circumciſio quale remedium fuerit in vet.lege ad remiſſionem peccatorum 6 2. *c*. Ad eam an obligarentur adulti contriti 7.2.*a*.

Circumſtantia.

Circumſtantia in actibus moralibus quid?92 1.*b*. Circumſtantiæ ſpeciem mutantes quæ?92.1.*c*. Quæ aggravantes & minuentes 93.1.*a* Quæ meræ,& mixtæ.*ibid* *b*.*c*.

Circumſtantiæ ſpeciem mutantes neceſſariò ſunt confitendæ 93 2 *a b* 136.1.*b*.Non ſic meræ,aggravantes,vel minuentes.1.*b*.*c*. Mixtæ quando ſint confitendæ.94 1.*b*.*& ſeq.*

Ratione alicujus circumſtantiæ res interdum in ſe exigua, exiſtimanda gravis,271.1.*b*.

Cir-

Clamor.

Clamor proveniens ex ira,quid.524 1.a

Clavis.

Claves in Scriptura ſunt ſigna poteſtatis.1.a.c.

Clericus.

Clericis olim non permittebantur pœnitentiæ publicæ.10. 2.a. In Clerici percuſſione qui attendenda gravitas & levitas in ordine ad abſolutionem.95 1.b.

Clericus an interdum militare poſſit 532 1.b.

Cœna Bulla.

Cœnæ Bulla an in Belgio ſit debitè publicata & recepta.29. 2.c.

Cogitatio.

Cogitatio venerea quando ſit peccatum mort.551.2.b. Vide *Delectatio moroſa.*

Cognitio.

Cognitio in ordine ad peccatum triplex.68 2.b.

Collatiuncula veſpertina.

Collatiuncula veſperi in diebus jejunii antiquitùs non ſumebatur.597.1 a. Modò eſt licita,& undè.1.b.c. Quos cibos liceat in ea ſumere.597.1 c.2.a. Quæ quantitas poſſit ſumi.2.b.

Collatiunculæ veſpertinæ regula 597 2.c.

An interdum poſſit mane ſumi.598.1.a.

Colloquium.

Colloquium obſcœnum ex duobus capitibus ſit peccatum mortale.551,2.b.

Commenſalis.

Commenſalis intra Monaſterium degens, quem Ordinarium habeat.17.2.a.

Commodatum.

Commodatum quid.573 1.a Quæ injuſtitiæ in eo contingant.573.1 b c.

Comparitio.

Comparitionis onus coram Superiore,in habente caſus reſervatos,quod,qui obliget,&c.31.1.b *& ſeqq.* Vide *Reſervatio. Reſervatus Caſus.*

Concilium.

Conciliorum generalium poteſtas ad Monarchicum regimen reducitur 252.1.b Leges in eo conditæ non obligant niſi approbatæ à Papa.*ibid.*1 c.

Concupiſcentia.

Concupiſcentiæ quatuor acceptiones 589 1.b.*& ſeq.*

Concupiſcentia ſumpta pro vitio naturæ ex peccato originali contracto,cur vocetur in Scriptura peccatum 589.1.c.

De non concupiſcendo cur ſingulare præceptum datum. 590 1.b.c.

Concupiſcentiæ peccata quæ.590.2.a.b.

An liceat concupiſcere alienam ſub conditione futuri Matrimonii ſi maritus moreretur,&c.590.2.c *& ſeqq.*

Concupiſcentiam alienæ uxoris quæ crimina conſequantur.591.1.c *& ſeqq.*

Conditio.

Conditio honeſta appoſita an ſemper juſtificet actum 80.1. c.*& ſeqq.*

Confeſſarius.

Confeſſarius , an debeat habere intrinſecam bonitatem ad validè abſolvendum.38.2.b. Quam extrinſecam 2.c.

Qui requiratur in eo ſtatus gratiæ ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ 8.1.b 39 1.a. Actu exiſtens in mortali peccat mort.dum abſolvit 39 1.b.c. An talis teneatur ſemper præmittere confeſſionem , vel elicere perfectam Contritionem.2.a.*& ſeqq* Ad quid teneatur.2.c.40.1.a.*& ſeqq.* Audiens in mortali actu,plurium Confeſſiones quoties peccet.99 2.a. *& ſeq.*100.1.a. Confeſſarius quibus caſibus poſſit uti juriſdictione tantùm probabili.22.1 b.

Confeſſarius in ſua adminiſtratione quæ munia debeat obire,3.2.c 40 2 c.41.1 a.

Qua Judex,quæ teneatur ſcire 41.1.a.*& ſeqq.* Confeſſario proprio exſtente notoriè imperito, &c. quo jure poſſit eligi alius.19 2.a. Talis quis cenſendus.2.b. Abſolutio ab ignaro data an valeat 41.2.c. Talis qui peccet audiendo confeſſiones 42.1.c 2.a. Quibus caſibus poſſit talis confeſſiones audire. 42. 2 b.c Scientia Confeſſarii an ſpectet ad eſſentiam Sacramenti. 43.1 a An talis teneatur Prælato præcipiente, ut confeſſiones audiat,obedire.43 1 c 2 a *& ſeqq.* An & qualiter poſſit pœnitens ignorantiam talis ſupplere 43 1.b.2.c.44 1 a.b. Ignarus an toties peccet quoties confeſſiones audit 45.2 b An major ſcientia requiratur in Confeſſario expoſito in civitate , &c. quam in deputato pro Ruſticis vel Monialibus.400.1 c.*& ſeq* Super quæ peccata,& qui teneatur reflectere 45 1.c. *& ſeqq.* Dum abſolvit an debeat ſingulorum meminiſſe.2.a. Et ſuper iis determinatum judicium ferre.2.b.c. Ignaro confeſſus ad quid teneatur 46.1.a.*& ſeqq.*

Scientia Confeſſarii,ut medicus eſt,quæ debeat eſſe.46.1. c.2.a Ut Doctor eſt.quæ.40.2.b.

Scientia confeſſarii,ut Paſtoris,quæ.46.2.c. Ut talis, quas conditiones debeat habere,*ibid.*

Confeſſarii ut Judicis actus primarii,& ſecundarii,qui. 56. 2.b An & in quibus debeat pœnitentes examinare 2.c 57.1.a. *& ſeqq* Indiſcreta examina,quæ 1 b.*& ſeqq.* An poſſit examinare ſi prævideat indè grave peccatum oriturum 2 a. Ad eum qui ſpectet examen pœnitentis.2. b. Ob defectum examinis an poſſit pœnitentem remittere.2 c. An ſemper teneatur examinare pœnitentem 58 1.b. Quantum,& quale debeat eſſe examen.58 1.c 2. a. An ſola peccata & eorum circumſtantiæ ſint examinanda 2 b. Quando peccent mort.non examinando.58 2.c Quando venialiter.59.1 a. Quæ excuſent ab integritate examinis,1.a.

Inſtruere pœnitentem quando teneatur.59.1.b *& ſeqq.* 60. 1 a.b. Pœnitenti interroganti de aliquo peccato an teneatur ſemper reſpondere.1.c.*& ſeqq.* De quibus teneatur pœnitentem inſtruere 61.1 a. Modus inſtruendi imperitos.1.b. Errores Confeſſarii in nimia inſtructione 2 a.

Confeſſarius ad quæ teneatur ut Medicus & Paſtor 61. 2 c. Qui debeat noſſe diſtinguere in tentatis & afflictis operationem æſtimativæ à judicio rationis.71.2.b. *& ſeq.* Item inter motus potentiarum.76 1.b. Imprudentia Confeſſariorum in horum inveſtigatione.2.a b. Qui ſe gerere debeat cum quibuſdam afflictis animabus.78 1.b.81.1 c.84.1.b Et cum ſcrupuloſis 216 1 b *& ſeq.*

Qui poſſit eiſmet interdum diſpenſare in nonnullis præceptis Eccleſiæ & Regulæ 217.1 b.

Qui debeat invigilare ſuper tentationes , afflictiones &c. Pœnitentium 330.2.c Item diſtinguere inter tentationes Dæmonis,tædia vitæ &c.333 1.c. Exiſtente dubio undè valeat diſtinguere inter voluntarium & involuntarium &c.82.2. a. *& ſeqq.* Et cognoſcere an cogitationes pravæ ſint immiſſæ à Dæmone. 87. 1. b. An proveniant ex vacuitate cerebri vel inedia. 88.1 a Aliquorum Confeſſariorum imprudentia in inculcanda minutiſſima integritate Confeſſionis. 103. 2. b. Quid ei agendum cum timoratis & ſcrupuloſis, qui nunquam videntur ſibi ſatis dolere.111.1 c.2.a. Cautelæ pro excitando dolore comparativè ſummo.112 2.b.c Conſulitur ut ante abſolutionem exigat à pœnitente proteſtationem doloris de omnibus confeſſis,&c.116 2.b. Non poteſt cogere nec admittere pœnitentes ad promittendum quod non relabentur. 119 1.a. Quid agendum cum pœnitente timente relabi 1.a. Undè valeat colligere firmum propoſitum.120. 1.a.b Qui poſſit ſeu debeat ſe gerere circa mutum.124 1.a *& ſeq.* Circa ignoti idiomatis.125.2 b.c. Circa ſubitò obmuteſcentem. 127 2 b.*& ſeq* 209.2 b.210 1.a.2 b. Doctrina ſingularis pro Confeſſariis Ruſticorum, & aliorum qui parvam curam ſuæ ſalutis geſſerunt 531.2.b.*& ſeq.*

Confeſſarius an poſſit uti ſcientia accepta ex confeſſione, de licentia pœnitentis,extra eam.140 2 b.c. Extorquere ſimilem licentiam quale peccatum.142.1.a.*& ſeq.* Graviſſimi abuſus indè *ibid.*

Confeſſarius quando poſſit imponere pœnitenti manifeſtationem complicis 142 1,c *& ſeq* Illam manifeſtationem bendam non debet in ſe ſuſcipere 143.1.c.

Confeſſarius & alii qui teneantur ad ſigillum.143.2.a 140, 1.b.*& ſeq.* Non poteſt ex ſcientia habita ex confeſſione Sacramentali eos, quos ducit ad mortem , proclamare innocentes. 529.1 b.

Confeſſarii inſtructio conſolatoria pro imponendis pœnitentiis moderno tempore.147 1.a.b. Quando non cenſeatur connivere peccatis.1 c. Attendenda ab eo perſonæ conſtitutio & animi diſpoſitio.2 a c. Non debet inquietari ex gravitate peccatorum.2.c. Præclara S.Chryſoſtomi ſententia circa hoc ib 2 c.148.1.a. Debet eſſe realis in imponendâ reſtitutione 148, 1.b. In modis pœnitentiarum debet eſſe induſtrius.1.c 2.a Qui ſe gerere debeat cum iis qui ſæpiùs,& tantùm venialia confitentur 2.a. Qui peccet nullâ pœnitentiam imponens. 149. 1.b.

Pœnitentiam à ſe vel ab alio Confeſſario impoſitam an poſſit commutare.249.1.c. An id poſſit extra Sacramentum.2.c. 228.2 b. An ad hoc debeat ſedere in confeſſionali 2.c 229 1,a. *& ſeq* Obligationes ex natura peccatis adjunctas non poteſt immutare,nec in iis diſpenſare. 230.1.a b.

Quas pœnitentias poſſit imponere.230.1.c.*& ſeq* An interdum jejunia ante 21.ætatis annum.598 2.b.

Confeſſarius ad quid debeat advertere,ut judicet in pœnitente ignorantiam culpabilem vel inculpabilem.163 1 c. 170. 2.b.*& ſeq.* Quorum præceptorum ignorantiam teneatur tollere.163 2.a.*& ſeq.*

Conſeſſarii judicio qui obvietur conſcientia erroneæ. 176 1. c. Illud ſequendum contra dictamen conſcientiæ. 177 1. a & ſeqq Maximè ſi Confeſſarius ſit probatæ vitæ. Doctrinæ, &c. 2 b. Cum laborantibus tali conſcientia qui ſe gerere debeat circa actus præteritos. 178. 2 b. & ſeq. Et quoad illorum actuum continuationem, dum timeretur majus malum &c. 179 1. a. & ſeqq. Qui quoad actus futuros. 180. 1. a. & ſeqq. Et quoad actus ſalutem neceſſarios. 181 1. a. Laborantes tali conſcientia, quando teneatur informare. 1. b & ſeqq. Aliquorum Confeſſariorum imprudentia circa hoc, prætextu favendi pietati 1. c 2 a, b.

Confeſſarius quid debeat agere cum habentibus conſcientiam dubiam, 188. 2. b. & ſeqq. 195. 1. a. An ſemper magis rigoroſa opinio conſulenda. 2. c. 1. a Inter diverſas probabiles quæ conſulenda. 1. c. & ſeqq. Tenetur ſe conformare opinioni pœnitentis, ſi probabilis ſit, 212. 1. b.

Confeſſarius abſolvere à peccatis ſibi cognitis non poteſt, niſi à confitente manifeſtentur. 250 1. a Negare abſolutionem quibus caſibus poſſit 226. 2. b. An ob dubiam indiſpoſitionem pœnitentis 2 c An ob externam notitiam. 2. c. 227. 1. a. Ob quam indiſpoſitioni Pœnitentis teneatur eam negare. 227. 1. a. b.

Confeſſarij praxis circa pœnitentes ignaros, vel defectuoſos circa credenda ſcitu neceſſaria. 296. 2. a. & ſeqq.

Confeſſario non approbato an poſſit pœnitens in extremis confiteri, ſi adſit approbatus. 208. 2 c.

Confeſſarius exercens levitates ex potu &c. circa pœnitentes, declinandus 50. 1 b.

Si ex confeſſione fienda proprio Confeſſario, immineat grave periculum ruinæ ipſi pœnitenti vel Confeſſario an poſſit eligi alius. 19. 2 c. Quando cenſeatur ſubeſſe tale periculū 20. 1. b

Confeſſarius an poſſit excipere confeſſionem illius cum qua peccavit 20. 1. a. Cognoſcens carnaliter Filiam ſuam ſpiritualem qui peccet. 547 1 c. Quid ſi utatur occaſione confeſſionis ad hoc 2 b Graviſſimæ pœnæ conſtitutæ contra talem. b. c.

Confeſſarius ob graves motus ſenſualitatis audiendo confeſſiones, an teneatur abſtinere ab auditione. 73. 2 b. 74. 1. c.

Admonitio pro Confeſſarijs adulterorum 541 2. c.

Confeſſarium quo jure ſibi eligant Epiſcopi, & alij Prælati minores exempti. 19. 1. b. c.

Confeſſarius apud Regulares deputatus ad abſolvendum à reſervatis, quam Juriſdictionem habeat. 13. 2. b.

Confeſſarij Monialium Juriſdictio, quæ. 14. 1. a.

Confeſſarius tranſiens per aliquod Monaſterium Monialium, an interdum poſſit aliquam abſolvere. 20. 2. a. b. Confeſſarij Ordinum Mendicantium, in quibus votis & qua auctoritate diſpenſare poſſint. 486. 2. c. 487. 1. a. Vide *Abſolutio. Approbatio. Reſervatus Caſus.*

Confeſſio

Confeſſio Sacrament. Quid 120. 2. a & ſeq. Ejus materia neceſſaria quæ 100. 2. b. Sufficiens libera, ac utilis, quæ. 2. b. c. Finis inſtitutionis illius à Chriſto, quis. 142. 1. b. Confeſſionis neceſſitas. 121 1. b. Ab initio novæ legis fuit demandata & uſurpata. 1. c. & ſeqq. 122. 1. c. & ſeqq. Ad eam quæ ſigna externa ſint ſufficientia. 2 c. & ſeqq.

Confeſſio oris qui obliget 123 1. b. Ab eâ quid excuſet. 1 c. Quibus nutibus tunc utendum. 2 a. An exhibenda ſcripto. 2. a. 125 1. c. Scripto confitens debet eſſe præſens 2. b c.

Ad confeſſionem an mutus teneatur. 124 1. a. & ſeqq. Et qui eſt ignari idiomatis 125. 2 b. c. An poſſit aut teneatur tunc per interpretem confiteri. 126. 1. a. & ſeqq.

Confeſſio Sacrament qui debeat eſſe ſecreta. 8. 2 a. & ſeqq. Publica eſt illicita 9 1. c. An licita in neceſſitate, 2 a Qui fuerit interdum in Eccleſia uſurpata. 8. 2. a. 9. 2 b. & ſeqq.

Confeſſionis perfectæ qualitates, quæ. 130. 2. b. & ſeqq. Quis dolor ad eam requiratur. 103. 1. c. & ſeqq Ejus defectu quando repetenda. 116 2. b. Doloroſa quæ dicatur. 130. 2. b. c. Sub doloroſa quæ conditiones comprehendantur. *ibid.*

Confeſſio vera non fit niſi accuſante conſcientiâ 6. 1 a. Quæ dicatur vera 131. 1. a Quot modis committatur falſitas in eâ. 2. b. In materiâ gravi eſt peccatum mort. & confeſſio invalida. 131. 1. c. Gravitas mendacij pernicioſi in ea. 2. a. b. Confitens peccatum mort. quod non fecit qui peccet. 2. c. Et negans peccatum commiſſum 132. 1 a. b. Quid de confitente dubia ut certa, & è contra. 1. c. Confitens plura mortalia, quam fecit, qui peccet. 133. 1. a. b. Quid de particulis *plus vel minus* & qualiter ijs utendum. 133 1 c. & ſeqq. Falſitas & mendacium in materia levi eſt tantum veniale. 132 2 b.

Confeſſio integra, quæ 131 1. a. Ejus integritas quotuplex. 133 2 c 134 1. a Mortalia omnia debent in ea neceſſario exprimi etiam à confitente reſervata ſuo Superiori. 35. c. a. & ſeqq. 100. 2. b. Quæ ſpecies peccatorum in ea explicandæ. 134. 1. a. Quis numerus. 2. c & ſeqq. Quid ſi confitens non poſſit exprimere numerum. 135. 2. a & ſeqq Quæ circumſtantiæ ſint exprimendæ. 93. 2. a. & ſeqq 136. 1. b. Quæ peccata dubia. 2. c. & ſeqq. 193. 2. b. & ſeqq. An & qualiter debeat exprimi intentio operantis. 91. 2. c 92. 1. a. b An ſufficiat exprimere principalem actum omiſſis antecedentibus & ſubſequentibus actibus. 98. 1. a. b. An in ea explicanda peccata quorum notitiam antea Confeſſarius habuit. 126. 2 b. & ſeqq. peccata ex adulterio provenientia, quæ in ea explicanda. 540. 2. c. 541. 1. a. Qui gradus inceſtus. 545. 2. b. Quid ſi Confeſſarius ex illa ſpecificatione deveniret in notitiam Complicis. 546. 1. b Præceptum de integritate qui ceſſet in neceſſitate. 43. 1. a. Cauſæ excuſantes ab integritate materiali. 138. 2. b. & ſeqq. Minutula integritas Confeſſionis ſæpe pericu-loſa. 103 2 b.

Ad confeſſionem quale propoſitum non peccandi de cætero requiratur. 117 1. a. & ſeqq.

Confeſſio quo jure & quando obliget. 101. 1. a. & ſeqq Invalidâ an impleatur præceptum Eccleſiæ. 2. b. Taliter confeſſus ad quid teneatur. 2 c. 102. 1. a. Qui toto anno confeſſus non fuit, ad quid teneatur ſequenti anno. 1. c. & ſeqq. Præcepto annuæ confeſſionis quæ peccata teneatur quis confiteri. 2. b. c. Finis anni an interdum præveniendus 103 1. a. b.

Confeſſio quando iteranda ob aliquem defectum. 139. 2. b. & ſeqq. Quid ſi defectus fuerit ex parte Confeſſarij. 2. c. Facta ignaro Confeſſario an repetenda 46. 1. a. & ſeqq.

Confeſſio qui poſſit imponi pro pœnitentia Sacrament. 230, 1. c. 2. a.

Scientia ex confeſſione Sacrament. an poſſit conferre ad liberationem innocentis à morte. 529. 1. b.

Omnia quæ occaſione Confeſſionis ad inhoneſtatem pelliciunt ſunt ſacrilegia. 547 2. c.

Confeſſio an Laico interdum fieri poſſit. 11 2. b. c.

An Diacono 12. 1. b.

Confeſſio externa apud Judæos antiquitus uſurpata. 120. 2. c. 121 1. a. Vide *Reſervatus Caſus.*

Conjux.

Conjugum obligationes ad invicem. 511. 1. a. Eorum peccata contra dilectionem mutuam. 1. b. Contra Societatem conjugalem. 1. c. In negatione debiti conjugalis. 1. c. Cauſæ illud negandi. 2. a. Nullâ etiam dote allatâ, qui teneantur ſibi invicem providere de vitæ neceſſariis. 2. b. Contra honorem, & fidem mutuam inter ſe qui peccent. a. c.

Conjuges qualiter peccent limites honeſtatis in concubitu excedentes. Doctrina S. Bonaventuræ circa hoc 541 2. c. & ſeqq Qui peccent ante, & poſt conceptum prolium, defectu conſervationis earum &c 509. 1. c. 2. a.

Mutua vota quæ poſſint irritare. 476. 2. c. An etiam vota continentiæ mutuo conſenſu emiſſa 477 1. a.

B. Conradus

B. Conradus imponens ignem in vepreto an peccaverit. 64. 2. a.

Conſanguineus.

Conſanguineorum obligatio ad invicem, 510. 2. c.

Conſanguinitas.

Conſanguinitatis gradus qui, & quo Iure prohibiti. 545. 2. b. c. Qui gradus in confeſſione exprimendi. *ibid.*

Conſcientia.

Conſcientiæ varia nomina & uſurpationes. 151. 1 b. & ſeqq. Qui differat à ſynderesi. 152. 1. a. & ſeqq. A lumine rationis. 253. 1. a. & ſeqq. Eâ accuſante non ſemper quis confitetur peccatum. 6 1. a. Qui vocetur actor in Tribunali Sacrament. 6. 1. a. c. Ejus actiones quæ. 4. 2. b. Ejus actus reſpectu boni præteriti, præſentis, & futuri. 155. 2 b & ſeqq. 156. 1. a. Item reſpectu triplicis mali, 156. 1. b. & ſeqq. Qui ejus actus contra reum in hoc Tribunali. 156 2. c 157. 1 a Item pro reo. 1. b. Ad ejus actum formandum quæ concurrant. 153. 1 c. Ejus Judicium apertum qui æquivaleat Iudicio deliberativo rationis. 71. 1. b. 72. 1. b. Ejus remorſus &c. Non eſt ſignum involuntarij. 83. 2. b. 84. 2. a. b. In eâ qui poſſit eſſe error, dubitatio, &c. 152. 2 b. c. Ejus rectitudo vel error. &c. unde dependeat. 153. 2. b.

Conſcientia ſtrictè accepta quid 153. 2. c. & ſeqq. Unde vocetur *Pædagogus, Corrector, incorruptus Iudex.* 154. 1. a. 156. 2. b. Cur ab Apoſtolo vocetur nomine fidei. 154 2. a 172. 2. b. c. Qui ſint intelligendi varij loquandi modi S. Scripturæ, & SS. Patrum de eâ. 2. b.

Conſcientia quotuplex 154 2. b. & ſeqq. Quid de diviſione Conſcientiæ in bonam & malam. 151. 1. b. Alia accuſans, alia defendens. 159. 1. b.

Conſcientia recta quæ & quotuplex. 154. 2. c, 157. 2. a. b. Tres gradus infallibilitatis illius. 2. c, 158, 1. a. b.

Ex lege divina naturali procedens, nunquam poteſt univerſaliter in homine obliterari, vel extingui, 158 1.c. & ſeqq. Formata ex ejus principijs deductis in aliquibus extinguitur a. c. Non datur exceptio contra conſcientiam rectam accuſantem in ſe. 159. 1 c. Datur per accidens contra ejus principia. 1.c 2.a. An detur excuſatio legitima in conſcientia contra principia legis naturæ, & legis poſitivæ Divinæ, 159 2.b. & ſeqq. Conſcientiæ rectæ Judicium practicum qui juſt ficet hominem, ejuſque operationem 170.1 b. & ſeqq. Ex quibus principijs debeat talis operatio procedere. ib 2.a.

Conſcientia erronea, quæ, & ea qui laborent, 154 2.c. 171. 2. a & ſeqq. Quotuplex. 172.2.b. & ſeqq Sex ejus cauſæ. 175.2. a. & ſeqq. Qui obliget 172.2.b. & ſeqq. An tantum dicatur ligare 173 1.c. 2.a. Qui faciat ex veniali mortale: 64. 2.a. Contra eam actu dictantem agere eſt ſemper peccatum. 173. 2. b. & ſeqq. Eam qui dicatur error ſeu malum obligare. 173. 1.a. 2 c.

Conſcientia erronea dictans tantum malum in genere, ſub quâ culpâ obliget. 174.1. & ſeqq.

Ex ejus perplexitate nemo neceſſitatur ad culpam. 175 1. b. c. Eâ laborantes qui teneantur deponere. 176. 2. a. Contra ejus dictamen quorum judicium ſequendum. 176, 1.b. 177 1 a. & ſeqq. In eâ laborante ex quibus naſcatur ſuſpicio erroris. 177. 2.c. & ſeq. Errore in intellectu manente, tenetur interdum contrarium agere, 178.1.b.

Actus malus ex conſcientia erronea bonus an poſſit eſſe meritorius. 176.2 c.

Conſcientiæ erroneæ varij reſpectus. 178.1.c. Ejus varij errores & objecta. 2 a. Modi eam deponendi. 176. 1.b. & ſeqq.

Conſcientia dubia quæ 155. 1.a. & ſeqq Quotuplex 185.1.a. b. Cum quâ conſcientiâ dubiâ non liceat operari 2.c. & ſeqq. Quantitas & qualitas peccati conſcientiæ dubiæ undè judicanda. 185, 1.a. b. Eâ laborans quâ ſe gerere debeat ut non peccet. 1.c. & ſeqq.

Conſcientiæ verè dubiæ duo ſigna 588, 2.a. & ſeqq.

Conſcientia ſcrupuloſa, quæ 155.1.a Ejus origo. 214. 2. c. Eâ ſtante an peccetur agendo contra ſcrupulum. 215.2.a. Quâ tranſeat in erroneam. 2.b. Vide Scrupulus.

Conſcientia fatua & hypocondriaca, quæ. 155.1. b. 219. 1. b. An mereatur nomen conſcientiæ. ibid. Exemplum notabile de quodam eâ laborante. 1 c. 2.a.b Conſcientia opinioſa, quæ, 155.1 a. 196. 1.b. Vide Opinio.

Conſenſus.

Conſenſus voluntatis quotuplex. 73.1.a. Conſenſus in delectationem illicitam, quis mortalis. 80.1.b.

Signa & regulæ ad judicandum Conſenſum voluntarium & involuntarium. 82. 2.a. & ſeqq 84.2.a.b.

Conſtantinus imperator.

Arij libros ubicumque repertos ſub pœnâ mortis comburi præcepit 316 2.b.

Conſuetudo.

Conſuetudo quid. 281.1.b.

Conſuetudinis approbatæ conditiones. 281.2.c. & ſeqq Eâ quid cenſeatur fieri. 16. 2. a. 20.1.c.

Contra legem Divinam naturalem nulla conſuetudo datur. 391.2 c.

Conſuetudo contra legem Divinam habenda pro corruptela 282.2.a.

Conſuetudo ut præſcribat contra legem Eccleſiaſticam, tria requiruntur. 391.2.c.

Quæ conſuetudo pro lege ſervari poſſit 281.2.a.b.

Ut conſuetudo legem interpretetur, quæ requirantur, 282. 2.c. 283 1.a.

Conſuetudo inveterata in vitijs eſt cauſa multarum tentationum &c 85 2.c. Remedium contra eam 88.2.c. Fit interdum cauſa conſcientiæ erroneæ 175.2.b.

Conſuetudo legendi Horas canonicas in Religionibus quâ obliget. Vide Horæ canonicæ.

Contemplatio.

Contemplatio philoſophorum quî diſtinguatur à contemplatione Sanctorum. 374.2 a.

Contemptus.

Contemptus triplex acceptio. 229 2.b. Formaliter conſiſtit in voluntate. 2.c.

Quid ſit ex contemptu tranſgredi aliquam legem, vel præceptum. 275.1.a.

Aliud eſt aliquid tranſgredi ex malitia, &c. aliud, ex contemptu. 279.2.c. Item, tranſgredi ex contemptu, & cum contemptu. 280.1.a.

Ex contemptu quis propriè peccare dicatur. 280 1. b.

Quale ſit peccatum 280 1.c. & ſeqq.

Contractus.

Contractuum leges obligant in conſcientia 277.2.b.

Contritio.

Contritioni qualiter in ſcriptura promittatur remiſſio peccati 6.2.b. & ſeqq.

Ad eam qui obligetur exiſtens in periculo mortis ſi ſit in mort. & non poſſit confiteri. 40 1.b.

Vera contritio non ſit per noſtram æſtimationem. 40 2 c.

Contritionis neceſſitas, & importantia. 103.1. c. & ſeqq. Eam qui conetur Dæmon impedire. 2 a. & ſeqq.

Contritio in ordine ad Sacram. Pœnitentiæ, quid, 104.1.b. & ſeq Ad eâ quæ conditiones requirantur. 2. c. 105.1 a. & ſeq.

Contritio alia perfecta, alia imperfecta 105. 2. a. Perfecta, quæ 2.b. c. Qui reſpiciat Deum offenſum 109.1.b

Contritionis perfectæ vera diſtinctio ab attritione. 109.2.c. & ſeqq.

In ea dolor debet eſſe cum advertentia, ſed non per ſenſibiles actus manifeſtari. 110.2. c. An ad eam ſufficiat dolere ſe non dolere. 111.1.a. & ſeqq. Non requiritur intenſio, vehamentia, aut duratio doloris. 2.b.c.

Ad contritionem quæ appretiatio requiratur. 112.1.b. In ea qualiter dolor debeat eſſe comparative ſummus 1.c. & ſeqq.

Cautelæ pro confeſſariis & pœnitentibus in illa comparatione facienda 2.a. & ſeqq. An debeat dolor exercari ſuper ſingula peccata in individuo. 113 1.b. & ſeqq.

Modus contritionis generalis 114.2 a.b.

Contritio vel attritio quî debeat præcedere confeſſionem. 114.2.c. Quibus modis retrotrahatur ad confeſſionem priùs factam. 115.1.b.c. Sufficit ut virtualiter duret tempore confeſſionem priùs factam 115.1.b.c. Sufficit ut virtualiter duret tempore confeſſionis & abſolutionis a b. Quanto tempore poſſit excitari ante actualem confeſſionem. 115.2.c & ſeqq. Securius eam reexcitare. 116.2.a.

Ad contritionem quale propoſitum non peccandi de cætero requiratur. 117.2.a. & ſeqq Sufficit virtuale. 119.2.c.

Controverſia.

Controverſiarum lectio vulgari linguâ quî, & cur Laicis prohibita 318.1.a. 2.a. An cum tanto rigore in Belgio 319.1.b.

Controverſiarum lectio que præcipuè cavenda idiotis 319. 2.c.

Contumelia.

Contumelia quale peccatum 588 2.a.

Converſio.

Converſio ad Deum duplex, 110. 1. c. Converſio ad Creaturam. Vide Creatura.

Convitium.

Convitium quale peccatum 588 2.a.

Copula.

Copula carnalis Confeſſarij cum filia ſua ſpirituali, quale peccatum. 547.1.b. & ſeqq. Copula conjugalis. Vide Conjux: Matrimonialis copula.

Cor.

Cor eſt omnium motuum corporalium principium. 337.2.a. Per illud intelligitur voluntas, ibid.

Ex toto corde quî dicatur Deus diligi. 337.1.b. & ſeqq.

Corporale

Corporale quale debeat eſſe ad conſecrandū in eo. 436. 2.b.

Corpus.

Corporis nimia curâ quî interdum peccent juvenculæ. 343 1.a. & ſeqq. Vide amor.

Correctio Fraterna

Correctio fraterna quid ſit, & ad quid ordinata. 361.1.a. & ſeqq. Datur de ea ſingulare præceptum. 361. 2. b. Obligat ſub mort in materia gravi. 2.c. Quas perſonas obliget, 2.c. 362.1.a. Quando & quibus conditionibus obliget. 1.b. & ſeqq

Correctionis fraternæ triplex qualitas ſeu conditio. 362 2.c. Poteſt interdum fieri ſignis 363.1.a.

Correctionis Fraternæ modus & ordo. 363. 1. b. & ſeqq. Secreta peccata ſecretò corripienda, publica publicè. 1.c.

Correctionis Fraternæ finis. 363 2.c.

In correctione fraterna variæ exceptiones & declarationes. 363.2.c. & ſeqq.

Creatura.

Creaturæ nomine quid interdum intelligatur. 446.1.b.

Quid ſit ſervire potius creaturæ quàm Creatori. 244.1.b.

In Creatura an poſſit interdum poni ſpes. 334.1.c.

Creatura qui amanda. 357.2.a.

Eam affectu formali vel interpretativo præponens vel adæquans Deo, qui peccet. 341.2.b. & ſeqq.

Affectus ad eam quis cenſendus mort. 342.2.a.

Converſio ad creaturam qui oriatur ex ſtudio boni ſpiritualis. 444.1.b.

Converſio totalis a d illam, quale peccatum 345 1.c Ex ejus nimia æſtimationa triſtitia proveniens condemnatur. 345. 2.c.

Cribrum

Cribri verſio quale peccatum 448 2.a.

Crimen.

Crimen ſub qua obligatione interdum à Principe remittatur, etſi gratioſe 7 1.b.

Non quodlibet crimen poteſt publicâ auctoritate pœnâ mortis puniri. 518. 1.b. Ejus gravitas unde ſumenda, ut poſſit morte puniri, 1.c.

Crux.

Crucis ſigni mira utilitas, ejuſque explicatio. 297 1 b.c.

Cultus.

Cultus Dei verus emanat ex fide, ſpe. & Charitata. 369. 1.a.

Cultus Dei duplex 369. 2.a. Non datur cultus Dei externus tantùm. 2.c. Talis aſt vanus & inutilis 370. 1.a.

Cultus Deo debitus in quibus & qualiter ſit determinatus. 447 1 a.

Cultus dupliciter Deo debetur & exhibetur. 446, 1.c.

Cultus alius implicitur, alius explicitur. 446. 2.a.

Cultus alius latriæ, hyperduliæ, & duliæ, & quibus debeatur. 446. 2.c.

Cultum excellentiæ ſupernaturali debitum tribuens ei in quo non eſt iſta excellentia, quis peccet. 447. 1. c. & talem ſibi arrogans, &c. 2.a.

Cultus falſus quis? 452. 1.b. Eo qui peccant 2.b.

Cultus ſuperfluus quis. 452 a. Eo qui peccetur a.b.

Cultus inordinatus quis 452. 2.c. Eo qui peccetur. 453. 1.a.

Cultu implicito Dæmonis quis peccet. 447. 2.b.c.

Curia.

Curia Eccleſiaſtica undè dicatur ſpiritualis. 4. 2 c.

Curioſitas.

Curioſitas eſt cauſa multarum tentationum. 85 2.b. Remedium contra eam, 88. 1 c. 2.a.

Damnum.

Damnum varum emergans qui æſtimandum 570 2.c.

David.

David mandavit Salomoni juſtam vindictam ſumendam de nonnullis. 318. 2 b.

Ejus recurſus ad Achis Regem Geth explicatur & juſtificatur, 333 2.b.c.

Decalogus.

Decalogus eſt omnium legum velut Epitome. 283. 1.c. 2.c.

Decalogi dignitas. 284, 1.a.

Decalogi convenientia, & præcaptorum ejus ordo. 284 1. b. Excellentia tituli 2.a. & ſeq. Ejus ſufficientia. 285, 1.a. & ſeqq. In eo qui contineantur omnes actus virtutum prout ſub præceptum cadunt, vel cadere poſſunt. 285. 2.c.

Decalogi tota ſubſtantia ante omnem legem ſcriptam, fuit in lega naturæ. 288. 2.b.

Decalogi primi præcepti ſubſtantia, quæ? 286. 2.a. & ſeqq. Ex illo præcepto, ut eſt affirmativum, quæ præcepta emanant. 287. 1 c. 2.a. Ut eſt negativum, quæ? 2.b. Aliqua ſingularia vitia alio ſingulari præcapto non prohibentur, quam hoc primo. 342. c. Præcapti ſecundi Decalogi varia expreſſio in S. Scriptura 454 1.c. & ſeq. Illius præcepti ſubſtantia, in quo ſita. 455. 1 b.

Præcepti tertii ſubſtantia. 498 1.a. & ſeq. Tria in illo præcepto contenta. 489. 2.a. Mandatur illo præcapto aliquis poſitivus cultus Dei. 495 2.a Sanctificationis triplex accaptio in Scriptora 2.b. Primævo præcepto de ſanctificando Sabbatho quid Eccleſia addiderit 496. 1.a.

Præcepto 4 Quid contineatur, 499. 1.c. & ſeq.

Præcapti 5. explicatio per Chriſtum. 514. 1.a. Eo quæ prohibeantur. ibid. 1. b. & ſeq.

Præcepti 6 ſubſtantia, quæ: Et eo quæ prohibeantur. 558. 1. a & ſeq.

Præcepti 7. ſubſtantia: & eo quid prohibeatur. 553 1.c. & ſeq.

Præcepti 8. ſubſtantia, & eo quid prohibeatur. 581. 1. a. & ſeqq.

Præcepti 9. ſubſtantia & prohibitiones 589 1 b. & ſeqq.

Præceptum 10. an diſtinguatur à nono. 592. 1.b.c.

Defectus.

Defectus alterios 7. modis narrantur. 586. 1 b. Quando licitum de air loqui. 1.c. 2 a Quid de loquentibus ex compaſſione 2.b c. & ad capiendum conſilium. 2.c. 587. 1.a. Quid de loquentibus ex garrulitate. 1.b.

Defectum gravam alterius ex odio, rancore, &c. apetiens peccat mort. Vide *Detractio.*

Degradatio.

Dagradationis pœnâ non fertur niſi ob culpam mort. 268, 1.a

Delectatio.

Delectatio alia ſenſitiva, alia ſpiritualis, ſeu intellectualis. 76. 2 c. Alia pure naturalis, alia voluntaria. 77. 1.a.

Delectatio pure naturalis eſt indifferens ad bonitatem vel malitiam. 77. 1.b.

Inter delectationes ſenſitivas & ſpirituales varia diſtinctio. 77. 1 c 2 a.

Delectatio ſpiritualis naturalis quæ 77. 2. b. Quæ intellectualis rationalis ibid Hujus diſtinctionis ponderatio. ibid. 2. c. & ſeq.

Delectatio alia moroſa, alia non moroſa. 78. 1 a. Moroſa ſola moroſitate temporis, & moroſa moroſitate conſenſus, quæ. ibid.

Delectatio alia de ſola cogitatione, alia de actu, &c. 78 a. a.

Delectatio quæ, & quando ſit peccatum. 78. 2. b. & ſeq.

In delectatione cogitata tria objecta poſſunt reperiri 79 1.a b

Delectationis varii gradus 79. 2.a b & ſeqq.

Delectatio præſens de re illicita, an juſtificetur quibuſcumque conditionibus & circumſtantiis honeſtis 80. 2, c. & ſeq.

Delectatio præſens rei ſub futura vel præterita tantùm conditione, qua diſtinguatur à deſiderio rei futuræ ſub licita conditione. 81. 2.b.

Delegatio, Delegare.

Delegatio alia directa alia indirecta 18, 2 c. 19. 1.a.

Delagatio à jure vel privilegio, quid. 19. 1.b. Ad hanc qui ſpectet delectio Confeſſarii à certis perſonis & in certis caſibus. 1 c. 2. a. c.

Delegatio à conſuetudine probata, quæ. 20 1.c.

Delegatio ab homine, quæ. 20. 2.a. An ad hanc ſufficiat interdum præſumptio voluntatis Superioris. 2 a b.

Delegatio per ratihabitionem an ſufficiat ad abſolvendum. 20. 2.c.

Delagare quis poſſit. 18. 1 a & ſeq.

Delegatus.

Delegatus judex quis 17. 2.c. 18 1.a. An interdum poſſit ſubdelegare. 28. 1.b. 2.b.

Dalegatus ad univerſalitatem cauſarum in jura communi, cur cenſeatur poſſe ſubdelegara. 18 1.c. 1.a.

Deliberatio, Actus deliberatus.

Deliberatio plena quibus actibus perficiatur 70. 2.c. An omnes illi actus ſemper formaliter ad eam concurrant. 71. 1.a.

Non omnis dalliberatè agens, agit ea deliberatione. 71. 1.b. Hujuſmodi actus undè dicatur deliberatus. 71. 1. a.

Quis actus cenſeatur ſufficiēter deliberatus ad mort. 71. 2.a

Democratia.

Democraticum regimen quod dicatur. 252 1, a. In hoc qui leges dictent. 1.b.

Dæmon.

Dæmon qui in tentatis turbet æſtimativam. 72 1 a.

Qui cauſet motus tentationum, &c. 84. 2 c & ſeqq.

Qualiter immittat diverſa præſtigia & magicas incantationes 85. 1 a.

Qualiter illa cauſet etiam in piiſſimis animabus. 85. 1 b.

Dæmon eo fortius monet, quo videt nos acrius agere & turbari. 86. 2. b. Duo ejus involucra ad impediendum verum dolorem in confitentibus 103 2.a & ſeq Qui vexet ſcrupuloſos 215. 1.c. Eoſque qui conſtituat in ſummo periculo deceptionis vel fatuitatis ibid 2.a.

Dæmonis cultus implicitus quis. 447 2.b c.

Dæmoniacus.

Dæmoniacus undè in toto corpore patiatur horrendos motus 84, 2.c. 85 1.a.

Depoſitum.

Depoſitum quid 572. 1.a.

Injuſtitiæ in depoſitis, & qualia peccata? 578 1.c. & ſeq.

Quid ſi depoſitum apud Superiorem, vel ſubditum de conſenſu illius, pereat eorum culpa; an Monaſterium illud reſtituere teneatur. 572 2.c.

Deſiderium.

Deſiderii diſtinctio ab actuali delectatione. 81. 2. b. c.

Deſiderium ſimplex qua tale, qui fieri poſſit bonum vel malum 82 1.a.

Deſideria inutilia, & nociva apud Apoſtolum, quæ. 82. 1.b.

Deſperatio.

Deſperatio quid 330. 2.c. Ejus objectum 331. 1.a.

Deſperationis cauſæ 331. 1 b.

Quale ſit peccatum 331 1 c Et interdum eſt juncta Hæreſ. 331. 1.c. 2 a. Item temeritas in materia fidei ibid 2.b.

Deſperatio ſimplex abſque hæreſi eſt peccatum mortale. 331 2 b. Item quæ provenit ex impatientia 2.c.

Deſperatio eſt radix & cauſa multorum peccatorum 332. 1 a

Deſp.

Deſperatio de propria virtute eſt frequenter incentivum melioris vitæ.331.1.b.
Remedium ſingulare contra deſperationem.332.1 a.& ſeq.

Detractio.

Detractio quid.585.1.c Modi directi & indirecti quibus fit. 2. b.
Detractio ex genere ſuo eſt peccatum mortale.585.2.c.
Detractor tenetur ad reſtitutionem famæ.586 1 a.
Quando ſit facienda reſtitutio famæ per detractionem ablatæ.4.requiſitæ ad hoc 587.1.c.1 a.
Modi famam illam reſtituendi.587.2 b.
Detractiones audiens qualiter peccet.587.2 c.
Eas audiens qualiter ſe debeat gerere.588 1.a.b.
Detractio quando, & quomodo ejus gravitas debeat exprimi in confeſſione 94.1.b. Vide *Defectus.*

Devotio.

Devotio quid 402.2.a.
Devotio ſenſibilis qui diſtinguatur à devotione cordis. 401 2.b.
Devotio triplex.402.2.c. Quæ ex illis præcipiatur in lectione horarum canonicarum 403.1.a.Quibus actibus debeat illa conſtare.1.b.

Deus.

Dei judicium circa animas poſt hanc vitam aliud particulare, aliud univerſale 1.1.c Item in hac vita circa eaſdem multiplex *ibid.*
Judicia Dei circa homines in hac vita occulta 8 2.c.
Dei amicitiæ diſſolvitur per peccatum mort.64 2.b.
Dei flagellorum duplex apprehenſio.109.1.a.
Dei offenſa qui reſpiciatur in contritione & attritione. 209 1.b.& ſeqq.
Ex parte Dei non eſt defectus mediorum neceſſariorum ad ſalutem 167.2.b. Qui cenſeatur non deeſſe *facienti quod in ſe eſt* 2 c.
Obdurat & excæcat cor peccatoris 168.2.b.
Cauſa illius obdurationis.2.c.169 2.b.
Modus illud obdurandi.2 c.& ſeqq.
Dei voluntas omnium obligationum principium & origo. 237.2.a.
Creans hominem ad imaginem ſuam, non potuit eum creare niſi capacem æternæ beatitudinis.241.1.b. Nec et alium finem præfigere quàm ſe ipſum.*ibid.*
Deus, Deique gloria ſuit in homine à principio finis omnium donorum naturalium.242 & ſeqq.
Dei potentia & Divinitas qua luceat in ſuis operibus 242 2.b
In Deum qui referendæ noſtræ actiones 244.1.a.
De Deo colendo homini à principio fuit aliquod præceptum impoſitum 244.2 c.245 1.a. Nulla unquam natio ignoravit Deum aliquo cultu colendum.2.b. Vide *Cultus.* A Deo qui cenſeatur proficiſci Regum & Principum poteſtas. 246 b. & ſeqq.
An interdum immutaverit Leges ſuas naturales. 250.1.a. & ſeqq. Induit Leges ſuas ut ſupremus Monarcha.252.1.a Et per poteſtatem illimitatam 2.a. Solius divinæ voluntatis eſt decernere obligationes in ſuis Legibus 258.2.a Abſoluta ſue voluntate poteſt omnem Legis obligationem tollere.261 1.c. In lege quando cenſeatur diſpenſare.261.2 a.
In Deo qui reperiantur *unitas, veritas, bonitas.* 284.2.a.
Dei præcipua attributa ad extra continentur in titulo Decalogi.284.2 b.c.
Quatuor modis habetur in hac vita.286.1.b.Quid ſit, *quærere, attingere, & invenire Deum.ibid* 2.c.
A cognitione Dei unius, Creatoris, Remuneratoris nullus adultus poteſt unquam excuſari.295.1.b.
Deus qui ſit objectum ſpei Theologicæ 318 2.b c.
Qui tentetur per præſumptionem.334 1 b 335.1.b.
Deus qui ſit objectum charitatis 335 2 a.& ſeqq.
Dupliciter Dei amor poſſidet totum cor.337.1.b. & ſeqq. Vide *Charitas.*
Deus an & qui poſſit ab impiis odio haberi 359.1 c.
Deus qui orandus.372 1.a.& ſeq.380. 2.c. Vide *Charitas, Cultus Dei, Oratio.*

Diſcretio.

Diſcretionis annos quando quis cenſeatur attigiſſe.102.2.a

Diffamatio.

Diffamatio quid.585 2.a.Quibus modis contingat.2.b.
Diffamator injuſtus qui tenetur ad reſtitutionem famæ. 586 1 a Vide *Detractio.*

Diſpenſatio.

Diſpenſatio quid, & qui differat à ceſſatione Legis 261.1.a.
In lege Eccleſiaſtica quis poſſit diſpenſare.273.2 b.Vide *Epiſcopus.*

Diſpoſitio.

Ex diſpoſitione naturali, qui cauſentur motus tentationum.85.1.c.

Diſputatio.

Diſputatio cum hæreticis qua & cur Laicis prohibita. 318. 1.a.2.b.c. An cum eodem rigore in Belgio.319.1.c.

Diſtractio.

Diſtractio deſtruit eſſentiam actus Religioſi.408.1.c.
Diſtractionis multiplex diviſio.408.2.a b.
Diſtractio humana quæ 70.1.a.
Diſtractio involuntaria nullum eſt peccatum.480.2.c.
Perfectioni oppoſita eſt tantum ven.peccatum.2.c.409 1 a & ſeqq.
Quæ diſtractio ſit peccatum mort.409.1.c.& ſeqq.
Diſtractionis voluntariæ ſigna 409.2.c.410 1.a.
Diſtractionum variæ cauſæ.410 1.b.a.
Diſtractionibus an teneatur quis poſitivè reſiſtere.410 2.a. Quid agendum circa diſtractiones noſtra culpa provenientes.*ibid* 2 b.Quid in diſtractionibus naturalibus 2.c.Quid cum diſtractionibus à Dæmone immiſſis.411.1. a.Signa harum diſtractionum. 1. b. c. Annotatio & regula pro ſcrupuloſis. 411 2 a
Ob diſtractiones an, & quando repetenda recitatio horarum.411.2.b.& ſeqq.

Diſtributio.

Diſtributiones non poſſunt recipere qui officio materialiter tantùm adſunt.389 2.a.

Divinatio.

Divinatio quid.448.1 b Ejus multiplicitas.2.a.

Doctrina.

Doctrina humana & mundana, fallibilis & animalis eſt. 266.2 c.
Doctrina nulla in fide & moribus recipienda, quæ à Petro ejuſque judicio non approbatur.267.1.a.

Dolor.

Dolor ad Contritionem ſeu Attritionem quis requiretur. 210.2.b.c & ſeqq.Ad Confeſſionem quis.103.1.c.& ſeqq. Ejus defectu quando repetenda Confeſſio 116.2.b. Vide *Attritio, Contritio, Confeſſio.*

Dolus.

Dolo quando quis excuſetur à mort.70.2 a.

Domicilium.

Domicilii ratione qui ſubjiciatur quis ordinariæ alicujus Juriſdictioni.15 1.b.Qualiter qui habet plura fixa Domicilia in diverſis locis. *ibid.* Et qui in uno loco habet verum domicilium in altero quaſi domicilium. *ibid.* 2 c.
Quaſi domicilium habere quid ſit.15.2.a.

Dominica dies.

Dominica dies ſucceſſit in locum Sabbati Apoſtolica traditione 270 2.c. Modus poſitivæ ſanctificationis qui determinatur. *ibid.*
Diei Dominicæ prærogativæ.488 2.c.
In Dominica die opera antiquitus obſervata 489.2.a.b.
In Dominica ſub mort. Miſſa audienda.490 1.a. Non tamen concio, nec veſperæ.1 b, & ſeqq.. Quæ Miſſa audienda, ſolemnis, an privata.491 2.c Quid de Miſſa in privatis Oratoriis 492.1.a & ſeqq An audienda integra Miſſa ab uno Sacerdote.492 2.b & ſeqq An inſervientes Miſſæ ſi ſæpius exeant ad quærenda neceſſaria ſatisfaciant præcepto. 493. 1.b. An tempore Miſſæ liceat Horas obligatorias, &c.legere. 493. 1.b. Conſcientiam examinare.1 c. Confiteri.2.a.b.
Quæ cauſæ ab auditione Miſſæ excuſent.493.2 c.& ſeqq.
Titulo impotentiæ qui excuſentur 493.2.c & ſeqq.
Titulo charitatis qui.494.1.c.2 a.Qui titulo officii.2. b. Item titulo conſuetudinis.2.c. Privilegia vel qualitates quorumdam ſtatuum ad hunc titulum revocantur *ibid.* 2.c.
Quid de eligentibus voluntariè habitare in terris infidelium, &c. in quibus ſciunt ſe non poſſe Miſſam audire. 495. 2.a.b.
Excuſatus ab auditione Miſſæ in Dominica an teneatur ad alium ſpecialem Dei cultum. 495.2.a. & ſeqq. Opinio Scoti circa hoc, in quo fundetur.496 2 c.
In Dominica quæ opera prohibita.497.1.a.& ſeqq.
Quæ ceſſatio ab opere ſervili requiratur ex vi præcepti. 498 1 b
Ob quas cauſas poſſint opera ſervilia in Dominica exerceri 498 1.c & ſeqq.
Dominicæ inſtitutio qui differat ab inſtitutione feſtorum. 498 2.c.
Contra Dominicæ Sanctificationem qui peccetur. 499.1. a. 2. a.

Dominium.

Dominium quid.554.1.*b.* Ejus diverſa ratio.*ibid.*

Dominus.

Domini quæ vota ſervorum poſſint irritare 476.2.*a.*

Dominorum obligatio ad ſervos.512.2.*b.*

Donatio.

Donatio quid.557.1.*c.* Ad ejus valorem quatuor conditiones 2.*a* Harum defectu qui donare non poſſint.2.*b.* & *ſeqq.*

In iis quæ injuſtitiæ committantur,& an recipientes teneantur ad reſtitutionem.558,1.*b.* & *ſeqq.*

Donationes Conjugum inter ſe tempore conjugii , an validæ ſint.519.1.*c* 2 *a.* An prohibitio illarum obliget in Conſcientia per Leges civiles.277.*a.c.*

Dubius, Dubium.

Dubius practicê,qui operetur.82.1.*a.*

Dubium facti,& juris quod. 136. a. *a.* 183. 1.*c.*2.*b.*193.2.*b.*

Dubium facti quotuplex 183 2.*b.*

Quid dubium antecedens, *concomitans*, & *conſequens factum.*136 2.*b.*193 2.*b.*

Quid dubium de re, & dubium de obligatione rem conſitendi 136.2.*b.*

Dubium ſpeculativum quod.181.2.*b* Quod practicum a.*c.*

Dubium de honeſtate actus qui diſtinguatur à dubio de obligatione illius.183.2.*b.c.*

Dubius verè ante factum an ſit mortale,ſi illud faciat , peccat mort.137.1.*a.* Quid ſi dubitet poſt factum. 1.*b.c.*

Operans cum dubio aut formidine practica malitiæ, periculo peccati ſe exponit 170 1.*b.*

Cum quo dubio non liceat operari 183.2.*c* & *ſeqq.*

Qui intelligendum, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.*537 2.*b.c.*184 2.*c.*189.1.*b* & *ſeqq.*194 1 *b* Juxta rationem materiæ, &c. Dubio ſublatæ, judicandum de qualitate, & quantitate peccati 585 1 *a b.*

Qui intelligendum. *In dubiis tutior pars eſt eligenda.*191 2.*a* & *ſeqq.* Dubitans quando cenſeatur contra legem poſſidere. 191 2 *c.* & *ſeqq.* Varia exempla circa hoc ex Canonibus deſumpta.2.*b.* & *ſeqq* Tutior pars quæ cenſenda.193 1.*b.* & *ſeq.*

Qui intelligendum. dubia ut dubia ſunt confitenda.138.2.*a* 193.2 *a.* & *ſeqq.* 195 1 *b.*

Dubium qui diſtinguatur ab opinione.195.2.*b.c.*

Dubium in fide quod; & qui opponatur fidei.294 1.*b.* Vide *in fide dubius.*

Duellum.

Duellum quid.535.1.*a.*

Duelli variæ cauſæ 535 1.*b.* In bellis & controverſiis ſedandis,cur aliquando indictum.1.*c.* Ad judicandum de juſtitia controverſiæ eſt illicitum.1,*c.*2 *a.*

Duellum ob odium,&c ineuntes peccant mort.535.2.*b.* Et ad oſtentationem virium,&c.cum periculo vitæ.*ibid.* 2.*b.*

Duellum an liceat iniri pro conſervatione honoris.535.2.*b.* & *ſeqq.*

Ad duellum provocare privata auctoritate,quovis prætextu eſt illicitum 536 1,*a.*

Duellum an aliquo caſu liceat acceptare.536.1 *b.*

Duellum qui ſit modo prohibitum.536.1.*c.* & *ſeqq.*

Dulia.

Duliæ cultus quis, & quibus debitur.446.*a.c.*

Ebrietas.

Ebrietas quid.552.2.*a.b.*

Ebrietas in quibus caſibus ſit peccatum mortale,552.*a.c.*

Alterum inebriare eſt peccatum mort 553.2.*a*

Ebrietas eſt cauſa multorum peccatorum.553.2.*a.*

Peccata in ea commiſſa quando & qui imputanda.72. a.*b.* 160.1.*b* 188,1.*b.a.*

Eccleſia.

Eccleſiæ auctoritas in ſuis Magiſtratibus,à Chriſto magnificata.1.2.*c.*

Eccleſia nemini patrocinatur in iis quæ ſunt planè irrationabilia,&c.82 1.*a.*

Eccleſia qui poſſit præcipere actus internos. 101.2.*c.*400.1.*c.* & *ſeqq.* Qui intelligendum *Eccleſia non judicat de interiori.* 402.1.*a.* Qui præcipiat annuam Confeſſionem. 102.1.*a.* & *ſeq.* Qui auditionem Miſſæ.508.2.*b.* & lectionem Horarum Canonicarum.*ibid.*

Eccleſia taxavit quandoque pœnitentias ſeptem annorum pro aliquibus peccatis.146 1.*a.*

Eccleſia quam ſit perniciosa opinantium ſecta circa legem & mandata Dei.201.2.*c.*

Eccleſiæ primitivæ ſimplicitas,202.1.*a.*

Eccleſia in ſuis legibus condit abſoluta decreta. 202.2.*a.* Contra ſentiens,pro quo habendus ſit.*ibid.*

Eccleſiæ poteſtas in credendorum declaratione,&c.253.1.*a* Ob hanc vocatur *Columna & firmamentum veritatis.ibid.*1. *b.*

Eccleſiæ congregatæ auctoritas quoad ſpirituale ſuum regimen.254.1.*a.* Eſt etiam in ea, ejuſque præpoſitis auctoritas politica & humana.1.*b.* In ejus Monarcha & Præpoſitis quadruplex poteſtas.254 2.*a.b.*

Eccleſiæ communis ſenſus, ejuſque determinatio,&c. in certis caſibus eſt interpres legis divinæ 259.2.*a.b.*

Eccleſia per ſuas leges,&c. poteſt in conſcientia obligare ad culpam.266.1.*c* 267.2.*b.*

Eccleſiæ 1.Fundamentum eſt Chriſtus.2.Petrus.266.2.*b.*

Eccleſiæ doctrinæ infallibilitas.266 2.*c.*267.2.*a.*

Eccleſia qui,& quibus ædificetur.267 1 *b.*

Eccleſiæ Monarchicum regimen perfectiſſimum.267.1.*c.*

Eccleſiæ poteſtas directiva,& coactiva.267.2.*a.* Quæ ejus præcepta obligent ad culpam. Ee quæ ad ſolam pœnam.2.*c* & *ſeq.*

Eccleſia creſcente multa diſpoſita,de quibus ante non erat diſpoſitum.268 2.*a.b.*

Eccleſiæ pietas & prudentia in legibus, & præceptis ſuis. 268.1 *b* 269.*a.c.*

Eccleſiæ obligatio ad Deum colendum,&c. Cultu interno & externo.399.2.*c.* Huic obligationi qui ſatisfaciat.*ibid.*

Eccleſia qui obligetur ad fundationes & pacta quæ ſuſcepit 400.1.*a.*

Ejus præceptum de Horis canonicis perſolvendis, ad quid ordinetur 400.1.*a.*

In ſuis præceptis diverſimodè ſe habet.400 2.*b.*

Non imponit præcepta obligantia ad culpam, niſi ob præceptum divinum.400.2 *b.c.*

Imponens ſub præcepto certis perſonis lectionem Horarum,quid intendat.402.1.*a.*

Ritus & alia ſacramentalia ab ea inſtituta , qui obligent. 444 2.*a* & *ſeqq.*

Cur tantum quinque ejus generalia præcepta 593.1.*c.*

Hæc qui obligent in conſcientia.594.1.*a.b.*

Eccleſia polluta. Vide *Pollutio.*

Eccleſiaſticus.

Eccleſiaſticus ob levitates peccat interdum mort.64 2.*a.*

Educatio.

Educatio prolium à parentibus in quo conſiſtat.509.2.*b.*

Eleazarus.

Eleazari heroica confeſſio fidei & obſervationis Iudaicæ. 383 1 *a.* Noluit carnes licitas ſecreto comedere timore ſcandali 366.1 *b.*

Eleazarus alius ſe cum Elephante occidens, qui excuſetur. 527.1.*a.*2.*a.b.*

Eleemoſyna.

Eleemoſynam quis,& quando teneatur facere 353.1. *c.* Ad eam quis facultates habeat 2. *a.* Varia conſideratio illarum facultatum.*ibid.* 2.*a* & *ſeqq.*

Eleemoſynæ quantitas ad quam quis tenetur, ex tribus æſtimanda,354.2 *a.b.*

Ordo charitatis in ejus diſtributione ſervandus,354.2.*c.*

Eleemoſyna non tantum eſt opus ſupererogationis,&c. Sed obligationis & præcepti.355.1.*a.* Et grandis materia extremi judicii.*ibid*

Plures valentes ſuccurrere laboranti gravi vel extrema neceſſitate,nec facientes,qui peccent.355.1.*b.*

An excuſentur à ſuccurrendo tali ei laboranti,quod Templis,&c.ſua tribuant 355.1 *c.*

An teneatur quis inquirere,qui neceſſitatem patiantur, ut per Eleemoſynam eis ſuccurrat.355.2.*b.*

Eleemoſynæ præcepto an obligentur uxor & filii familias in alicujus gravi neceſſitate.355.2.*c.* & *ſeqq*

Elocatio.

Elocatio quid.573.2.*a* Injuſtitiæ in ea concurrentes. 2.*b.c.*

An qui domum conduxit & illam inhabitare non poteſt ſine ſua culpa,teneatur locanti ſolvere pretium.574 1.*b.c.*

An ſuperveniente ſterilitate in agro elocato,debeatur Domino integra ſolutio.574.1.*c.*2 *a.*

Emphyteuſis.

Emphyteuſis quid.574. 2.*b.* Injuſtitiæ in ea occurrentes.2.*c* 575.1.*a.*

Emptio.

Emptio quid.563. 1. *c.* Quæ injuſtitiæ in ea committantur 2.*b.* & *ſeqq.* Item ea parte ementis quæ.564 2 *b.*

Enuntiatio.

Enuntiationis duplex finis. 460.1.*c.*

Epikeia.

Epikeia quid,261.1,*b.* An detur in lege divina.262.2.*c.* 265. 2.*a.*

Epi-

Epikeia quæ, & quotuplex in lege Eccleſiaſtica. 272.2.c. 273.1 a.b.

Epiſcopus.

Epiſcopi quam juriſdictionem habeant in ſuam Diœceſim, & unde. 13.1.a. 23.1.c.2 a.

Quo jure poſſint ſibi eligere Confeſſarium. 19.1.b.

Ad eorum familiam admiſſorum quis Ordinarius. 17.2.a.

Per Epiſcopos qui interdum intelligantur. 29 1.b.

Epiſcopi poſſunt ſimul approbare & delegare. 18.1.b.

An poſſint ſibi reſervare perſonas. 24.1.c. 2.a. Loca & tempora, qualiter. 2.b.

An poſſint limitare juriſdictionem Fratrum mendicantium. 24 2 c.

A quibus caſibus & cenſuris poſſint ſuos ſubditos abſolvere. 29.1.a An etiam ab hæreſi occulta, *ibid.*

Epiſcopi Regii ſunt inquiſitores fidei. 29.1.c 315.1.c. *& ſeq.* Poſſunt ex officio legere libros Hæreticorum, 1.b.

Epiſcopis quo Eccleſiæ regimen demandatum 253.2.c. 254: 2.a Quas leges poſſint condere pro ſua Diœceſi. 252.1.b. Ad quod regimen ſpectet hæc poteſtas. *ibid.*

An poſſint interpretari leges divinas pro ſuo grege. 263.1.b

Tempore perſecutionis an poſſint fugere. 327.2.c.

Quæ loca poſſint deſignare pro celebratione Miſſæ 434.1.c

De Epiſcoporum licentia an Parochi Eccleſias pollutas poſſint reconciliare 435.1.c.

Epiſcoporum poteſtas in diſpenſatione Votorum. 484. 2.a.

In quibus caſibus poſſint diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis 485.1.a. *& ſeq.*

Epulo.

Epulonis divitis crudelitas in Lazarum. 355.1.a.

Error.

Error qui interdum obliget conſcientiam. 173.2 c.

Error & actio contraria poſſunt ſimul eidem ineſſe. 174.1.a. *& ſeqq.*

Erroris ſuſpicio in laborante conſcientia erronea, unde. 177 1.c. *& ſeqq.* In tali varii errores, 178.1.c.

Error qui opponatur fidei 294 1.b.

Errans in materia fidei quis. 302.1.a.

Eſdras.

Eſdras qui legem reſtauravit 318.1.b.

Ethnicus.

Ethnici ſine lumine fidei non potuerunt venire ad cognitionem judiciorum Dei, &c. 108.2.b.c.

Evangelium.

Evangelio promulgato an poſſit dari ignorantia invincibilis neceſſariorum ad ſalutem 165.2.a *& ſeqq.*

Illi, quibus necdum eſt prædicatum, quam fidem teneantur habere in Chriſtum. 167.1.a.b.

Eucharistia.

Eucharistiam ſumendi in Paſchate præceptum quale ſit, 289.1.a.

Quando præmittenda Confeſſio Sacramentalis. 39. 2. a.

Quid deficiente Confeſſario. 40.1.c. An poſſit ſumi in Paſchate non præmiſſa confeſſione ab habente ſola venialia. 101.2.a.

Poſt pollutionem nocturnam vel diurnam an poſſit ſumi. 416.1.a *& ſeq* Conſilium ſanctorum Doctorum circa hoc. 417. 1.a.b. Quid de conjugatis poſt actum matrimonialem. 416.2.b. 417.1.c.

Euchariſtiæ ſumptionem an alia immunditia corporalis impediat. 417.2.c. Quid de prævio vomitu & ſumptione tabaci in ore 418.1.a.b. Aut ſi ad manum non habeatur aqua ad lavandum os, &c. *ibid.*

Quæ indecentia corporis eam prohibeat. 418.1 c. *& ſeqq.* Et præſertim mulierum fucatus ornatus, nuditas pectoris, &c a.b. Ab ejus ſumptione ſales repellendæ ex Decreto Urbani VIII. *ibid.* Super quo fundentur illæ tam graves prohibitiones immunditiæ & indecentiæ corporalis. 419.1.b.

Quale jejunium requiratur in ſumente. 419 1.c *& ſeq.*

Quibus caſibus liceat non jejuno eam ſumere 2.c *& ſeq.*

Non requiritur cibi digeſtio, vel ut quis dormierit 420.2 c.

Euchariſtiam pluribus diſtribuens in mort. exiſtens quoties peccet 99 2.a. 100.1.b.

Euchariſtiæ Sacramentum poteſt pro infirmis aſſervari in Eccleſia polluta: 435.1.c.

Examen.

Examen indiſcretum pœnitentium à Confeſſariis, quàm pernicioſum. 56.2.b. *& ſeq.*

Ob examinis defectum an poſſit pœnitens remitti. 57.2.c. Vide *Approbatio. Confeſſarius.*

Excæcatio.

Excæcatio eſt pœna peccati. 169.1.b. Excæcato non deſunt communia auxilia Dei *ibid.* Vide *Obduratio.*

Excommunicatio.

Excommunicatio illegitimè lata, an liget. 26. 1.c a.

Differentia inter excommunicare & excommunicationem alicui caſui annexam reſervare. 26.1 c.

Excommunicatio major ob quam culpam feratur. 268.1.a. Ejus gravitas & antiquitas. 304 2. b. c. Pœnæ ei annexæ quæ. 306.2 b.

An cum excommunicatis liceat converſari. 307.2. b *& ſeq.* An liceat Catholico interdum ab excommunicato recipere Sacramenta. Item illa excommunicato miniſtrare. 308.1.a.b.

Execratio.

Execratio Dei quale peccatum. 339.2. b. Vide *Blaſphemia.*

Factum.

Facti ignorantia quæ à peccato excuſet 168.1.b. *& ſeq.*

Facti dubium quod. 183.1 c. Vide *Dubium.*

Facultas.

Facultatas quis habere cenſeatur in ordine ad Eleemoſynam. 353.2.a.

Falſitas.

Falſitas quæ in judicio ſit peccatum mortale. 582. 1.a. *& ſeq.*

Fama.

Fama proximi quando obliget ad ſui conſervationē. 364. 1.a.

Fama innocentis præferenda famæ nocentis. 364.1.a. Vide *Defectus, Detractio, Honor.*

Feſtum, Feſtus dies.

Feſtorum indictio qualis ſit determinatio divini cultus. 268 2.c. 269.1.a 270.2 c.

Feſtorum inſtitutio qui differat ab inſtitutione diei Dominicæ. 498.2.b.

In Feſto excuſatus ab auditione Miſſæ an teneatur ad alium cultum Dei. 498 2.c.

Feſtorum antiquitas. 498.2.c.

Quæ Feſta ſub præceptum cadant. 594. 1.c. Vide *Dominica dies.*

Feudum.

Feudum qui diſtinguatur ab Emphyteuſi. 574.2.c.

Fictio.

Fictio in ſuſceptione Baptiſmi commiſſa an ſit confitenda. 5. 2. c.

Fides.

Fidei habitus ſupernaturalis qui concurrat ad actum conſcientiæ. 153.2.a. Et ad ejus infallibilitatem. 157 a.c.

Fidei plures articuli cur non niſi poſt multum tempus declarati. 164 2.a.b.

Sine fide in Chriſtum nemo ſalvatur. 166 2 a.

Explicita illa fides quibus neceſſaria. 2.b.c. Quid de iis quibus non eſt prædicatum Evangelium. 167.1.a.b.

Fidei infallibilitas & perpetuitas. 266.2.c. *& ſeq.*

Ejus neceſſitas ad ſalutem 287.2.b.c. Infuſa per ſe ſub præceptum non cadit. 288.1.a. Acquiſita cadit, & ad hanc obligatur omnis adultus. *ibid.*

Fidei præceptum, ut affirmativum, tria præcepta continet. 288.1.b. Et eò ad tria tenetur homo. 2.a b.

Quæ ſint ſub peccato credenda 288.1.b. *& ſeq.* Cauſæ excuſantes nonnullos à ſingulari notitia credendorum. 289. a. c. Majores & eruditi in Eccleſia ad quam ſcientiam teneantur. 289.1 b. Et qui alios tenentur inſtruere, 1.c. *& ſeq.* Scientia credendorum ignoto idiomate non ſufficit 2. c. Abuſus aliquarum Regionum circa hoc. 291.1.b. Ignorantia credendorum culpabilis & inculpabilis quæ. 2.a. *& ſeq.* Ob culpabilem, tria genera hominum damnantur 292.1.c.

Actus interior fidei in quo conſiſtat. 292 2.c. Cur paſſim in Scriptura vocetur *Opus*. 293.1 a.

Fides excludit omne dubium, & opinionem cum formidine oppoſiti. 293.1.b. Eſt obſcura. 1.c.

Fides & fidei lumen eſt purum donum Dei. 293.1.c.

Ejus duplex peccatum 2.a.

Fides ex intellectu ſcintillat in voluntate 293.2 a.b.

Quid ſit *credere Deo, credere Deum, credere in Deum.* 293.2.b.

Fides non conſiſtit in nuda ſpeculatione intellectus. 294 1.a

Actui interno fidei tria opponuntur. 294.1.b. Ad illum actum qui teneatur omnis adultus. 2.a. Circa quos articulos. 2.b.c Quando teneatur. 295.1.a. *& ſeq.* 296.1.b.c.

Fidei articuli quando cenſeantur alicui ſufficienter propoſiti. 295.2 b. *& ſeq.*

In fidei materia qui diſtinguantur ab invicem *ignorans, errans, hæreticus.* 302.1 a. *& ſeq.*

In fide dubius quis cenſendus. 319.2.a. *& ſeq.* Qui peccet, & con-

contra quod præceptum.320.1.a.An cenſendus hæreticus 1.b. Qui vocetur *infidelis* à Stephano Papa 320.1.b. Deſtruit fidem ſed non negat.1 c. Non incurrit pœnas hæreſeos.1 c.2.a.

Externa fidei confeſſio quid.320.2.c. Qui,& quando obliget 321.1.a. Indirectâ quando,& in quibus actionibus 1.c. Ab his poſitivè ſeparans intentionem, fidem confitendi peccat mort 2 a.Directa quando obliget.2.b.c. Ad eam quando urgeat Dei honor & fidei confirmatio.322.1.b,c. Et honor Eccleſiæ 2.a. Et ſalus propria,& proximi.2.b & *ſeq.* Quæ perſonæ,& quibus legibus ſpecialiter ad eam obligentur,323.1.c.2.a

Fidei duplex negatio 323.2.c.Explicitè vel implicitè aliquo ſigno,&c.eam negare numquam licet.324.1.a. Nec uti aliquo ſigno hæreſim vel infidelitatem inferente.2 b. Duplex hujuſmodi ſignum.2.c.& *ſeq.*

An fides poſſit interdum diſſimulari,vel occulsari, & quibus modis aut ſignis.326.1.b.& *ſeq.*

An liceat alicui fingere,ne cogatur fidem confitari. 327. 2.bc.

Filiatio.

Filiatio ſpiritualis duplex 547 1.b.

Filius.

Filiis cur quandoque ab Eccleſia prohibitum ne occaſione cultus Dei parentes deſererent.271 2.c.

Quando peccent peccato inobedientiæ contra parentes. 277.1 a.

Qui cenſeantur patrem & matrem plus amare,quàm Deum & Chriſtum.342 1 a 346.1.b.& *ſeq.*

An teneantur interdum ex bonis parentum eleemoſynas facere.356.2.b.

Qui peccent nubentes contra parentum voluntatem 508. 1.a.b.

Qui obligentur ad avos,avunculos,&c.513.2.c. Et ad patrinos 512 1 c.

Filiorum ſpiritualium obligatio ad Sacerdotes, & Patres ſpirituales.513.2.a.b. Vide *Parent.*

Finis.

Finis principalis,& minùs principalis quis.3.1.c.

Finis operis & finis operantis,90.1.b.

A fine qui ſumatur unitas & diſtinctio actus.98. 1.c.& *ſeq.* 99.1.b.

Finis purè naturalis hominis nullus.238.2,b.

Finis legis divinæ 239 1.b.

Finis duplex in quolibet opere bono.243. 2.c. Quis quandoque includatur in formalitate præcepti.2.c.244.1,a.

Fornicatio.

Fornicatio ſimplex quid.538.2.c. Quale peccatum.2 c. Ex ea quæ peccata proveniant.539 2.a b.

Fornicationem ſimplicem non eſſe mort, docuit Martinus de Magiſtris.205.2.a.

Forum.

Forum quid.257.1.b. Quotuplex.*ibid.*1.c.2 a. Differentia inter forum divinum & humanum.2. b. Ad forum divinum quæ pertinere dicantur,2.c.

Fragilitas.

Ex fragilitate aliquid transgredi quid ſit.275.1.a.

S. Franciſcus.

S. Franciſcus volutans ſe in repribus dum à dæmone tentaretur,an imitandus,87.2,a.

S.Franciſci expoſitio ſuper orationem Dominicam.373.1.a. & *ſeq.*

Frater.

Fratrum & ſororum obligatio ad invicem,510.2.c.

Fraus.

In fraudem quis cenſeatur confiteri alteri à proprio Confeſſario 35.2.c.16.1.a.

Fructus.

Fructus beneficiorum an ſint res ſpirituales 384.a 8.

Fructus Sacrificii Miſſæ quotuplex. 424. 1.c. Qui poſſit à Sacerdote applicari.*ibid.*2.a.& *ſeq.* Vide *Miſſæ Sacrificium.*

Fucus.

Fuci mulierum qui impediant Communionem; 418. 2.a,b.

Funambuli.

Funambuli qui peccent,526 2.b.

Fundatio.

Fundatio, & fundatoris voluntas in beneficiis, qui attendendæ 384.1.c.

Duplices fundationes & dotationes beneficii Parochialis, 386 1 c.

Fundationibus piis quas Eccleſia in ſe ſuſcepit qui teneatur ſatisfacere 400.1.a.

Fundationum in ordine ad divinum officium intentio,quæ. 400.1.a,

Fundatione pereunte an remaneant onera Miſſarum &c. 429.1.b.

In Fundationibus perpetuis vel diuturnis quæ Epikeiæ includantur 429 1.c.

Furor.

Furor ut ſpecies iræ,quid,524.2.b.

Fur, Furtum.

Fur quis dicendus 554. 2.b.c.

Furem an liceat occidere.554.2 a. & *ſeq.*

Fur eripiens ſe è manu juſtitiæ,an peccet 278 1.c.

An teneatur in conſcientia reſtituere quadruplum.278.1.a.

Furti duplex acceptio.553.1.c Furtum propriè,quid. 554 2. b.c.Ejus ſpecies quot.555 1.c. Quale peccatum,ex natura ſua. 555.2.a Quid de furto Iſraelitarum ſpoliantium Ægyptum. 90.2 b.Propriè dictum furtum numquam eſt licitum *ibid.* In furto qui attendenda detentio,& acceptio rei alienæ. 65.1.b. An ratione illarum in quolibet furto ſit duplex peccatum.1.c. & *ſeq.* Qui reſpiciat furtum detentionem injuſtam rei alienæ 95 1.a.

In furto quæ cenſeatur materia gravis. 555.2.b.

Quid de furtis filiorum familias 2 c. Ejus gravitas undè æſtimatur. 94.2.b.c.

Furtum rerum ſacrarum eſt majus furto non Sacrarum. 270 2.b.

Furta parva qui conſtituant peccatum mort.65.1.a.66.1.b. & *ſeq.*95 1. a. Pluribus parvis furtis intendens magnam ſummam ſurripere peccat tantùm uno peccato 65.1.c.& *ſeq.*97.1. a Furtum rei alienæ in magna quantitate etiam cum intentione reſtituendi eſt peccatum mort 65 1.c.Et talis detentio.*ibid.*

In furti tranſgreſſione quæ detur latitudo.263 2 b.c.

Furti culpa an amplietur per prohibitionem legis humanæ.278.1.b

Ob furtum an aliquis poſſit plecti morte. Explicatur ſententia Scoti,circa hoc.528.1 b c.

Furti particeps an peccet eodem peccato,270.2.b.

Generalis.

Generalis Ordinis quam juriſdictionem habeat in totum ſuum ordinem.23.1.c.

Gerſo.

Gerſonis opinio dicentis *ſolum Deum poſſe obligare ad culpam*, qui excuſetur.269 2.c.270.1.a.

Geuſii.

Geuſiorum ſigna in Belgio,in principio naſcentis hæreſis. 324.2.a.326.2.b.

Gloria.

Gloria inanis undè naſcatur.347.2,a. Qui differat à ſuperbia.2.b.

Gloriæ inanis quadruplex finis, & eâ quando & qui peccetur 347.a.b.& *ſeq.*

Ex tribus generibus operum quæritur, & iis quando & qui peccetur 348.1.a b

Gratia.

Gratia ſanctificans & ſacramentalis qui diſtinguatur à gratia gratis data.5.1.b.

Ad gratiam gratis datam, qui pertineat Tribunal Sacrament.8.1.b.

Gula.

Gula quid.552.1.a Quale peccatum, 1.a b. Eſt cauſa multorum peccatorum 553 2 a

Habitus.

Habitus remanens ex præterita mala vita eſt cauſa multarum tentationum.85.2.c.

Hæreſiarcha.

Hæreſiarcharum pertinacia undè.303.1.a.

Hæreſis.

Hæreſis quid.302.2.c Quotuplex.303.2.b.c.

Quale peccatum.63.2.c Ejus gravitas 314 1 a.

Ejus abominatio à tempore Apoſtolorum 1 b & *ſeq.*

Hæreſis exterioris crimen quando Catholici incurrant. 303.2.b.

Hæreſeos ſignum manifeſtativum duplex. 314.1.c. & *ſeq.* An eo interdum liceat uti Catholico, vel ſub eo fidem ſuam occultare.326 2.b.

Hæreſis interdum eſt juncta deſperationi.332.1.c. Et præſumptioni.335.1.b.

Ab hæreſi an poſſint abſolvere Epiſcopi.29 1.b c.

Hæreticus.

Hæreticus quis dicendus.302.1.c,& *ſeq.* Qui diſtinguatur ab ignorante & errante in materia fidei.302 1.a.Qui differat à Schiſmatico. 365.2.b. Adhærens hæreſi an ſemper cenſendus Hæreticus.158.1.a.302.1.b.

In

In aliquibus Hæreticis qui extincta conſcientia circa Principia legis naturalis &c.158.2.c 159.1.a.

In Hæreticorum terris propria ſponte habitantes cur periculoſe exponant.159.2 c.160.1.a.

Qui Hæretici laborent ignorantia culpabili.160 a a.b.

Hæreticorum calumnia ſuper multiplicitate præceptorum Eccleſiæ.269 1.b.& ſeqq.

Hæretici toties peccant, quoties aſſentiri renuunt articulis fidei ſibi ſufficienter propoſitis.295.2.a.

In Hæreticos pœna Excommunicationis majoris eſt late. 304. 2. b. Antiquitas hujus pœnæ. 2. c. 305.1.a. Aliæ eorum pœnæ & inhabilitates per leges Eccleſiaſticas & civiles. 1 b, & ſeqq. Ad eorum necem corporalem an concurrant Iudices Eccleſiaſtici 2.b. Leges civiles ſtatuentes pœnam necis in eos, ſunt juſtæ 305.a.b.c.

Hæreticus omnis an incurrat Excommunicationem & pœnas ei annexas 306.1.a.& ſeqq.

In quibus caſibus teneatur Catholicus vitare Hæreticum publice & nominatim non denuntiatum.308.1.c & ſeqq.

Continua converſatio cum eis,quam periculoſa.308 2.b.

Hæreticorum fautores &c qui peccent, & quam pœnam incurrant.309.1.a.Iis quis dicatur credere, & ſigna illius credulitatis.ibid.1.a.& ſeqq. Quis eorum fautor 309.2.c. Quis receptor.ibid.Quis defenſor 310.1 a.

Cum Hæreticis contrahere Matrimonium, quale peccatum.310. 2. c Pericula ex tali Matrimonio 311 1. a. & ſeqq. Quæ cauſæ excuſent à peccato mutt.311.2.b.& ſeqq.

Cum Hæreticis diſputare,qui & cur Laicis prohibitum 318. 1. a.2 b.c. An cum pari rigore in Regionibus vicinis Hæreſibus. 319 1.c.

Hæreticorum concionibus intereſſe an & quale peccatum, 324 2 a.b 325 1 a

Officia triplicia in Hæreticorum Politia.325 1.b.

Ex eis quæ Catholico obire non liceat.1 c.& ſeqq.

Hæreticorum hujus temporis perfidia.323 2.b.

Hæreticus liber.

Hæreticus Liber quis.312 1.c. Ejus diſtinctio à libro prohibito.2 a. Aliud eſt librum eſſe Hæreticum,aliud Hæretici, vel Hæreticorum eſſe 2.b.

Hæreticum librum legere,quale peccatum.275 1. b, 312.2. c.313.2 b.314.1 a.& ſeqq. Eorum lectio, vel detentio qui & qualiter ab Eccleſia prohibita 71.1.b 312 2 c.313,1.a. Idque à temporibus Apoſtolorum 313 1.b. An prohibitio illa interdum ceſſet. 273. 1. b. An levitas materiæ in eorum lectione excuſet,271.1 b 313.2.a. Illa lectio ex duobus capitibus eſt prohibita 313.2 b.

Hæreſiarcharum &c. libri etiam merè litterarii aut hiſtorici,qui prohibiti 314 2.a.

Hæreticos aut aliàs prohibitos libros legentes, quas pœnas incurrant 314 2 b.c.

An Archiepiſcopi & Epiſcopi eos legere poſſint. 315. 3. b. & ſeqq.

Sub libris Hæreticis an comprehendantur Chartæ Epiſtolæ &c. Ab Hæreticis ſparſæ,315,2.c.

Quid de audiente legi libros Hæreticos.316.1.b.c.

Hæreticos libros retinere quis cenſeatur ut incurrat pœnas. 316. 2.a.& ſeqq.317 1.b.

Hereditas. Heres.

Hereditas quid 556 1.a.

Hæreditatis alienæ occupatio,quale peccatum.556.a.b.

Heres an teneatur inquirere de omnibus titulis ſuæ Hereditatis.556 2.c.& ſeqq.

Homicidia, Homicidium.

Homicidium antecedentia quæ.514.2.a.b. Concomitantia & conſequentia quæ, & qui prohibita.2.c.

Homicidium quotuplex 515.1.a. Quale peccatum.1, b. Qui mutet ſpeciem ex objecto.1.c 2.a. Item ex modo.2 b.

Homicidium plurium uno actu qui debeat in confeſſione exprimi 94.2.a. 97. 1. b. Uno actu voluntatis intendens occidere plures non committit plura peccata interna 96.2.c.

Ad homicidium reducuntur ira odium.&c Qui prohibeantur 516 2.a. Percuſſio, vulneratio &c Qui.2.b. Maledicta contumeliæ &c. Qui. 517, 1. b. Quid de juſſione, conſilio &c. ibid.1.b

Homicidæ &c Incurrunt irregularitatem. 517 1.c.2. a. Ad quorum damnorum reſtitutionem teneantur. c.b.& ſeqq. Qui debeant illa damna æſtimari.518.1.c & ſeqq. Quid ſi occiſor vel mutilatur pœnam mortis paſſus fuerit 518 2 c.& ſeqq.

Homicidium interdum eſt licitum.524.2.c. In quibus caſibus.525.1 a.b.

Nemini licet ſe occidere.526.3.a.b. Nec Iuſtitiâ publica ad cogi.1 c. Nec ſeipſum mutilare. 2. b. Exponere ſe manifeſto periculo mortis abſque iuſta cauſa quale peccatum. 2, b. Quid de injicientibus ignem in pulverem tormentarium.526. 2. c. Excuſantur facta Eleazari, Sampſonis &c. 525. 1. a. Quid de damnatis ad mortem per famem 1.b. Quid de auſteritatibus Religioſorum quibus vitam ſuam abbrevian 527. 1.c

Innocentis occiſio in pœnam, illicita eſt iuſtitiæ publicæ.527. 2 c. Niſi probatus fuerit innocens. 528 1.a.

Aggreſſorem licet occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.64.1.c.534.1.a. & ſeqq. An & pro conſervatione honoris &c. 2.a.& ſeq.

Homicidium caſuale quid.536. 2. c. An interdum ſit peccatum, & eo incurratur irregularitas.537.1.a 2.a.

Homicidij pœnæ contrahuntur è Presbytero ſeu Clerico vulnerante, etſi dubitetur an vulneratus inde obierit. 192. 2. b.c.

Homo.

Hominis finis purè naturalis non datus.238.2.b. In puris naturalibus non fuit à Deo conditus, & an ſic condi potuerit. 240. 2. a. Qui ſe dicatur immiſcuiſſe cupiditatibus &c. 2. b. Concatenatio totius primævæ creationis hominis in ſuis donis.2 c.241.1.a.

Homo ad beatitudinem ſupernaturalem qui creatus 240. 1. b. 241. 1. b & ſeqq. Sic creato indita dona naturæ gratuita, 242.1.a & ſeqq.

Horum donorum finis fuit Deus. Deique gloria ibid.3 a.b. Ob horum donorum inſufficientiam, ſuperaddita ſupernaturalia.2.c.243 1.a.b.

Homini à principio ſuit impoſitum præceptum de colendo Deo.244 2.c.248.1.a.

Hominis loquentis duplex titulus. 460. 2. b. Ut animal ſociale qui teneatur ad edicendam veritatem. 2.b.

Honor.

Honor verus cui innitatur.535.2. c Sub titulo honorem conſervandi, ſæpè vita & conſervatio totius familiæ periclitatur. ibid. 2.c.

Honor verus præponitur bonis temporalibus, & æquatur vitæ.536.1.b. Vide *Defectus, Detractio, Fama.*

Hora Canonica.

Horæ canonicæ quæ dicantur.381. 2.b. Eisque adnectantur. 2.c. Earum myſteria.2.c.382 1.a Earum antiquitas.1.b. Ad earum recitationem quo præcepto obligentur certæ perſonæ. 2. a.b. Circa illarum recitationem quid decernatur.cap dolentes, 362. 2. b. & ſeq. Quæ imperfectio, irreverentia, diſtractio &c. in eis ſit peccatum, & quale 383. 1. a. b. Obligatio illas legendi eſt ſingulis diebus numero diſtincta. 202. 2.b. An ijs quis poſſit ſatisfacere non intendendo ſatisfacere præcepto 266.1.b.

Ad horas canonicas quæ perſonæ ſint obligatæ. 383. 1. c. & ſeqq. Quæ obligentur ad horas privatas tantum.384 1.a. Quæ obligentur ad eas, & alia officia in Choro perſolvenda, & ſub qua obligatione.1.b.& ſeqq.

Integritas horarum canonicarum triplex, & quæ earum obliget.396.1.a. Quæ omiſſio ſit peccatum mort. 396.2.b. & ſeqq. Mutare ſine cauſa excuſante officium, quale peccatum 397.2.a.b. Quid ſi non habeatur Breviarium 397.1 c. Legens inculpabiliter, de feſto, loco feriæ, non tenetur repetere. 398 1.a.

Legens officium de communi non habens officium de feſto non peccat.1.b. Gravitas vel levitas materiæ in defectu integritatis, unde expendenda.398.2.b.

Voluntariè & ſine cauſa tranſmutant officium unius diei in aliud planè diſtinctum, peccat mortaliter.1.c. Omiſſio officii B Mariæ,&c. An ſit peccaminoſa, & qualiter. 398.2.a.& ſeqq.

Quæ ſtudioſitas requiratur in earum recitatione ex præcepto. Cap. dolentes.399.1.b.& ſeqq.

In quo conſiſtat ſubſtantia præcepti de horis perſolvendis, 399.a.b.400.1.b.2.c.

Fundamentalis doctrina de debita horarum perſolutione. 401.a b.

Devotio quæ in earum lectione requiratur & præcipiatur. 402 1.c & ſeqq.

Intentio quæ requiratur & ſufficiat 403.1.c. & ſeqq. Ejus defectu qui peccetur. 404.1.b. & ſeqq Repetitio horarum quando obliget.404.1.b. Quid de eo qui attente legit, & non habuit intentionem ſatisfaciendi præcepto. 406.1.b 404.1 c. & ſeqq Annotatio pro tentatis & ſcrupuloſis.2.c. Regula generalis pro iiſdem 405.1.b.

Pronuntiatio quæ requiratur. 405. 2. c. Qui peccetur

d

con-

contra illam 2. a. Ob ſyncopas quando peccetur mort. 2. *b*. Ob colloquia. 2. *c*. Ob interpolationem 406. 1. *a*.

Attentio perfectionalis, non eſt neceſſaria. 406. 2. *b*. Qui intelligendi Sancti, qui eam videntur requirere. 2. *c*. Attentio ad ſingula verba non eſt neceſſaria 407. 1. *a*. Eſſentialis attentio requiritur 1. *b*. In intelligentibus quæ attentio melior 1. *c*. & *ſeq*. In illiteratis &c. quæ. 408. 1. *a*. Quæ conſideratio utilior pro talibus. 1. *b*

Contra attentionem debitam qui peccetur. 408. 1. *c*. & *ſeq*. Ob ejus defectum quando horæ repetendæ. 411. 2. *b*. & *ſeq*. Vide *Devotio*.

Hoſtia.

Hoſtia in vaſe coopeito, an conſecretur ſi eas Sacerdos non videat. 423. 2. *b*. & *ſeq*. Vide *Celebrans*.

Horoſcopus.

Horoſcopus quid, & quale peccatum 448. 2. *b*.

Hyperdulia.

Hyperduliæ cultus quis, & quibus debitus. 446. 2. *c*.

Iacob.

Iacob non fuit mentitus præripiens benedictionem. 250. 1. *c*. Cognoſcens Liam pro Rachele cur non peccaverit. 90. 2. *b*.

Iacobus Apoſtolus.

Iacobus Apoſtol. cur juſſerit libros Hermogenis appenſis lapidibus in mare demergi 313. 1. *b*.

Idololatria.

Idololatria quid, & quale peccatum. 63. 2. *c*. 446. 2. *b*. 447. 1. *c*.

Idololatria ſuprema interna & externa quibus actibus compleatur. 447. 1. *b*.

Iejunium.

Iejunii impoſitio ab Eccleſiâ, cujus divini præcepti ſit determinativa. 268. 2. *c*. 269. 1. *a*. 270. 2. *c*.

Iejunium generaliter quid, & quotuplex. 594. 1. *a*. *b*. In eo non ſemper idem abſtinentiæ modus & tempus fuerunt obſervata 2. *b*. Nec in Eccleſia Dei. 2. *c*. in Eccleſiæ principio cur non fuerint certa jejunia indicta. 595. 1. *a*.

Iejunium modernum Eccleſiaſticum quid. 595. 1. *b*. & *ſeqq*. Ad illud an requiratur abſtinentia à potu. 595. 2. *c*. Quæ qualitas ciborum 596. 1. *a*. Quid de hora refectionis. 1. *b*.

Iejunii obligatio menſuranda ex uſu piorum & timoratorum 273. 1. *a*.

Iejunii finis quis. 596. 1. *c*.

Ad jejunium quinque requiruntur. 596. 1. *c*.

In die jejunij comedere carnes eſt peccatum mort. 596. 2. *a*. Frangens illud comeſtione carnium debet id in confeſſione exprimere. 94. 2. *a*. Qui liceat comedere lacticinia. 596. 2. *a*.

In diebus reſervatis illa comedere, quale peccatum. 2. *b*.

Præventio notabilis temporis eſt peccatum mort. 596. 2. *b*.

Quæ cauſæ excuſent à mort. 2. *c*. 597. 1. *a*.

Iejunium frangens in vigilia Apoſtoli incidente in 4. tempora, an committat duplex peccatum. 95. 2. *b*. Quid de Fratribus Minoribus Frangentibus jejunium feriâ 6. in quam incidit vigilia Apoſtoli. 2. *c*.

Iejunium transferre auctoritate privatâ non licet. 598. 1. *b*. Quid de privilegio Leonis X. conceſſo Ordini Fratrum Minorum. 598. 1. *b*.

A jejunio quæ ætas excuſet. 598. 2. *a*. Et Fratres Minores à jejunio Regulæ. 2. *b*. *c*. 599. 1. *a*.

Quæ infirmitas à jejunio excuſet. 599. 2. *a*. Quæ Paupertas. 2. *b*. Quis labor. 2. *c*. Quod iter. *ibid*. 2. *a*. An itineris excuſatio præciſè deſumi poſſit à modo itinerandi. 600. 1. *a*. 2. *a*. Ex longitudine itineris non poteſt ſumi certa menſura excuſationis. 599. 2. *c*. 600. 1. *a*.

Iejunia à confeſſarijs an quandoque ſub præcepto imponi poſſint adoleſcentibus ante 21. ætatis annum. 598. 2. *b*. Vide *Collatiuncula veſpertina*.

S. Ignatius. mart.

S. Ignatij fervor ad martyrium expenditur. 527. 2. *c*.

Ignorantia.

Ignorantiæ 4. objecta, cujuſque variæ origines. 170. 2. *b*. & *ſeqq*.

Ignorantia & imperitia notoria, quæ. 19. 2. *c*.

Ignorantiæ culpabilis duplex conſideratio. 59. 2. *c*.

Ignorantia culpabilis ſeu vincibilis. quæ 161. 2. *b*. & *ſeqq*.

Quæ culpabilis in ſe, & culpabilis in cauſa. 159. 2. *c*.

Hujus periculo qui ſe exponant. 160. 1. *a*. Signa ignorantiæ culpabilis. 161. 1. *c*. & *ſeq*.

Ignorantia inculpabilis alia juris, alia facti. 69. 2. *c*.

Ad ignorantiam inculpabilem quæ requirantur. 160. 2. *a*. & *ſeq*. Ejus ſigna. 60. 1. *b*. Differentia inter ignorantiam inculpabilem & invincibilem 160. 1. *b*. & *ſeq*. Non dat rectitudinem actui. 170. 2. *b*. Excludit voluntarium. *ibid*. 1. *b*.

Ignorantia inculpabilis in uno, in alio eſt culpabilis. 162. 2. *b*.

Ignorantia inculpabilis legis naturalis, & Divinæ poſitivæ, an excuſet à peccato. 159. 2. *b*. An detur inculpabilis præceptorum legis naturæ, 162. 1. *a*. & *ſeq*. Item præceptorum legis naturæ mixtæ 2. *c*. & *ſeq*. Et legis poſitivæ Divinæ, 164. 1. *a*. & *ſeq*. Item neceſſariorum ad ſalutem promulgato jam Evangelio. 165. 1. *a*. & *ſeq*.

Ignorantia credendorum quæ culpabilis, quæ inculpabilis. 291. 2. *a*. & *ſeq*.

Ignorantia in materia fidei, quæ 302. 1. *b*.

Ignorantia invincibilis legis humanæ poſitivæ, quæ 168. 1. *a*.

Quæ ignorantia facti excuſet à peccato, 168. 1. *b*. & *ſeq*.

Obdurati & excæcati an habeant ignorantiam invincibilem 169. 1. *c*. & *ſeq*.

Quæ ignorantia ſit cauſa conſcientiæ erroneæ. 175. 1. *a*.

Ignorantia, affectata eſt mater erroris 176. 1. *b*. Ei, qui obvietur. 1. *c*.

Cum laborantibus ignorantia inculpabili qui interdum ſe debeat gerere Confeſſarius 59. 2. *b*. 60. 2. *a*. *b*. Quorum præceptorum ignorantiam teneatur tollere, 163. 2. *a*. & *ſeq*.

Illicita res.

Illicita res quæ dicatur, 80. 2. *a*.

Imago.

Imaginis finis quis. 243. 2. *a*.

Ad imaginem Dei, qui homo creatus. 241. 1. *b*. & *ſeqq*. 243. 1. *c*.

Impoſſibilitas impotentia.

Impoſſibilitates morales variæ 494. 1. *c*.

Impotentia triplex 493. 2. *c*.

Impotentiæ impedimento dirimente laborantes, cur permittantur ut Frater & Soror cohabitare, non obſtante periculo peccati. 188. 1. *c*.

Improvidentia.

Improvidentia inculpata quæ. 70. 1. *b*.

Impubes.

Impuberum vota à quibus poſſint irritari. 476. 1. *a*. *b*.

Impudicitia.

Impudicitia omnis prohibetur. 6. præcepto decalogi. 538. 1. *c*. 2. *a*. Septem ejus ſpecies. 2. *b*.

Inceſtus.

Inceſtus quid. 545. 1. *a*. Quale peccatum. 1. *c*.

In inceſtu qui gradus, & qualiter prohibiti. 545. 1. *b*. Qui & qualiter in Confeſſione exprimendi 2. *b*. & *ſeqq*.

Inconſtantia.

Inconſtantia mentis eſt interdum cauſa erroneæ conſcientiæ. 174. 2. *c*. Ei qui obvietur 176. 1. *c*.

Incredulitas.

Incredulitas quid, & qui opponatur fidei. 294. 1. *b*.

Ob ejus peccatum damnatur quis, eſto de Deo nil audierit 2. *c*.

Inedia.

Inedia eſt interdum cauſa tentationum. 85. 1. *c*. Remedium contra eas. 87. 2. *c*. Unde valeant cognoſci. 88. 1. *a*.

Inferior.

Inferior an teneatur ſemper obedire mandatis Superioris. 186. 2. *c*. & *ſeqq*. Et acquieſcere ejus Iudicio. 187. 1. *c*. 188. 1. *a*. & *ſeqq*.

Inferior cur contra propriam opinionem poſſit & debeat interdum ſequi opinionem ſuperioris 206. 1. *a*. *b*.

Infidelitas.

Infidelitas quale peccatum. 63. 2. *c*. Qui opponatur fidei 294. 1. *b*. Negativa ſeu privativa quale peccatum. 297. 2. *a*.

Infidelitas poſitiva quid, & quotuplex. 287. 2. *c*.

Infidelitatis ſigna externa duplicia. 326. 2. *b*. An ijs interdum poſſint Catholici uti. 326. 2. *b*. 327. 1. *b*.

In infidelitatem incidendi periculum advertens, an poſſit ire ad infideles convertendos. 74. 2. *b*.

Infirmitas.

Infirmitatis propriæ conſiderationis utilitas 332. 2. *b*. & *ſeqq*.

Inimicitia.

Inimicitiæ duplex ſumptio. 357. 2. *b*. In gravi perſeverantia, ſemper eſt peccatum mort. 2. *b*. Quando deponenda. 2. *c*. Qui deponatur. 358. 1. *b*. & *ſeqq*.

Inimicus.

Inimici hominis triplex ſtatus. 357. 1. *b*. Perſeveranti in inimicitia an teneatur quis ex corde injuriam remittere. 358. 1. *c*.

358. 1. c. Et damnum illatum. 2. a. An non poſſit exigere Juſtam vindictam. a b. Qui teneatur quis illum diligere a b. Et ei communia Charitatis ſigna exhibere. a. c. Quando ſigna particularia 359. 1 c.

Innocens.

Innocens an in pœnam poſſit occidi à Iuſtitia publica. 527. 2. c. 523. 1. a. b. ad ejus liberatione man poſſit conferri ſcientia ex Confeſſione Sacrament. habitâ. 529 1. b. Quid ſi Innocens vi torturæ confeſſus fuerit crimen. 2. c.

Innocens ob torturam an poſſit amphibologicè fateri crimen. 529. 1. c.

Innocentes in bello qui cenſeantur. 531. 1. c. 2. a.

Intellectus.

Intellectus à Philoſophis quis habitus potentiæ intellectivæ vocetur 152. 1. b. An hic per ſe ſit ſufficiens ad aliquam veritatem in ſingulari concludendam. 1. c.

Intentio.

Intentio quid. 90. 1. b. Quotuplex 265. 1. c. 403. 1. c. 422. 2. c.

Intentio nulla bona poteſt actum per ſe malum reddere bonum. 90. 1. c. 176 2. b. Qui ſi ſit tantùm malus ex prohibitione. 90. a c. Intentione bona non licet ſe exponere periculo proximo peccandi. 92. 1. c. Secùs ſi non ſit tale periculum. 2. a.

Intentio mala facit ex veniali mortale. 64. 1. a. 2 a. 65. 2 b. 67. 2. b. Qui vitiet opus quodcumque bonum. 91 1. b. & ſeqq. Una ſubordinata mala vitiat plures bonas. 1. c. & ſeqq.

A quâ intentione deſumatur actus humanus. 91 1 b.

An & qualiter debeat intentio operantis exprimi in Confeſſione. 91. 2 c. & ſeqq.

Intentio implendæ legis, an pertineat ad ejus obſervantiam. 165. 1. a b. Quando pertineat ad ejus ſubſtantiam a a.

Intentio quæ requiratur & ſufficiat ad ſatisfaciendum obligationi Horarum Canonicarum 403 a. c & ſeqq.

Interdictum.

Interdictum an ſervare teneatur, qui ei nullam cauſam dedit. 268. 1. b.

Interpres.

Interpretes Legis divinæ in dubiis, vel obſcuris, qui. 259. 1. b. & ſeqq.

Per interpretem an poſſit aut teneatur quis interdum confiteri. 116. 1. a. & ſeqq. Qui teneatur ad ſigillum Confeſſionis. 143 2. a.

Interpretatio.

Interpretatio legis triplex. 263. 1. a. b.

Invidentia.

Invidentia fraternæ Charitatis, quale peccatum. 521. 2. b. In quo conſiſtat. 2. b. c.

Invidia.

Invidia quid 520. 1. a. & ſeqq. Quale peccatum. 2. a. Ejus gravitas & origo. 2 b. c Quando ſit tantùm Ven. peccatum. 52. 1. a b.

Invidia eſt ſæpè cauſa homicidij & ad illud diſponit, 521. 1. c.

Invidiæ Filiæ, quæ. 521. 2. a.

Involuntarium.

Involuntarij varia ſigna 12. 2. a & ſeqq.

S. Ioannes

S. Ioannes qui fuerit abominatus Cerinthum Hæreticum, 304. 2. a. Ejus Evangelium an licitè geſtetur ad tuendam ſanitatem, &c 450 1. a.

In nocte S Ioannis vigilare ſuper aviculas, ut eis garritus impetretur, quale peccatum. 448. 2. c.

Iocus.

Ioci qui videntur mendacia, an reputandi ſemper mendacia. 584 1. c.

Ira.

Iræ duplex acceptio 522 1 a. Ejus motus plures gradus habet. 1. b Qui fuerit in Chriſto, 1. b. c. Ut naturalis paſſio, eſt inſtrumentum virtutis &c. 2. a b

Ira ut peccatum, qui definiatur 522 2. c. Duplex in ea inordinatio. 523. c. a. b. Ex natura ſua eſt peccatum mort. 1. c. & ſeqq.

Iræ ſex Filiæ 523. 2. c. 524 1. a, Qualia peccata ſint. 1. b

Ira quando ſit peccatum mort. ſecluſo etiam appetitu vindictæ 524. 1. b. c. 2 b.

Ex duplici radice poteſt eſſe peccatum mort. 524. 2. a. Ab effectibus tres ejus ſpecies. *furor, inſania, Rancor.* 2 b.

Irregularitas.

Irregularitas contrahitur à Clerico vulnerante, eſto dubitetur an vulneratus inde obierit. 192 2. a.

Irregularitas ex defectu, non ſupponit culpam. 268. 2. b.

Irreligioſitas.

Irreligioſitatis tres ſpecies. 446 1. b. & ſeqq.

Iſraelita.

Iſraelitarum furtum in Ægypto, quale fuerit 250. 1. b.

Iter agens.

Iter agens tui Ordinario, & qualiter ſubjiciatur. 35. 2. a. & ſeqq Quibus poſſit confiteri. 50 2 c. 53 1 b.

Iubilæum.

Iubilæi poteſtas eſt ampliſſima. 37. 1 b. Ejus tempore quoties quis poſſit abſolvi à reſervatis, 37. 1. b.

Iubilæi gratia an quis bis frui poſſit 38 1 a.

Quid ſi quis gravius fuerit gratia Iubilæi, & poſtea opera præſcripta non adimpleat. 36. 2. c.

Iudæus.

Iudæorum converſatio cum Catholicis, qui olim prohibita. 300 1. a. & ſeqq. Qui modò 2. a. 301. 1. a. & ſeqq.

Iudæis inter Chriſtianos quæ prohibita, 301. 2 b Obligant etiam Chriſtianos in conſcientia. *ibid.* Matrimonia cum ijs quâ prohibita 2. c.

Iudaiſmus.

Iudaiſmus quid. 299. 2. c. Ejus abominatio quanta ſemper in Eccleſia fuerit. 300. 1 b 2. a

Iudex.

Iudicis nomine quis intelligatur in hoc Tribunali. 6. 1. c. Ejus actiones quæ. *ibid.* 1. c. 4 2 b.

Iudex totaliter ignarus, pro non Iudice cenſendus. 19. 2 c.

Iudex reum legitimè non auditum & convictum condemnare non poteſt, eſto ſciret nocentem 528. a b Quem verò novit innocentem, ſi probetur nocens, an poſſit condemnare 2. b. & ſeqq.

In quibus peccare ſoleat quoad criminalia Iudicia. 529. a. a. & ſeqq.

Iudicium.

Iudicium practicum, & ſpeculativum, quæ. 71. 2. a.

Iudicium rationis qui diſtinguendum contra operationem Æſtimativæ. 71. 2. b. Iudicium rationis impeditum à voluntate ne moveat &c. Virtualiter adhuc operatur. 72. 1. b.

Iudicia quibus diſtinguantur. 228. 1 c.

An omnis falſitas in Iudicio ſit peccatum mort. 582. 1. a. b.

Iulianus.

Iuliani apoſtatæ odium & prava affectio in Chriſtum. 339. 2. b.

Iuramentum.

Iuramentum quotuplex. 455. 1. c. & ſeqq. 466. 1 b. c. Quando licitum. 456. 2. a. Ut à voluntate humana procedit triplicem continet conditionem implicitam. 261. a c. Quando non obliget cum detrimento Proximi. 175. 1. c.

Quid ſit jurare in *veritate*, in *Iudicio*, & in *Iuſtitia* 456 2. b. c. Abſque his circumſtantijs quale ſit peccatum 456 2. c, Quale juramentum Chriſtus prohibuerit 457 1 a b.

Iurare per S Crucem. Sanctos &c. quale peccatum. 457. 2. c. Per fidem dupliciter quis poteſt jurare. 458 1. a. Iuramentum aſſertorium quid. 455 1. c 458. 1 b & ſeqq.

Iuramentum execratorium quod 455. 2. a b. 458. 2 b.

In quo diſtinguatur ab aſſertorio. 2 c.

Iuramenti contra veritatem qualitas. 459. 1. b. & ſeqq. Contra Iuſtitiam 2. c. Contra Iudicij prudentiam. 460. 1. a.

In Iuramento an ſit licitum uti amphibologia. 460. 1. b. & ſeqq. 462 1. a. & ſeqq

Ad Iuramentum quando quis cenſeatur illegitimè urgeri à Iudice. 462. a c. Quando ſit à privata perſona. 463 2. a.

Iuramentum exigere quando liceat. 463. 1. a. Et quibus caſibus à pejuraturo. 1. b.

Iuramentum promiſſorium quid. 455. 2. a. 463. 1. c. & ſeqq. Quotuplex 2. c. 464. 1. a. Unde inde duplex oriatur obligatio. 2. b. Ad illam obligationem requiritur acceptatio 464. 1. c. Quid obliget promittentem 2. a Ejus materia licita & legitima, quæ? Sex regulæ circa hoc 464. 2. b & ſeqq. Iuramentum promiſſorium illicitè factum ſuper re tamen licita, an obliget 465. 2. c. 466 1. b. & ſeqq. Quæ libertas vel deliberatio requiratur ut Iuramentum promiſſorium obliget. 467. 1. c. & ſeqq Quid de juramento ex errore facto 467. 2 c.

Iuramenti promiſſorij quis capax 469. 1. a. Promiſſoria dubia qui interpretanda. 468. 1. c. In omnibus promiſſorijs, quinque conditiones. 2. c.

In juramentis quæ fiunt in contractibus mutuis, quæ conditio cenſeatur ſemper annexa. 469. 2. a.

Iuramenti obligatio quibus modis poſſit tolli 469. 1. a. Quid irritatio & quibus competat. 468 1. a. b. Quid condonatio, & illud qui condonare poſſint. 469 1. c 2. a. Iuramenta mutua quî condonentur, 1. b. Qui injuſtè coegit ad jurandum poteſt cogi ad condonandum 2. c.

Iuramenti diſpenſatio quid & quis diſpenſare poſſit. 469 1

2. *c.* 470. 1. *a.* & *ſeqq.* An ſuperior in eo diſpenſare poſſit ſine conſenſu illius, cui factum eſt 470.1.c.

In omni diſpenſatione quæ cauſa requiratur. 2. *a.* Quo Jure poſſit diſpenſari juramentum Deô factum 2. *a.b.* 262.1, *b.*

Quid de juramentis Capitulorum, Univerſitatum, Civitatum, &c. 470.2. *b.* & *ſeqq.* Qui interpretanda 471. 1. *b,*

Iuramenta ſingularia ſeu de re ſingulari, qui obligent. 471. 1 *c.* & *ſeqq* Et talia non emittuntur in obligationem, conditionaliter vel contingenter futuram. 2. *b.* Iurans ſervare ſtetue &c. De quibus cenſeatur intelligere 2. *c.*

Iuriſdictio.

Juriſdictio delegata, quæ. 17.2 *c.* & *ſeqq.*

Juriſdictio certa, quæ. 20. 2, *c.* Quæ probabilis. 21. 1. *a.* & *ſeqq.* Quæ dubia. 1. *c.* 2. *a.*

Iuriſdictione tantùm probabili, an liceat uti relictâ certâ. et. 2, *b.* 12. 1 *c.* . e, *a.*

Iuriſdictione verè & precîcè dubiâ in quo caſu liceat uti. 22. e. *a.* & *ſeqq.*

Iuriſdictio univerſalis, quæ, quotuplex & quibus competet. e3. 1. *a.* & *ſeqq.*

Iuriſdictio reſtricta, quæ, & quotuplex. 23. 2 *a, b.*

Iuriſdictionis collatio, qui diſtinguatur ab approbatione. 47 1. *a.*

Iuriſdictionis Regularium modificationes in actu ſecundo, 54. 1. *c.* & *ſeqq.* Inter limitetionem, & modificationem Iuriſdictionis differentia. 25. 1. *c.* 2. *c.* & *ſeqq.*

Iuriſdictio excommunicandi &c. an ſoli Sacerdoti competat. 18. 2. *c.*

Iuſtitia.

Ad Iuſtitiam quam vindicativam ſpectet Tribunal Sacrament 8. 1. *c.*

Labor.

Labor, ut ordinatus ad acquiſitionem bonorum temporalium, quid. 560. 1 *b. c.* Duplex ejus conſideratio. e *a, b.*

Labor quia ſit innocens ab injuſtitia. 560. 2. *b.* Quis pateat Injuſtitiæ. 560. 2. *c.* & *ſeqq.*

Labor manualis quibus neceſſarius. 88. 2. *a.*

Lacryma

Lacrymarum facilitas in aliquibus. 118. 1. *a.*

Ladulaus Rex.

Ladislaus presbytero Hæretico deferenti S. Euchariſtiam noluit reverentiam exhibere. 304, 2. *b.*

Latria.

Latriæ cultus, quis 416. 2. *c.*

Latrocinium.

Latrocinium qui differat à ſimplici homicidio. 515. 2. *b.* Latrones non habent immunitatem Eccleſiaſticam, *ibid.*

Legatum.

Legatum quid. 559. 2. *b.* In quo ſequatur naturam Donationis. 1. *c.*

Legati injuſtitiæ. 559 2. *c* 560. 1. *a.*

Legis-Lator.

Legiſlatores ſeptuplices. 252 1. *a. b.* Eorum poteſtas. 2. *c* & *ſeqq* Quando cenſeantur præcipere ſub mortali. e71. 1. *b. c.* Eorum tacita diſſimulatio neceſſaria eſt ad abrogationem Legis per uſum & conſuetudinem contrariam. 272. 1. *b.*

Legiſlatorum ſententiæ ſtendum, etiam contra propriem opinionem. 205. e *b* 206 1. *b.* Eorum voluntas, intentio, ac finis eſt anima & Spiritus Legis. 207. 1. *c*

Legiſlatores civiles non intendentes obligare ad culpam, an tollant culpam actui ex naturâ annexam. 258. 2. *a.*

Levitas.

Levitas materiæ ſit quandoque mort, ob ſcendalum. 64. 1. *a.* Et ob litas indè orſundas. 2. *a.*

Lex.

Lex, quid? 237. 1. *c.* & *ſeqq* Qui diſtiuguatur à ſimplici præcepto. 2. *c.* Et à Monitionibus &c. 238. 1. *c.* In unaquàque lege 4. diſtinguenda 185. 2. *c* Quid agendum dum circa ee aliquod dubium occurrit. 186 1. *a* & *ſeqq.*

Lex omnis tribus conſtituitur. 206 2. *c.*

Ab ejus objecto furmali qui deſumatur unitas & diſtinctio ſpecifica peccatorum 96. 1. *c.* & *ſeqq.*

Quando cenſeatur eſſe in poſſeſſione obligendi contre dubitantem. 190. 2. *c.* & *ſeqq.* Contra eam quando cenſeatur dubitans poſſidere. 191. 2. *c.* & *ſeq.*

Omnis legis finis Charitas 207. 2. *a. b.*

Lex omnis obligat ad ſui ſequelam. 256. 1. *b.* Varia & multiplex ejus obligatio. 1. *c* & *ſeqq.*

In legibus unde mutatio. 217. 2. *c.*

Legis ceſſatio qui differat ab ejus diſpenſatione. 261. 1. *a.*

Legem tranſgredi ex contemptu, quale ſit peccatum, 280. 1. *c* & *ſeqq.*

Lex quando cenſeatur deficere ad hoc ut conſuetudo contra eam prævaleet. 182 1. *c.*

Legis primaria diviſio, quæ. 238 2. *a.* & *ſeqq.*

Lex æterne omnium legum fundamentum. 237. 1. *a.*

Lex naturalis, quid, & qui differat à conſcientia 153. 1. *a.* Unde in aliquibus pervertatur. 1. *b* Qui concurrat ad formandum actum conſcientiæ, & ed ejus infallibilitatem. *ibid.* 1. *c.* & *ſeqq.* 157. 2 *c* & *ſeqq.* Contra ejus principia an detur exceptio, & excuſetio legitima excuſans à peccato. 158 1. *b.* & *ſeqq.* Peccata quæ immediatè contra eam committuntur qualia ſint. 63. 2. *c.*

Lex puræ naturæ nulla. 238. 2. *b. c.* 243. 1. *c.* Aliud eſt pertinere ed Legem naturalem, eliud ad ſtatum legis naturæ. 244. 2. *b.* Lex naturalis aut ad æternam beatitudinem dirigit qui pertinet ad Divinam legem. 258. 1. *c.*

Legis naturæ præcepta duplicia. 161. 2. *c.* An eorum detur ignorantia inculpabilis. 162. 1 *a.* & *ſeqq.*

Legis naturæ mixtæ præcepta, quæ: Et eorum ignorantia culpabilis vel inculpabilis. 162. 2. *c.* & *ſeqq.* Scientia præceptorum legis naturæ obligat pro ſemper & ad ſemper. 163. 2. *c.* Non ſic ſcientia præceptorum aliarum legum 164 1. *a.*

Lex naturalis ſacra quæ? 244 2. *c.* Naturalis moralis, quæ. 245. 1. *b* Naturalis poſitive, quæ. 1. *b* & *ſeqq.*

Lex divina quid? 239. 1. *a.* Ejus finis. 1. *b.* Ejus obligatio. 2. *a.* Ejus diviſio 2. b.

Lex divina naturalis quæ? 239. 2. *c.* An interdùm fuerit immutata à Deo 250 1. *a.* & *ſeqq.*

Lex poſitiva Divina, quæ. 164. 1. *b* 240. 1. *c.* Qui diſtinguatur à Divina naturali *ibid.* 1. *c.* 249. 2. *a. b.* Qui ſe mutuò excedant. 1. *c.* & *ſeq.* Quid agendum dum inter eas reperiretur aliqua incompoſſibilitas. 250 2. *b.*

Lex Divina poſitiva qui ſit tredita. 240. 1. *c.* Ejus diviſio in Sacram, Moralem, & Politicam 245. 2. *b.* Eccleſiaſtica Divina qui diſtinguatur ab Eccleſiaſtica humana. 245. 2. *c.*

Divina poſitiva qui concurret ad formandum actum conſcientiæ 153. 2. *a. b.* Et ad ejus infallibilitetem. 157. 2. c. 158. 1. *a* & *ſeqq.*

Solius Divinæ voluntatis eſt diſcernere obligationem in ſuâ Lege. 258. 2 *a* Illa qui obliget. 2 *b* & *ſeqq.*

In eâ unde poſſint mutationes contingere. 260 2 *a.* & *ſeqq.* Contra ejus principia an detur exceptio & excuſatio legitima excuſans à peccato. 159. 1. *b.* & *ſeqq.* An detur ignorentia inculpabilis 164. 1. *c* & *ſeqq.* An præter Deum aliquis in eâ poſſit diſpenſare. 261. 1. *c.* & *ſeqq.* In eâ an detur epikeia. 262. 2 *c.* Cujus ſit eam interpretari. 263 1. *a b.* In dubiis vel obſcuris ſex illius interpretes 259 1. *b.* & *ſeqq.* In eam an cadat opinio quoad ſubſtantiam præcepti 201. 1. *b.* Quæ opinio circa eam permitti poſſit 2 *b c.*

Lex Divina & humana qui ad invicem ſe habeant 250. 2. *c.* & *ſeqq.*

In Lege Divina diverſi gradus. 2. 8. 1 *a, b.* e63. 1. *c.* & *ſeqq.*

Lex Divina eſt menſura & Regula cæterarum Legum. 270. 1. *b.*

Lex vetus qui vocata *Lex vitæ*, *Hæreditas vitæ* & *Teſtamentum æternum* 243. 1. *a. b.* Data in tonitru & fulgure quid ſignificarit. *ibid.*

Lex eccleſiaſtice eſt affinis Legi divinæ 202. 2. *a.* Innititur primæ veritati & infallibilitati Eccleſiæ. 2. *b.*

Lex Eccleſiaſtice qui obliget. 266. 1 *b* & *ſeqq* An detur purè pœnalis. 267. 2 *c.* 268 1, *a. b.*

Obligans ad culpam, ed cujus legis præceptum reducatur. 268. 1. *b.* & *ſeqq* Signa obligationis illius ad mortale vel veniale. 270. 1. *b,* & *ſeqq.*

Legis Eccleſiaſticæ Divinæ ſuperadditæ utilitas, & neceſſitas. 270 2. *b.* & *ſeqq.*

Lex Eccleſiaſtica quibus modis ceſſet. e71 2. *b* & *ſeqq.* In eam cadit, & ſæpè neceſſaria eſt epikeia. 272. 2. *a.* Quedruplex ejus interpres. 2. *c.* In eâ quatenus eſt Eccleſiaſtica, datur diſpenſetio. 273. 1. *c.* & *ſeqq.* In ea qui poſſint diſpenſare. 2 *b.*

Legis Eccleſiaſticæ promulgatio qui obliget. e73. e. *c.* Ut obliget debet obligator ſe intimari. 274 1 *b.*

Lex humana, quæ. 245 2. *c.* Qui debeat conformari Charitati ut veræ legis rationem habeat. 207. e. *c.* Ejus Iuſtitia pendet à lege Divina. 251 1. *b.* Quotupliciter & per quam poteſtatem poſſit ab homine ferri 246 1. *b.*

Legis humanæ diviſio. 202. 1 *c.* 246 2. *c* & *ſeqq.*

Lex humana, quatenùs humane, an obliget in foro conſcientiæ. 248 2. *c.* Duplex ejus obligatio. 247. 2. *c.* Qui & quando obliget ad culpam. 275 1. *b.* Quendo non obliget. 2 *b. c.* Poteſt obligare ad pœnas temporales etiam ei ſqui

ad

ad mortem corporalem 276 1.c. Signa obligationis illius, ſive ad culpam ſive ad pœnam 276.2.a.b. Poteſt præcepto divino ſeu Eccleſiaſtico ſuperaddere obligationem culpæ in conſcientia 276.2.c.

Lex purè pœnalis quæ. 278. An talis poſſit ferri ubi materia eſt de ſe peccaminoſa. *ibid.* 1.a *& ſeq.* Quæ pœnæ ſint hujus legis materia. 278 2 b *& ſeq.*

Lex humana qui formet infallibilitatè conſcientiæ. 158.1.b.

Legis humanæ poſitivæ ignorantia invincibilis in foro conſcientiæ 168.1.a.

In legem humanam, quatenus eſt humana, qui cadat opinio. 202.1.b Ut ex Divina derivatur quam opinionem admittat. 206.2.b *& ſeq* In eâ undè opinionum diverſitas. 207.1.c.

Lex ſæcularis qui debeat conformari legibus Eccleſiaſticis. 256 1 b Ejus præcepto an quandoque cedat præceptum legis Eccleſiaſticæ. 90 1 a.

Lex mixta, quæ. 251.1.c. Qui ad ſe invicem Leges miſceantur. 1.c.2.a. Vix datur Lex quæ non ſit mixta 2.b. Sumit ſuam denominationem à Lege prædominante. *ibid* 2.b.

Libellatici.

Libellatici qui, & unde ſic dicti. 326.2 c.

Libellus famoſus.

Libellos famoſos edere, &c. quale peccatum. 588.2 b. Quæ pœnæ decretæ contra illos edentes. *ibid.*

Liber prohibitus.

Libri prohibiti in indice Romano, triplices. 317.1.b. Eorum lectio & retentio ſub qua culpa & pœna prohibita. 1.c. *& ſeq.* Vide *Approbatio, hæreticus Liber.*

Libera potentia.

Libera potentia qui in eligendo ſit ſuæ libertatis Domina. 186 2.c.

Libertas.

Libertas in eligendo quamdiu maneat indifferens. 186.2.b.

Libertas alia ab intrinſeco, alià ab extrinſeco. 467 1.c.

Lingua.

Linguæ vitium quod prohibeatur 8. præcepto Decalogi. 581 2.a. *& ſeqq.*

Loth.

Loth ignorantia, cognoſcentis filias ſuas, qualis fuerit. 160. 1.b. An ei fuerit peccaminoſa. 168 2 a.

Lucrum.

Lucrum verum ceſſans, quis attendendum. 571.1.a.

Lumen.

Lumen naturale quid, & quis differat à conſcientia. 153.1.a, b

Luminis totius naturalis fines ſubordinati. 242. 2.c.

Lumen quale requiratur ad celebrandum. 436.2.c.

Machabæi.

Machabæorum opiniones de obſervantia diei Sabbati expenduntur. 201 1.c. 202.2.b.c. 203.1.a.

Magia.

Magia quid. 450.2.c. Triplex in ea operatio Dæmonis. 451. 2. a.

Magiſtratus.

Magiſtratus hæretici officia. 325.1.c. *& ſeq.* Vide *Princeps. Rex.*

Maleficium Maleficus.

Maleficium quid. 451.1.b. Quotuplex. 1.b.c.

Maleficorum ordinaria peccata. 451.2 a.b.

Maleficii ſigna an liceat tollere abſque peccato. 451.2.c.

Malum, Mali permiſſio.

Malum permittere non cenſetur, qui non poteſt impedire. 73.2 a. Nec, qui ad illud advertit. 74 1.c. Quando quis teneatur ad illud impediendum 2.a. *& ſeq.*

Malum ſub ſpecie boni apprehenſum, qui interdum obliget ad operandum. 172.1.a. An poſſit formaliter tunc reputari bonum. 176 2.b.c.

Qui intelligendum, *Ex duobus malis minus eligendum eſt.* 179 1.c 193.1.c.

Malum alteri, & ſibi qua ratione liceat interdum optare. 350.1.a. 356.2.c 357.2.a.

Manipulus.

Manipuli ſumptio ante Miſſam, quid ſignificet. 439.1.c.

Mater.

Matrum peccata à conceptu prolium. 509.1.c. Vide *Parens.*

Matrimonium.

Matrimonia cum Paganis qui, & quo jure prohibita. 299.1 b. *& ſeqq.* Et cum Judæis. 301.2. c. Rigoroſius prohibita cum his, quàm cum illis 302.1.a.

Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, qualia ſint. 310. 1.c *& ſeq.* Qui peccent Catholici cum eis contrahentes. *ibid.* 1.c. *& ſeqq.*

Matrimonii impedimentum dirimens cognitum ex Confeſſione, quando non poſſit Confeſſarius manifeſtare 59. 2.b.

Matrimonium inire promittens & jurans in genere, ad quid teneatur. 465.1.c. Qui dei promiſerit vel juravit alicui tertio 2.a.

Matrimonialis concubitus duplex finis. 542.1.a. Limites honeſtatis illius. b.

Medicus.

Medicus ſentiens motus ſenſualitatis, &c. dum medetur fœminæ circa partes inhoneſtas, an teneatur impedire motus illos, vel abſtinere à medendo. 73.2.b 74.1.c. An poſſit ægro conferre medicinam ex qua immineat periculum vitæ, ſi habeat aliam ex qua tale periculum non imminet 200 a b.

Quam injuſtitiam committat in eis, ad quæ obligatur. 561. 2.a.

Mendacium.

Mendacium quid. 583 2. b. c Quotuplex, & quale peccatum. 584.1.a. *& ſeq.* Quod prohibeatur 8. præcepto Decalogi. 581 2.a

Mendaciorum octo genera 584.a b.

Mendacium nullo intuitu eſt licitum. 584 2.c. 585.1.a.

A mendacio qui excuſentur aliqua dicta Sanctorum. 585.1 b

Mendicantes fratres.

Mendicantium fratrum juriſdictio in pœnitentes. 16 1 a. 18.1.a. 19. 1. b. An iis quis poſſit confiteri in fraudem, ne confiteatur proprio Parocho 16.1.a.

Eorum juriſdictio qui poſſit dici reſtricta. 23.2.b. An poſſit limitari ab Epiſcopis 24.2 c.

Pro ſæcularium confeſſionibus excipiendis, accipiunt approbationem ab Epiſcopis à Papa juriſdictionem. 42.1 b.

Approbati ab uno, an accipiant juriſdictionem pro univerſa Eccleſia. 21.1.c 53 1.c. *& ſeq.*

An approbati contra voluntatem Superiorum, validè abſolvant. 54.2.a *& ſeq.* Quid ſi ſine eorum præſentatione. 56.1.b

An aliorum Ordinum exemptorum Religioſos, vel Religioſas ſine licentia Superiorum poſſint validè abſolvere. 55.1. a.b.2.b. Vide *Approbatio, Confeſſarius.*

Mens.

Mentis nomine intelligitur intellectus. 337.2, c. Ex totâ mente qui diligatur Deus. *ibid.*

Mercatura.

Mercatura quid. 562.1.a Ejus ſpecies. 1.b.c. Licitè & juſtè poteſt exerceri. 562.2.a. *& ſeq.* Ejus juſtitia in quo conſiſtat. 563.1.a.b.

Mercaturæ termini reales. 564 2.c. 565.1.a.

Metus.

Metus quis irritet votum, & quis non. 472.2.b. *& ſeq.*

Miles.

Militis Ordinarius quis. 17.1.c.

Miles alius ſubditus Principi bellum gerenti, alius non ſubditus, ſeu externus. 532.1.a.

Militare in bello juſto an quilibet Laicus poſſit. 532. 1. a. Quid de Clericis. 1.b.

Miles ſubditus tenetur ſtare judicio Principis, eſto de juſtitia belli dubitet et c. 2.c Secùs ſi conſtaret de manifeſta injuſtitia. *ibid.* 1.c Quid ſi cogatur à Principe. 2 a.

Miles externus militans in bello injuſto, qui peccet. 532. 2. b.

In bello juſto licet militare ſub Principe infideli. 532. 2, c. Non tamen ubi eſt periculum fidei. 533 1 .a. Pericula militantium ſub infidelibus & hæreticis. *ibid.* 1.a. *& ſeq.* Quid de Davide recurrente ad Achis. 2.b.c.

Militum peccata. 532. 2.b.

Minores fratres.

Minores Fratres frangentes jejunium feria 6. in quam incidit Vigilia Apoſtoli, an committant duplex peccatum mort. 95. 2. c. Ante 21. ætatis annum tenentur ad jejunia Regulæ. 598. 2.b Sexagenarii non tenentur. 590.1.a. Quid de Privilegio Ipſis conceſſo à Leone X. transferendi jejunium in alium diem. 598.1.b.

Uſus rerum apud Minores Fratres, quis. 554.1.c. 2.a.

Miſericordia.

Miſericordiæ opera qui obligent, & ad quod præceptum reducantur. 356.2.a.b.

Miſſa Miſſæ Sacrificium.

Miſſa quid 412.1.b.c. *& ſeqq.* Immolatio in qua actione compleatur 2.b. Oblatio in quo conſiſtat. 2.c.

Miſſæ Sacrificii cum cruento Sacrificio comparatio 439.1. c. Eſt totius vitæ Chriſti compendium. 1.c. Explicantur præambula Miſſæ myſteria. 2 a. *& ſeqq.* Ab introitu uſque ad Evangelium. 440.1.c. *& ſeq.* Ab Evangelio, uſque ad Offertorium 441.2 .b. *& ſeqq* Ab Offertorio uſque ad Canonem. 442. 1.a *& ſeq.* A Canone uſque ad Communionem. 2, b, *& ſeq.* A Communione uſque ad finem 444.1 c.

Trip lex offerens in Miſſæ Sacrificio.425 1 *b*. An poſſit offerri Sanctis.213 1.*c*.

Miſſam celebrare quando teneatur Sacerdos jure divino. 431.2.*a*.*b* Jure Eccleſiaſtico, quando 2 *c*. Quid de Parochis. 432.1.*a*.*b*. An plures una die poſſit celebrari.1.*c*. Cauſæ neceſſitatis plures celebrandi 2.*b*. Non permittitur niſi jejuno. 2 *c*. Quoties una die Eccleſia ordinariè id tantùm permittat.433 1

Miſſam celebrans in mortali, quot peccata committat. 99. a.*b*. Et tres Miſſas celebrans in Natali Domini. 100 1 *b*.

Ritus in Sacrificio Miſſæ, alii eſſentiales, alii cæremoniales. 213.1.*b* 433. 1.*a*. Ad eſſentiales qui obligetur Sacerdos. 1 *b*.

Inter partes integrantes, quæ magis præcipuæ, & qui obligent.2.*a*. *& ſeqq*

Ritus concomitantes, qui.434.1.*a*. Celebrans loco non ſacro qui peccet & quando 1 *a*.*b*. Quid de Privilegiatis.1.*c*. Quid ſi locus prius conſecratus fuerit pollutus. 2 *b*. *& ſeqq*. Celebrare in altari non conſecrato quale peccatum. 435. 2 *b*. Quis ornatus in eo requiratur 436.2 *b*.

Ritus merè directivos omittens, qui peccet.438.2 *b*.

Fructus Sacrificii Miſſæ triplex.213 1.*b* 424.1.*c* *& ſeqq*. An omnes habeant vim ex opere operato.2.*b*. Illorum fructuum variæ portiones, & quibus cedant. 425. 1 *a*. Cedens Eccleſiæ an ſit in diſpoſitione Sacerdotis.*ibid*.1 *b*. De eo qui participent membra Eccleſiæ.1.*c*. Quid ſi Sacerdos aliquè excluderet. 2.*a*.

Qui fructus cedant iis pro quibus Miſſa eſt celebranda. 425. 2.*a*.*b*. Quid ſi illorum fructuum capaces non ſint.*ibid*. Fructus impetratorius ſemper prodeſt tempore opportuno. 425. 2.*c*. Quis fructus applicandus pro ſtipendio injuſto & nimis diminuto.425.2.*c*.426.1 *a*.

Fructus Miſſæ quando debeat à celebrante applicari.430.1. *c*. Modus eum applicandi.2.*a*.

Applicatione Miſſæ facta à Superiore, an inferior non poſſit eam alteri efficaciter applicare.430 2.*b* *& ſeqq*.

In applicatione fructus Miſſæ, quæ conſideranda. 431.1.*a*.

Miſſa qua hora poſſit celebrari 438.2.*c* 439 1.*a*.

Sacrificii Miſſæ Miniſter quis debeat eſſe.438.1.*b*.

An fine eo poſſit celebrari.1.*c*.

Præceptum de audienda Miſſa, qui ſit determinativum diei. 102.2.*b*. Et diebus Feſtis & Dominicis qui ſit determinativum divini præcepti.269 1.*a*.270.2.*c*. Ex quibus Legibus oriatur. 251.1.*c*

Miſſam audiens quam intentionem debeat habere, ut ſatisfaciat præcepto.265.1.*a* *b* Quid ſi habeat contrariam voluntatem nolendo ſatisfacere præcepto.2 *c*.

Miſſæ auditio an poſſit omitti ut ſuccurratur proximo periclitanti 175 1.*c*. Quid ſi tantùm ſit in gravi neceſſitate.486.2.*b*

Ad Miſſarum ſolemnitates an poſſint admitti hæretici publicè & nominatim non denuntiati 308.2.*b*. Vide *Celebrans, Dominica dies. Stipendium.*

Miſſio.

Miſſio quid? 2.1.*a*.

Mœchia.

Mœchia quid? 538.1.*a*. Sub ea quid prohibeatur.1.*b*.

Mollities.

Mollities quid, & quale peccatum.548.1.*a*. Vide *Pollutio.*

Monarcha.

Monarchicum regimen quod dicatur.251.2.*c*. Ad hoc qui ordinentur.252.1.*a*.

Monialis.

Monialium Confeſſarii quam juriſdictionem habeant. 14.2. *a*. Earum Præfectis qui interdum concedatur ut Confeſſarium pro ſuis aſſumant; & illa aſſumptio quid ſit 19.1.*a*. Prætextu directionis ſpiritualis malè ſecreta ſuæ conſcientiæ manifeſtant ſuis Præfectis.12 1.*b*.

Moniales qui obligentur ad recitandas Horas Canonicas, duplex opinio 209.2.*b*. An ex conſuetudine.281.2.*c*. An titulo Religionis.383.2.*c* 394.2.*c* *& ſeq*.

Monopolium.

Monopolio qui peccetur 564.1.*b*.

Mons pietatis.

Montium pietatis origo.577.2.*c*. Ad quam limam debeant reduci, ut cenſeantur juſti. 2.*b*.

Mors.

Mortis periculum quod cenſeatur 15.1.*a*. In eo exiſtentem quilibet Sacerdos poteſt abſolvere à peccatis. 14. 1. *b*. *& ſeq*. 22 2 *a*. Et à reſervatis & cenſuris.28 2 *b*. Sic abſolutus non tenetur, ſi convaleſcat. accedere ad Superiorem ut abſolvatur, niſi cenſuræ ſint deductæ ad forum contentioſum 2 *c*.

In mortis periculo exiſtens, qui obligetur ad contritionem ſi ſit in mortali, & non poſſit confiteri.40.1.*b*.2.*a*.

In eo exiſtentem duo præcepta conſtringunt.338 2.*a*.*b*.

Mortem an ſibi & alteri liceat interdum optare 350 1 *a*.

Motus.

Motus animæ triplices.75.1.*b*.

Motus primò primi, qui.75 1.*c*. In quibus potentiis dentur. 2.*a*. Motus ſecundo primi, qui.2.*b*. *& ſeq*

Qui motus ſubjiciantur Dominio voluntatis.76 1.*b*.

In quibus poſſit eſſe peccatum.1.*c* *& ſeq*.

Motus carnis etiam graviſſimi quando non cenſeantur permitti à voluntate 73 2 *a* 74.1 *b* Unde diſcernantur involuntarii.82.2.*a* *& ſeq*. Eorum diuturna perſeverantia non eſt ſignum deliberati conſenſus.83.2 *a*. Quid ſi quis dubitet an verè iis conſenſerit.83.1.*b*.84.1.*c*. Motibus carnis valdè ſubjectus, an cum ſpe fructus poſſit ire ad meretricium ut prædicet meretricibus.74.2.*b*.

Motuum tentationum ſex cauſæ.84 2 *c*. *& ſeq*.

Quibus modis poſſit voluntas iis reſiſtere.85.2.*c* 86.1.*a*. Varia remedia contra eos.*ibid*. 1.*a*. *& ſeq*.

Mulier.

Mulieri cur quandoque prohibitum ne ob Religionem ſibi comas præſcinderet.271 2.*c*.

Mulieri Chriſtianæ quis ornatus, & e prohibitus. 418.2.*c*. 419 1.*a*. In ea dum communicat, qui prohibita nimia nuditas & fuci 418.2.*b*.

Mulier in quibus non poſſit miniſtrare Sacrificio Miſſæ. 438.1.*c*.

Mutilatio.

Mutilatio ſui ipſius ſollicita.526.2.*a*.*b*.

Mutus.

Mutus an teneatur nutibus vel ſcripto confiteri ſi poſſit. 124.1.*b*. *& ſeq*. 125 1.*a*.*b*.

Cum ſubitò obmuteſcente quid Confeſſario agendum.127. 2.*b*. *& ſeq*.209.2.*b*.210.1.*a*.2 *b*. Vide *Confeſſarius. Confeſſio.*

Mutuum

Mutuum dupliciter à mutuante datur.571.2 *b*

Ejus ratione aliquid exigere ultra ſortem, quando ſit uſura. 570.1.*b*. *& ſeq*.

A mutuante quæ onera poſſint ab extrinſeco imponi mutuatario.570.2.*b*. *& ſeq* Quid de damno emergente?2.*c*. Quid de lucro ceſſante?571 1.*a*. Quid de periculo ſortis, & moleſtia in illa recuperanda?1 *b* *c*. Quid de carentia pecuniæ?2.*a*. Quid de pœna appoſita?2.*b* Quid de pignore dato mutuanti in aſſecurationem mutui?2.*c*.

Myſterium.

Myſteriorum Dei natura, quæ?9.1.*a*.

Naaman Syrus.

Naaman Syro qui poſt ſuam converſionem licuerit adorare in Templo Remmon 327.1.*c* 2 *a*.

Natio.

Nationum quarumdam mores ferini.158.2 *b*.

Natio nulla tam barbara fuit, quæ Deum aliquo ritu colendum non æſtimaverit. 249.1.*b*.

Natura.

Naturæ puræ Status nullus, nec Lex.238 2.*b*.*c*.

Natura rationalis qui creata à Deo.240.1.*b*.

Naturæ & potentiarum volubilitas.410 1 *b*.

Peccatum contra naturam.quid.548 1.*a*. Ejus ſpecies. *ibid*. 1.*a* Pœnæ contra illud.171 1 *a*

Naturæ jure omnia bona fortunæ communia.554.1.*a*. Vide *Homo.*

Neceſſitas.

Neceſſitas quotuplex 502.1.2 2.*a*.

Extrema excuſat à peccato in furto 64 1.*c* Multum gravis à mortali *ibid*.1.*c*.

Neceſſitate gravi vel extrema laboranti an teneatur quis gratis neceſſaria dare.356.1.*c*.

In extrema neceſſitate quis præferendus.511.2.*b*. Vide *Eleemoſyna.*

Nomen.

Nomen Domini aſſumere quid ſit, & quibus modis fiat. 455 1.*b* *& ſeq*. Quid ſit illud in vanum aſſumere, & quibus modis id fiat. 2 *c*.456.1 *a*.*b* In vanum illud aſſumere, quale peccatum.457.2 *a*.

Nomen Jeſu frequenter eſt invocandum, ſed reverenter. 417.2 *b*. Vide *Iuramentum.*

Novitius.

Novitii cui Superiori ſubjiciantur.17.2.*c*. Eorum vota an poſſint à Prælatis Ordinis irritari?471.2.*a*.*b*.

Novitius in Ordine S. Franciſci tentatus ſpiritus crudelitatis 84.1.*c*.

Obduratio.

Obdurationis peccatoris cauſa, quæ.168 2.*b*.169.2.*b*. Quis ſit illa obduratio.2.*c*.169 1.*a*.*b*.

An excuſet peccata eam conſequentia.169.2.a. & ſeqq.

Objectum.

Objectum formale qui concurrat ad unitatem aut diſtinctionem actus 98 1 c.99.1.b.

Ex ratione objecti qui perpendenda malitia actus peccaminoſi.89.1.c & ſeqq. Ejus multiplicitate qui aggravetur malitia actus.95.1.b c.

Oblatio.

Oblatio Sacrificii in quo conſiſtat.412.2.b.c.

Obligatio.

Obligatio Legum varia 256.1.b.& ſeq. Vide *Lex.*

Oblivio.

Oblivio naturalis quæ 69.2 c.

Obſervantia.

Obſervantia vana quid.448.2.b. Quotuplex 2 c.& ſeqq. Conditiones ad eam requiſitæ.450.2.b. Modus cognoſcendi vanam obſervantiam à non vana.450.1.a.

Vana obſervantia quando ſit tantùm peccatū ven. 450.2.c.

A vana obſervantiæ qui excuſentur aliquæ cæremoniæ toleratæ ad Sanctorum reliquias,&c in aliquibus locis 450.1 b. & ſeqq.

Occiſio.

Occiſio ſuiipſius an quandoque licita 526.1.a.b. Vide *Homicidium.*

Occultum.

Occultum peccatum quod cenſendum.29 1.b.

Odium.

Odium Dei quale peccatum.63 2 c.339.1 b.Illud undè poſſit cauſari in impiis.1.c. Odii filia eſt prava affectio in Deum. 339 2.a.

Odium proximi in re gravi eſt peccatum mortale, 349 2.b.

Odium bonum Sanctorum quod.349 2 c 350 1.a.

Odium eſt filia iræ 524 1.c. Et juxta S. Auguſtinum ira inveterata.*ibid.*

Officium divinum.

Officium divinum quid.381.1.a. Quibus actibus innitatur. 1.c. Unde dicatur *Divinum. ibid.* Ejus quatuor præcipua membra 2.a.

Duplices actiones concurrentes ad divinum Officium. 384.1.b.

Duplex obligatio ad illud in Choro perſolvendum. 384.1. b.Illa obligatio ex quo debeat expendi.1.c.

Duplex aſſiſtentia in divino Officio.384.2.b.

Officia divina publica ad quid inſtituta.385.1.a.

Qui fuerint fundata.1 b. Antiquitus qui ſolita compleri.1.c. Ad illa qui,& qualiter teneantur.385.2.a.& ſeqq.

In Officio divino tria reperiuntur.403.c. c. Vide *Canonicus. Capellanus. Hora Canonica.*

Operarius.

Operariorum injuſtitiæ.561 1.a.b.

Operariorum merces defraudata,quale peccatum 561.2 a Quibus modis defraudetur.2 b Etiam in ſpiritualibus.2.c.

Opinio.

Opiniones undè ortæ.163.1 c.

Opinio quid,& qui opponatur fidei.195.1.c.& ſeqq.194 1. b.Qui diſtinguatur à dubio.195 2.b & ſeqq.

Opinio ſpeculativa & practica,quæ 196 1 b. & ſeqq. Quæ probabilis intrinſecè, & quæ extrinſecè. 2.b. Improbabilis, quæ 2 c.Hæc potius dicenda error.197.1 a.

Hujus ſigna 1.b Opinio juris & Rei. *ibid.* Opinio juris divini & humani.1.c. Opinio probabilior & minùs probabilis. 2.a.Opinio tutior.2 a.b.

Opinionis nova diviſio, in rectificantem & dirigentem, ac excuſantem,tantùm.208 1 a.

Opinio verè probabilis,quæ 203.2 c Duplex ejus probabilitas 204.1 a & ſeq.Ejus conditiones.2.a,Ejus ſigna.2 b.c.

Inter opinantem Theologum & Juriſperitum differentia. 205.1.b

Quorum Doctorum, auctoritas poſſit fundare opinionem probabilem.205.1.b Et qui fundet.1 c.& ſeqq

Opinio conſequens non juſtificat factum.199 1.a.& ſeqq.

Animadverſio notabilis circa hoc.1 c.e a.

In materia & forma Sacramentorum an liceat uti opinione probabili.199.2.c.& ſeqq.

In Legem divinam quoad ſubſtantiam præcepti,non cadit opinionum diverſitas vel probabilitas. 201.1.b Ut blaſphemiæ tales opiniones ablegandæ.1.a.Quæ opiniones circa eam permittendæ c.b.c.Earum diverſitas circa præcepta Legis divinæ quàm ſit pernicioſa Eccleſiæ 201.2 c.202 1.a.

In Legem humanam,ut humana eſt, cadit opinionum varietas.202 1.b.& ſeqq.Ut derivatur ex Lege divina quæ opinio circa eam cenſenda probabilis.200.2.b.& ſeqq Unde opinionum diverſitas circa eam 207.1.c.

In fundandis aut deligendis opinionibus qui habenda ratio charitatis.207.2 a Ita qui debeat conformari opinio ut ſit verè probabilis. 207.2.c. Devians à charitate eſt improbabilis. 208.2.a.

Ad opinionem verè probabilem in actibus poſitivis,an ſufficiat opinio excuſans tantum 208 1.b.c.

Ex opinione quacumque probabili an liceat operari.197 2. c.& ſeqq.

An liceat uti opinione probabili, relicta certè ſententia. 203.1 b.& ſeqq.

Unde interdùm cenſenda opinionis probabilitas data certa opinione contraria.203 1.c.2.a.

Opinione utrinque probabili,poteſt alterutra eligi.203.2 b

Inter probabiles an verior ſemper præferenda 208 2.c.

Opinionum verè probabilium libera eſt electio. 209 1.c.

Omnes verè probabiles ſunt tutæ 2.a. Quæ dicatur tutior. 2.b.An tutior ſemper præferenda.210 1.a & ſeqq

Opinio probabilis dupliciter removet periculum peccati. 209.2 c.

Opinione probabili ſtante vitandum interdum opus ſequens.210.2.a.

Opinio afferens gravamen operanti,vel alteri tertio, poteſt relinqui,& interdum id expedit 210 2.b c.

Opinio magis rigoroſa malè ab aliquibus ſemper præfertur.211.1.a & ſeqq.Quando præferenda.c b

Opinioni verè probabili pœnitentis debet ſe Confeſſarius conformare contra propriam opinionem 212.1 b & ſeqq.

Opinioni Doctorum quando ſtandum.260 1.a & ſeqq.

Opus.

Operis boni in gratia facti triplex virtus. 144.1.c. Vide *Actus.*

Oratio.

Orationis varia deſcriptio 370 2.b. Prærequiſita ad eam. 2.c 371.1.a.b Quæ eam comitentur, & conſequantur.1.c 2.a.

Oratio propriè dicta,quid 371.2.b.& ſeqq Ad quam animæ potentiam pertineat.373 a.b & ſeq.

Qui ab aliquibus deſcribatur actus rationis practicæ.374 1.c

Oratio Dominica eſt totius Evangelii Breviarium.251 a b Ejus expoſitio & applicatio ad omnes partes diffinitionis,orationis propriè dictæ 372 1 a.& ſeqq.Ejuſdem expoſitio à S.P. N.Franciſco 373.1.c.& ſeq.

Quid oratio mentalis.374.2.c Quid mentalis,& vocalis ſimul.375.1.a Vocalis tantùm non eſt vera oratio. 1 b. Quid de oratione quæ fit ignoto idiomate.1 c.

Oratio mentalis eſt perfectior 375.2 b. Mentalis & vocalis ſimul tur magis accomoda 2.c.376 1.a.b. In hac quid præcipuè cavendum 1.b c.

Oratio acquiſita & infuſa, quid. 376 1 c & ſeq. In quo diſtinguantur. 2 b. Influxus orationis infuſæ an fiat ordinario modo operationum humanarum 2 c

Oratio explicita & implicita quid,377 [illegible] & ſeqq. Præclara gradatio implicitæ orationis 1 c 2.a. Conſolatio pro afflictis,&c.putantibus ſe non poſſe orare,&c.2.b.

Oratio publica,quid 377 2.b Ad hanc quæ requirantur.2 c. Quid oratio privata.378.1 a.

Oratio adultis quam neceſſaria ad ſalutem 378.1 c & ſeq.

In omnibus ſalutaribus actibus qui contineatur oratio explicita,vel implicita,propria vel aliena,378 2 c.379 1.a. Quà intelligendum illud Chriſti Lucæ 18. *Oportet ſemper orare,& non deficere.*379 1.b.

Datur præceptum divinum naturale adultis de orando Deum obligans ſub mortali 379.1.c.2.a.An modus orandi ſub illud cadat.2.b.An tempus,locus,&c.2 c.

Præceptum illud quando obliget.380.1 b. Præter hoc non datur aliquod univerſale.1.c. Datur ſpeciale certis perſonis. 380.1 c.& ſeqq.

Deus & Sancti qui orandi 372.1 a & ſeqq.380.2.c.

Orationis communis in fide & ſenſu Eccleſiæ factæ fructus & utilitas 407.2.a Qui præferenda multiplicibus orationibus & mentis conceptibus.*ib.d.*

Orationis utilitas non eſt menſuranda interiore dulcedine. 407.2.b.

Ordinarius.

Ordinarius in hoc Tribunali,quis.12.2.c.& ſeqq.

Ordinarii nomen qui participent.13.1.b.& ſeqq.

Ordinarius in articulo mortis quilibet Sacerdos. 14 1.b.

Ordinarius an interdum juſtè poſſit nolle, ut ab aliis extra ſuum Territoriū ſubditis ſuis Sacramenta miniſtrentur.15.2.c

Ordinarius & proprius Judex interdum pro eodem accipiuntur,interdum diſtinguuntur.17.2.b.

Qui-

Quilibet ordinariam poteſtatem habens poteſt ſuum ſubditum ubivis locorum abſolvere. 17. 2. c.

Ordinarius qualiter ſibi poſſit reſervare loca & tempora. 24. 2. b. Vide *Reſervatus Caſus. Superior.*

Ordo.

Ordinis Sacramentum quas gratias conferat Sacerdotibus. 5. 1. a. b Vide *poteſtas ordinis.*

Origenes.

Origenes quàm graviter à Patribus reprehenſus, quia ſe caſtravit. 526. 2. b.

Oſcula.

Oſcula ex ſe ſunt indifferentia 548. 2. c. Eorum multiplex uſus. 549. 1. a. Quæ licita. 1. b. Libidinoſa qualia ſunt peccata. 1. c.

Oſcula moroſa & ſtata perſonarum alterius ſexus, quum ſint periculoſa 549. 2. b. An excuſentur ratione parentelæ, &c. 2. b. c

Oſcula in conjugio quæ licita 549. 2. c.

Materiæ levitas an in oſculis excuſet. 550 1. a.

Oſcula præcedentia vel ſubſequentia copulam, an ſint particulariter in Confeſſione exprimenda. 98. 1. a. 2. a.

Oſee.

Oſee non fuit fornicatus, etſi ejus uxor fuerit fornicaria. 250. 1. c.

Otioſitas.

Otioſitas eſt cauſa multarum tentationum. 85. 2. b.

Remedium contra eas 88. 1. c. 2. a.

Paganiſmus. Paganus.

Paganiſmus quid. 298. 1. a. Qui diſtinguatur à Judaiſmo & Hæreſi *ibid.* Quale ſit peccatum. 1. b.

Quorum errorum fons. 1. c.

Converſatio cum Paganis quæ licita, quæ illicita. 298. 2. a & *ſeq.*

Matrimonia cum Paganis qui prohibita. 299. 1. b. & *ſeqq.*

Ad Paganiſmum quæ Pſeudo-Religiones reducantur. 299. 2. c.

Palla.

Palla, quâ Calix cooperitur cujus materiæ eſſe debeat, & an benedici. 437. 1. b.

Papa.

Papa quam Juriſdictionem habeat in univerſalem Eccleſiam. 12 c. 13. 1. a. An poſſit ſuſpendere cujuslibet Sacerdotis juriſdictionem pro articulo mortis. 14 1 b

Poteſt ſimul approbare & delegare. 18. 1. b. Quo jure eligat ſibi Confeſſarium. 19. 1. c.

Papæ competit juriſdictio ſimpliciter, & abſolutè univerſalis. 23. 1. b.

Qualiter poſſit ſibi reſervare perſonas. 24. 1. c.

A Papa ut Chriſti Vicario, qui leges condantur. 252. 1. b. Sine ejus auctoritate nec concilia celebrari poſſunt, nec Leges in eis condi. 1. c.

Papæ poteſtas ſequitur infinitam divinam. 252. 2. c.

In quibus reſideat 253. 1. a. & *ſeqq.* An poſſit diſpenſare in lege divina. 261. 1 b. & *ſeq.* 262. 2. a. b.

Poteſt & debet interdum cum ſuo Concilio pro univerſali Eccleſia interpretari leges divinas. 263 1. b.

Papæ poteſtas in diſpenſatione votorum. 484. 1. c. Quæ vota ſint ei reſervata 2 b. c.

An poſſit diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis. 486. 1. b. c. Vide *Petrus.*

Parens.

Parentibus honor debitus quis. 499 2. 1. & *ſeq.* In quibus conſiſtat. 500. 1 c. Peccata contra eum adverſantur juſtitiæ. 2. a. b.

Obligatio amoris ad eos, quæ. 500. 2. c. Qui peccetur contra eam 2 c. 501. 1. a.

Quæ cenſeatur materia gravis in odio, contemptu, &c. Parentum. 501. 1. b. Et in exacerbatione, afflictione, &c. eorum. 1. c. 2. a. & *ſeq.*

Parentibus qui benefaciendum. 502. 1 a. Iis alimenta neceſſaria, &c. in utroque homine negare, quale peccatum. 1. b. Subſidium inopiæ & egeſtatis eorum præferendum voluntariis oblationibus Deo factis. 355 2. a. Iis in neceſſitate relictis an filii poſſint intrare Religionem. 502. 1. c. Sic ingredientes & profitentes qui peccent 2. b. c. Sic profeſſi ad quid obligentur. 503. 1. a. & *ſeq* Quid ſi Religio conſcia fuerit neceſſitatis Parentum. 2. b. Quid ſi Parentes obligationem filio remittant 2. c. Quid filio agendum qui vovit ingredi Religionem, vel de facto jam ea profeſſus eſt, Parentibus in gravi vel extrema neceſſitate conſtitutis. 504 1. a & *ſeqq.*

Qui ſuadeat Scriptura odium Parentum ob amorem Dei. 504 1 b.

A parentibus omne malum & injuria notabilis ſub mortali eſt propulſanda. 504. 2. b.

Parentibus in quibus obediendum. 504. 2. c. Quæ pertineant ad curam Parentum in quibus filii obedire teneantur. 505. 1. c. 2. a.

Inobedientia ad Parentes quale peccatum 505. 2 b. & *ſeqq.* In electione Status fidei, &c. an Parentibus obediendum. 506. 1. c. & *ſeq.* Eorum aſſenſus qui requiratur ad Matrimonium. 507 1. c. & *ſeqq.*

Contra reverentiam Parentibus debitam quibus modis peccetur. 506. 2. a. & *ſeq.*

Parentibus cur non ſit datum præceptum de amore filiorum 509. 1. a.

Parentum 4. obligationes ad filios. 509. 1. b. Dilectio in quibus conſiſtat. 1. b. Providentia in quibus. *ibid.*

Peccata matrum à conceptu prolium 1. c. Item patrum ante & poſt conceptum. 2. a. Sub illam providentiam quæ cadant. 509. 2. a. Peccata contra illam. 2 b.

Educatio prolium in quo ſita. 509. 2. b. & *ſeq.* Procuratio ſalutis eſt præcipua eorum cura & ſollicitudo. 510. 1. c. 2. a. Contra illas obligationes qui peccent. 2. a. b.

Parentes tranſmittentes proles ad partes hæreticorum educandas quibus periculis eas exponant. 308. 2 c.

Qui cenſeantur filios plus amare quam Deum 342. 1. a. 346. 1. b. & *ſeq.*

Sua diſſimulatione, &c. qui peccent ſæpè peccato ſcandali. 367. 1. c. Intolerabile judicium ſibi inducunt 368. 1. c.

Quæ vota ſuarum Prolium poſſint irritare 476. 1. a. & *ſeq.* An poſſint votis ſuis eaſdem obligare 477. 1 b. & *ſeq.* Ad quid teneantur qui eas devovere Religioni. 2 b.

Parochiale Beneficium.

Parochialis Beneficii duplices fundationes & dotationes. 380. 1 c.

Parochus.

Parochus quam Juriſdictionem habeat in ſuam Parochiam & unde 12 2 c. 13. 1. b 20. 2. c. Non poteſt delegare niſi approbatos ab Epiſcopis vel à Papa 18 1. b.

Parochi quo jure ſibi mutuo aut aliis approbatis confiteantur, relictis propriis Sacellanis. 20 1. c.

Plures Parochi litigantes pro beneficio curato quam juriſdictionem habeant. 25 1. a. Etiam qui per Simoniam obtinuerunt beneficium parochiale. 1. b

Parochorum juriſdictio qui reſtringatur. 23. 2 b.

Juriſdictionem à ſe delegatam alicui approbato, qui poſſint limitare. 24 2. b.

Parochorum Officium quod 253. 2. c.

Qui peccent ob neglectum Catechiſmi 289. 2 c 290. 1. a.

Item ob defectum ſcientiæ. 290 1. c 2. a 291. 2. b.

Et ob defectum inſtructionis aliorum. 290 2. b. Declamatio Scripturæ contra eorum negligentiam. 292. 1. c 2. a.

Qui invigilare teneantur ſuper editione Bibliorum quæ manibus teruntur, & ſuper qualitate legentium. 319 1. a. b. Item ſuper controverſiis 319. 1. c.

Tempore perſecutionis an poſſint fugere. 327. 2 c.

Tempore peſtis qui obligentur per ſe vel per alium providere ut Sacramenta neceſſitatis adminiſtrentur ea laborantibus. 352 2 a. An teneantur cum detrimento communis populi uni aut alteri membro per ſe ſuccurrere. 2 c.

An teneantur Parochi ex vi præcisè beneficii parochialis ad horas Canonicas. 386 1. a b. Ex hujus vi ad quæ teneantur *ibid.* Ex quibus fundationibus, &c teneantur ad horas canonicas aut ſolemnia officia in Eccleſia celebranda. 386 2 a. b Et ad ea qui teneantur ex præcepto Eccleſiæ. 2. c. Illæ obligationes an ſint perſonales. 2. c. Quale peccatum ſit eas omittere. *ibid.* 2. c. 387. 1. a.

Quando teneantur Miſſam celebrare. 432 1. a. Fructum Miſſæ an teneantur Parochianis applicare. 432 1. b.

Patena.

Patena qualis requiratur ad celebrandum 436. 2. c.

Qui debeat eſſe benedicta 437. 1. a.

SS. Patres.

Sancti Patres qui in dubiis & obſcuris habendi ſint interpretes Legis divinæ. 259. 2. c.

Patrinus.

Patrinum hæreticum non licet adhibere in Baptiſmo & Confirmatione. 308 2. a.

Patrinorum obligatio ad filios ſpirituales. 512. 1 c. 2. a.

Patrini concubitus carnalis cum filia ſpirituali, eſt inceſtus ſacrilegus. 547 1 c.

Peccare.

Peccare in confidentiam gratiæ, vel privilegii, quid ſit. 37. 2. a.

Peccator.

Peccator quibus modis à peccatis poſſit purgari. 148. 1. *a. b.*

Varia tortura peccatoris etiam latentis & ſecreti. 156. 1. *b. & ſeq.*

Interdum induratur ejus cor à Deo. 168 1. *b. c.*

Qui cooſeatur obduratur 169. 1. *a. & ſeq.*

Peccatum.

Peccatum actuale quid. 93. 1. *a. b.* Quotuplex. *b. c. & ſeq.*

Peccatum voluntarium quod. 67. 2. *c.* Quando quis cenſeatur teneri ad tollendam cauſam peccati 74. 2. *a. & ſeqq.* Et impedire peccata aliena 2. *c.* In quibus motibus animæ poſſit eſſe peccatum 76 1. *c. & ſeq.* In qua delectatione ſit peccatum. 76. 2. *c. & ſeqq.* Duplex ſpecies peccatorum. 134. 1. *b.* In omni peccato eſt defectus dilectionis Dei, & affectus inordinatus ad Creaturam 142. 1. *c.* Peccata alia perſonalia, alia in aliorum perniciem tendunt. 263. 2. *c.*

Mortale peccatum, quid. 63. 2. *a.* Mortale ex natura ſuâ quid. 1. *c.* Ex præcepto quid. 64. 1. *a.* Ex accidenti & circumſtantia quid, *ibid.* 1. *a.* Idem numero an ex mortali poſſit fieri veniale, vel è contra. 1. *b. & ſeq.* Signa & Regulæ quibus mortale à veniali diſtinguitur. 66 2. *c. & ſeq.* Non remittitur niſi infuſione gratiæ. 3. 1. *b* Ejus remiſſio qui promittatur in Script. Contritioni, &c. 6. 2. *b. & ſeq.* Qui remittatur voto implicito Confeſſionis. 7. 2. *b. c.*

Mortale qui debeat eſſe voluntarium. 67 2. *c.* Ad illud quæ requiratur advertentia. 68. 2. *c. & ſeqq.* Quæ deliberatio 70 2. *b. & ſeq.* Quis actus voluntatis. 72. 1. *c. & ſeq.* Ejus gravitas unde interdum æſtimanda. 26. 2. *c.*

Veniale peccatum, quid. 63. 2. *a. b.* Quibus modis poſſit fieri mortale. 64. 1. *b. & ſeq.*

Venialia ratione ſolius multiplicationis non fiunt mortalia. 64. 2. *b.* Comparantur viſulaminibus quæ arbori adnaſcuntur. 64 2. *b.* Mille millia non perveniunt ad malitiam & damnum unius mortalis. 131. 2. *b.* Eorum multiplicatio diſponit interdum ad mortale. 64. 2. *c.* Eorum materia an poſſit aliquando excreſcere ad mortale. 66. 1 *b. & ſeq.* An poſſint interdum fieri materia gravis prohibitionis. 25. 1. *b.* Qui ſint contra ſubſtantiam Legis vel aliquam ejus circumſtantiam. 264. 2. *c.* In ordine ad Confeſſionem unde ſumatur peccatorum gravitas. 98 1. *a. & ſeq.* Triplex radix gravitatis eorum. 1. *b.* Qui expendenda illorum gravitas ex ratione objecti 89. 1. *c. & ſeq.* Qui ex intentione operantis. 90. 1. *b. & ſeqq.*

Qui ex circumſtantia. 92. *c. b. & ſeqq.* Unde deſumatur peccati unitas & diſtinctio ſpecifica. 96. 1. *c. & ſeqq.* Unitas & diſtinctio numerica, unde. 2. *c. & ſeq.* An attendenda diſtinctio numerica ſingulorum actuum phyſicè. 98. 1. *b.* Quæ peccata ſint materia neceſſaria Sacramen. Pœnitentiæ. Quæ libera. 5. 2 *b.* 6 2. *a. & ſeqq.* 100. 2. *b. & ſeq.* 136. 2. *c.* 193. 2. *b & ſeq.*

Peccata qui cenſeantur à Sacerdotibus retenta, ſi ab eis non ſint dimiſſa. 223. 1 *a.*

Peccatorum præteritorum repetitio an poſſit imponi pro pœnitentia. 230. 2 *b.* Vide *Confeſſio.*

Pecunia.

Pecunia tribus modis datur in cenſum. 575. 2. *c.* Ex ſola pecuniæ carentia an poſſit abſque uſura aliquid ultra ſortem exigi. 571. 2. *a.*

Periculum.

Periculo proximo peccandi non licet ſe exponere quavis intentione bona. 92. 1. *c.* Secus ſi non ſit tale periculum. 2. *a.*

Periculum remotum & proximum ſeu propinquum quod. 317. 2. *a.* Horum evitatio qui cadat ſub firmo propoſito, *de cætero non peccandi.* 2. *b & ſeqq.*

Ratione periculi res in ſe exigua, æſtimanda interdum gravis. 271. 1. *b.*

Permutatio.

Permutatio quod. 565. 1. *b.* Quæ injuſtitiæ committantur in permutatione rerum quæ non ſunt pecunia 1. *c.* In permutatione qui attendenda rerum inæqualitas. 565. 2. *a.*

Perplexitas.

Perplexitas eſt interdum cauſa erroneæ conſcientiæ. 176. 1. *a.*

Ex ea an interdum quis neceſſitetur ad peccandum. 175. 1. *a. & ſeqq.*

Pertinacia.

Pertinaciæ ſigna in errore. 161. 1. *c. & ſeq.*

Pertinacia ad hæreſim requiſita in quo conſiſtat. 302. 1 *c.*

Quatuor hominum genera laborantium pertinaciâ. 303. 1. *a & ſeqq.*

Petrus.

Petro, ejuſque Succeſſoribus demandatum univerſæ Eccleſiæ regimen. 253. 2. *b.*

Ejus poteſtas *ligandi & ſolvendi* quæ vincula complectatur. 262. 1. *b c.* 266. 2 *a.*

Eſt ſecundum fundamentum Eccleſiæ 266 2 *b.* Ejus doctrinæ infallibilitas. 266. 2. *c* 267. 1 *a Item* perpetuitas. 1. *b.*

Petri reprehenſio à Paulo in quo fuerit fundata. 321. 1. *b.*

Phariſæus.

Phariſæus cur condemnatus in comparatione Publicani. 244. 1. *c.* Et aliorum Phariſæorum juſtitia cur condemnata. *ibid.* 2. *a.*

Pietas.

Pietati non eſt favendum in detrimentum animæ. 181. 2 *c. & ſeqq.*

Pixis.

Pixis in qua aſſervantur S. Hoſtiæ an debeat eſſe benedicta. 437. 1. *b.*

Planeta.

Planetæ ſuperinduitio quid ſignificet 440. 1 *a.*

Pœna.

Pœnæ Eccleſiaſticæ non omnes ſupponunt culpâ. 268 1. *a. b*

Pœna triplex per Leges imponi conſuevit. 278 1. *a. b.*

Quæ pœnæ ſint materia legis purè pœnalis 278 1 *b. & ſeq.* An tales obligant tranſgreſſores in conſcientia eas ut ſubeant. 279. 1. *c.*

Pœnâ quæ apponitur in mutuo ut ſit juſta quas conditiones requirat 571. 2 *b.*

Pœnitentia.

Pœnitentiæ publicæ interdùm in Eccleſia fuere uſurpatæ. 8. 1. *a.* 9 2. *b. c.* Quotuplices fuerint. 10. 1. *a.*

Publicæ ſolemnes uni tantùm ſemel in vita permittebantur. 10. 1. *a.* Non permittebantur Clericis, & cur. 2. *b.*

Pœnitentiæ virtute delentur peccata ante Baptiſmum commiſſa. 100. 1. *c.* Ejus triplex objectum. 109. 1 *b.* Brevis in fine vitæ pœnitentia qui damnetur à Patribus. 211 2. *b.*

An omnis pœnitentia poſſit à pœnitente recuſari in Confeſſione modò velit ſatisfacere in Purgatorio. 227. 1. *b.*

Pœnitentia à Confeſſario impoſita eſt pars integralis illius in individuo Sacramenti in quo eſt impoſita. 227. 2. *b.*

Variæ immutationes pœnitentiæ. 227 2. *a.* Variæ cauſæ eas immutandi 1. *b.* Triplices pœnitentiæ 227 2 *c.* An ad earum immutationem ſint repetenda peccata 229 2. *c.* 230. 1 *a.*

Qui imponatur pœnitentia pro fidelibus defunctis perſolvenda. 231. 1. *b. & ſeqq.*

Pœnitentiæ publicæ an poſſint imponi. 231. 2. *b. c.* Vide *Confeſſarius. Confeſſio.*

Pœnitens.

Pœnitens num poſſit confiteri Confeſſario cum quo peccavit. 20. 1 *a* Et ei in quo advertit levitates ex potu, &c. 1. *b.*

Ob pœnitentis bonum poteſt interdum Confeſſarius uti juriſdictione tantùm probabili. 22. 1. *b. c.*

An Pœnitens debeat eſſe conſcius ſui doloris. 110. 2. *c.*

An ei ſufficiat dolere quod non doleat. 111. 1. *a. & ſeqq.*

Cautelæ pro pœnitente in excitando dolore comparativè ſummo. 112. 2. *a & ſeq.*

In eodem pœnitente qui poſſit ſimul ſtare firmum propoſitum non peccandi de cætero cum credulitate quod relabetur. 119. 1. *a. b* Conſilium pro tentatis circa hoc. *ibid* 1. *c.* 2. *a.*

Pœnitens non poteſt dare licentiam Confeſſario utendi ſcientia ex Confeſſione ſua accepta. 140. 2. *b. & ſeq.*

An interdum teneatur ad manifeſtationem complicis. 142. 2. *b. & ſeq.*

An teneatur ſigillo Confeſſionis. 143. 2. *c.*

An poſſit pœnitentiam ſibi impoſitam immutare etiam in graviorem. 150. 2. *c. & ſeq.* Vide *Confeſſarius, Confeſſio, Pœnitentia.*

Pœnitentiarius.

Pœnitentiarii ſupremi Papæ juriſdictio. 13 1 *b.*

Pœnitentiarii Papæ & Epiſcoporum an poſſint ſubdelegare. 18. 1. *c.* Eorum juriſdictio qui diſtinguatur ab Ordinaria *ibid.* Qui differat à juriſdictione delegati ad univerſalitatem cauſarum in jure communi. *ibid.* 2. *a.*

S. Polycarpus.

S. Polycarpus qui fuerit abominatus Marcionem hæreticum 304 2. *a.*

Politia.

Politia duplex ab initio à Deo inſtituta. 247 1. *c* 2. *a.*

Politia Eccleſiaſtica quæ 247. 2 *b.* Ab Adam uſque ad Moyſen qualis fuerit. 2 *b.* A Moyſe uſque ad Chriſtum 2 *c.* A tempore Chriſti qualis 2 *c.* 248. 1. *a.*

Politiæ Eccleſiaſticæ duo fines. 248 1. *b.*

Pœ

Index Rerum Præcipuarum.

Politiæ Eccleſiaſticæ tripartitæ Leges & mandata 248.1.b. & ſeqq.

Politia humana ſæcularis quæ? 148.2.b Leges ab hac præcedentes qui diſtinguantur à Divinis vel Eccleſiaſticis humanis 2.c.

Politicum regimen generaliter triplex.251.2 c.

Pollutio.

Pollutio triplex 416.1.2. Varij effectus ex ea in corpore & anima 2.b.

Pollutio nocturna vel diurna an impediat à Communione vel Celebratione Miſſæ 300 1.c.416.1.a. & ſeqq.

Conſilium SS Doctorum circa hoc.417.1 a.

An quis teneatur ab eſu calidorum abſtinere ut non ſequatur pollutio.72.2 c.74 1 a.

Eccleſia quibus modis polluatur 434.2.b.& ſeq.

In caſu neceſſitatis an liceat in ea celebrare.435.1.b.

Qualiter & à quibus poſſit reconciliari. 1.c.

In Eccleſia polluta licet baptizare, & Sacramentum Euchariſtiæ conſervare pro infirmis.435.1,c.

Populus.

Populus qui dictet Leges in regimine Democratico.252.1 b

Poſſeſſio.

Poſſeſſio duplex reſpectu axiomatis *in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.* 189. 1.c.2.a

Poteſtas.

Poteſtas Ordinis & Iuriſdictionis qui requiratur ad hoc Tribunal.2. 1.a.

Poteſtas Ordinis quid ſit 4.2.c.Qui diſtinguatur à poteſtate civili *ibid.* 2.c Refertur a Patribus inter gratias gratis datas, & cur 5.1.a Qui diſtinguatur à poteſtate data Miniſtris Sacrament. Baptiſmi, & extremæ Unctionis 5 2.c.

Poteſtas Juriſdictionis quid ſit.5 1 c.2.a.Quando detur, *ibid.* Quotuplex ſit.12.2.a.Quo actu acquiratur 2 b. Qui à quibuſdam dicatur acquiri inchoativè in Sacramento Ordinis. *ibid.*

Juriſdictio ordinaria quid & quibus competat.12.2 c.& ſeq. An ſit de ejuratione ut ad vitam dures.13.1 c. Iuriſdictioni ordinariæ alicujus quot modis quis ſubijciatur.15.1.a & ſeqq.

Poteſtates in Eccleſia ſunt ſibi invicem ſubordinatæ 24.1.a.

Poteſtatis humanæ duplex conſideratio.155 1,b.274 1.c.

Poteſtatis humanæ miniſterium aliud ſubordinatum, aliud liberum.274.2.a b.

Poteſtati humanæ reſiſtere in re gravi eſt peccatum mort. 275 1.b. Patienter tolerandæ moleſtiæ quamvis injuſte illatæ. 277.1.b.

Poteſtatis humanæ determinationi multa mandata Legis Divinæ ſunt relicta.277.1.c.& ſeqq.

Poteſt Legem pure pœnalem ferre in materia de ſe peccaminoſa.278.1.a.& ſeqq.

Præceptum.

Præceptum grave An poſſit interdùm cadere ſupra materiam ex ſe levem. 25.1. b. Præcepta affirmativa qui obligent. 73.1 c.

Duobus præceptis contrarijs occurrentibus & eodem tempore obligantibus, quid agendum. 186, 1.c.& ſeqq. 207. 1.b. 261.1.a.

In formalitate præcepti aliquando includitur finis extrinſecus, aliquando non. 243 2.c 244.1.a.b.

Intra idem præceptum ejuſdem legis datur diverſa latitudo 263 2.a.& ſeqq.

In præcepto tranſgreſſionis dantur gradus.264.2.b.

Intentio implendi præceptum an ſit neceſſaria ad illius impletionem.265.2.b.266.1.a Differentiæ inter præceptum affirmativum, & negativum.286.1 b.c.

Sola litteralis obſervantia præceptorum non ſufficit ad vitam æternam 345 2 b

Præceptum aliud directum, aliud indirectum.378.1.b.

Aliud formale & explicitum, aliud virtuale, & implicitum.1.c. Vide *Decalogus Lex.*

Præcipitantia.

Præcipitantia quæ excuſet à mortali.70.1,c.

Prædeceſſor.

Prædeceſſor an poſſit Succeſſorem obligare ſuis votis. 477.1.b.

Prædicator.

Prædicator ut verbum Dei prædicet debet legitimè à Deo mitti 292.1 a.

Præſcriptio.

Præſcriptio cur inſtituta.580.1.a.

Præſcriptio quid 580.1.b, Conditiones legitimæ Præſcriptionis.391.2.c.580 1.b.2.a.

Contra legem Divinam naturalem nulla datur.391. 2, c.

Præſumptio.

Præſumptio quid.333.2.a Ea quando & qui peccetur 2 c. & ſeqq. Præſumptio blaſphema ſperantium a Deo percipere &c. obtinere quæ per ſe mala ſunt.334 1.b. Qui ſit peccatum in Spiritum Sanctum. 334.2.a.

Præſumptionis peccatum variè in Scriptura deſcribitur, & condemnatur.334 2.b.c.

Deductio omnium membrorum præſumptionis.335.1.a.

Præſumptio quando hæreſim conjunctam habeat 331. 1 b. Quando ſit tantum ſimpliciter erronea. *ibid.* Quando ſit tantum venialis.335.1.c.

Præventio.

Præventio quando excuſet a mortali.70.1,c.

Pretium.

Pretium rei legitimum quotuplex 563.1.c.

Pretij vulgaris tres gradus 563.2 a.

Princeps.

Princeps qui dicatur *Dei Miniſter*, &c.274. 2. b. *Vindex in iram* 2,b.c.& ſeqq.

A Principibus quæ ſint obſervanda.275 2.a.

Quo jure debeatur ijs obedientia. 277.1.a.

Privilegium.

Privilegio ſtatus, quibus Ordinarijs aliqui ſubijciantur 17. 1.c.2 a.

Probabilitas

Probabilitas alia ſpeculativa, alia practica.104 2.a.b.

Prohibitio.

Ex prohibitione qui perpendenda malitia actus prohibiti. 90.1.a.b.

Promiſſio

Promiſſionis duplex veritas 464.1.b.

Qui fiat inefficax ratione materiæ 466.1.c.

Promiſſionum reſciſſiones a lege tribus modis diſcernuntur.456.2.a.

Propoſitio.

Propoſitio hæreſim ſapiens, quæ 317.2. a. quæ male ſonans, temeraria, & ſcandaloſa. *ibid.* 2.b.

Propoſitum

Propoſitum *non peccandi de cætero* qui requiratur ad verum dolorem.104.2.c. Sub eo quid comprehendatur.106.1. a. Qui requiratur ad veram Attritionem.107 2.a.

Propoſitum illud in quo conſiſtat 117.1 a Requiritur ad illud proponere omnia pericula peccati mort. vitare.117.2 b.c. Quid ſi illa pericula ſint moraliter inevitabilia.118 1.a.& ſeq. Qui judicanda illa moralis inevitabilitas *ibid.* 1 c.

Ad illud an requiratur credulitas non relabendi 118. 2 c. 119.1.b.

Ad firmum propoſitum quid ſufficiat. 119.2.b.

Signa firmi propoſiti.120.1.b.

Provincialis.

Provinciales Ordinum quam Iuriſdictionem habeant in ſuam provinciam.23.1.c.

Proximus.

Proximus qui ſit objectum Charitatis Theologicæ 335.2.c.

Præceptum de ejus dilectione quale ſit 336.1.b & ſeqq. 349. 1.a. Dilectio ſui eſt menſura dilectionis Proximi.349 1.c. Qui ſumenda illa particula *ſicut teipſum. ibid.*

Præceptum dilectionis Proximi tria potiſſimum imponit. 349 2 a.

Quis & quandò teneatur ſuccurrere Proximo.350.1 b & ſeq. Ad hanc obligationem quæ requirantur 351.1.c. & ſeq. Qui Proximo ſuccurrere poteſt an teneatur ſemper ſuccurrere 352. 1. a. Diverſitas perſonarum obligatarum ad ſuccurrendum. 352.1. a. Diverſitas perſonarum obligatarum ad ſuccurrendum. 362,1.b. & ſeqq. Comparatio titulorum hujus obligationis ad invicem, 2.a & ſeqq.

Proximo bene velle quibus caſibus quis teneatur 317.1.a.b. Quid ſit proximo benè velle.1 c.

A Proximo ſigna externa dilectionis ſubtrahere eſt interdùm actus iuſtitiæ, Prudentiæ, &c.360,1,a.b.

Qui teneatur quam injuriam & nocumentum à Proximo propulſare 360 1 c & ſeqq.

Quæ proximi peccata poſſint interdum ad tempus diſſimulari, & quæ non 365.1.b

Pſalmus.

Pſalmos Davidicos in Belgio cantare vernaculâ linguâ quale peccatum.325,1 a.

Pubes.

Puberum vota realia quando & à quibus poſſint irritari 476.1 c.

Pur-

Digitized by Google

Puer.

Puerorum averſio à Lu[illegible] Epiſcopo Arſano.304.e.a.

Pupillus.

Pupilli obligatio ad Tutores.332.1.b.

Purgatorium

Pro Purgatorij animabus an pœnitenti poſſit pœnitentie perſolvend. imponi 231.b.c.

Puſillanimitas.

Puſillanimitas eſt interdum cauſa conſcientiæ erroneæ.175.2.c.Ei qui obviatur.176.1.c.

Rancor.

Rancoris remanentis vel animi ven. e.360.1.b.

Raptus.

Raptus quid 144.2.a.Quale peccatum.2.b.c.

Pœnæ in raptores 2.c.545.1.a

Raptum male aliqui confundunt cum Stupro.144.e.c.

Ratio.

Ratio qui ſit legis Divinæ interpres in dubijs & obſcuris.259.2.b.

Initium moraliæ uſus rationis quando cenſendum 338.1.c.

Razias.

Raziæ factum 2.Machab.14.an excuſandum.367.1.b.

Reconciliatio.

Reconciliatio quando obliget.358.2.c.Qui facienda.358.c.& ſeqq.

Reconciliatio perfecta in quo conſiſtat.359.1.c.

Motus contrarij remanentes, ei non obſunt.2.b.c.

Rectitudo

Rectitudine debitâ tripliciter aliquid caret 366.1.a.

Rectitudo dicti vel facti unde ſumenda 366.1.c.

Regimen.

Regimen Quotuplex 251 1.c.252.1.a.

Religio

Religio,virtus,quid 369.1.c Ad eam qui pertineat hoc Tribunal.3.1.a. Ab ea Quotuplex Dei cultus procedat.369 2 a. Non datur actus Virtutis Religionis exterior tantù.2.c.307.2 a. Ab eâ qui actus promanent 370 1.b.& ſeqq.

A Religionis actu externo vero non poteſt ullatenus ſeperari actus internus 397.2 c.

Religio Ordo qui includat in ſe votum Caſtitatis 96.1.a.

In ea quæ præcepta poſſint abrogari.272.1.a.Ejus reformatio in quibus præcipuè conſiſtet.ibid.

Vovens aſperam ingredi, & inveniens eam relaxatam, an teneatur ad eam.473.2.a.

Religioſus.

Religioſus ob levitates peccat interdum mortaliter. 64. 2. a.67 2.b.

Religioſus in itinere exiſtens an poſſit confiteri approbato non deputato pro Communitate,16.1.b.Quid dum tranſit per Conventus alios ſui Ordinis. ibid. 1. c. Quid ſi dum iter facit non habeat aliquem approbatum ſui Ordinis 1.c.2 a.Duo Confeſſarij etſi non deputati pro Communitate. poſſunt ſibi mutuò confiteri dum per alios Conventus iter faciunt.36 a.b.

Religioſi Conventuales poſſunt alicui ex approbatis confiteri, dum omnes deputati impediti ſunt 16 2.c.An ad hoc poſtulari debeat licentia Superioris ibid 2.c.

In Monaſterijs alterius Ordinis per quæ tranſeunt, non tenentur alicui deputato à Superioribus iſtius Ordinis confiteri. 16.2.c.

Differentia inter approbatum à ſuis Superioribus, & deputatum.17.1 a.

Religioſus expoſitus à Superioribus pro ſuis ſubditis,quam Iuriſdictionem habeat.18.1.a

Religioſus confitens lapſum carnis, an debeat exprimere ſe eſſe in ſacris.91.2.c.

Interrogatus à publica poteſtate an poſſit ad occultendam fidem negare ſe Religioſum 327.a b

Religioſus ex vi Religionis an teneatur ad Horas canonicas privatim legendas 383.2.c.394 2.c 395.1.a& ſeqq Differentia obligationis ad eas inter Beneficiatum, & Religioſum. 2 b Ad Horas Canonicas in choro qui obligentur.395. 2.c

Religioſus an obligetur ad reformationem non eſſentialium.473.c a.b.

Religioſi vi inimijs auſteritatibus an ſibi vitam abbreviare poſſint.327 1.c.

Reliquiæ

Reliquiæ Sanctorum an ponendæ in Altari ut conſecretur. 43 [illegible].2.c.436.1 a.

Reliquias falſas adorantes qui peccent.447.1.c.

Renatus Benedicti.

Qui erraverit in translatione ſua gallica Bibliorum.318 1.b.

Reſervatio.Reſervatus Caſus.

Reſervendi caſus poteſtas eſt in Eccleſia 23 2.c & ſeqq. In quibus,& qui reſideat 24.1.b Aliter poteſt fieri ab Ordinario aliter à delegato.15. 2. a.Poteſtas reſervendi data Epiſcopis qualis 26, 2.b. Prælatorum Regularium Poteſtas qui à ſummis Pontificibus reſtricta 26,2.a & ſeqq.

Reſervatio an pertineat ad ſolam politiam externam 25.2.c. Ejus finis, qui.25.c b Ejus praxis unde deducatur.29.1.c.Ad eam requiritur cauſa rationabilis ibid.1,c.

Reſervari quæ peccata poſſint.24.2 c.& ſeq.Nõ poſſunt reſervari mere interna.25 2 b.Nec quodlibet mort.externum.2.c.Explicatur ſententia aliquorum Doctorũ in contrariũ 26 1.b Quid ſi Superior ſinè rationabili cauſa reſervet aliquod mortale.26.1.c.

Qui peccet ſic reſervans.ibid 1.c.Sola graviora crimina reſervari poſſunt 26 2.a.Hæc quæ æſtimande e c Scriptio litterarum abſque licentia Superioris, & ſimilia in aliquibus Religionibus qui reſerventur.24.1.b.

Reſervatio an terminetur Territorio an Perſonis.28.1.a.& ſeqq.

Reſervatio duplicem dicit reſpectum.30 1,c.In certis caſibus qui interdum ceſſet.ib.1.c.& ſeqq.Qui intelligendi Doctores aſſerentes pro mulieribus&c.nullã eſſe reſervationẽ.30.1.a

Comparendi onus in habente reſervatos,quod.31.1.b. Qui obliget,& unde oriatur.1 c.An ſub hoc onere teneatur cõfiteri in vera & manifeſta neceſſitate Celebrationis vel Communionis,habens reſervata 31.2.a.

Circa comparentem variè ſe gerere poteſt Superior, vel ejus delegatus in Ordine ad ejus abſolutionem 31.2.c.

Comparitio multiplex.31.c.b.c 34 c c Ex illis quæ requiratur.32.1.b.& ſeqq.Quæ eſt ſufficiens coram reſervante, non ſemper eſt ſufficiens ſi fiat coram delegato.32 1.c.2 a Sicut & per litteras 2.c.Comparitio per litteras non eſt conſulta 33.1.a.Poteſt fieri per tertiam Perſonam.33 1.a,Praxis hujus comparitionis 1.b.

An Confeſſarius teneatur ad hanc comparitionem nomine pænitentis 33.1 c Quid ſi Confeſſario non pateat aditus ad pœnitentem delegare.33. 1 c. Confeſſarius comparens urgenti Superiori tenetur manifeſtare caſus ſi ſciat 36 1 b.Non tamen revelare Perſonam 1 c Nec caſum,ſi ex ejus manifeſtatione perſona fieret nota,ibid 1.c.Confeſſarius nõ tenetur dicere ſe prius per interpretativam poteſtatem abſolviſſe cum onere.33.2.c.

Abſolutus cũ onere cõparendi,qui teneatur ad hoc 33 2 a.b

Quo tempore teneatur comparere,& ſub quo peccato.34 2.a.& ſeqq.

An teneatur Superior tam Regularis,quàm Sæcularis dare auctoritatem ſuam,dum petitur,ſive à Pœnitente,ſive à Confeſſario.33 2.c & ſeqq Injuſtè negans qui peccet.34.1.c. Quid tunc faciendum ſubdito.ibid.1.c.

Actus intervenientes in hac comparitione , an omnes ſint Sacramentales 35 2 c.& ſeqq.Qui ea cadant ſub ſigillum 36.1.a.

A caſibus reſervatis ab inferiore poteſt Superior abſolvere in foro conſcientiæ 26 2.b Non ſic in foro externo ibid. 2, b. Inferior non poteſt abſolvere ſine auctoritate Ordinarij, vel Superioris.26.2.c Qui debeat dari illa auctoritas ibid 2.c. An dicens do tibi auctoritatem meam,cenſeatur dare auctoritatem abſolvendi à reſervatis.28.1.a.

Diœceſanus habens reſervatum in ſua diœceſi poteſt abſolvi in alia diœceſi à non habente poteſtatem abſolvendi à reſervatis,ſi ibi caſus ille reſervatus non ſit.28 1 a.& ſeqq Et ſi in illa diœceſi habeat reſervatum, qui in ſua reſervatus non eſt,non poterit abſolvi ibid 1.b Quid ſi confiteatur alicui Confeſſario ſuæ Diœceſis.28.1 c.2 a.

Omnes Sacerdotes poſſunt in articulo mortis à reſervatis abſolvere.28.2.b.c.Convaleſcens non tenetur accedere ad Superiorem ut denuò abſolvatur.ibid.2.c.

Privilegiati & ſpecialiter deputati abſolvere ab ijs poſſunt. 29.2.a.Quid Regulares ibid.

Si non pateat aditus ad Superiorem reſervantem vel ejus delegatum,qui poſſint reſervata abſolvi 29 2 b.& ſeqq.An tunc directè abſolvantur 30.1 b Non Poteſt talis abſolutio fieri cum onere comparendi,niſi ex rationabili cauſa vel neceſſitate 30.2 c.Quæ cenſendæ cauſæ rationabiles 31.1 a.

Poteſtas alia in reſervante,alia in delegato ad abſolvendum à reſervatis 32. 1. a b A reſervatis ſolùm non poſſunt abſolvere Sacrament ſi pœnitens habeat alia mortalia.35 1 a.Quid ſi non poſſint audire integram Confeſſionem 1.c.Praxis pro Superioribus quoad hoc.35 2 a.b.

Qui in Jubilæo oblitus fuit aliqua reſervata confiteri, Poteſt poſtea à quolibet approbato abſolvi ab ijs 36. c.a. Secùs ſi malitioſè omiſerit c b.Et qui habenti auctoritatem unum reſervatum confeſſus eſt.omiſſis alijs per oblivionem inculpabilem 37.1.a.

De abſolutione à reſervatis tempore Iubilæi.37.1.a & ſeqq Et certis temporibus ex privilegijs datis Fratribus Minoribus 37.1.c.2.a.

Praxis laudanda aliquorum Superiorum Regul. in modo dandi ſuam auctoritatem aliquibus dicbus ſolemnibus. 37.2.b.

Reſtitutio

Reſtitutio quid. 578.1.a. & ſeqq. Ad eam quis teneatur. 2.b, c. Quæ reſtituenda. 579.1.b. Qui, quando, & quo ordine reſtituenda. 579.1.b. & ſeqq

Reſtitutionis obligatio eſt perpetua. 579 2.b.

Reſtitutio eſt imponenda juxta quantitatem materiæ acceptæ. 94.1.b. In ea imponenda debent Confeſſarii eſſe reales. 548.1.b.

A reſtitutione facienda qui caſus hic & nunc excuſent. 579.2.c.

Retentio.

Retentio peccatorum quotuplex, & qui ficnda. 3.2.b.

Revelatio.

In revelationibus quid agendum, vel cavendum. 250.2.b.

Revelationibus ſuſpectis qui credendum. 525.2.a.

Pro iis qui magis ſint conſulendi 2.c.

Revelationes ſibi factas ſpargere ante earum approbationem, &c. quam graviter prohibitum in Ordine Seraphico. 447.1.b.

Reus.

Rei nomine quis intelligatur in hoc Tribunali. 6 1.c. 100.1. c. & ſeqq. Ejus actiones quæ. 4 2 b 6.1.c. Quo jure ad hoc Tribunal citetur, & quando teneatur comparere, 101.1.a. & ſeq.

Reus judicatur ſecundum Leges Territorii in quo eſt, 28. 1.b.c.

Reus quilibet poteſt fugere è manibus juſtitiæ 526.1.c.

Reus legitime non auditus & convictus condemnari non poteſt. 528 2.b.

Rex.

Regum poteſtas qui à Deo proficiſcatur. 246.2.b. & ſeq. 255 1.c. Ab iis qui leges humanæ deriventur 251.1 b.

Regum poteſtas ſubjacet poteſtati Eccleſiaſticæ. 254 2.c. Quid ſi Reges ſint infideles. 254.2.c. 255.1 a. Eorum regimen & poteſtas qui coarctetur Legibus Divinis 255. 2.c. Ab his ne ad medicum poſſunt ſine peccato in ſuis Legibus declinare. ibid. 2.c. 256 1.a

Debent & ſe conformare Legibus Eccleſiaſticis. ibid. 1 b. Regibus ſub morte ſubditi obedire teneantur, 255.1.c. & ſeqq. Regum obligatio ad ſubditos 512.2.c.

Ritus.

Ritus Sacramentorum qui obligent, & in iis quid obſervandum. 444 2.a b. Vide *Miſſa Sacrificium.*

Ruſticus

Inter Ruſticos quæ mala jam ſubſident. 45 1.b.

Sabbatum.

Sabbathum colendi obligatio, in quibus legibus fundetur. 251.1.c.

Pœna lapidationis illud violanti impoſita, qui obligarit violantem. 278.2.c. 279.1 a.

Ejus mutatio in diem Dominicum. 488.1.b. & ſeq. Vide *Decalogus, Dominica dies.*

Sacerdos.

Sacerdotum poteſtas ad remittenda peccata, &c. qui vocetur à S. Patribus. 2. 2.b. Eis judicium conſcientiarum qui commiſerit Chriſtus. 8.2.c. An quilibet in articulo mortis ſit ordinarius judex. 14.1.b.

An etiam hæreticus. ibid. 1.c. 22.2 b.

Sacerdos quilibet in articulo vel periculo mortis habet univerſalem juriſdictionem. 23.1.c.

Sacerdos ad occultandam fidem, an poſſit negare ſe Sacerdotem. 327 2 b.

Sacerdos ſimplex in neceſſitate tenetur ex charitate Sacramenta adminiſtrare 351 1.b.

Sacerdotum obligatio ad filios ſpirituales. 513.2 a.

Sacerdotium.

Sacerdotium qui includat in ſe votum Caſtitatis. 96.1.a.

Sacramentum.

Sacramentum verum novæ Legis tria requirit 3.1.a.

Sacramentalis dupliciter poteſt dici aliquis actus. 35 2.b.

Ad Sacramenti Miniſterium qui poſſit dici requiri bonitas. 38 2 b.

In Sacramenti adminiſtratione an liceat uti materiis & formis tantùm probabilibus: relictis certis. 21.2.c. 22.1 a. 199. 2 b & ſeqq. In iis quæ ab humana diſpoſitione pendent, licet interdum uti opinione probabili relicta etiam probabiliori 200 2.a.b.

Sacramentorum ritus & aliæ obſervationes ab Eccleſia inſtitutæ, qui obligent. 444. 2. a. & ſeq.

Sacrificium.

Sacrificium in nova Lege non eſt aliud quàm Sacrificium Miſſæ. 412.1. b. In hoc omnia alia Sacrificia conſummantur. ibid. Vide *Miſſa Sacrificium.*

Sacrilegium.

Sacrilegium quid 453.1.b. Eo qui peccetur. 1.b.

Sacrilegii circa perſonam Deo ſacram varii modi. 1.c.

Circa rem ſacram. 2.a Circa locum ſacrum. 2.b.c.

Sacrilegii gravitas unde attendenda. 454.1 a.

Sacrilegii peccatum committitur etiam ſola omiſſione. 454.1.a.

Sacrilegium in materia Luxuriæ, quid 546.1. b. An committatur ſola copula carnali. ibid 1. b.c. A quibus perſonis committatur. 2.b.c.

Sacrilegium extrinſecum qui committatur. 546.2.c. 547. 1. a.

Copula carnis cum filia ſpirituali, an ſit Sacrilegium. 547.1. b. & ſeqq.

Saga.

Sagam percutientem an liceat repercutere. 451 1 a. Et an ab ea panem petere. ibid Vide *Maleficium. Maleficus.*

Salus.

Ad ſalutem dupliciter quid pertinet. 167 2.b.

Et dupliciter quid neceſſarium 167.1.c. Ad eam quæ ſcitu neceſſaria 166.2 a & ſeq.

Defectus mediorum ſufficientium ad ſalutem, non eſt ex parte Dei 167.c.b.

Sampſon.

Sampſon opprimens ſe cum multitudine hoſtium qui excuſetur è peccato. 250.2.c 527 1 a.1.a.

Sancti.

Sancti multi quàm graviter à Dæmone tententur. 85.1. b. Multorum heroici actus admirationi potius debent eſſe quàm imitationi. 87.2.b. Exempla Sanctorum periculis peccatorum ſe exponentium pro ſalute proximi, qui explicanda. 92 2.a Sibi ipſis mortem inferentes qui excuſentur. 321. 2. c. 527.1 a. 2.a.b.

Sancti qui orandi 372.1.a. & ſeq 380 2.c.

Falſis Sanctis honores veris Sanctis debitos tribuentes, qui peccent. 447. 1.c. Item perſonis necdum beatificatis, &c. 1.c. Talium imagines cum radiis non poſſunt pingi, nec eorum ſepulchris vota appendi. 2.a.

Sancti qui abhorruerint à ſanctitatis nota. 447.2 b.

Satisfactio.

Satisfactio Sacrament. quid 144 1 b.c. Quæ opera in ſatisfactionem è Confeſſario injungenda. 2 b.

Effectus ſatisfactionis ſacrament qui, 144.2 c.

An juſta ſatisfactione à Confeſſario impoſita, poſſit remitti tota pœna debita. 145 1. b. Quæ opera pœnitentis poſſint à Confeſſario ad hunc effectum elevari. 145 1 c Qui intelligende hæc verba *Cætera bona à te facta.* &c ibid 2 a

Satisfactio an debeat fieri ab exiſtente in gratia, 145.2.a. Aliter eam implens qui peccet 2.b.

Satisfactio aliqua regulariter imponenda 145.2.b.

Non debet eſſe proportionata peccatis 2 c.

Satisfactionis imponendæ qualitas & conditiones. 146.1 a. & ſeq Vide *Confeſſarius. Pœnitentia.*

Scandalum.

Scandalum quid. 365.2.c 366.1.a. Eſt duplex. ibid 1.a b. In utroque poteſt eſſe peccatum contra charitatem. ibid. 1 b.

Scandalum datum unde oriatur 366.1 b Tripliciter eo quis peccat. 1.c. & ſeq. Quando mortaliter & quando tantùm venialiter 366.2.c 367.1.a.

Qui ſe gerere debeat homo in materia ſive licita ſive illicite ſcandali. 367.1.b. & ſeq. Qui aliis ſunt occaſio ſcandali quanto periculo ſe exponant. 368.1.c.

Scandalum acceptum quod cenſeatur. 368.1.b Cur vocetur Pharifaicum. ibid. 1.b. Ob illud non eſt abſtinendum ab actione licita. 75.1 a.

Schiſma.

Schiſma quid, & qui charitati opponatur. 365.1.c. & ſeqq.

Schiſmaticus in quo conveniat cum hæretico. 365.2.b. Pœnæ Schiſmaticorum ibid. c b.

Scientia.

Scientia acquiſita qui concurrat ad actum conſcientiæ? 151. 2. a. b.

Scoti.

Scoti quondam more pecudum vixerunt. 158.2.b.

S Scriptura.

S. Scriptura eſt Legis divinæ interpres. 259.1.c.

S. Scri-

S. Scripturæ plures libros non poterant legere Judæi ante. 30. ætatis annum 318.1.c.
S. Scriptura eſt certior revelationibus. 565.2.b.

Scrupuloſus.

Scrupuloſorum directio & inſtructio moleſta. 215.1 b. 216.1. b. & ſeq.
Differentia inter timoratum & ſcrupuloſum. 213.2.c. 214. 2.a. & ſeqq.
Scrupuloſorum excuſationes evulſæ. 217.2.b. & ſeqq.
Scrupuloſi qui vexentur à Dæmone. 215.1.c. Et qui conſtituantur in ſupremo periculo deceptionis vel fatuitatis, ibid. 2.a. 218.2.b.c.

Scrupulus.

Scrupulus quid 213.1 c.
Scrupulorum origines & cauſæ. 214.1.c. Remedia pro curandis Scrupulis 215.1.b. & ſeq.
Agere contra ſcrupulos an ſit peccatum. 218.2.a.b.
Scrupuli in morte non ſunt utiles 218.1.a.

Secretum.

Secretum naturale an ſemper obliget. 583.1.c.

Semen.

Seminis fluxus & procuratio varie. 548.1.b.c.

Senatus.

Senatus qui dictet Leges. 231.1.b. Ejus poteſtas ſubjacet poteſtati Eccleſiaſticæ. 254.2.a. Vide *Rex.*

Senex.

Senibus qui juniores obligentur. 513.2.b.

Senſualitas.

Senſualites duobus modis conſiderari poteſt. 75.1.b.

Senſus.

A ſenſibus ad potentias rationales quibus gradibus ſpecies tranſeant. 75.2.b.

Sententia.

Sententiæ prolatio in hoc Tribunali quæ complectatur. 6.1.c.
Sententia hæc quid & in quo conſiſtat. 219.1.c. & ſeq. Quotuplex 220.1.c. & ſeq. Ejus materia quæ 220.2.c. & ſeq.
Sententia condemnationis in hoc Tribunali quotuplex. 226.1.c. 2.a. Quibus caſibus teneatur Confeſſarius eam ferre. ibid. 2.b.
Sententiæ propriæ nimium adhærere; quàm periculoſum. 303.1.c.

Seraphion.

Seraphion quo errore fuerit captus, utrumque qui fuerit conatus expellere. 174.1.a.

Servus.

Servi intra Monaſteria aſſumpti; quem Ordinarium habeant. 17.2.a.
Servorum obligatio ad Dominos. 512.2.b.

Sigillum.

Sigillum quo jure obliget. 2.c.a. & ſeq. 140. 1.b. Illud directè vel indirectè ſolvens peccat mort. 140.1.c.
Præceptum Clementis 8. circa hoc. 140.2.a.
Sigillum ſolvere eſt Sacrilegium. 140.2.b.
An pœnitens poſſit dare licentiam Confeſſario ut extra Confeſſionem utatur ſcientia habita in Confeſſione. 140.2.b. & ſeq.
Sigillum cur annexum Sacramento. 140.2.c. 141.1.b.
Pœnitens permittens & Confeſſarius utens notitia ſacramentali, qui peccent. 142.2.c. Signum ex quo colligatur Confeſſarium uti tali ſcientia 141.2.b.
Sigillum ſolvunt aperientes in Confeſſione peccata complicis et inducentes Confeſſarium ut eum moveat. 141.1.a. Et Confeſſarius talem licentiam extorquens. 1.b. Graviſſimi abuſus inde ſecuti. ibid. 1.b. & ſeq. Quandonam poſſit Confeſſarius imponere manifeſtationem complicis. 142.2.b. & ſeq.
Ad ſigillum qui teneantur. 143.2.a. & ſeq.
Ad ſigillum qui ſpectent actus intervenientes in comparitione coram Superiore quoad reſervata 36.1.a.
Quæ veniant celanda ſub ſigillo 144.1.a.

Singularitas.

Singularitas nimia proprii ſenſus eſt ſæpè cauſa erroris. 173.2.a. Ei qui obvietur. 176.1.a.

Societas.

Societatis contractus quid? 576.1.a.b. Finis ujus ultimatus; quis. 1.c. Ad licitam ſocietatem quinque requiſita. 2.a.
An quis in ſocietatem negotiatorum convenire poſſit dato pecunia capitali, & lucro illius ſalvo 576.2.b. & ſeq.

Sodomia.

Sodomia quid, & quale peccatum. 548.1.a.c.a.
Inter quas perſonas poſſit contingere. ibid. 2.a.b.
Pœna contra eam committentes. 271.1.a.

Spes.

Spei variæ acceptiones. 328.1.a.c.
Spes Theologica quid. 328.1.c. & ſeq. Ejus objectum duplex. 2.b. *Sperare in Deo, & in Deum*, quid ſignificet. 328.2.c.
Spes qui neceſſaria ad ſalutem 329.1.a. Datur de ea præceptum divinum naturale. 1.b. Sub hoc continentur plura obligantia ſub mortali. 1.c.
Præceptum affirmativum ſpei quando obliget 329.2.b.
Et ejus præceptum ſecundarium. 330.1.c. & ſeqq.
Spes veniæ requiritur ad veram attritionem. 107.1.c.
Spes vera hominis Chriſtiani quæ 332.1.c.

Statutum.

Statuta duplicia, & eorum obligatio. 471.1.a. Jurans ea ſervare, de quibus debeat intelligi 471.2.c.

Stipendiarius.

Stipendiarii Chori duplices 394.1.b. Ad horas Canonicas qui illorum obligentur. 399.1.a. Qui ad ſolam Muſicam, &c. 2.b.

Stipendium.

Stipendium qui detur pro ſuſtentatione Sacerdotis 426.1.c.
Stipendium determinare ad quos pertineat. 427.1.a.b.
De ſtipendio paciſcentes an poſſint obligare ſuos ſucceſſores. 427.1.b.
Ratione ſtipendii attenta qui poſſint Miſſarum onera inducere, alterare, &c. 427.1.c. & ſeqq.
Pro ſtipendio injuſto & nimis diminuto an applicanda Miſſa. 425.2.c. Sponte illud acceptans ad quid teneatur. 429.1.a. Quid ſi ſtipendium non poſſit recipi. 1.c.
Pro ſtipendio ſufficienti applicanda Miſſa, titulo juſtitiæ. 429.2.c. Et titulo fidelitatis ſi promiſerit 430.1.b. Omittens celebrare an ſatisfaciat ſi ſtipendium reſtituat. 430.1.b.

Stola.

Stolæ ſumptio quid ſignificet. 439.1.c.

Stuprum.

Stuprum quid? 542.2.c.
In ſtupri definitione cur aliqui Doctores addant: *Contrà voluntatem Parentis, aut Tutoris* 542.1.a.
Quando cenſeatur virgo non conſentire in copulam. 543. 1.b.
Stuprum quale ſit peccatum. 543.1.c.
Stuprum an committi etiam poſſit circa virum. 543.1.c. & ſeq.
Stuprator virginis ad quid teneatur. 541.1.b. & ſeqq.

Subditus.

Subditorum ad Reges, Principes, &c. obligatio. 512.2.c.

Succeſſio.

Succeſſio legitima quæ 556.1.c.

Superbia.

Superbia quid, & unde oriatur. 346.2.b. Quatuor ujus ſpecies. 2.c. Qui opponatur charitati Dei. 347.1.a. Ejus gravitas. 1.b. Primariæ ejus ſpecies. 347.1.c. 2.a.
Superbia eſt ſæpè cauſa conſcientiæ erroneæ. 175.2.a.
Ei qui obvietur. 176.1.c.
Qualitas peccati filiatum ſuperbiæ. 348.c.a.

Superior.

Superiores Ordinum exemptorum quam juriſdictionem in ſuos habeant 13.2.a. & ſeqq. Quo jure poſſint ſibi eligere Confeſſarium. 19.1.c.
Superiores Regularium quando ſuorum ſubditorum Confeſſiones excipere valeant. 13.2.b.
Superioribus indicare teneantur ſubditi domum reverſi, dum in itinere alteri extra ſuum Ordinem fuere confeſſi, & cur. 16.c.a.
Superiorum licentia an petenda ad confitendum alteri dum proprius Confeſſarius eſt totus ignarus, &c. 19.2.c.
Superiorum interpretativa voluntas an interdum ſufficiat ad abſolvendum. 20.2.a.b.
Superiores Regulares quos caſus tantùm poſſint reſervare; 26.2.a. An aliis caſibus poſſint adnectere cenſuram reſervatam. c.c. Poſſunt determinare pœnitentias ſecretas à Confeſſariis imponendas. 27.1.b. Circa comparentem cum caſibus reſervatis quibus modis ſe gerere poſſint. 31.2.c. & ſeq. Qui teneantur in hac materia ad ſigillum Confeſſionis. 143.2.a. Poſſunt præcipere ſub pœna excommunicationis. 26.1.b.c.
Superiorum præcepto & judicio ſtando qui obvietur ſcrupulis. 174.1.b. Et Conſcientiæ erroneæ. 177.1.a. & ſeqq. Maximè dum ſunt probatæ vitæ, doctrinæ, &c. 2.b.
Superiorum præcepto obtemperandum, eſto dubitetur, an excedant ſuam poteſtatem. 185.c.c. Secus ſi dubitetur de rei præceptæ honeſtate. 187.1.b. & ſeq.
Eorum præceptum reſpectu rei demandatæ poteſt ſe habere dupliciter. 2.a.

Eorum reſolutioni ſtandum in iis quæ ab eorum poteſtate dependent 205 2 *b.* & *ſeqq.*

Superioribus qui demandatum Eccleſiæ regimen.252.2 *c.*

Eorum præcepta transgredi ex contemptu, quale peccatum 280 1.*c* & *ſeq.*

Qui ſe gerere debeant dum eis defertur charitativè peccatum proximi.364 1.*c* & *ſeqq.*

Qui peccent ſæpè peccato ſcandali ob ſuam diſſimulationem,&c 367 1.*c*. Per hoc intolerabile judicium ſibi inducunt. 368.1 *a.*

Qui poſſint ſuorum Subditorum Miſſas applic.re.430. 2.*b* & *ſeq*

Quæ vota ſubditorum poſſint irritare.473.1.*c*.& *ſeqq*

Qui poſſint in eis diſpenſare.484.2 *b.*

Superſtitio.

Superſtitionis nomen unde derivetur.448 1.*c.*

Superſtitionis 4.genera & ſpecies infinitæ.448. 1.*a.* 449. 1, *b.*

Superſtitio divinatoria quæ,& ab ea quæ excludantur.448. 1 *b. c.*

Superſtitionis peccato qui peccent.449 2.*b.*

In res ſacras multæ ſuperſtitiones irrepſerunt,& undè.449. 1.*c*,450.1.*c.*

Quædam adhiberi ſolita ad reliquias Sanctorum & excuſantur à ſuperſtitione.450.2.*a.* Eccleſiæ examen præmittendum 2.*b.*

Conditiones ad ſuperſtitionem quæ.450.2.*b.*

Superſtitio quando peccatum mortale, quando veniale. 450.1.*c.*

Suſpenſio.

Suſpenſionis pœna non fertur niſi ob culpam mortalem. 268.1.*a.*

Suſurratio.

Suſurratio quale peccatum 588 1.*c.*

Symbolum.

Symbolum Apoſtolorum, &c. cur ab imperitis latino idiomate recitetur.290.2.*c*,298 1.*c.*

Synteresis.

Synteresis quid, & qui differat à conſcientia. 152 1.*a.* & *ſeqq.* 153 2.*c.* An in ea poſſit eſſe error,dubitatio,&c 152.2.*a b.* Qui concurrat ad formandum actum conſcientiæ.152 1.*c.* Qui æquivaleat judicio deliberativo rationis.71 1.*b*.72.1 *b.*

Tactus

Tactus præcedentes, &c. copulam an ſint ſpecialiter in Confeſſione exprimendi 98 1 *a*.2.*a.*

Tactuum proprii corporis,vel alieni, etiam in ſecretioribus partibus,duplex uſus.549.1.*b.* Qui liciti.550.1.*b.* Qui illiciti.1.*c.*

Tactus impudicus dicitur ex duplici capite.550,2.*a.*

Tactus circa ſolas manus,vel faciem mulieris quale interdum peccatum 550.2.*c.*

Tædium.

Tædium boni proveniens ex malitia complexionis qui augeat meritum,& laudem 343.2.*c.*

Ex tædio boni ſpiritualis.&c.ut eſt laborioſum,quæ oriantur.344.1.*a.* Circa quæ verſetur.344 1.*c.*

Taurus.

Taurorum agitatores qui peccent.326.2.*b.*

Temeritas

Temeritas in materia fidei eſt interdum juncta deſperationi.351.2.*b.*

Temperantia.

Temperantiæ quis finis intrinſecus,quis extrinſecus. 243. 2.*c*,244,1 *a.* Vide *Abſtinentia. Iejunium.*

Tentatio.

Tentationum ſex cauſæ 84 2.*c.* & *ſeqq.* Quibus modis poſſit voluntas iis reſiſtere.85.2 *c.* Remedia varia contra eas.86 1 *a.* & *ſeqq.*

Tentatione gravi fidei urgente, quid utilius faciendum. 93 1.*c.*

Quid agendum cum tentatis ſpiritu blaſphemiæ,crudelitatis,&c.83. 2.*c.* & *ſeqq.*

Tentationis tempore qui ſe gerere debeat homo. 332.2.*b.* & *ſeqq.*

Tentationes & afflictiones vocantur *ſuſtentationes Dei.* 332.2.*c.* Item *Caminus humiliationis.*333 1.*a.*

Signum certum quod in tentationibus non peccetur. 333. 1. *b.*

Diſtinctio inter tentationes Dæmonis & tædia vitæ, triſtitias,&c 333.1.*c.*

Tentatio Dei per præſumptionem.334 1.*b*.335.1.*b.*

Ad tentationes vincendas qui teneatur quis elicere actum amoris Dei ſuper omnia 538.2 *c.*

Teſtamentum.

Teſtamentorum injuſtitia.559.2.*c* 560.1.*a.*

Teſtator.

Teſtator an poſſit heredem obligare ſuo voto. 447. 1.*b.* & *ſeqq.*

Teſtimonium.

Teſtimonium dandum ſub mortali ei, qui abſque eo non poteſt innocentiam ſuam tueri.551.1.*b.*

Teſtimonii falſi nomine quid prohibeatur 8.præcepto Decalogi.581.2.*b.*

Reductio caſuum falſi teſtimonii.582 2.*b.*

Teſtis.

Teſtis in judicio tripliciter poteſt peccare 581.1.*c.*

Teſtis falſus qui teneatur ad reſtitutionem, & ad quam. 582.1.*c.*2.*a.*

An teſtis teneatur ſemper in judicio teſtari.582.2 *b.c.*

Duplex obligatio teſtandi.583 1.*a b.*

Quibus caſibus excuſetur quis à teſtando 583.1 *c.* & *ſeq.*

Theologus.

Theologi judicium præferendum judicio Canoniſtarum in materia Conſcientiæ 67 2.*a*

Theologi qui ſint ſequendi ad fundandam opinionem verè probabilem.205 1 *b.* Eorum ſola auctoritas illam non fundat 1.*c.*2 *a.* Debet inniti rationi legibus conformi.&c. ut eam fundet 2.*b.* Motiva aſſentiendi alicujus Theologi ſententiæ vel opinioni 205.1 *b.c* Si ſit ſimul Superior vel Legislator,ejus ſententia ſequenda.206.1.*a.*

Quorumlibet Theologorum opinionem ſequi ob ſolam eorum auctoritatem,quàm ſit periculoſum.206.1 *c.*

Qui intelligendum *duos,tres,&c.poſſe fundare opinionem verè probabilem.* 206.2.*c.*

Theologus audiens in ſuo conſortio colloquia hæretica tenetur interdum cum periculo vitæ ſe opponere.222 2 *c.*

Theſaurus.

Theſauri abſconditi ad quem pertineant.577.2.*c.*

Timor.

Timoris Dei natura.213 2.*c* Ejus origo 214 1.*b.*

Timoris effectus.214.2.*c*.329.1.*c.*

Timor inordinatus & nimius Deum offendendi eſt frequenter cauſa lapſus 85.2.*b* Remedium contra illum 86 2.*b.*

Timor mundanus quis 329.2.*c.* Ut plurimùm eſt vitioſus. 330 1.*a.*

Timor ſervilis quis 330.1.*a* Frequenter eſt vitioſus.*ibid.*

Timor filialis & ſanctus quis 330 1 *b.*

Timor initialis quis 330.1 *b* Ejus utilitas *ibid.*

Timor mundanus & ſervilis ſunt filii amoris proprii 330.2. *b.* Filialis & initialis ſunt filii charitatis *ibid.*

Præceptum timoris Domini quando obliget 330.1.*c.* Ejus transgreſſio non conſtituit ſpeciale peccatum.330.2 *a.*

Præceptum illud eſt generale quoddam mandatum.*ibid.*2.*b*

Timoratus.

Timoratus non eſt vocandus ſcrupuloſus 213.2 *b.*

Differentia inter eos.*ibid.* 2.*c* 214.1.*a.* & *ſeqq.*

Tobalea.

Tobaleæ quæ,& quot requirantur ad celebrandum.436 2.*a*

Torpor.

Torpor & hebetudo virium quid. 343.2 *b.* Unde ſoleat provenire.*ibid.*2 *a.*

Traditio.

Traditio quæ reputanda ut accepta ab Apoſtolis. 8 1.*b.*

Traditio continua Eccleſiæ eſt interpres legis divinæ. 259. 2. *a.*

Tribunal.

Tribunalis variæ acceptiones in ſcrip.s. 1.*b.* Qua donum Eccleſiæ promiſſum 1.2 *b.c.* Quando inſtitutum 2 1 *a* Ad ejus inſtitutionem quotuplex poteſtas concurrit 2.1.*a.* Cur vocetur ſacramentale.3 1 *a.*

Tribunalis fines principales.& ſecundarii qui 3.1.*c.* & *ſeq.* Fines remoti qui.4.1.*a* Qui differat ab aliis Tribunalibus ſeu judiciis civilibus pertinentibus.228 1.*a.b.*

Ad ejus eſſentiam quæ concurrant 4 1 *a.* Quæ ejus partes actuales & perſonæ concurrentes *ibid* 2 *a.*

Ad quam virtutem pertineat hoc Tribunal. 8.1.*a* & *ſeqq.* An,& qui debeat eſſe ſecretum.8 2.*a* & *ſeq*

Tribunalis judex quis 11.1 *b.* & *ſeqq.* Ejus puritas 61.2 *b.* Ejus materia 5 1 *b.* & *ſeqq.*62.3 *c*.100 1 *c* & *ſeqq.*

Reus in hoc Tribunali quis.100.1.*c.* & *ſeqq.* Quo jure ad illud citetur,& quando teneatur comparere. 101.1.*a.* & *ſeqq.* Sit inſtitutum in favorem Rei.228.1 *a.* Vide *Confeſſio.*

Digitized by Google

Triſtitia.

Triſtitia eſt ſignum involuntarii.82.2.*a.&ſeq.*

Triſtitia unde naſcatur 344.1.*a.*

Triſtitia hujus ſæculi condemnatur.343.2.*c.*

Tabacum.

Tabaci in ore ſumptionem ante Miſſam, & aliàs in Templo, qui prohibuerit Vrbanus VIII.418.1.*b.*

Turbatio.

Turbatio animi qui poſſit excuſare à mortali.70.1.*c.*

Tutor.

Tutorum obligatio ad pupillos.512.1.*b.*

Vagus.

Vagi qui dicendi.17.1.*b.* Eorum Ordinarius quis.*ibid.* Per hoſpitium unius aut alterius diei non cenſentur acquiſiviſſe domicilium vel quaſi domicilium.17.1.*c.*

Vagis in caſu neceſſitatis qui teneatur Paſtor Sacramenta adminiſtrare.17.1.*c.*

Vaſa ſacra.

Vaſa ſacra quæ & qualia requirantur ad celebrationem. 436.2.*c.*

Aliquorum vaſorum contactus quibus, & qualiter prohibitus.437.2.*a.b.*

Vectigal.

Vectigalis ſolutio qui, & unde obliget in conſcientia 251.2.*a.*

An illud ſolvendum cum ſui, & familiæ detrimento.277.2.*b.*

Venator.

Venator occidens hominem putans feram, quando peccet. 163.1.*c.*

Venditio.

Venditio quid.563.1.*c.* Quæ injuſtitiæ in ea committantur. 2.*b.&ſeq.* Item ex parte vendentis, quæ 564.1.*b.&ſeqq.* Qui peccetur.2.*c.*

Veneficium.

Veneficium quid, & unde ſic dictum 455.1.*b.*

Veneficium quid differat à ſimplici homicidio.515.2.*b.*

Speciales pœnæ ei decretæ tam jure Eccleſiaſtico, quàm civili.515.2.*c.*

Veritas.

In veritate quis dicatur ambulare, & eam facere.237.1.*a.*

Veſtimentum.

Veſtimenta ſacra poſſunt ab aliis tangi quàm à ſacratis hominibus 437.2.*b.* Quæ veſtimenta ad celebrationem Miſſæ requirantur.2.*c.* Quid de laceris, & ſordidis.438.1.*b.*

Viaticum.

Viaticum an poſſit in aliena Parochia adminiſtrari à Parocho, habenti etiam verum domicilium in ſua Parochia. 15.1.*c.*

Pro neceſſitate viatici an poſſit à non jejuno celebrari. 420.1.*a.*

Vicariatus.

Vicariatus Sede vacante quam poteſtatem habeat ad abſolvendum à Cenſuris.291.*b.*

Vicarius.

Vicarii generales Papæ, & Epiſcoporum, quam juriſdictionem habeant 13.1.*b.*

Vicarii parochiales, quam.13.1.*c.*

Vigilia.

Vigilia ſervi fidelis in quo conſiſtat.338.2.*b.*

Vindicta.

Vindicta quando injuſtè appetatur.523.1.*c.&ſeq.*

Violentia.

Violentia quæ excuſet à mortali.70.2.*a.*

Virginitas.

Virginitas & integritas clauſtri virginalis, eſt donum ſummæ æſtimationis.543.1.*c.*

Virgo.

Virgines fatuæ cur excluſæ à Regno cœlorum.338.2.*b.*

Virgini an liceat ſtupratorem aggredientem occidere. 534.2.*a.&ſeq.* Vide *Stuprum.*

Vita.

Vita ſpiritualis, quæ 350.2.*c.* Corporalis, quæ 351.1.*a.* Quæ moralis ſeu civilis.*ibid.*1.*a.*

Voluntarium.

Voluntarium quid.67.2.*c.* Ad illud quæ cognitio & deliberatio requiratur 58.2.*a.b.* Debet eſſe actus voluntatis.1.*c.* Et liberè produci 68.2.*b.*

Voluntarii diviſio.72.2.*c.*

Voluntarii & involuntarii ſigna.82.2.*a.&ſeq.*84.2.*a.*

Voluntas.

Voluntas an ſemper ſequatur judicium legis.71.1.*c.*

Multiplex diviſio actuum voluntatis.68.1.*c.&ſeq.* 72.2.*c.&ſeq.*

Actus permiſſivi & interpretativi, qui cenſeantur actus voluntatis 73.1.*a.* Quando cenſeantur peccatum mortale.1.*b.&ſeq.*

Voluntatis Dominio qui motus potentiarum ſubjaceant. 76.1.*b.*

Voluntatis motus qui requirantur ad veram orationem. 374.1.*b.c.*

Votum.

Votum implicitum ſubeundi Tribunal ſacrament. quid ſit, & eo qui remittatur peccatum.7.2.*b.c.*

Votum quid?474.1.*a.* Quæ conditiones ad id requirantur. 261.2.*c.*472.1.*b.* Ad ejus valorem quæ deliberatio & libertas requiratur 472.1.*b.&ſeq.* Quid de dolo, errore, ſeu ignorantia.473.1.*a.b.* Quæ intentio ad ejus valorem.1.*c.* Ejus obligatio non fertur ultrà intentionem explicitam, vel implicitam, &c. voventis.1.*c.* Poſt votum veniens in notitiam alicujus quod ante latebat, &c. non tenetur ad illud.473.2.*a.* Intentio vovendi & intentio obligandi ſe voto an ab invicem poſſint ſeparari.*ibid.*2.*c.* Dubius de ſua intentione vovendi, vel de voto, an ad illud teneatur.478.2.*c.*479.1.*a.&ſeq.*

Quis poſſit vovere.475.1.*c.* Quid de Religioſis & Novitiis. *ibid.*1.*c.*2.*a.*

Votum triplex, Perſonale, Reale, & Mixtum 477.1.*b.* Multiplex alia voti diviſio 478.1.*a.&ſeq.*

Voti materia quæ 474.1.*a.* Opus indifferens an cadat ſub votum.2.*b.* Quid ſit *opus melius quam oppoſitum.*2.*c.* Quo caſu liceat vovere Matrimonium.475.1.*a.* An liceat alicui vovere quod non vovebit.475.1.*a.b.* An liceat vovere rem aliàs præceptam, & debitam.1.*b.*

An votum in quacumque materia obliget ad mortale. 479.2.*a.b.*

Vovens ſingulis diebus dare parvam eleemoſynam, vel legere unum Pater noſter & Ave Maria, & non faciens, an in fine anni peccaverit mort.65.2.*b.c.* Votum tale qui attendendum 66.1.*a.&ſeq.* An obligationis gravitas vel levitas poſſit ſola intentione voventis determinari. 479.2.*c.*480.1.*a.&ſeq.* Poteſt quis votum emittere quod primariò & directè tantum obliget ad pœnam 480.2.*a.*

Qui peccetur in modo vovendi 486.2.*a.&ſeqq.*

Votum fictum quale peccatum.486.2.*a.* Ob malum finem. 2.*b.* Ob finem venialiter malum eſt peccatum mort.2.*c.* Temeritates & inconſtantiæ in voto, quale peccatum.2.*c.*

Votum in materia mala quale peccatum.474.1.*c.*487.1.*a.* In materia impoſſibili quale 487.1.*b.* In materia indifferenti quale.*ibid.*1.*b.*

Vota obligant in conſcientia duplici titulo.478.1.*a.* Obligationis qualitas unde interpretanda.2.*b.*

Voti circumſtantiæ an ſub obligationem cadant. 480.2.*b.&ſeq.*

Quando & quamdiu vota obligent tam negativa; quàm affirmativa.481.2.*b.c.*

An quis poſſit alterum voto ſuo obligare.477.1.*b.&ſeqq.*

Vovens peregrinationem per ſe vel per alium adimplendam, ad quid teneatur.2.*c.*478.1.*a.*

Quibus modis ceſſet voti obligatio.482.1.*a.&ſeq.*

An Prælatus poſſit irritare votum inferioris de non peccando mort. aut de evitando aliquo peccato in particulari. 475.2.*b.* Et votum in quod conſenſit & approbavit.2.*b.c.*

Vota impuberum à quo poſſint irritari 476.1.*a.* An etiam tempore pubertatis.1.*b.* Quid ſi fuerint renovata tempore pubertatis.*ibid.*1.*b.*

Vota realia Puberum à quibus, & uſque quem annum poſſint irritari 476.1.*c.*2.*a.*

Vota ſervorum quæ poſſint à Dominis irritari. 476.2.*a.b.*

Quæ vota conjugum a ſe mutuo valeant irritari.476.2.*b.c.*

An mutua vota continentiæ mutuo conſenſu emiſſa.477.1.*a.*

A quibus & quando poſſint vota commutari. 483.1.*a.&ſeqq.*

A quibus & ob quas cauſas poſſint vota diſpenſari.484.1.*b.&ſeq.* Juſtæ cauſæ diſpenſationis, quæ 486.1.*a.&ſeq.* Tres rationes diſpenſandi in votis 262.1.*b.*

Quæ vota ſint reſervata Pontifici.484.2.*b.*

In voto ſimplici caſtitatis quibus caſibus poſſint Epiſcopi diſpenſare.485.1.*a.&ſeqq.*

Poteſtas Confeſſariorum Ordinum mendicantium circa vota.485.2.*c.*

An Papa poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis.486.1.*b.c.* Tali voto qui cenſeantur adſtricti.548.2.*b.c.*

Voti tranſgreſſio quale peccatum.487.1.*a.* Nimia dilatio quan-

quando mortale.2.a. Et negligentia in impletione.2.b.

De voti emiſſione pœnitere quale peccatum 487.2.c.488.1.a.2.a.

Vſucapio.

Uſucapio quid, & qui diſtinguatur à præſcriptione. 580.2.b.

Vſura.

Vſuræ nominis duplex uſurpatio.567.2.a.

Vſura quid.567.2.b. Quotuplex,2.c. In quibus rebus poſſit committi.568.1.a.& ſeq.

Vſura ex genere ſuo eſt peccatum mort.568.2.a.b.

An Judæis fuerit permiſſa reſpectu alienarum gentium.2.c.569.1.a.

Vſuræ injuſtitiæ.569.1.b.& ſeq.

Vſura vocatur *Morſus* 569.2.b. Comparatur *morſui Aſpidis* à S. Chryſoſtomo.2.c. Vocatur *Perditio.ibid.*2.c.

Differentia inter uſuram & alios contractus licitos. 570.1.a.

Corrollarium & reductio caſuum ad uſuram pertinentium. 570.1.b.& ſeq.

Vſurarius.

Vſurarius inculpabiliter ignorans ſe uſuram committere, an obligandus ad reſtitutionem.560.2.b.

Vſus.

Vſus Fructus quid.554.1.c.

Vſus juris quid.554.1.c. Simplex uſus facti quid.*ibid.*1.a. Talis eſt uſus rerum apud veros Fratres minores. *ibid.*1.c.2.a. Nec repugnat juri civili.*ibid.*2.a.b.

Vulneratio.

Vulneratio quando peccatum mort.516.2.b.& ſeq.

Vulnerans in conſcientia ad quid obligetur. 517.1.c.& ſeq.

Vxor.

Vxor vivente viro poteſt delectari de actu conjugali præterito vel futuro.80.2.a.b. Secus ſi vir ſit mortuus 81.1.b. Cum futura uxore an liceat alicui deſiderare concubitum 81.2.b.c.

Vxor quando obligetur ad dandam Eleemoſynam.355.2.c.356.1.a. Invito marito an poſſit 356.1.b.

Vxor aliena dupliciter appeti poteſt. 592.1.c.2.a. Vide *Concupiſcentia.*

Soli Deo honor & gloria.

A.II 1742.193

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

K. 65.